THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM

COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam ſacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.

VOLUMEN TRIGESIMUMPRIMUM

PARS PRIOR.



VENETIIS

MDCCLXVI.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTZ, ET SEBASTIANUM COLETTI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.



PRÆSTANTISSIMO VIRO

GASPARI DE NIGRIS EPISCOPO PARENTII

BLASIUS UGOLINUS FELICITATEM.

C*UM maxima & plurima fuerint tua in me officia, & promerita* PRÆSTANTISSIME PRÆSUL, *ea de causa hoc publico testimonio, quo testatiora atque illustriora Tibi essent mea in te observantiæ & pietatis argu-*

argumenta, Tibi dicandum addicendumque putavi hoc ANTIQUITATUM SACRARUM *volumen, in quo Poeſis veterum Hebræorum illuſtratur, quæ Græcam Romanamque, quamvis tantopere celebrata ſit, omnium judicio longe præſtat, & antecellit. Præterea illud accedebat, quod e re mea eſſe cenſuerim tuis auſpiciis hæc mea ſtudia commendari, cum probe norim quantum ex tuo præſidio & dignitate comparari illis poſſit præſidii ac dignitatis, præſertim in tanta invidia, qua* ANTIQUITATES SACRÆ *ſive hominum ſive temporum injuria immerito conflagrarunt, cum ſingulari in tota Italia judicii & doctrinæ fama celebraris. Adoleſcens Veneti Patriarchæ, Angeli Mariæ Querini, Franciſci Barbadici Cardinalium, & plurimorum Epiſcoporum Fiſcalis, omnium literarum genere, præſertim Juris Canonici ſcientia ita claruiſti, ut primum Civitatis Novæ, deinde Parentii Epiſcopatus Tibi non expetenti, ſed ne cogitanti quidem oblatus eſt, quo munere tanta cum laude perfunctus es, ut* CLEMENTIS XII. *Pontificis noſtra patrumque memoria pietate, & ſapientia Optimi Maximique expectationi, & judicio Tibi ampliſſimo honorificentiſſimoque cumulate ſatisfeceris. In hoc munere abs Te ea data navataque eſt opera, ut diu noctuque vigilandum excubandumque Tibi eſſe cenſueris, quo tuis vigiliis & excubiis gregis tui ſaluti atque incolumitati conſuleretur. Qua de cauſa factum eſt (licet in Iſtria Veneta atque Auſtriaca quamplurima extent ad tui nominis decus & dignitatem excitata monu-*

men-

menta) ut a Canonicis pro tuis maximis, & singularibus promeritis in Sacrario Ecclesiæ Cathedralis una cum æneo numismate Tibi tabula marmorea poneretur, quo sui in te grati animi, observantiæ & pietatis perpetuum atque immortale extaret argumentum.

Quod temporis Tibi reliquum fuit ab hac Pastorali cura, succisivis horis totum insumtum impensumque est in omnium literarum studiis, quæ doctissimorum Virorum testimoniis & judiciis tantopere commendata sunt. Celebratur in primis Musivum vetustissimum, quod visitur in Apside Ecclesiæ Cathedralis Parentii, abs te editum illustratumque, quo tui Episcopatus, qui recentior ab Ughellio, aliisque autoribus habitus est, vetustas asseritur, & confirmatur. Prætereunda mihi non est tabula illa marmorea Tibi honorificentissima, quam Monachi Paulini Istriæ Austriacæ in æde Apostolorum Petri & Pauli tibi posuere.

D. O. M. A.
Illmũs & Revmũs D. GASPAR DE NIGRIS EPISCOPUS PARENTII
PRÆSULUM DECUS
MAGNUS VIRTUTUM PORPHYROGENIUS
PASTOR BONUS IN POPULO
CHARUS UNIVERSIS, QUIA CLARUS MERITIS
HANC ORD. S. PAULI PRIMI EREMITÆ SS. APOST.
PETRI ET PAULI S. CONSECRAVIT ÆDEM XVI. KAL. SEPT.
A PRIMA EJUS CONSECRATIONE RESTAURATAM SÆC. V.
MARIÆ TRERESIÆ HUNG. ET BOHEMIÆ REGINÆ ANNO XV.
CHRISTI VERO MDCCLV.

Celebratur inprimis tua historia generalis Istriæ, & singularum ejus provinciæ civitatum, qua doctissimorum virorum, præsertim Ughellii errores demonstrantur & emen-

dan-

dantur. Præterea Pontificum & Cardinalium Venetorum historia summopere prædicatur. Prætereunda mihi sunt reliqua opuscula, quæ singulari eruditione abs Te concinnata sunt. Utinam hæc aliquando prodeant, quæ jamdiu omnium votis desiderantur atque expectantur! Te oro obtestorque, ne tanto literarum detrimento hæc diutius in tuis scriniis latere patiare.

Celebratur præterea in tota fere Italia tua Bibliotheca præstantissimorum Codicum & Librorum copia instructa & locupletata. Præ ceteris Museum celebratur, anaglyphis, nummis, gemmis, lenticulis, ampullis, lagunculis, bullis, annulis, tesseris, statuis, inscriptionibus amuletis, ceterisque vetustis monumentis ita refertum, instructumque, ut omnis antiquitatis locupletissimum penu & promtuarium merito dici & haberi possit & debeat. Vale.



BLA-



BLASIUS UGOLINUS
LECTORI.

POESIS veterum Hebræorum, ſive metrica, ſive Rhytmica illa fuerit, Lector in hoc volumine Tibi exhibetur: Quantum illa Græcam Romanamque antecellat, nemo eſt qui ignorat. Quis enim *Homerum Virgiliumque*, quamvis omnium hominum, atque omnium ſeculorum memoria tantopere celebrati ſint, non faſtidiat, qui Poetas ſacros perlegerit? Quem *Pindari Horatiique* non tædeat, qui cum eorum Odis *Moſis* cantica, & *Davidis* Pſalmos contulerit? In altero, quod conſequetur, volumine, dabitur Opera, Muſica, cui tanta cum Poeſi affinitas intercedit, ut illuſtretur.

INDEX OPUSCULORUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

THEO-



THEODORI EBERTI

POETICA HEBRAICA

HARMONICA, RHYTHMICA, METRICA

Præceptis, *Commentariis*, *Regulis & exemplis*, *Perſpicue declarata*.

Sanctæ Hebreæ Poeticæ Studioſis.

Οινταί ἀπὸ κρηνῶν μελιῤῥύτων, ἐκ μυσῶν κήπων τινῶν καὶ ναπῶν δρεπόμενοι τὰ μέλη. *Poetas e fontibus*, *melleo latice dimanantibus*, *& e viridariis hortiſque Muſarum carmina illa decerpere*, *quæ nobis afferunt*, inquit *Plato in Jone tom.* I. *p.* 534. *voce quidem præclara*, *& ſi ad ſacram Poeſin transferatur*, *maxime commendanda*. *Poeſis enim ſacra derivata eſt Pſalm.* 68. 27. 19. II. מסקור ישראל מתוקים מדבש ונופת צופים *ex fontibus Iſraelis*, *melle & favo ipſo dulcioribus* : *plantata eſt* in hortis & viridariis Prophetarum, *in quibus paſſim occurrunt pietatis flores*, *qui in corda legentium*, *reſipiſcentiæ*, *fidei*, *caritatis*, *ſpei fragrantiis & odoribus latiſſime diffunduntur*. *Qua de cauſa recte & cum Chriſtianis illi faciunt*, *qui divinæ ſapientiæ hortum aperiunt*, *& ex fontibus cœleſtibus nectar dulcedinis ſugunt*, *ſanctitatis mella conficiunt*, *& in favos divinitatis conjiciunt*. *Imitatores illi ſunt Prophetarum & aliorum ſanctorum*, *qui ut exponunt Hieronymus epiſt.* 127. *manſ.* 25. *& Ambroſius in Pſalm.* 119. *ſerm.* 18. velut apum ſpiritali ubertate congeſti, non quidem *mel naturale* confecerunt, quod poſt trajectionem in guttur non amplius percipitur: *ſed cœleſte*, quod non in ore ſolum, *verum juxta verba Hieropſaltis*,

Psal. 119. 103. מה-נמלצו לחכי אמרתך *in faucibus dulce est*, & ut de ore *Nestoris Homerus Il.* a *v.* 249. *cecinit* αὐδὴ μέλιτος γλυκίων, *orationem efficit melle dulciorem*, cujus succo apes (*Erasmus in vita Origenis & Ambrosii*) *puerorum pectore ferunt mellificasse, & insedisse*. Mellis igitur hujus & favi divinioris *amore & nos incitati, sanctioris suadæ medullam* (*Ennius medullam* Cathegum *vocat*) *parare & nostræ promissionis* (*Promissio fiebat in oratione panegyrica de Veteri Hebræorum Poesi, quam in promotione Magistrorum ad Academiæ proceres sub fine Decanatus Philosophici tertii dixi* 15. *April.* 1624.) *memores in futuris prælectionibus cum Auditoribus nostris sacræ Hebreæ Poeticæ mellificium, succinctis præceptis & exemplis perspicuis exstructum, communicare* καθ' δυύαμιν *laborabimus. Initium prælectionum ad diem Martis hora* VIII. *fiet, & quod unice exopto & desidero, non sine Divina gratia præsente & adspirante*. Nam, *ut ait Prosper in epist. ad Demetr.* voces docentium, & literæ paginarum, quæ ad eruditionem audientium Deo serviunt, non carent virtute ejus, cui serviunt. *Interea valete, & ex elogio Salomonis Prov.* 16. 24. צוף דבש *favum mellis* nocte dieque conficite.

V. *Theodor. Ebertus Programma valvis templi affixum* 25. *Aprilis ipsa Dominica Cantate* MDCXXIV.

CAPUT I.

De Poetica Hebræorum in genere.

Poetica est facultas conficiendi carmen, Hebræis Hebraicum. *Hinc*

REGUL. I.

Ipsum Poeticæ nomen originatione sua Græcanicum est, non Hebraicum.

Est radix Hebræorum שור canere, *ex qua Poetam* משורר cantorem: *ipsam vero* ποίησιν שיר canticum *adpellitant: ab adjuncto scilicet carminis, quia carmina jam composita apud priscos fiebant cantica, & jucundis modulationibus proferebantur. Hoc sensu* ἀοιδὸς Poeta *dicendus,* ἀοιδὴ *vero* Poesis: *ut apud Latinos Poetæ dicuntur* canere, *quando carmine res describunt, ut in illo* Virgilii

Arma virumque Cano ——

Græci postea respexerunt carmina, quatenus sunt in fieri; ut Scholæ loquuntur, *& artificem sermonis metrici vocarunt* ποιητὴν, *artificium vero ipsum* ποίησιν, *quas voces postea Latini reservarunt: Hebræi sequiores paululum corruperunt, & Poesin* פיוט, *Poetam vero* פיטן *adpellarunt. Arriserunt nimirum Rabbinis voces Græcorum* τεχνικαὶ, *quas non modo in usum suum transtulerunt, sed etiam definitionem elegantissimam ex mente Græcorum construxerunt, ut eam ex commentariis Judæorum adduxit Casaubonus, literarum* τὸ μέγα αὔχημα, *& quod omnes uno ore profitentur boni, virtute atque eruditione juxta admirandus. Hanc ex libro ejus* de Romanorum Satira cap. 5. *& nos adducemus lubentius, quia eam Græce & Latine expressit, atque ita cum requisitis aliorum Poetarum conferemus, nostramque breviorem heic in frontispicio dilucidius declarabimus. Definiunt ita Poesin Hebræi:* השיר הוא מאמר מתיחם נקשר קצוב קצו מוריע נונת המדבר במלות קצרות ערבות שקולות *Græce & Latine definitionem ita interpretatus est in antefato loco Casaubonus:* ἔστιν ἡ ποίησις λόγος ἐπίσημος (*proprie* εὐγενὴς, *vel* γενναῖος) οὗ τὰ μέρη πρὸς ἄλληλα χ' ἴσιν ἔχει (δέδεται) τὸν νοῦν τοῦ λέγοντος δηλῶν διὰ λέξεως βραχείας, ἡδυσμένης, ἐμμέτρου. Poesis est oratio nobilis (*vel illustris*) cujus partes invicem vinctæ sunt, mentem loquentis declarans, verbis brevibus, suavibus, libratis (*sive appensis*). *Pulcherrima est definitio, cujus partes* ἐν παρόδῳ *percurremus. Definitum dicitur* השיר *Græce* ἀοιδὴ, *hodie* ποίησις: *unde Poeticam seu facultatem Poesios Hebræi vocant* מלאכת השיר artem seu disciplinam Poesios, *Genus definitionis dicitur* מאמר λόγος oratio, *quod genus Grammaticæ, Rethoricæ & Poeticæ commune est, quia instrumenta sunt* τοῦ ἔξω προελθόντος νοῦ, *ut loquitur Simplicius. Nam cum esset homo ab Opt. Max. Deo in hanc rerum universitatem introductus, non solum ut hoc*

omne

omne mente caperet; sed etiam ut ad multiplicem usum interiores animi conceptiones foras proferret, homini loquendi simul & recte emendateque loquendi studium a natura fuit inditum: neque hoc tantum, sed & ornate: atque hoc amplius, ἐμμέτρως τε καὶ ἐμμελῶς *ac modulate. Hinc tres illæ artes natæ Grammatica, Rethorica & Poetica, quæ omnes una cum ratiocinandi facultate circa* τὸν λόγον *versantur, & proinde* λογικαὶ *recte omnes dicuntur. Definitur oratio* מתיחת ἐπίσημος nobilis: *ad differentiam* λόγου πεζοῦ. *Nam* πεζὸς λόγος *metaphorice pedestris vocatur oratio: tum quod humilis sit & depressa, si cum Poetica conferatur: tum quod humili & propemodum plebejo sermone sit scripta. Unde etiam Poeticæ minus, quam Rethoricæ late patet usus: quoniam naturæ legibus ita comparatum est, ut nobilioribus quibusque rebus consultum sit, ne quotidiano usu sordescere opus habeant. Interea tamen præsupponit Grammaticam & Rhetoricam tanquam comites necessarias. Ut enim si plures circuli describantur circa idem centrum, major minorem suo ambitu complectitur: ita cum in aliis animæ facultatibus usu venit, tum in tribus, quas diximus, artibus. Nam Rethorica Grammaticen, Poetica utramque intra se includit. Poetica enim non est* ἀπόβασις, *ut in alia re Synesius ait, Grammaticæ vel Oratoriæ facultatis: sed utriusque* ἐπανάβασις. *Neque potest ad Poetices* τὰ σεμνὰ μυστήρια *quisquam adspirare, quin illarum artium sacris prius fuerit operatus: hæc sunt illius* τὰ μικρὰ μυστήρια. *Hanc Poesios nobilitatem & majestatem Horatius vidit, cum* inquit:

> —— *Neque enim concludere versum*
> *Dixeris esse satis; neque si quis scribat uti nos*
> *Sermoni propiora, putes hunc esse Poetam.*
> *Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os*
> *Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.*

Dicitur deinde נקשר קצו בקצו οὗ τὰ μέρη πρὸς ἄλληλα σχέσιν ἔχει. Cujus partes invicem vinctæ sunt. *Verba Hebraica proprie redduntur oratio* ligata fine ejus & fine ejus: *quibus sine dubio respexerunt Rabbini ad connexionem sive relationem partium inter ipsas, aut ad genus Poesios Rhythmicum, quo utuntur, cum similitudine desinentiæ versus invicem alligantur. Aliter se res habet in Poesi Græca & Latina, in qua* τὸ κατὰ σχέσιν, & κατὰ σύστημα *longe aliud quid est, quam Rhythmicum. Postea vocatur oratio* מוריע נונה המדבר τὸν νοῦν τοῦ λέγοντος δηλῶν, mentem loquentis declarans. *Hoc est, quod supra diximus de disciplinis organicis, quæ docent vel vere & emendate loqui, ut in Grammatica; vel ornate, ut in Rhetorica & Poetica. Illa ex æquo omnibus & semper necessaria: hæ ubique necessariæ non sunt; sed indigemus iis duntaxat, ubi ornatu aut declaratione majori opus est. Ut vero declaratio sive ornatus Poeticæ fiat dilucidior, subjiciuntur tria requisita, quæ Poema maximopere commendant, brevitas nimirum, suavitas & metri concinnitas. Brevitas laudatur, cum dicitur* במלות קצרות διὰ λέξεως βραχέας, verbis brevibus, *quia scilicet Poesis orationem prosam, & pleno alveo fluentem, quibusdam dimensionum velut aggeribus coarctat, ne communi & usitata abundantia & quadam luxuria fluat: sed intra certas metas veluti intra ripam contineatur, unde etiam aliquod carminis Hebraici genus nominant* מזמור *quasi dicant* concisunum & amputatum vel resectum, *a* זמר *amputare, seu abundans resecare. Huc spectat illud, quod docet Plato in Alcibiade* β. Plerumque obscura est Poetarum oratio: neque est cujusvis eorum scripta interpretari: αἰνίττεσθαι, inquit *Socrates* apud *Platonem* de *Homero*, καὶ οὗτος καὶ οἱ ἄλλοι δὲ ποιηταὶ σχεδόν τι πάντες· ἔστι τε φύσει ποιητικὴ ἡ σύμπασα αἰνιγματώδης, καὶ τοῦ προστυχόντος ἀνδρὸς γνωρίσαι. *Suavitas deinde requiritur* במלות ערבות διὰ λέξεως ἡδυσμένης, verbis suavibus. *Hoc plane est, quod in definitione Tragœdiæ posuit Aristoteles,* ἡδυσμένῳ λόγῳ. *Unde Poetæ sunt Platoni in Jone*, qui e fontibus, melleo latice dimanantibus, & e viridariis hortisque Musarum carmina illa decerpunt, quæ nobis afferunt. Ποιηταί, inquit, ὑπὸ κρηνῶν μελιρρύτων, ἐκ μουσῶν κήπων τινῶν καὶ ναπῶν δρεπόμενοι τὰ μέλη. *Hæc suavitas omnium optime reperitur in prisca Hebræorum Poesi, quæ derivata est ex fontibus Israelis* Psal. 68. 27. *melle & favo ipso dulcioribus* Psal. 19. 11. *plantata est in hortis & viridariis Mosis, Jobi, Davidis & Salomonis: in quibus passim occurrunt pietatis flores, qui in corda legentium, resipiscentiæ, fidei, caritatis, spei fragrantiis & odoribus latissime diffunduntur. Metri denique Concinnitas ultimo commendatur,* במלות שקולות διὰ λέξεος ἐμμέτρου, verbis libratis: *quibus depingitur lex metri, siquidem vox* שקל *significat pondus & librationem, quam hic de lege metrica interpretamur; Non de concinnitate orationis, aut ea, quam Hebræi* מליצה *vel* הלצה *adpellitant.*

REGUL. II.

Nomen Poeticæ in diversas a veteribus tractum esse videmus significationes.

Posidonius apud Laertium in Zenone extendit illud ad imitationem rerum simul divinarum & humanarum: ποίησις, inquit, τὸ ποίημα σημαντικὸν, μίμησιν περιέχον θείων καὶ ἀνθρωπείων. Philo in libro de eo, quod deterius potiori insidiari soleat, ad Deum ipsum retulit, & opus creationis nominavit ποιητικὸν, cum ait: ἐν τῇ τοῦ θεοῦ ποιητικῇ μύθου μὲν πλάσμα οὐδὲν εὑρήσεις, τῆς δὲ ἀληθείας ἀτρεπεῖς κανόνας ἅπαντας ἐστηλιτευμένους: οὐδ' αὐτὰ φωνῆς μέτρα καὶ ῥυθμοὺς καὶ μέλη ἀκοὰς διὰ μουσικῆς ψυχαγωγοῦντα, τὰ δὲ φύσεως αὐτῆς τελειότατα ἔργα, τὸ ἴδιον εὐαρμοστίαν κεκληρωμένα. Philosophi vocem tribuerunt disciplinis vel mechanicis, vel organicis in genere: vel in specie & propriissime disciplinæ orationis & sermonis ligati. Mechanicis tribuit Plato in Sophista, ubi eas ποιητικὰς vocat, eo quod eum quidem, qui opus egerit, ποιεῖν facere: id vero quod effectum fuerit, ποιεῖσθαι fieri dicamus. Proprie magis organicis adtribuunt: unde Aristoteles 6. metaph. 2. & 6. Ethic. Nicom. 2. de tribus actionum & veritatis principiis agit, theoricis, practicis & poeticis: hinc Taletes aliique Philosophi quidam Poeticis includunt reliquas disciplinas organicas omnes. Propriissime vero disciplinæ tribuitur sermonis ligati: quo sensu si sumatur Stoice, extendit se ad universam Philosophiam, ut pluribus deducit Lipsius lib. 1. manuduct. ad Stoic. Philos. cap. 7. & Poeta dicitur Philosophus, ut declarat cum Scaligero lib. 6. Poet. 4. & lib. 7. ejusd. 3. Albericus Gentilis in comment. l. 3. Cod. tit. 52. Ad quos respexit sine dubio magnus ille Erasmus: Poetica est, inquit, placenta deliciis condita ex omni disciplinarum genere. Si vero sumatur Peripatetice, metricum dicendi modum potissimum respicit, qui modus reliquis disciplinis realibus, oratione poliendis, communiter inservit, ut in Rethorica modus eloquentiæ solutus, qui omnia ad πιθανὸν dirigit, ut Poetica ad τὸ ἡδὺ sua accommodat.

REGUL. III.

Poetica Hebraica non a fingendo, sed a faciendo carmine nomen habet.

Hoc cum adserimus, verbi ποιεῖν, a quo derivata est vox Poetices, respicimus significationem primigeniam, quæ proprie notat facere, efficere, agere. Unde translatum verbum ad Poesin notat ἐμμέτρως γράφειν metrice aliquid efficere, aut componere. Hinc Aristophanes in Belleroph. ὃν οὕτως ἐποίησεν ὅμηρος. Et Isocrates in Panegyr. τίς γὰρ ἢ τῶν ποιεῖν δυναμένων ἢ τῶν λέγειν ἐπισταμένων μὴ πονήσει καὶ φιλοσοφήσει. Ad hanc significationem respexerunt vates divini, qui varia canticorum genera: εὐτικὰ, εὐχαριστικὰ, προφητικὰ, & alia composuerunt, iisdemque Deum celebrarunt. A vocis vero intentione longissime discesserunt Græci, apud quos vulgo erat sententia: nihil aliud ποίησιν esse, nisi fabulas, versu contextas. Plato enim promiscue cum poemata nominat, μύθους, μυθεύματα, μυθολογίας aut φαντάσματα, vocavit φαντάσματα (inquit x. de repub.) ἀλλ' οὐκ ὄντα ποιοῦσιν οἱ ποιηταί. Alibi iis artibus annumerandam dicit Poeticam, quæ περὶ τὰ οὐκ ὄντως ὄντα, ἀλλὰ τῶν ὄντων εἴδωλα versantur: quæque ipsi dicuntur modo μιμητικαὶ aut εἰκαστικαί: modo εἰκονοποιοὶ vel εἰδωλοποιητικαί. Præceptorem imitatur discipulus in libello de Poetica, & cum genus universæ Poesios constituit imitationem, nihil aliud eo nomine plerumque intelligit, nisi fabulæ compositionem, atque, ut ipse loquitur, μύθου καὶ πραγμάτων σύστασιν. Unde Poetam describit esse non eum, qui res dicat factas, sed qui cujusmidi fieri potuerint: ποιητής ἐστιν, οὐχ' ὁ λέγων τὰ γενόμενα, ἀλλὰ τὰ οἷα ἂν γένοιτο. Ante Platonem & Aristotelem ejusdem sententiæ fuit Socrates, ἁπάντων θνητῶν σοφώτατος, cum jussus μουσικὴν ποιεῖν, h. e. ut ipse tandem exposuit, poema scribere: omnia expertus, per quæ oraculo se obtemperaturum crederet, hymno etiam in Apollinis & Dianæ laudem composito: nihil tamen egisse sibi visus est, nisi fabulas ab Æsopo mutuatus, quia ipse componere aut nesciebat, aut nolebat, versibus intexeret. Videsis locum insignem & prolixum in Platonis Phædone.

Dividitur Poetica Hebræorum in generalem & specialem.

Generalis agit de subjecto & fine.

Subjectum Poesios Hebraicæ est carmen, hymnus aut canticum.

Jam audivimus ποίημα aut ποίησιν ab Hebræis vocari שיר ab adjuncto carminis, quod nempe veteres carmina composita cecinerint. Aliis nominibus a Davide & Asapho carmen vocatur משל, aut חידה. Ut enim David ait Psal. 49. 5. אטה למשל אזני אפתח בכנור חידתי Inclinabo aurem meam ad parabolam, aperiam cum cithara ænigma meum: Ita Asaphus inquit Psalm. 78. 2. אפתחה במשל פי אביעה חידות Aperiam in parabola os meum, & loquar ænigmata. Vocatur autem ita carmen a genere dictionis parabolico, ænigmatico & allegorico. Est enim sermonis genus in Jobo, Psalmis, Proverbiis & aliis bibliorum canticis ab aliis libris longe diversum: seu ut voce utar Nonni

in

in paraphr. ad cap. 10. *Joan.* verſ. 6. παράτροπον *h. e.* a communi orationis itinere nonnihil deflexum ſive demutatum: conciſum ſcilicet, & brevibus membris concluſum, ſublime, allegoricum, hyperbolicum, & quibuslibet figurarum luminibus illuſtre, quale fere Poeticum in omnibus linguis eſſe ſolet: *unde quod* Euſebius lib. 11. πρόπαρ ἐὐαγ. cap. 5. *de Proverbiis Salomonis, jure merito quilibet de reliquis librorum Poeticorum canticis pronunciare poteſt, eadem nempe eſſe* ἐπιτόμȣς γνώμας ἀποφθέγμασιν ἐοικύιας, breves quaſdam ſententias apophtegmatibus ſimiles, *ex quibus Hebræorum liberi Chriſtianæ Ethices cognitionem hauſerunt.*

REGUL. I.

Poeticæ Hebraicæ ſubjectum verum eſt, non fictum.

Nicolaus Clenardus in præfat. tabul. Grammat. elegantiſſimis verbis depinxit linguam Hebræam: quæ ſi Poeticæ Hebraicæ accommodentur, luculenter verum ejus declarabunt ὑποκέιμενον. Neque enim, *inquit*, ut in cæteris crebro contingit: ita hæc quoque fabularum lenociniis ac ludicris nugis animum noſtrum titillare ſolet: non peſtiferis canticis aures demulcere, non profanis opinionibus mentem inficere, nullam breviter morum perniciem Candidatis ſuis inſinuare conſuevit. Verum contra ubique ſeria veritas ſalutari gravitate blanditur, ad omnem aditum facundus ille ſapientiæ lepor, dulcibus modulis plectrum ſuum meditatur: nihil adeo ſanctum, nihil adeo incontaminatum, quod non in vitam noſtram placita hujus metri ſuo veluti jure quodam inſtillent. *Quibus verbis manifeſte diſtinguitur ſecularis Poeſis a Sacra. Ut enim Seculariis ſuum* ἡδὺ *figmentis ſimul & pigmentis colorat: ita Sacra ſolius veritatis* πόιησιν *inſtituit, in qua nihil fictum, nihil pictum, ſed vera & ſancta ſunt omnia, quæ ſolis bibliorum divinorum fontibus reſpondent. Nullum igitur habet commercium Hebræorum Poeſis cum illa, de qua Syneſius:* ποιητική τε καὶ πλαςικὴ καὶ τὸ μιμητικὸν ἅπαν γένος, ἥκιςα μὲν ἔιναι φιλαληθὲς· δημαγωγικὸν δὲ ὡς μάλιςα καὶ ποιεῖν ἄττα ποιεῖ πρὸς δόξαν, ȣ̓ πρὸς ἀλήθειαν. *Verba extant* in *encom. Calvitii*, quæ Scholiaſtes ita interpretatus eſt: Poetica effectrixque ars & cæteræ imitatrices veritatis quidem curam minime habere: populares autem potius eſſe videntur, omniaque ab illis ad opinionem magis, quam ad veritatem fieri accommodate! A quibus non diſſentit deſcriptio *Iſidori Peluſiotæ lib. 2. epiſtol.* 228. ποιητική ἐςιν, ὅπȣ τὸ μυθῶδες ἐπιποθȣ͂σα, ὕλην ἔχει τὸ ψεῦδος, ὑφ' ἡδονῆς ἀκρίτȣ θρασυνομένη ἐξυβρίζει, καὶ ὑλομανεῖ, τὸ μυθῶδες καὶ θεατρικὸν ἐπιδεικνυμένη. Poeſis, *inquit*, figmenta interdum expetens, mendacium pro materia habet, atque præ voluptate præpoſtera judiciique experte inſoleſcens petulanter ſe jactat & luxuriat, fabuloſum & theatricum narrationis genus oſtentans. Unde qui Hebræam cum Seculari commiſcent, ignorare videntur, ut iterum loquitur *Peluſiota lib. 3. epiſt.* 33. ὅτι οἱ ποιηταὶ τοῖς πλεονεκτήμασιν εὐγενέιας ἐμπρέπειν ȣ̓κ ἔχοντας, μυθολογίαις ἀπίςοις ἐςαύμνωσαν Poetas eos, qui venis nobilitatis dotibus eminere non poterant, incredibilibus fabulis exornaſſe.

REGUL. II.

Poeticæ Hebraicæ ſubjectum ſacrum eſt, non profanum.

Hoc ἀξίωμα *diligentiſſime notandum, ne indiſcretim quamlibet rem recipiamus ad Poeſin Hebraicam. Unde extra limites hujus diſciplinæ divagati ſunt quidam Rabbini, qui non modo ſacras meditationes ſed etiam ſuperſtitiones Talmudicas metricis legibus adornarunt. Poetica vetus & nova ad ſe invicem ſe habent, ut genus analogum ad ſua analogata*, ut loquuntur Scholæ Philoſophorum: *unde ſtatim cum a ſubjecto ſacra diſcedit Poeſis Hebræa, legitimæ Poeſios nomen amittit. Imitatores igitur potiſſimum requirit Theologos, qui ſubjectum ſibi habent propoſitum, non ſuperſtitioſum, fucatum, affectatum, nec* διαφθόρειον, *quod animos corrumpat, & vel* ψυχρολογίαις, *hoc eſt, frigidis & inanibus verborum lenociniis aures feriat: vel* τερετίσμασι *h. e. cantilenis laſcivis impura deſideria provocet, boniſque moribus & affectibus noceat: ſed omne ſanctum & purum, omnia* θερμὰ, διάπυρα καὶ θεοπνευςα, *quæ mirabiles in legentium & audientium animis relinquant ſtimulos, novos & ſpirituales motus in cordibus accendant; eaque accenſa a terrenis ad divina & cœleſtia exuſcitent. Ad quod Subjectum ulterius declarandum pertinet locus Hieronymi Stridonenſis in epiſt. ad Lætam:* Chriſtiani, *inquit*, hominis anima non turpia verba intelligat, cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua Pſalmis dulcibus imbuatur. Procul ſit ætas laſciva puerorum: ipſe puellæ & pediſſequæ a ſecularibus conſortiis arceantur, ne, quod male didicerint, pejus doceant. *Quo etiam reſpexit Auguſtinus, cum in collatione Poetarum ſacrorum & ſecularium inquit:* Profanos Poetas elicere cupiditates & libidinem, Pſalmos illuminare animos & mentem: Profanos trahere dæmonas, expellere Angelos: Pſalmos autem Davidicos fugare dæmonas,

monas, & Angelos invitare in adjutorium.

REGUL. III.

Poeticæ Hebreæ ſubjectum primo fuit ἄρρυθμον, poſtea factum ἔμμετρον.

Metri concinnitas alia apud Latinos & Græcos; alia apud Hebræos & alios. Græci & Latini reſpiciunt quantitates ſyllabarum: quarum tanta exiſtit diverſitas & varietas, ut jam de iis peculiares libri ſint editi. Alia Hebræorum ratio, qui quantitates fere omnes habent longas, & ex ſervo duntaxat puncto nonnunquam efficiunt ſyllabas breves. Priſci ſubjectum habebant εὔρυθμον, *in accentuum diſpoſitione fundatum, quod adeo occultum, ut nondum perſpicue ſit declaratum.* Hoc *Joſephus Scaliger* in animadv. ad Euſeb. *ex definitione Bedæ declarat*, qua Rythmus dicitur metris conſimilis modulata compoſitio: non metrica ratione, ſed numero ſyllabarum ad judicium aurium examinata, ut ſunt carmina vulgarium Poetarum. *Sequenti poſtea ætate* εὔρυθμον *factum eſt, in quo non numeri ſyllabarum, ſed ſimilis deſinentiæ habebatur ratio: Verſum enim antecedentem aliquando compoſuerunt longiorem dimidio, in* ὁμοιοτελεύτοις *&* ὁμοιοπτώτοις *convenientem. Hodierni reſpiciunt non modo numerum ſyllabarum, & ſimilem deſinentiam, ſed etiam dimenſionem pedum: quarum illam mutuarunt a Syris & Arabibus: hanc a Græcis & Latinis, & e gentibus miſtam quaſi Poeſin conſtituerunt.*

Finis Poeſios eſt primarius & ſecundarius.

Primarius Poeticæ Hebreæ finis eſt Deum celebrare.

Princeps hic ſcopus genti *potiſſimum* Hebreæ *fuit proprius. Ut enim illa Poeticæ autorem agnovit Deum: ita omnia cantica ad Dei gloriam direxit, & in unius Dei laudibus fuit occupata. Hebræos imitati ſunt* Græcorum vates antiquiſſimi, *Muſæus, Linus, Orpheus, qui hymnis ſuis Deum celebrarunt, & proinde* θεόλογοι *vocati. Quod & Plato videtur intellexiſſe, cum pulſis de Rep. ſua Poetis, ſolos* ὑμνογράφους *retinuit, prudenter vereque diſcrimen faciens inter* τὴν ἀγαθὴν ποίησιν *&* τὴν ἡδυσμένην μοῦσαν. *Invenerunt vero cantica priſci illi homines ob dies præcipue feſtos: quorum duas habuerunt cauſas: Honorem Divini Numinis, & Hominum a conſuetis laboribus ceſſationem, cui poſtea adjunctus eſt luſus & jocus: quia,* ut ait *Ariſtoteles* 10. *Eth. Nic.* 6. ἀναπαύσει ἔοικεν ἡ παιδιά. *Poſtea cum veri Dei notitiam ſenſim amiſerunt, & feſtos dies agitandi modum primitus inſtitutum ſunt obliti, maximopere a prima antiquitate receſſerunt. Hebræi enim non modo inſtituerunt* משבת ἀνάπαυσιν καὶ ἀπὸ τῶν ἔργων ἐκεχειρίαν, ut ait *Joſephus de ſabbati inſtitutione loquens; &* תענית *ſive* תענות *ac* מספר *peccatorum expiationem per jejunia & luctum & ſimiles* κακωχίας *ritus, quos etiam gentium ſuperſtitio agnovit, & varie eſt imitata: verum etiam* תענוג, *ideſt,* εὐφρασίαν *& hilaritatem ac jucundioris vitæ uſum: unde etiam lætos illos dies vocarunt* ימים טובים ἀγαθὰς ἡμέρας *de quorum lætitia multa ſunt præcepta in Talmud* parte ſecunda *tam in capite* מועד קטן, *quam in aliis: & in Jad Rambam* in eo tractatu, *qui inſcribitur* הלכות שביתת יום טוב *itemque in lib. Rabbi Moſis Mikkotſi, quo præcepta vetantia jubentiaque, ſive,* ut ipſi dicunt, *negativa atque affirmativa & fuſius perſequitur & diverſo ordine, quam ipſe Rambam aut alii. Ejuſdem fortunæ fuit Poeſis Græcorum, cujus propagatores ea, quibus in ſacris conventibus & ludorum ſolemnitatibus deos aut heroas laudare ſolebant, ſucceſſu temporis* levi quadam opera *deſcripſerunt, & quæ breviter & carptim tractare debebant,* variis verborum ambagibus *auxerunt, & ex iis fabulas & dramata componere cæperunt, & tragœdias adpellarunt. Qui autem joculares verſus funditare ſoliti, ut phallica & id genus alia: adhibita arte, & fabulis integris compoſitis, comœdiam ediderunt. Ita principem Poeſios ſcopum amiſerunt, & pro vero Deo idola coluerunt, & abuſum pro recto feſtorum uſu ſubſtituerunt,* ut videmus ex verbis *Horatii* in *epiſt. ad Auguſt.*

Agricolæ priſci, fortes parvoque beati
Condita poſt frumenta, levantes tempore feſto
Corpus, & ipſum animum ſpe finis dura ferentem
Cum ſociis operum, & pueris & conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant
Floribus & vino Genium memorem brevis ævi.
Feſcennina per hunc inventa licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica ludit.

Secundarius finis Poeticæ eſt docere & delectare.

In ſeculari Poeſi tres Poetarum ordines videntur autores conſtituere, & qui docent, & qui delectant, & qui docent ſimul & delectant, ex illo Horatii:

Aut

Aut prodesse volunt, aut delectare Poetæ:
Aut simul & jucunda, & idonea dicere vitæ.

Vel ex elegia Melissi ad Antonium Geuderum part. 3. schediaſ.

Forſitan invenies, quod Te juvet: ut nihil adſit,
Quod juvet; hicce tamen nonnihil eſſe puta.
Quod ſi non proſum: tamen aut delecto legentes,
Aut jucunda apibus grataque dico meis.

Verum in ſacra Poeſi nil reperitur, quod non juvat: nil adeſt, quod non proſit. Omnia juvant, omnia proſunt, delectando juvant, exhilarando proſunt. Tanta in ea eſt συζυγία *Christianæ delectationis & divinæ ſapientiæ indiſſolubilis, ut; ſi Poetæ divini aliquod carmen legamus, & Deum ipſum ſua voce docentem & concionantem audiamus, & noſmetipſos noſtris quaſi verbis, modiſque, quantumlibet alienis & peregrinis, inſtruamus. Ita ſolemus ſacris iſtis carminibus affici, ut Muſæ & Charites nobis omnes in illis videantur una canere, libenterque præ ipſis Pindaros & Horatios omnes contemnamus, ſicut Alexander ille Paridos lyram contemſit, cum illam Achillis nactus eſſet. Ex hujus Poeſios fonte rivi deducuntur ſuaviſſimi:* cum *veræ ſapientiæ adeptio, quæ conſtat in certa & firma Dei verumque divinarum ſcientia:* tum *voluptatis liberaliſſimæ cognitio, qua Vates Divini legentes in tantas adfectum partes rapiunt, ut habeant in omnibus vitæ conditionibus remedia* nunc *miſerationis in ærumnis piorum lugendis,* modo *iracundiæ in adverſariis terrendis:* interdum *metus & verecundiæ in Dei fide imploranda:* poſtremo *gaudii & fiduciæ in divinis promiſſionibus. Hujus Poeſios eſt, non ſolum id nobis præſtare, ut in hac vita ſancte, integre, caſteque nos geramus, verum etiam ſpe melioris inpoſterum & optabilioris vitæ nos conſolatur; & fore oſtendit, ut cum ex hac vita diſceſſerimus, fructus ipſius lætiores, uberioreſque percipiamus, ac beati ſempiterno ævo fruamur. Hæc vero omnia in ſeculari Poeſi rariſſime attinguntur, & fabularum quaſi quodam oppanſo teguntur. Laudantur quidem Empedocles, Parmenides & cæteri, quos* φυσικοὺς *appellarunt, quia naturæ arcana verſibus ſuis cecinerunt.* Commendan*tur Theognis, Phocilides & ſimiles, qui* παραινετικὴν *aut* νουθετικὴν *Poeſin ediderunt: illam, ut præcepta Virtutis darent: hanc, ut a vitiis averterent.* Celebra*tur Pythagoras, & tanquam idea perfectionis Poeticæ honoratur, qui juxta phaleucum Leodegarii a Quercu Poetæ elegantiſſ.*

—— —— Sophiæ
Junxit Phœbicolam & ſacram Poeſin
Omnibus numeris ita abſolutam,
Ut nil addere neque demere illi
Poſſis, ni Tu adimas vetuſtoris
Paganiſmi aliquem improbatum amorem.

Et ut de Homero, cujus immortalem cœleſtemque naturam *Fabis veneratur, hoc tantum unicum inſeramus. Magnum quidem illi tribuit elogium Democritus:* Ὅμηρος φύσεως λαχὼν θεαζούσης ἐπέων κόσμον ἐτεκτήνατο παντοίων, ὡς οὐ κενὸν ἄνευ θείας καὶ δαιμονίας φύσεως οὕτω σοφὰ καὶ καλὰ ἔπη ἐργάσασθαι: Homerus naturam ſortitus divinam variorum carminum ornatum fabricatus eſt: neque eſt profecto ſine divina & geniali natura tantæ ſapientiæ & Elegantiæ verſus facere. *Sed,* ut alii loquuntur, *in eo tamen mens & intellectus profundior occulitur, carminibus* πάρεργα *nonnunquam immiſcentur, & juvenilia ingenia in fabularum cognitionem deducuntur. Requirit igitur Plato* in Alcibiade *ad Homeri lectionem virum maturi judicii, & monet,* οὐ δεῖν τοὺς ἀμυήτους τῆς σοφίας Ὁμηρικοῖς ἐμπίπτειν ποιήμασιν, ἵνα μὴ μύθους οἰήσαιντο γράφειν τὸν ἥρωα, non debere, qui initiati nondum ſapientiæ, incidere in Homerica poemata, ne fabellas cenſeant Heroem illum ſcribere. *Plutarchus* in libro de Muſica *addit de ejus ſapientia.* Neque enim quiſquam exiſtimet voluptati tantum illa compoſita carmina: ἀλλὰ γὰρ βαθύτερός ἐστι νοῦς ἐγκεκρυμμένος τοῖς ἔπεσι: ſed vero altior profundiorque mens & intellectus occulitur in iis verſibus. *Baſilii aphoriſmus* βασιλικὸς *eſt!* πᾶσα μὲν ἡ ποίησις τῷ Ὁμήρῳ ἀρετῆς ἐστιν ἔπαινος, καὶ πάντα αὐτῷ πρὸς τοῦτο φέρει, ὅτι μὴ πάρεργον: omnis Poeſis Homeri laudatio Virtutis eſt, & omnia ipſe eo dirigit, niſi ſi quid parergum & ornatus cauſa accedit. *Hoc* πάρεργον, *hoc* κεκρυμμένον, *aut* μυθικὸν *in Hebræa Poeſi plane non habet locum, ſed omnia, quæ in ea proponuntur, intellectum ſanctiſſime informant, voluntatem integerrime dirigunt, adfectus caſtiſſime moderantur: a qua inſtructus Poeſios Studioſus hoc agere, hoc meditari debet, ut intellectum* σύνεσις *rerum divinarum, voluntatem* πρᾶξις *earundem, adfectus denique & linguam* δύναμις ἑρμηνευτικὴ τῶν λογίων θεοῦ *perficiat. Quo facto mentis Chriſtianæ characteres in animos horum velut influunt, & in iis tam perfecte, tam inſigniter imprimuntur motus divini, ut mœrentes erigantur, torpentes excitentur, inani*

læti-

lætitia elati cohibeantur, & in quemvis denique motum legentes, audientes, meditantes impellantur. Verum quidem est, secularium Poetarum carmina in eruditis Hominibus motus singulares excitare, id, quod docent, dicendi quasi lepore & phaleris instillare, & cum voluptate persuadere: Verum enim vero ista voluptas & delectatio non mentis, sed verborum est: non animi, sed corporis; non cordis, sed aurium fuit apud antiquiores. Cum enim collectis frugibus Deo gratias agere, & laboribus peractis quiescere debebant, animum potius relaxarunt, & jucunditati se dederunt: & consequenter curis soluti, & genio indulgentes, ac vino pleni, ciendi risus gratia dicteria emiserunt, aliusque in alium scommata jecerunt, & sua sibi vitia aut inhonesta facta objectarunt. Omnia enim etiam acerbiora dicta licentia epularum & temulentia excusabant, τὰ γάρτ' ἀναθήματα δαιτὸς, ut ait Poeta. *Quo respexit Prometheus* apud Lucianum, *cum Jovem alloquens, & fraudem excusans, qua illi inter epulas illuserat, in jocorum subsannandique licentia omnem conviviorum venustatem & præcipuum fructum contendit esse positum:* ἣν ἀφέλῃ τις, *inquit,* τῶν συμποσίων τὰς κομψείας ταύτας, ἀπάτην καὶ σκώμματα, καὶ τὸ διασιλλαίνειν καὶ ἐπιγελᾷν, τὸ καταλειπόμενόν ἐστι μέθη, καὶ κόρος, καὶ σιωπὴ, σκυθρωπὰ καὶ ἀτερπῆ πράγματα, καὶ ἥκιστα συμποσίῳ πρέποντα. *Unico duntaxat Comœdiarum fine hoc declarabimus, quæ dicuntur a* κώμῳ, *qui nihil aliud est,* nisi convivantium, foras e triclinio prodeuntium, lascivia. *Nam* κῶμος *nomen, non est prima origine Græcum, ut placet Grammaticis, sed purum putum Hebraicum, dubio procul cum nascente Græcia natum,* קום *enim surgere est, inde* κῶμος, *ut a* מום μῶμος. *Unde* κῶμος *proprie est* ἀνάστασις ἀπὸ δείπνου eruptio a mensa in publicum. *Tertullianus eleganter vertit* eruptiones lasciviarum, *adversus gentes.* Æque oratio convivium dirimit: inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, neque in eruptiones lasciviarum. *Sic maluit, cum potuisset uno verbo*, neque comessatum, πρὸς τὸ κωμάζειν. In Eroticis Luciani κωμαστὴς *exponitur* δῆλος ἐραστὴς: *quia in publico semper* ὁ κῶμος: *ideo passim leges* κωμάζειν ἐπὶ τὴν ἀγορὰν, *vel* ἐπὶ θύρας τῆς δεῖνος. *Sæpe* κωμάζειν *idem ac saltare, moveri ad numeros:* ut in veteri cantico Laconicæ disciplinæ: πόῤῥω ὦ παῖδες πόδα μετάβατε, καὶ κωμάσατε βέλτιον. *Sæpe idem ac crapulari, & ebrietati indulgere: quia semper e compotatione prodibant comessatores, & sæpe eandem repetebant.* Apud Svetonium *comessari est bibere a cœna.* Græcis quoque κωμάζειν vel ἐπαπείζειν. *Omnia hæc lasciviæ genera denotat nomen* κῶμος; *& ita accipiendum* in Apostolorum Petri & Pauli epistolis: *a quibus plane abhoret, & longissime discedit Poesis Hebræa, quæ nec delicias nec lascivias adamat sed potissimum dilectionem, quæ in Domino fundata est, concernit: de qua elegantissima verba reliquit Athanasius* in epist. ad Marcell. de interpret. Psalmorum, *quibus etiam hoc caput finiemus.* Non, *inquit*, ad delectationem aut animorum scripta sunt, aut publice decantantur hæc poemata, ut pleraque Græcorum & Latinorum olim in panegyribus recitabantur: sed potius ut de harmonia omnium actionum in vita nos commonefaciant. Sicut enim harmonia tibias committens unum concentum efficit: ita quoque in anima, variis motionibus cogitandi, cupiendi, noscendi agitata, unde membris initium operandi desumitur, ratio postulat, hominem sibi consonum esse, neque ipsum a sese dissidere, non ut optima quidem cogitet, pessima tamen faciat: aut ut concupiscat mala, sed perpetrandi facilitate destituatur &c.

Poetica Hebræorum est, vel Rhythmica, vel Metrica.

Rhythmica Poetica est vel prisca, vel moderna; illa Prophetarum, hæc Judæorum.

CAPUT II.

De Prisca Hebræorum Poetica.

POetica Hebræorum prisca est facultas divinitus Prophetis, sanctisque viris infusa, charactere Poetico animata, & Dei laudibus hominumque saluti consecrata.

In hac descriptione occurrunt hujus Poeticæ I. Autoritas, *quod cum verbo Dei simul publicata sit. Etenim cum apud doctos homines literis Hebraicis, & verbo Dei, Hebraice scripto, nihil sit antiquius, facile quilibet judicabit, hanc Poesin Propheticam merito primam & veterem dici: in quam sapientissimus Syracides intuens, veterum majestatem & encomia descripturus* cap. 44. vers. 6. *adserit:* Patriarchas & Prophetas exquisivisse modos Musicos, & exposuisse versus scriptos. II. Facultas, *quod non ab hominibus excogitata, sed divinitus sit infusa, de qua ex sua persona loquitur David.* 2. Sam. 23. 2. Locutus est spiritus Domini per me, & sermo ejus per linguam meam: *Ita ipse Christus* Matth. 22. 45. *affirmat:* Davidem ductu & instinctu Spiritus sancti testimonium Christo perhibuisse. III. Necessitas, *quod Deus non modo soluta & simplici oratione voluntatem*

homi-

hominibus aperire voluerit, sed etiam ligata & concisa: tum *ut omnibus linguarum & orationum speciebus celebraretur, juxta expositionem Athanasii* in epist. ad Marcel. tum *ut harmonico dicendi genere & Deo, & proximo, & nobisipsis conscii, non a singulis dissidentes simus, & tanquam parvus Mundus ad magni similitudinem ex quadam harmonia nos conformemus, ex mente Nysseni* tract. in Ps. cap. 3. tum *denique ut Deus & concisa orationis brevitate memoriæ subsidium & pia modulatione animis sanctitatis studio afficiendis adminiculum suppeditaret, ex judicio Chrysostomi* in Psalm. 42. & homil. 6. de pœnit. IV. Utilitas, *quod nempe Dei laudibus & hominum saluti sit consecrata. Mahometh quidem in Azoara* 64. ut refertur in cent. 7. histor. Eccl. Magdeb. *in Psalmis negat haberi, quæ ad salutem prosint. Sed atheo suam relinquemus φαντασίαν, & cum Augustino de Psalmis adseremus:* Omne quod dici potest bonum, & quod ad utilitatem animæ pertinet, ex Psalmis & Canticis reliquis procedere: Dei videlicet scientiam, perfectam prænunciationem Christi, in carnem venturi, & communis resurrectionis spem, suppliciorum metum, gloriæ pollicitationem & mysteriorum revelationem.

Priscæ hujus Poesios considerandæ adfectiones & species.

Adfectiones sunt Rhythmus, & ratio seu structura Rhythmi.

Rhythmus est modulata verborum compositio, metris consimilis, ad judicium aurium examinata.

De voce Rhythmi infra cap. 3. *pluribus agemus: hoc loco duntaxat notandum est, hic non esse Rhythmum, qui vulgariter judicatur ex terminatione similis desinentiæ, qualis Germanor. Belgarum & aliorum hodie populorum: sed ex numero quodam syllabarum citra mensuram pedum. Nos definitionem ex Beda adduximus, quo nemo veterum melius explicavit, quid sit Rhythmus, ut judicat Josephus Scaliger* in animadvers. Euseb. *ubi quoque ejus verba recensentur, quæ sic habent.* Est, *inquit* Rhythmus, ut doctissimus Beda ex Augustino & aliorum scriptis collegit, metris consimilis modulata compositio, non metrica ratione, sed numero syllabarum ad judicium aurium examinata, ut sunt carmina vulgarium Poetarum. *Rursus* idem Beda ex eodem Augustino, ni fallor. Metrum est ratio cum modulatione: Rhythmus modulatio sine ratione. Plerumque tamen casu quodam invenies etiam rationem in Rhythmo, non artifici moderatione servatam, sed sono & ipsa modulatione ducente, quem vulgares Poetæ necesse est faciant rustice, docti faciant docte. *Hæc ex Beda Scaliger, cum quo conjungantur ea, quæ habet Augustinus* lib. 3. de Musica.

Structura Rhythmi est ipsa sacræ Poesios dimensio & formatio.

Hic pene quiescendum nobis est, nec de dimensionis ratione aut metri qualitate certi quid proponendum. Deploranda enim tum *gentis Judaicæ calamitas,* tum *nostra ex parte infelicitas, quod rationem metri, quæ sacris carminibus propria est, ut plurimum ignoramus, nec accurate cognoscimus. Multo sane dulciora & commendatiora nobis futura forent hæc sacra carmina, si metri ratio nobis constaret, nec tam obscure tractata, tam dubie proposita, tam intricate relicta fuisset. In canticis Hebræorum sacris metra esse plane negarunt Julianus* apud Cyrillum Alexandrium lib. 7. Contr. Jul. *Anabaptistæ* apud Sixtum Senensem lib. 8. Biblioth. hæres. 2. *Marianus Victorius* Hieronymi Scholiastes: *Elias Levita* in Masoreth. *Eugubinus* in præf. ad Psal. *ad quos sine dubio etiam respexit Josephus Scaliger, qui* in Eusebianis *censet*, in Psalterio nullum esse canticum, metricis legibus adstrictum, sed mere solutam orationem, charactere Poetico animatam. *Plurimi metra in iis esse dicunt, sed in pedibus ipsis & speciebus declarandis suam profitentur ignorantiam, ut Andreas Masius* in cap. 10. Jos. v. 11. *Joannes Mercerus* in præfat. Jobi. *Franciscus Junius* in Grammat. lib. 2. in fine: *Valentinus Schindlerus*, in Grammat. *Ludovicus Lusitanus* in quæst. de carmin. Davidis: *Alphonsus Mendosa* in globo linguæ sanctæ lib. 9. c. 1. *Gilbertus Genebrardus* in Chron. Anno 3006. *Robertus Bellarminus* part. 3. instit. Hebraic. c. ult. *qui sine dubio omnes, & cum ipsis alii respexerunt ad Augustinum; qui* ad Memorium *scribens:* Quibus, *inquit*, numeris consistant versus Davidici, non scripsi, quia nescio. Neque enim Hebræa lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros interpres exprimere, ne metri necessitate ab interpretandi veritate amplius, quam ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur. Certis tamen eos constare numeris credo illis, qui eam linguam probe callent. Amavit enim vir ille sanctus Musicam piam, & ad ea studia nos magis ipse, quam ullus autor alius accendit. *Hæc Augustinus, contra quem inter Hebræos Philo & Josephus, ille* lib. de agricult. *hic* lib. 2. antiq. *cap.* 14. & lib. 7. c. 12. *inter Græcos Tatianus,*

a Gyraldo allegatus dial. 2. *Origenes* in Cant. Cant. & in comment. Cant. *Eusebius Cæsariensis* lib. II. præpar. Evangel. cap. 3. *inter Latinos Hieronymus* in epist. ad Læl. & ad Paul. Urbic. & in præfat. Jobi, *Isidorus* lib. I. origin. c. 37. & 38. *Honorius* in prol. Psalmor. *non tantum metra esse defendunt, sed etiam species carminum recensent; hexametra, pentametra, jambica, sapphica, alcaica nominant, ad morem Pindari, Horatii, Catulli currere adserunt. Cum vero inquisitione accuratiori progredimur, & rationem metri, formam pedum, structuram syllabarum, scansionis mensuram, & in summa* totam illius metri *investigamus* naturam, *de iis omnibus nihil Græcorum aut Latinorum aliquis annotavit, nihil annotando manifestavit, consignavit, aut posteritati reliquit.* Solus Hieronymus *facit mentionem pedum, non iisdem syllabis, sed iisdem temporibus constantium: Rhythmum etiam nominat tinnulum & dulcem numeris pedum solutis compositum. Quid vero pes sit, non syllabis sed temporibus constans, quid Rhythmus suavis & tinnulus, quid numerus pedum ligatus, non solutus, exemplis Hebraicis nec* ipse *Hieronymus declaravit, nec* post ipsum *alii dilucidarunt. Nostro seculo de ratione metri nonnulla* in Animadv. Eusebianis *consignata reliquit Josephus Scaliger, de quo Joan. Jac. Boissardus.*

Phœbe, Tui solis posthac moderare quadrigas
Hic, qui Parnasso præficiatur, ADEST.

Sacræ eum Poesi & nos præficiemus, quantum poterimus. Rhythmos ille agnoscit in sacris existere, instar duarum Dimetriarum Jambicarum: quibus tinnulus ad aures accedat. *Paulo post.* Versus vocat, in quibus duæ Dimetriæ Jambicæ, aliquando tres dipodiæ, aliquando mira inæqualitas, ut ne Rhythmi quidem legem sequantur. *In specie de libro Jobi ait:* in eo ne metra quidem esse, sed metrorum instar. *Et rursum inquit:* Puram putam Poesin esse Rhythmicam, non metricam: generosam, masculam & supra modos Pindaricos omnes. *Hæc & alia ibi ille* in Animadversionibus Eusebianis, *ubi tamen nec ipse ullum exemplum Hebraicum vel ad Dipodiam, vel ad Dimetriam aliquam adplicat. Ut igitur exempla adplicare possimus, cogimur ex nova Poesi terminos technicos desumere, eos conferre, & e nova ad veterem transferre, & accommodare. Infra* cap. 4. *proponentur tres voces* 1. בית 2. דלד 3. סגור: *quarum* priorem Græca *voce vocabimus distichon:* alteram *prius hemistichium*, tertiam *posterius hemistichium. His ita præmissis nonnullas Rhythmorum dimensiones hoc modo proponemus.*

Dimensio sacræ Poesios observatur in fine vel cum simili desinentia, vel sine simili desinentia.

Dimensio cum simili desinentia est, cum in fine observatur aliquod Rhythmicum sine pedum numero, sponte & fortuito factum, non studio elaborato accersitum.

Hujus dimensionis exempla sunt.

Psalm. 6. 2.

יהוה אל באפך תוכיחני
ואל-בחמתך תיסרני:

Domine ne in furore tuo arguas me,
Neque in ira tua corripias me.

Psalm. 8. 5.

מה-אנוש כי-- תזכרנו
ובן-אדם כי תפקדנו.

Quid est homo, quod memor es ejus,
Aut filius hominis, quod visitas eum.

Psalm. 116. 7.

שובי נפשי למנוחיכי
כי יהוה גמל עליכי

Revertere anima in requiem tuam,
Quia Dominus benefecit tibi.

Psalm. 119. 30.

דרך אמונה בחרתי
משפטיך שויתי

Viam veritatis elegi,
Judicia tua posui.

Job. 21. 4.

האנוכי לאדם שיחי
ואם מדוע לא תקצר רוחי:

Numquid ego ad hominem sermonem meum,
Quod si quare non angustiis afficietur spiritus meus.

Prov. 24. 19.

אל--מתחר במרעים
א--תקנא ברשעים:

Ne effervescas propter maleficos,
Ne invideto improbis.

Prov. 1. 8.

שמע בני מוסר אביך
ואל תטוש תורת אמך

Audi

Audi fili mi disciplinam Patris tui,
Et ne dimittas legem matris tuæ.

Psalm. 105. 20.

שלח מלך ויתירהו
משל עמים ויפתחהו

Misit rex & expedivit eum
Dominator populorum & solvit eum.

Psalm. 118. 25.

אנא יהוה הושיעה נא
אנא יהוה הצליחה נא:

Obsecro Jehova, serva nunc,
Obsecro Jehova, prospera nunc.

Rhythmi antecedentes fuerunt similis desinentiæ, & quidem bimetri, & in posterioribus quatuor exemplis fuit etiam æqualis syllabarum numerus. *Observantur etiam trimetri.*

Psalm. 106. 5.

לראות בטובת בחיריך
לשמח בשמחת גויך
להתהלל עם נחלתך

Ut fruar bono Electorum tuorum,
Ut læter lætitia gentis tuæ,
Ut glorier cum possessione tua.

Psalm. 146. 7.

עשה משפט לעשוקים
נתן לחם לרעבים
יהוה מתיר אסורים

Qui exercet judicium erga oppressos,
Dat cibum famelicis,
Dominus solvit vinctos.

Dixi sponte & fortuito factos fuisse Rhythmos in canticis sacris, non studio elaborato accersitos: quia non solum apud Poetas, sed etiam alios scriptores sacros Rhythmi animadvertuntur.

Malach. 2. 10.

הלוא אב אחד לכלנו
הלוא אל אחד בראנו
מדוע נבגד איש באחיו
לחלל ברית אבותינו

Nonne Pater unus omnibus nobis est,
Nonne Deus fortis unicus creavit nos?
Quare perfidi sumus alter in alterum,
Profanando fœdus majorum nostrorum.

Ezech. 20. 43.

וזכרתם שם את-דרכיכם
ואת כל--עלילותיכם
אשר נטמאתם
בם ונקוטותם בפניכם
בכל-רעותיכם
אשר עשיתם

Ubi recordati viarum vestrarum
Omniumque actionum vestrarum,
quibus vos ipsos imputastis,
Fastidio eritis vobis ipsis
Propter omnia mala vestra,
quæ feceritis.

Simili fere casu apud Evangelistas & Apostolos *soluta oratione scripti in Novo Testamento reperiuntur, non quidem Rhythmi, sed Versus forte fortuito effusi, ut*

Jambus. Luc. 7. 7.

Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται,
Ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε

Petite & dabitur,
Quærite & invenietis.

Pentameter. Luc. 14. 30.

Οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἤρξατο οἰκοδομεῖν.

Homo iste cœpit ædificare.

Et Rom. 6. 13.

Καὶ τὰ μέλη ὑμων, ὅπλα δικαιοσύνης,

Et membra vestra, arma justitiæ.

Hexameter. Matth. 23. 6.

Καὶ τὰς πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς

(Amant) & primos consessus in conventibus.

Luc. 21. 18.

Θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται.

Pilus capitis vestri non peribit.

Joan. 6. 63.

Ἐστι τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν.

Est (spiritus) qui vivificat, caro non prodest quicquam.

Joan. 13. 16.

Οὐκ ἔστιν δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ,

Servus non est major Domino suo.

Rom. 8. 39.

Τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν,

(Caritas) quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Sic in verſione antiqua Latina *Phaleucus*.

Luc. 6. 40.

Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum.

Et Pentameter. Matth. 11. 21.

Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethſaida.

Joan. 8. 12.

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.

Pſalm. 50. 21.

Imponent ſuper altare tuum vitulos.

Dimenſio ſine ſimili deſinentia vel conſtat certo & æquali ſyllabarum numero: vel incerto & inæquali.

Dimenſionis, quæ conſtat certo & æquali ſyllabarum numero, exempla ſunt.

Pſalm. 7. 11. 12.

מנני על--אלהים
משיע ישרי--לב:
אלהים שופט--צדיק
ואל זעם בכל--יום

Adjutorium meum a Domino,
Qui ſalvos facit rectos corde.
Deus judex juſtus,
Et Deus qui minatur per ſingulos dies.

Ibid. v. 13. 14. octoſyllabum.

אם לא ישוב חרבו ילטוש
קשתו דרך ויכוננה
ולו הכין כלי--מות
חציו לדולקים יפעל

Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibravit,
Arcum ſuum tetendit, & paravit illum:
Et ſibi paravit tela mortis,
Sagittas ſuas contra perſequentes paravit.

Pſalm. 9. 13. eneaſyll.

כי דרש דמים אותם זכר
לא שכח צעקת עניים

Eum qui repoſcit ſanguinem cæde fuſum, horum recordari:
Non oblivisci clamoris pauperum afflictorum.

Pſalm. 119. 146.

קראתיך הושיעני
ואשמרה עדותיך

Invoco te, ſerva me,
Et cuſtodiam teſtimonia tua.

Job. 5. 27.

הנה זאת חקרנוה כן היא
שמענה ואתה דע--לך

Ecce hoc inveſtigavimus, & ſic eſt,
Audi illud, & tu ſcito tibi.

Job. 3. 10.

כי לא סגר דלתי בטני
ויסתר עמל מעיני

Quoniam non clauſit fores uteri mei,
Nec abſcondit moleſtiam ab oculis meis.

Job. 5. 20.

ברעב פדך ממות
ובמלחמה מידי חרב:

In fame liberavit te a morte,
Et in bello ex manibus gladii.

Prov. 8. 34.

אשרי אדם שמע לי
לשקוד על דלתתי יום יום
לשמור מזוזות פתחי:

Beatus homo, qui audit me,
Ut vigilet ad fores meas quotidie,
Ut obſervet ad poſtes oſtii mei.

Proverb. 10. 5.

אגר בקיץ בן משכיל
נרדם בקציר בן מביש:

Congregans in æſtate filius ſapiens,
Sternens in meſſe, filius pudefaciens.

In quibus exemplis ſingulis Rhythmus quidem non reperitur, ſed æqualis ſyllabarum numerus obſervatur.

Dimenſionis, quæ conſtat incerto & inæquali ſyllabarum numero, exempla ſunt infinita: in quibus excedens numerus grata modulationis celeritate abſorbetur, aut deficiens ſuavi vocis variatione quaſi completur, & perficitur.

Exempla hujus dimenſionis ſtudio omittemus: quoniam illorum ſtatim infinita ſe exhibebunt in libris Hebræorum Poeticis, qui voces Hebræas duntaxat legere, & ſyllabas numerare poterunt.

Species ſacræ Poeticæ pro quantitate Rhythmi eſt vel contractior, ut in Jobo & Proverbiis: vel laxior & liberior, ut in Pſalterio.

Hanc

Hanc distinctionem animadvertimus ex collatione lectionis Jobi, Psalmorum & Proverbiorum. Cum enim Psalmos legimus, liberiorem in iis observamus orationem, in qua non tantum dimetriæ, sed etiam trimetriæ, imo tetrametriæ reperiuntur. Quo sine dubio iterum respexit Scaliger suis verbis cum inquit: De Psalterio magis miror, cum nec in eo, neque in Threnis ullum canticum sit metricis legibus adstrictum, sed mere soluta oratio sit, charactere Poetico animata. In Jobo vero & Proverbiis oratio plerumque est contractior, & ad Rhythmum demonstrandum exactior. *Nam ut iterum* in Eusebianis *docet Scaliger*, versus Jobi & Salomonis sunt quatuor Dipodiæ aut quasi duæ Dimetriæ, sed aliquando decurtatæ, aliquando productiores, ut sententia postulat. A metro enim sententia legem accipit, a sententia Rhythmus. Et propterea metrum nunquam excedit suam legem Rhythmus excedit, cum sententia postulat.

REGUL. I.

Prisca Hebræorum Poesis tantæ fuit apud Dei viros autoritatis, ut ejus semina non in uno, nec in altero, sed in singulis Veteris Testamenti libris sparsa & consignata legamus.

Notum est, ab hodiernis Theologis *biblia sacra, eaque canonica, dividi in libros legales, historicos, poeticos & propheticos: ex quibus* Poetici *ab orthodoxa antiquitate relati sunt ad sermonem metricum. De Jobo enim conceptis verbis ait Hieronymus* in præfat. Jobi, *duplicem in ejus libro observari orationem, prosam & ligatam:* prosam a Principio & fine contractæ admodum: Ligatam in medio (*a cap.* 3. *v.* 3. *ad* 44. *v.* 6.) capitibus ampliorem: in quibus versus sunt Hexametri, dactylo spondeoque currentes, & propter linguæ idioma crebro recipientes & alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. *Interdum, addit*, Rhythmus quoque dulcis, & tinnulus fertur numeris pedum solutis, quod metrici magis quam simplex lector intelligunt. *Hæc Hieronymus: Cum quibus consentiunt, quæ de Psalmis* in epist. ad Paul Urbic. *pronunciat*, illos *nimirum*, ut metra Flacci & Græci Pindari; nunc Jambo currere, nunc Alcaico personare, nunc sapphico tumere, nunc semipede ingredi: *quo nomine etiam* in epistola ad Paulinum, *Davidem* suum *vocat* Simonidem, Pindarum & Alcæum, Flaccum quoque Catullum & Serenum, qui Christum lyra personuit, & in decachordo Psalterio ab inferis suscitavit resurgentem. *Ante Hieronymum Flavius Josephus* lib. 7. antiq. Judaic. c. 12. *refert, Davidem a præliis & periculis expeditum, cum pace jam altissima frueretur, cantica in Deum hymnosque vario metro composuisse, alios quidem trimetros, alios autem pentametros, & diversa confecisse organa, ut Levitæ secundum ea Deo hymnos edicerent per Sabbathorum dies aliasque festivitates. Nec a metris alienum fuisse Davidis filium constat, qui in hortis Engaddæ amœnissimis, vel juxta mentem Origenis* hom. 1. in Cant. Cantic. *Canticum in morem Dramatis cecinit, quo nihil in Hebræorum lingua jucundius: vel ex verbis Hieronymi* in epist. ad Paul. Urbic. *Proverbia Tetrametro Jambico supputavit, quibus nihil in sacris sententiis politius: vel denique juxta vocem Isidori Hispalensis* lib. 1. origin. cap. 38. *epithalamium conscripsit in laudem Ecclesiæ & Christi, quo nihil in Gentilium epithalamiis nervosius. Et sic de libris Poeticis: ad reliquos quod attinet*, in Legalibus *tria reperiuntur Cantica, in Exod.* cap. 15. per tot. *in Numeris* cap. 21. *a* v. 17. *& in Deuteronomio* cap. 32. *a* v. 1. *de quibus Philo Judæus* in libr. de agricult. *ait:* Mosis hymni in choris ambobus canuntur, epodon mirabilem habentes, quem decantari bonum est. *Cum Philone iterum* in suis Antiquitatibus *Josephus* lib. 2. cap. 14. circ. fin. Mosis, *inquit*, & Israelitarum cantica, quæ laudes Dei, & ob præsentem favorem gratiarum actiones continent, hexametro versu sunt composita. *Cum utroque Eusebius Cæsariensis* lib. 11. de prepar. Evangel. c. 3. sunt, ait, apud Judæos etiam artificiosissima carmina, ut Mosis cantus ille magnus, & Psalmus 118. Davidis heroico metro, quod hexametrum dicitur, componuntur. Sunt alia quoque Trimetra & Tetrametra: sed quæ ad dictionem pertinent, elegantissime, gravissime & jucundissime composita. *In libris* Historicis *extat canticum Deboræ & Baraci* Judic. 5. *a* v. 2. ad fin. *Hannæ* 1. Sam. 2. *a* v. 1. *ad* 10. *Davidis, & post cædem Saulis, Jonathanis, populique Dei* 2. Sam. 1. *a* v. 19. ad fin. *& post promissionem Nathanis de Messia factam.* 2. Sam. 7. *a* v. 18. ad fin. *& in deportatione arcæ cantatum* 1. Chron. 16. *a* v. 8. *ad* 36. *Sic in libris* Propheticis *cecinit canticum Esaias vel* προφητικὸν c. 5. per tot. *vel* παραμυθητικὸν, c. 26. per totum: *vel* εὐχαριστικὸν, cap. 38. *a* v. 3. ad finem. *Ita Threnos effudit Jeremias* in lament. *In ventre ceti Jonas mirabile composuit metrum*, Jon. 2. *a* v. 2. ad fin. *Votum emisit Habacucus* cap. 3. *Unde de Esaia testatur Hieronymus* in comment. Esaia *ipsum sacros versus condidisse, quibus*

bus nihil extaret jucundius: Sic idem in epiſt. ad Paul. Urbicam *pronunciat, Threnos quatuor alphabetis diſtinctos eſſe, trimetro aut ſapphico compoſitos, & Heroico etiam commate concluſos. In Habacuco eſt* שגינות *quale carminis genus* in Pſalmo *etiam* ſeptimo *notatum legimus, de quo ut & aliis Pſalmorum ſacrorum titulis obſcuritatum & perplexitatum pleniſſimis libello ſingulari propediem* σὺν θεῷ *agemus.*

Auctarium.

Cum Hieronymus Lyrica, Jambica, Sapphica & Alcaica & cum Joſepho & Euſebio Hexametra Hebræorum metra adpellitat, cave intelligas, ea poſſe componi more Latinorum & Græcorum. Græci enim & Latini quia abundant vocibus, brevium & longarum ſyllabarum varietate conſtantibus, diverſa metrorum genera excogitarunt. Atqui Hebræa lingua plurimas ſyllabas longas habet, ut & Germanica: qua de cauſa tanta metri varietas ibi non cernitur. Sine dubio ſyllabas reſpexit Hieronymus, ut quod Jambicum Latinis, id Hebræis octoſyllabum: quod illis Sapphicum, his Hendecaſyllabum: quod illis Hexametrum, his Dodecaſyllabum: quod illis Alcaicum, his Hexadecaſyllabum. Quo igitur loco judicium, quod hac in parte contra Hieronymum in Euſebianis facit Scaliger, ponendum ſit, lector judicabit.

REGUL. II.

In ſacra Poeſi ſumma orationis majeſtas, & divinus eſt ſpiritus, ut etiam ſuis phraſibus vel æquet, vel ſuperet orationem ſecularium Poetarum, vel etiam propriis & peculiaribus dicendi generibus longo plane intervallo poſt ſe relinquat.

Hæc regula ſi pro argumenti dignitate deberet explicari, ad eam dilucidandam non liber ſufficeret. Duobus tantum aut tribus exemplis eam manifeſtabimus. Eſt phraſis ſcripturæ, cum amor confertur cum cuſtodia pupillæ oculi; ut cum Pſal. 17. v. 8. *dicitur* Cuſtodi me, ut nigrum pupillæ oculi. *Latini dicunt amare tanquam oculos ſuos, vel amare plus ſuis ocellis, aut non minori in pretio habere, quam ſuos ocellos. Sic Moſchus ex Græcis:*

Τὸν μὲν ἐγὼ πέτκον ἴσον φαέεσιν ἐμοῖσιν.

Unde animadvertimus, Poetas quidem ſeculares, cum oculum dicunt, rem pretioſam dicere: Vatem vero ſacrum, cum pupillam oculi *dicit, id, quod in oculo eſt, omnium dicere pretioſiſſimum. Sic* Pſalmo 29. *metaphoræ elegantes extant: quibus cœlum Dei* tabernaculum; *tonitru,* vox Dei: *fulmina,* ſagittæ Dei *appellantur. Ex his prima* quidem & tertia *cum ſecularium Poetarum phraſibus* communes: *quia cœlum Jovis regiam, vel ſimpliciter ædes,* διὸς *aut* ζηνὸς δώματα, *vel* ὑπέρτατα δώματα, *aut* ἕδος ἀσφαλὲς *vocant: fulmen vero Jovis telum vel ſagittam,* διὸς φέλος, *vel* ψολόεν βέλος *nuncupant. At* illa ſecunda, *qua tonitru* vox Dei *appellatur, ita emphatice poſita apud Græcos & Latinos non reperitur. Jovem illi quidam tonantem dicunt* βρέμειν, *aut* σμαραγεῖν, *aut* κτυπεῖν, *dum eum vocant,* ὑψιβρεμέτην, ἐρισμάραγον *&* ἐρίκτυπον: *ſed loqui ſimpliciter aut vocem emittere non dicunt: quæ phraſis longe magnificentior eſt, & ad exprimendam divinæ majeſtatis potentiam accommodatior. Plane* ſingularis *& ſacræ tantum Poeſios* propria *comparatio a Davide conſignata eſt* Pſalmo 128. *qua liberorum gregem cum menſa paterna, plantis olivarum circumſtante, confert: quod etiam dicendum eſſe videtur de comparatione* primi Pſalmi, *ſane quam ſuavi & venuſta, qua piorum beatitudinem a pictura arboris ad rivos aquarum plantatæ illuſtrat. Et ſi ex cantico Moſis* Deut. 32. 42. *ille perpendatur aphoriſmus:* Inebriabo ſagittas ſanguine: *Et iſte* Deut. 28. 23. Erunt cœli tui, qui ſunt ſupra caput tuum, ærei: & terra, quæ eſt ſubter te ferrea: *vel ut ſonant verba* in Levitico 26. 19. Dabo cœlum veſtrum ſicut ferrum, & terram veſtram, ſicut æs: *peculiares & graviſſimæ ſunt dicendi formulæ, quæ in Poetis ſecularibus plane non reperiuntur, & rem ſacram exprimunt verbis prorſus ſignificantibus, emphaticis, divinæ majeſtatis pleniſſimis. Ideo quæ apud ſeculares conſignatæ ſunt phraſes, & vulgatiſſime in canticis ſacris reperiuntur & quæ ex illis præcipuæ ſunt, videntur ex ſacris eſſe traductæ: quo nomine etiam Euſtathius* veteres Poetas Græcos a Davide, *dicente, qui dat nivem ſicut lanam,* illud genus loquendi, *quo nivem appellant* ὕδωρ ἐριῶδες *(quaſi dicas aquam lanoſam) mutuatos eſſe adſerit. Ad* Pſalmum *igitur* 29. *v. 7. referendum eſt illud Naſonis* lib. 1. triſt. eleg. 2. *quo fulgur ſeu fulgetrum vocat, epitheto celeris addito, ubi canit:*

> Hei mihi quam celeri micuerunt nubila flamma!
> Quantus ab ætherio perſonas axe fragor.

Sic ad Pſalmum 35. verſ. 14. *pertinet illud Horatii lib.* 2. ſerm. 8.

> —— Rufus poſito capite, ut ſi
> Filius immaturus obiſſet, flere. ——

Ita

Ita ad Pſalmum 124. verſ. 3. *reducendum iſtud* Homeri *Il.* δ. verſ. 35.

> ——— ——— ——— εἰ δὲ
> Ὠμὸν βεβρώθεις πρίαμον, πριάμοιό τε παῖδας.

Sic illud adſcendunt in cœlos, deſcendunt in abyſſos, *in Pſalm.* 107. *verſ.* 26. *poſitum*, *Virgilius his verſibus expreſſit*, 3. Æneid. verſ. 564.

> Tollimur in cœlum curvato gurgite, & iidem
> Subducta ad manes imos deſcendimus unda.

Itidem fecit Ovidius in libro jam allegato.

> Me miſerum quanti montes volvuntur aquarum!
> Jam jam tacturas ſidera ſumma putes.
> Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles!
> Jamjam tacturas tartara nigra putes.

REGUL. III.

Ipſa Poeſios Veteris forma primitus ſolo temporum numero circumſcripta, & occulta accentuum diſpoſitione conſtituta fuit: quam ſequens ætas neglexit, & Veteris loco Novam ſubſtituit, nec non concinnitate Rhythmi, & æquali ſyllabarum dimenſione efformavit.

Singulare plane Poeſios Græcæ & Latinæ fuit incrementum, ſingularis progreſſus ab imperfectis ſcilicet ad perfectiora. Prima enim illorum Poeſis ſine ulla longarum aut brevium ſyllabarum dimenſione, ſolo temporum numero conſtituta fuit & definita. Vidit hoc Quintilianus, & exertis verbis lib. 9. inſtit. cap. 4. *adſeruit:* Rhythmum aurium menſura & ſimiliter decurrentium ſpatiorum obſervatione eſſe generatum: mox in eo repertos eſſe pedes. *Ante enim carmen ortum eſt, quam obſervatio carminis, unde illud*

> —— Fanni vateſque canebant.

Deſcribit ita ætatis Poeticæ ſucceſſum, & docet, Poeſin ſolutæ fere orationi apud priſcos fuiſſe ſimilem & cognatam. Unde vere ſtatuunt Rethores, nulla adæque re Poeſin ſolutæ orationi fieri ſimilem, quam neglectu aut diſſimulatione numerorum: ἔγγιςα γὰρ, *inquit Dionyſius,* φαίνεται, λόγοις τὸ παρὰ τὰς ῥυθμὰς καὶ τὰ μέτρα πεπλανημένον. *Parum igitur intelligitur Poema eſſe illam orationem, in qua non ſatis animadvertitur ejuſdem metri* ἀνακύκλησις. *Inde* Lyrici *numeros diſſimulant, cum diſſimiles & inæquales verſus continuant:* ἐκ ἐῶντες ἡμᾶς ὁμοειδῆ ἀντίληψιν λαβεῖν ῥυθμȣ̃. *Sic numeros contemnunt* Comici Latini *perſæpe, ut merito de eorum Comœdia graviſſimi viri olim dubitaverint, Poema eſſet nec ne? Eadem ratione dubitandum* de Sophrone & Xenarcho mimis; *quos Poetas vocarunt, cum tamen conſtet eos proſa ſcripſiſſe: non aliter ac* Tretzen *ſcriptorem Græcum, cujus* verſus Politici *non temporum quantitate, ſed ſolo ſyllabarum numero circumſcripti ſunt. Alia plane ratio fuit Hebreæ Poeſios, quæ a perfectis ad imperfecta tranſiit. Metri enim modus numeruſque artificioſus, ſi qui fuit, poſt Prophetarum tempora paulatim negligi cepit, ac tandem decreſcente magis magiſque priſca Hebræorum ſapientia, heu pudenda nimis! apud eos oblivione fuit deletus. Proditum memoriæ in Græcorum annalibus legimus, fuiſſe Brennum quendam, qui cum maximo Gallorum exercitu, poſtquam totum fere orbem terrarum pervagatus eſſet, Macedoniamque exhauſiſſet univerſam, urbem Delphicam invaſerit, & in templum Apollinis, tanquam humanæ prædæ nunc ſatur, vim armorum converterit, huic nihil aliud in votis fuiſſe, quam ut ſtatuas deorum, donaria populorum, vaſa ſacra & quæcunque avaritiæ humanæ religio exemerat, diriperet, conflaret, in profanos aut obſcœnos etiam uſus converteret. Idem nobis eveniſſe credendum eſt. Templa enim Jehovæ, delubra Davidis, ornamenta Salomonis, donaria Virtutis, quæ in ſacrorum Poetarum adyto concluſa, & obſignata jacebant, invaſerunt, & iiſdem abuſi ſunt profani quidam homines, qui in contemplatione traditionum Talmudicarum & Rabbinicarum, rerum divinarum vim & antiquæ Poeſios majeſtatem conſumſerunt. Ante quingentos fere annos & quod excurrit, quo tempore Rabbi David Kimchi, Rabbi Moſe Chabbib, R. Salomon Gebbirolis, aliique vixerunt, tandem iterum Poeſis elucere cœpit, & Leoninis ſeu Rhythmicis verſibus (quorum uſus, referente Sixto Senenſi,* lib. 3. Biblioth. *& C. Barthio* lib. 57. *Adverſariorum* cap. 11. *tum temporis celebris apud Monachos fuit) conformem excogitarunt, & rationem metrorum Hebraicorum popularem ad noſtras uſque ætates produxerunt, & derivarunt. Quod etiam ante nos notavit Scaliger* in Euſebianis, *cum inquit:* Hodierni verſus Judaici ſunt plane noſtri Rhythmi vulgares, ὁμοιόπτωτοι καὶ ὁμοιοτέλευτοι; quod a nobis Chriſtianis ante annos D. plus minus didicerunt: Nos autem ex Leoninis Hexametris, quæ vocant, eos effinximus. *E contrario priſcam*

& Pro-

& Propheticam Hebræorum Poesin idem vocat Scaliger, puram putam Poesin Rhythmicam, generosam & masculam, & supra omnes Pindaricos modos: *de qua etiam dignitate supra.*

REGUL. IV.

Occulta accentuum dispositio, ut Christianis non magnopere conducit: ita usum eorundem Judæis relinquunt, qui in Synagogis suis, observatis accentuum modulationibus, Musicam suam exercent, voculationes & melodias varias efficiunt, atque ita canendi suavitate, quam sibi ipsis imaginantur, animos oblectant.

Usus accentuum Hebraicorum triplex a Grammaticis potissimum consignatur. Primo *inserviunt legitimæ pronunciationi cujusque vocis in syllabæ alicujus elevatione, sive sono eminentiore.* Secundo *suppeditant distinctionem sententiæ in certa membra, & ad ea interspirandi modum.* Tertio *designant Musicam, sive rationem cantus apud Judæos, qui textum biblicum non legunt, sed cantillant. Priores usus Christiani observant in Grammaticis*, primum *quidem in Etymologia*, alterum *in Syntaxi.* Ultimus *pertinet una cum aliis ceremoniis ad solam Judæorum συναγωγῆ, quam illi* בית הכנסת *domum congregationis, aut* קהל הכנסת *congregationem congregationis vocant: licet nonnulli, tum vero maxime Colonymus opinentur, ex dictionum tono Musico (prout quisque figuratus est) ad regis ministrive, qui ascribitur, proprietatem, studiosos pervenire facile posse. Ut enim quisque vel in sublime circulariter tollitur, vel in imum deflectitur, vel ubique simili tenore compositus incedit: ita vel efficaciæ minus, aut plus ponderis habere putatur. Sed nostrates proprietatem accentuum cum regiorum, tum ministrorum, examinatis præceptorum Grammaticorum regulis, dilucidius explicant: unde cantilenas istas & modulationes Judæis relinquunt, de quibus peculiarem librum promisit Elias Levita, qui tamen, ut existimatur, lucem non vidit. Et licet R. Jehudam ben Bilham de iis librum conscripsisse ferunt, nobis tamen illum etiam hactenus videre non contigit. Ne igitur sacræ Poesios Candidatus plane ignoret illos canendi modos, scire debet alios esse in Hispania, alios in Germania usitatos; Illos vero quibus ferme omnes, quotquot Germaniam incolunt, Judæi passim utuntur, sequenti consignari posse schemate: quod ex* Reuchlino & Munstero *delineavit August. Sebastianus Nouzenus*, in lib. de natur. literar. voc. & accent. Hebraicor.

Accentuum Musicorum melos.



CAPUT II.



REGUL. V.

In veteri Hebræorum Poesi verbi divini sanctitatem mirari: metri vero difficultatem, nostris nec seculis declaratam, nec ingeniis manifestatam penitius nequaquam mirari debemus.

Pindarum laudaturus Plato in Menon. & 3. de legib. *eum vocat* θεῖον *aut* σοφώτατον, *Athenæus* lib. 13. μεγαλοφωνότατον, *Plutarchus* lib. 8. sympos. quæst. 1. πολλῶν καὶ καλῶν ὕμνων τῷ θεῷ χορηγὸν. *Sed si Christiana mente titulos istos perpendamus omnes, potius divinis Vatibus sunt tribuendi, qui Poesin nobis reliquerunt, qua efficientem*, divinissimam: *qua materiam*, sanctissimam: *qua formam*, perfectissimam: *qua finem*, utilitate abundantissimam. *Quo sine dubio respexit Isidorus Pelusiota, qui Davidem in epistolis suis modo vocat* θεότατον, lib. 1. epist. 386. *modo* τὸν μέγαν οἰκονομίᾳ θεοῦ σκεπαζόμενον, lib. eod. ep. 482. *Omnium enim Lyricorum, ut Quintiliani encomium* lib. 10. institut. *Pindaro tributum, nostro iterum scopo adplicem*, David longe princeps extitit, spiritu, magnificentia, sententiis, figuris beatissimus, rerum verborumque copia & velut eloquentiæ flumine: cujus os, *iterum Davidi tribuo, quæ Pindaro Plinius* lib. 2. c. 12. *Horatius* lib. 4. od. 2. *& oris spiritus* sublimia effundit, & cygni imagine alarum divinarum volatu nil nisi sublimia tractat, cœlestia desiderat, divina commendat. *In Odis certe ejus & hymnis versus se offerunt suavitate suaviores ipsa, ad quos commode transferri potest, quod de Plautino sermone Stilo* apud Quintil. lib. 10. instit. *de Platonico lepore Cicero* passim *pronunciavit:* ipsas nempe Musas Davidis sermone locuturas fuisse, si Hebraice loqui voluissent. *Qua de causa antiquum istud Poema summa veneratione tractandum, & ut incorruptum & purum ad ultima ætatum secula conservetur, etiam atque etiam curandum est. Nam ut loquitur Coheleth.* 5. 15. יעמול לרוח in ventum laborabit, *seu ut habet Hoseas* 8. 7. רוח יזרוע ventum seminabit, *qui in veterum Hebræorum metris, eorumque speciebus & generibus penitius perscrutandis operam ulterius expendet, & consequetur id, quod R. Akibba*, ut legitur in Bava Kama cap. 8. misn. 6. fol. 91. A *cuidam anxie laboranti, sed parum proficienti, respondit:*

צללת במים אדירים והעלית חרס בירך —

Profundum petiisti in aquis fortibus, & eduxisti testam manu tua. *Si quid in melodia aut pronunciatione olim latuit mysterii, id sibi proprium servet, ac retineat antiquitas. Non possumus enim* ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα ἢ γεγραμμένα. *Christianis satis est, si hoc tempore ad Poesin novam* quoad pedes & Rhythmos, *animos conforment: ex veteribus vero Davidis & aliorum Prophetarum canticis* materiam *sibi elaborandam excerpant, & divinis exercitiis, sanctisque meditationibus accommodent. Ante vero quam ad novam progrediamur, omnibus veterem, ut Poesin perfectissimam commendamus, quam si imitari non possumus spiritu, imitemur eam saltem devotione & precibus*, ἀγνωμόνως καὶ νουνεχῶς, *ut inquit Pelusiota* lib. 4. epist. 33. *Cordate enim & prudenter in sacris scripturis versamur, si non solum ad amorem Divinæ Sapientiæ & meditationis ejus omni impetu procedamus, verum etiam ad ipsorum dogmatum cupiditatem, a quo cœlo digna atque conveniens vivendi ratio tanquam fundamento exsurgit. Quod dum faciemus, animadvertemus, sacros Poetas multis parasangis superare* Homerum, *cujus scripta Solon*, referente *Platone* in Hipp. *Xenophonte* in Sym. *Licurgo* in orat. *in Olympiis & omnibus Græcorum conventibus solemnibus recitari jussit: Longe post se relinquere* Aristophanem, *quem Chrysostomus*, referente *Franc. Flor. Sabino* lib. 3. subcis. cap. 7. *sub pulvino semper habuisse dicitur: Antevertere* Euripidem, *cujus versus singulos Cicero* lib. 16. epist. ad famil. epist. 8. *adprobante Theodoro Cantero* lib. 2. var. lect. cap. 12. *singula putavit testimonia: Ipsum denique* Virgilium *superare, cujus librum Æneidos quartum Augustinus absque lacrumis legere non potuit. Isti enim sacri potius & Vates divini, non quidem in Olympiis, sed in publicis Ecclesiarum conventibus, cuilibet Christianorum animæ prælegendi & implantandi, in pulvinum cordis insinuandi, ut si adversarum rerum & calamitatum procellæ in nos ruant & erumpant, testimoniis conscientiæ fulti Deo confidamus, atque ita crucis & persecutionum lacrymas divinissima sacræ Poesios spongia abstergamus.*

CAPUT III.

De Poetica Hebræorum pure Rhythmica.

Rhythmica Hebræorum Poetica est facultas, qua orationis paulum ligatæ hemistichia in fine ad similes vocum terminationes alligantur, nulla habita ratione temporis & numeri.

Hucusque egimus de prisca Hebræorum Poesi, cujus formam ex definitione Bedæ constituimus Rhythmum, non in simili desinentia, sed in quodam syllabarum nume-

ro sive æquali, sive inæquali fundatum. Nunc sequitur alia species Poeticæ Rhymicæ, quæ quidem hoc habet commune cum priore, quod promiscue syllabarum respicit numerum in hemistichiis sive æqualem sive inæqualem: in eo tamen differt, quod constat Rhythmo, in fine ad similes vocum terminationes cadente. Cujus quidem Rhythmi rationem in Prisca Poetica etiam quandoque observavimus: sed tamen forte fortuito ibi positam esse monuimus, quæ in hac Poeticæ Rhythmicæ specie necessario requiritur: Ideo hac intentione ex ipsis Bibliis alia quoque adducemus hoc in capite exempla pure Rhythmica, ut perspicuum fiat, novos Poetas, qui veterem ignorarunt parte quadam similis desinentiæ se Poesi priscæ accommodare voluisse. De qua novæ Poesios specie extant iterum verba Josephi Scaligeri in Eusebianis, cum *inquit:* Quanquam & Judæi habent aliud genus, in quo non numeri syllabarum, sed similis desinentiæ ratio habetur. Aliquando enim versus antecedente longior est dimidio: in ὁμοιοτελεύτοις & ὁμοιοπτώτοις tantum conveniunt. Quas desinentias in Hebraismo, Syraismo & Arabismo non est operosum reperire. Sponte enim occurrunt, etiam aliud agentibus. *Hæc Scaliger, qui alibi* in epistola ad Stephanum Ubertum *eadem in specie de Arabica lingua adseruit, cum inquit:* Cantilenæ Mauritanicæ, quæ penes me sunt, puro Arabismo conceptæ sunt, eisdem syllabis desinentes, instar Rhythmorum nostrorum.

REGUL. I.

Vocem Rhythmi in sequentibus præceptis ut plurimum sumemus pro simili hemistichiorum Poeticorum desinentia: licet alias vocis hujus usus sit amplissimus.

Rhythmi nomen Græcum est, & apud Veteres in oratione denotabat intervallorum seu coagmentationum terminum, quem, teste Platone in Philebo, *simpliciter consideratum vocarunt* ἁρμονίαν, *numerorum vero articulis dimensum dixerunt* ῥυθμὸν *&* μέτρον. *Rhythmum autem & metrum, ut convenire dicebant numero: ita numerum distinxerunt in Poeticum & Oratorium: quorum ille vocatus est* μέτρον *hic* ῥυθμός. *Indicat hoc Aristoteles* 3. Rhet. in Theodect. 8. *cum ait:* διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή· ποίημα γὰρ ἔσαι: quo circa in oratione prosa Rhythmum esse convenit, non Metrum; sic enim foret Poema. *Hic Rhythmus tam temporis nihil aliud fuit, ut ex Cicerone colligit Jovita Rapicius Brixianus* in lib. de numero Orat. *quam modus quidam orationis e permistis & confusis pedibus, e temporum, quibus constant, apta ratione nascens. Modus vero iste & numerus dissimulatus admodum fuit & latens: talis tamen, qui sentiebatur, & orationem jucundo fine concludebat: postea accedente sono & metro factus est canorus & exquisitus, & ad Musicam Poesinque ipsam translatus. Qua de causa Plato* lib. 3. de Repub. *inquit: melodiam ex tribus constare,* λόγῳ *oratione, quæ est ipsa Poesis:* ἁρμονίᾳ *concentu, seu ipsius concentus forma: &* ῥυθμῷ *modulo, qui est ipsa cantionis articulatio atque distinctio. Inter Patres Clemens Alexandrinus* lib. 1. ϛρωματ. ῥυθμῶν μυστικῶν εὕρησιν *refert a quibusdam ad Judæos esse relatam, & alius* alibi *ex ipsa rerum commemoratione ortam dicit. Unde Justinus Martyr.* in quæst. & respons. ad Orthodox. resp. 54. κατὰ τὰ ἐν ταῖς ᾠδαῖς ἐμφερόμενα διηγήματα, ἁρμοδίως οἱ ῥυθμοὶ τῶν μελῶν ἐγίνοντο, ἄγοντες τὰς ψυχὰς εἰς τὴν πρέπουσαν τοῖς ᾀδομένοις αἵρεσιν; *hoc est,* juxta rerum in carmen relatarum commemorationem, concinne Rhythmi cantionum facti sunt, animos, prout convenit, ad ea, quæ canuntur, complectenda inducentes. *Ad Poesin respexit Cœlius Rhodiginus* lib. 15. antiq. lection. cap. 26. *cum ait: Videtur omnino esse Rhythmus solutæ orationi communis & carmini: in quo Poetis peculiaris dactylus, solutam scribentibus orationem trochæus. A quo non dissentiunt verba Augustini* lib. 3. Music. cap. 1. *dicentis:* Rhythmum seu numerum esse, cum oratio certis pedibus pervolvitur, peccaturque in eo, si pedes dissoni misceantur. Quoniam vero ista pervolutio non habet modum: nec statutum est, in quoto pede finis aliquis emineat, propter aliquam mensuram continuationis non debuit metrum vocari. Nam metrum utrumque habet, certis enim pedibus curritur, & certo modo terminatur. Itaque non solum metrum propter insignem finem, sed etiam Rhythmus est ob pedum rationabilem connexionem: quocirca omne metrum Rhythmus, non omnis Rhythmus etiam metrum est. *Cæterum, quia numerus etiam reperitur in Mathematicis & Medicina, Græci, in verbis opulentiores, numerum* Mathematicum *vocarunt* ἀριθμὸν, Musicum *vero* ῥυθμὸν, *notante id Scaligero Patre* lib. 2. Poetic. c. 2. *Medici vero rei similitudinem respicientes nomen retinent, & temporum in pulsibus ad se invicem proportionem* ῥυθμὸν *adpellitant, ut ex antiquis & Galeno pluribus docet Sennertus* lib. 3. instit. Medic. part. 1. sect. 4. cap. 4. *Hebræi igitur Philologi, quando de Rhythmis agunt, non loquuntur de Rhythmis Oratorum, Musicorum, Medicorum aut Methematicorum: sed Poetarum; nec tamen, qua-*

tenus

tenus iis usi sunt Græci & Latini vetustiores: nec quatenus in prisca Hebræorum Poesi ex sententia Bedæ, a Scaligero filio explicati sunt, qui potius ἁρμονίας *erant quam* ῥυθμοῦ: *Verum quatenus hodie perpendunt rationem carminum, quorum artificium omne potissimum consistit in* ῥυθμολογίᾳ, *seu ut voce magis genuina & ad rem propriore utamur,* ὁμοιοτελευτισμῷ, *de qua vocis usurpatione erudita monet literatissimus Barthius* lib. 31. Adversariorum c. 7. *Hac carminum ratione hodie, ut notavit Cl. D. Vossius* lib. 5. instit. Orator. cap. 5. *omnes gaudent nationes in faciendis Poematis. Neque enim* ἁρμονίαν *spectant*, ut vetusti Hebræi; *neque quantitatem*, ut Græci & Latini: *sed hoc unum agunt, ut versus in similes syllabas desinentes instituant, nec non sententiam* ἰσόφθογγον *&* ὁμοιόφθογγον *efforment. Et licet nonnulla reperiantur* Germanica, *Belgica*, Celtica, *in morem Latinorum Græcorumque conscripta: paucos tamen hic scribendi modus imitatores nanciscitur. Ideo quia moderna Hebræorum Poesis modo constat Rhythmis, modo Rhythmis simul & pedum dimensionibus, commodissime ea dispeci potest in Pure-Rhythmicam & mistam seu Melopoeticam. Vel, si nova plane liceret uti divisione, quam ante me a nemine positam observavi, Poesis Hebræorum est vel* Harmonica, *vel Rhythmica; illa vetus, hæc nova. Rhythmica iterum vel* ἄμετρος, *quæ mere-Rhythmica absque metro; vel* ἔμμετρος, *quæ Rhythmica cum metro. Breviter:* Harmonica, Rhythmica, Metrica. *Rhythmica, de qua hoc capite dumtaxat agemus, ab Hebræis vocatur* שיר חרוזי *aut absolute* חרוז *ab inusitato* חרז *ex quo* חרוזים *torques* Cant. 1. 10. *proprie Hebræis Margaritæ seu monilia filo indita: ab analogia, quod simili modo hemistichia colliguntur, ut Rythmis indantur, eorumque suavitate, concurrentibus iisdem vel adfinibus literis, claudantur.*

REGUL. II.

Rhythmica Poesis apud Hebræos antiquiores raro admodum, & non nisi casu fortuito observata est: apud recentiores vero fuit tritissima & frequentatissima.

In communibus hominum colloquiis ex tempore nonnunquam, & quasi sponte, non studio elaborato, solet emitti Rhythmus, & ut loquitur Aristoteles in Poetica, ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων. *Hujus generis Rhythmus fuit ille Latinorum:*

Omnibus rebus jam peractis,
Nulla fides est in pactis,
Mel in ore, fel in corde,
Verba lactis, fraus in factis,
Corda anguina, verba butyrina.

Similia non modo de Germanorum Rhythmis alii notant: sed eadem de antiqua Hebræorum gente confirmare videtur R. Mosce scem Tobh, ex celebri familia Chabbibh, quæ in Hispania aliquando floruit, oriundus, in מרפא לשוז *scribens, se in longinquis peregrinationibus suis vidisse in magno monte aliquo lapidem sepulcralem Amasiæ Regis Judæorum, in quo hæc tantum insculpta legere potuerit, reliquis vetustate obliteratis:*

שאו קינה בקול מרה לשר גדול לקחו יה
לאמציה

Hoc exemplum adduxit Cl. Buxtorfius in Poetica sua, Grammaticæ annexa: quod nos ex ipso non ideo adduximus, quasi ex literis erasis, qua vix agnosci potuerint, velimus quid immotæ certitudinis colligere, ut Dn. Buxtorfium facile quidam, sed immerito perstrinxit. Habemus enim exempla longe antiquiora, quæ priscam & fortuitam ῥυθμολογίαν, *probare possunt. Eo fine nonnulla* in cap. 2. *adduximus & infra,* hoc ipso in capite, *alia in tribus Rhythmorum speciebus adducemus. Infirma potius videtur adsertio illorum, qui dicunt ante ætatem Aben Esræ & Kimchiorum Rhythmicæ Poesios nullum extare vestigium vel in scriptis vetustiorum Judæorum, vel in Talmud, vel in Sacris. Volvant modo, & revolvant ipsum Bibliorum sacrorum frontispicium, ubi invenient priscæ Poesios monumentum* Gen. 4. 23. 24. *extare luculentissimum: in quo Lamech rerum, a filiis suis inventarum, gloria tumens Musicæ Poeticen addidit, conficto hymno Thrasonico, cum uxores suas Adam & Tsillam his alloquitur verbis:*

שמען קולי נשי
לסך האזנה אמרתי
כי איש הרגתי לפצעי
וילד לחברתי:
כי שבעתים יקם קין
ולמך שבעים ושבעה:

In quibus certe non obscurum Rhythmi aut potius Poesios alicujus est indicium, præsertim si prima quatuor considerentur hemistichia. Dein *numerus syllabarum fere par, in singulis versibus.* Tertio *genus orationis est tropicum & drammaticum. Communicavit nobiscum hunc locum Jacobus Cappellus* in Historia Exotica, *qui verba Genesios totidem versibus Latinis sic interpretatur:*

O Tſilla & Ada! audite ſermonem meum,
Vocem meam adtendite Lamechi Conjuges,
Pugni vel uno vulnere occidam virum,
Meoque juvenem tumice confoſſum dabo.
Si vindicetur ſeptuplo Kain, Lamech
Se vindicabit ſepties ſeptuagies.

Aliud Poeticæ antiquioris veſtigium notavit Joan. Seldenus JCtus in tractatu de Dis Syris, *quod in Plauti Pœnulo* Act. 5. Sc. 1. *ſub ſpecie linguæ Punicæ extat; ex quo* primum verſum *ita ad ſenſum Hebraicum redegit, & verbum verbo reddidit:*

נא את עליונים ועליונות
שקרא אתם מקום הזאת

Obſecro ſuperos ſuperaſque,
Quibus contigit locus iſte;

Hæc ad teſtimonia referemus locum ex ipſis Rabbinorum & Talmudiſtarum libris, qui extat in libro Talmudico ערכין cap. 3. fol. 16. *item in Sopb Gemara*, cap. Jeſ. Bearchia *& in libro Muſar* cap. 18. *ubi dictum R. Tarphonis, quem* Τρυφῶνα *Juſtini Martyris* σύγχρονον *fuiſſe æſtimat Janus Druſius* decur. 2. adag. Hebr. 3. *adducitur.*

טול קיסם מבין שניך
טול קורה מבין עיניך

Tolle feſtucam ex dentibus tuis,
Tolle trabem ex oculo tuo.

Plura exempla cum bono Deo adducam, ſi Scita Talmudica publicavero: quorum ſex centurias mihi reliquit Parens meus venerandus. Mentem proinde Scaligeri non recte adſequuntur, qui non dicit Rhythmicæ Poeſios nulla veſtigia fuiſſe apud Veteres: *ſed hoc tantum adſerit*, Hebræos novam Poeſin, *cum ignoraſſent veterem*, ante annos quingentos ad Rhythmos Leoninos, *qui tum temporis maxime fuerunt in uſu*, accommodaſſe. *Quæ ſententia etiam noſtra eſt, ut eam ſupra declaravimus. Antefato enim tempore præter autores*, cap. 2. Reg. 3. *nominatos, R. Maimon, R. Chai Gaon, R. Joſeph Ben-Jechaiæ, R. Jehuda, R. Hallevi, R. Moſce Scem Thobh vixerunt, & Poeſin quaſi novam propoſuerunt: quam ſucceſſu temporis alii in libris precum & aliis tractatibus magis atque magis illuſtrarunt, amplificarunt, & ad hæc uſque tempora conſervarunt. Unde hic Poeſios Rhythmicæ modus ſua ſuavitate & jucunditate ita Hebræis arriſit, ut ipſis etiam* epiſtolis *exordii loco præpoſuerint: Cujus rei multa exempla nobiſcum communicavit Buxtorfius* ἑβραϊκώτατος in epiſt. inſtit. cap. 3. *Quod etiam in Arabicis literis obſervavit Illuſtris Scaliger: qua de re* in epiſtol. ad Stephanum Ubertum Aurelianenſem *iterum ſcribit:* Aliquoties ab Illuſtriſſimo Domino Mauritio & illuſtriſſimis Ordinibus literæ ad me mittuntur, ut eas interpreter. Earum aliæ a Muhammedanis, qui in India Orientali opes ſuas & regnum fundaverunt, ſcriptæ ſunt, aliæ a Mauris Regibus. In Indicis plana via mihi viſa eſt. In Mauritanicis multas ſalebras reperi, quæ curſum meum morarentur: ut anno ſuperiore literæ Marrociani Regis continebant longiſſimum titulum triginta verſibus Rhythmicis conſcriptum, adeo obſcuris verbis, tropis & ſchematibus, ut vix tria verba adſequi potuerim. Sequebantur tres aut quatuor lineæ, quæ rem ipſam, cujus gratia literæ ſcriptæ erant, exponebant: ita ut prologus fabula triplo major eſſet.

REGUL. III.

Rhythmis ſolis & puris, ſequioris ætatis ſcriptores ſoliti ſunt nonnunquam immiſcere ἀκρόςιχα alphabetica, nonnunquam textum biblicum ſibi accommodare.

Poetæ Latini hodie in tanta ſpecierum metricarum diverſitate ſæpiuſcule ſeſe exercere ſolent carminum genere, quod vocatur Acroſtichis & Anacroſtichis. Illa eſt, *cum ex primis tantum verſuum literis aliquid connectitur:* Hæc, *cum ex primis ſimul & ultimis verſuum literis aliquid connectitur.* Τῆς ἀκροςιχίδος *exemplum compoſuit, & ſcripſit Meliſſus Poetarum ſui ſeculi Princeps* lib. 6. epigram. 84. *ad Annam Pallantiam, virginem eruditam:*

A onidum Charitumque ſacræ, cui vincor, alumnæ,
N umina quam Latios edocuere modos,
N ilne Meliſſe tua depromis ab arte legendum,
A uſoneos æquet quod Schediaſma ſonos?
P allas ait: contra dubius ſic ora reſolvi:
A n quid erit, quod ei poſſe placere putem?
L udicra ſunt, quæ ſcribo; nihil facientia prorſus
A d tam facundæ labra diſerta Deæ.
N e tamen hanc tenuem PALLANTIA docta Minervam
T emne; ſed extremo prima repone loco,
I ngenio vates tibi cedimus. Una vel omnes
A nteis Aonides, exſuperas Charites.

Et paulo poſt de eadem epigram. 86. libri ejuſd.

A mo te, & deinc amabo,
N isi me vetes amare.
N isi te sinas amari,
A mor hicce quantum amari
P ariet meis medullis,
A nimoque quantum acerbi!
L icet ergo des medullis
A nimoque acerba, amara,
N eque te sinas amari:
T amen haud, puto, vetabis,
I ta quin, amica, dicam;
A mo te, & dehinc amabo.

Ἀνακροστιχίδος exemplum reperitur apud eundem Melissum lib. eodem epigr. 22. *quod ad aliam virginem scriptum, ad Ludovicam* nimirum *Saracenam Lugdunensem, Hebraice, Græce, Latine doctam.*

L impidus exhaustis cum fontibus ante Lemanu S
U ndisona Rhodam destituetur aqu A:
D ulce prius tristis mulsum dicetur amaro R;
O rta nec exstabit vere nitente ros A:
V erbaque (sint utinam nullo sine pondere!) quæ nun C
I psa legis, vera sunt caritura fid E:
C orde tuum nostro quam possit cedere nome N,
A ut tua de facie migret imago me A.

Nec modo apud recentiores, sed & apud Priscos Poetas ἀνακροστιχίδας observatas esse, testantur Liberii & Belisarii *Carmina, quibus illi Sedulius, Christi Miraculorum Nobilem Præconem, laudare velut certarunt.*

LIBERII.

S edulius domini per culta novalia pergen S
E n loca conspexit multo radiantia flor E
D iscurrit per prata libens, quo gramine Davi D
V idit divino modulantem Carmina cant U
L audato psallente viro, refluit citharæ me L
I lle ubi grandisono captus dulcedine plectr I
U titur & celeri graditur per lilia pass U
S acratosque iterum late prospexit amœno S
A eterna Christi fluvios quos abluit und A
N ec passus torpere diu doctoris acume N
T unc sua Davidico delectu plectra poposci T
I rrita polluti contemsit nomina Mund I
S igna crucis fronti ponit, breviterque triumpho S
T angit Christe tuos, numerosaque prælia liba T
E rgo his dum vario decorat sua rura color E
S tabunt hi gracili ducti testudine versu S

BELISARII.

S edulius Christi miracula versibus eden S
E micat, invitans parvæ ad solennia mensa E
D ignum Convivam, non hunc qui carperet illu D
V ix quod nobilium profert triplici aula parat U
L ætum quod ponitque sub aurea tecta tribuna L
I n quo gemmiferi, totaque aurea vasa, canistr I
V ivida pro modico portant sibi gaudia vict U
S ed quod olus vile producit pauperis hortu S
A c post delitias properant qui sumere magn A
N ituntur parvum miserorum spernere germe N
T utum quod nihil est, dum nil cum ventre tumesci T
I nsidias membrisque movens, animæque ruent I
S i tamen his dapibus vesci dignatur egeni S
T emnat divitias animus, paucisque quiesca T
E xemplo assumtus Domini quia millia quinqu E
S emotis cunctis, modicis satiavit ab esci S

Hæc ita a canitie Poetarum veneranda produxit Georgius Fabricius: & ex eo noviter repetiit, & ex duobus Manuscriptis, totidemque priscis Editionibus polite, ut alia omnia, enucleavit vir admirandi ingenii, acutissimique judicii D. Caspar Barthius in pretioso illo Adversariorum thesauro lib. 53. cap. 5. *Ille vero modus conscribendarum ἀκροστιχίδων si paulo intentius consideretur, animadvertimus, cum suum sumsisse initium* ex prisca Hebræorum gente, *quæ non modo alphabeti ipsius serie, sed & textibus scripturæ & Nominibus propriis jucundissimas allusiones in re Poetica instituit. Notum enim est lectionis Hebraicæ Studiosis, quod in Psalmis quibusdam & Threnis Jeremiæ, in versuum initiis consignatum sit alphabetum, ordine secundum seriem literarum Hebraicarum dispositum. Hunc morem imitati sunt posteriores Hebræi, quia præter Rhythmos, in versibus adhibitos, interdum etiam luserunt alphabeto, & quemlibet versum inchoarunt literis Hebraicis se invicem sequentibus. Quæ carminis elaboratio ut suam habet suavitatem: ita in futuris exemplis ejus adjiciemus formas. Eadem παραδειγμάτων jucunditas declarabitur in iis carminum generibus, quæ quidem pedum dimensiones* adeo

adeo accurate non curant, sed biblicum aliquem textum deligunt, suoque instituto accommodatum, & in particulas discerptum, vel initiis stropharum præfigunt, vel finibus subjiciunt. Interdum sententiam aliquam in singulis vel initiis, vel finibus repetunt. Alicubi etiam ex arbitrio sumunt, quod ejusce admodum repetant, quemadmodum exempla monstrabunt.

Rhythmus Hebræorum duobus modis dividitur, vel ratione pauciorum aut plurium literarum, in fine similiter currentium: vel ex varia Rhythmorum collocatione.

Primo respectu Rhythmus dicitur vel politus, vel politior, vel politissimus.

R. David Jechai dicit Rhythmum fieri tribus modis I. *quando fines una litera conveniunt, & vocatur* שיר עובר *carmen transiens; quod transeat aures, & vix agnosci, aut percipi possit Rhythmus,* אלהי ארני, II. *quando duabus literis; & vocatur* שיר ראוי, *&* שירה ראויה *carmen spectabile: quod majore, quam prius, circumspectione egeat; ut,* לשמים חכמים III. *quando tribus; & vocatur* שיר משבח, *aut* שירה משבחה *Carmen laudabile aut excellens, quod, si aliquando contingat, ex omnibus est elaboratissimum, maximeque laudandum; ut,* נברים רברים *Ex qua declaratione nostra derivata est distinctio, qua gradibus majoris expolitionis & elaborationis in carmine crescentibus Rhythmum etiam triplicem constituimus.*

Rhythmus Politus est, cum orationem exornat unum duntaxat elementum: sive illud sit vocalis, sive consona similis.

Rhythmus ex sola vocali simili ex Psal. 2. 6.

ואני נסכתי מלכי
על ציון הר קרשי:

Ego vero constitui Regem meum
Super Tsion, montem sanctum meum.

Hujus generis exempla extant, Psal. 3. 2. & 4. 2. & 5. 5. & 12. 3. & 16. 5. & 18. 15. & 30. 11. & 34. 10. & 50. 19. & 54. 4. 6. & 58. 8. & 62. 6. & 63. 56. *Item in libro Mibchar Happheninim* cap. 34. n. 14. & cap. 54. num. 3.

Rhythmus ex sola consona simili Psalmo 8. 9.

צפור שמים ורגי הים
עובר ארחות ימים:

Volucres cœli & pisces maris,
Et quæ perambulant semitas maris
(subjecisti ei.)

Hujus etiam generis Rhythmus extat Psalmo 58. 6.

Rhythmus Politior est, cum orationem duo similia exornant elementa; vel vocalis cum consona simili; vel e contrario consona cum vocali simili.

Rhythmus ex vocali & consona simili, Psal. 12. 4.

יכרת ׳ה כל-שפתי חלקות
לשון מרברת נרולות:

Disperdat Dominus universa labia adulationum,
Et linguam loquentem magnifica.

Sic Rabbini vulgatum istud: Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris, Chaldaicæ efferunt.

מה רסני עלך
לא תעביר לחברך:

Hebraicæ sic posses reddere Rhythmo politissimo.

כל שנוא עלוך
לא תעשה לחבריך

Omne exosum tibi
Non facies proximo tuo.

Hujus generis sunt, quæ Psalmo 18. 15. & 21. 14. & 35. 14. & 48. 10. 11. 13. & 49. 4. 9. 18. & 56. 3. & 58. 3. *extant: etiam trimetra* Psal. 1. 5. & 29. 3. *& quæ repperiuntur in Mibhchar Happeninim,* cap. 41. n. 3. 5. & cap. 55. n. 8. & cap. 57. n. 4.

Rhythmus ex consona & vocali simili Psal. 25. 16.

פנה אלי וחנני
כי יחיד וחני אני:

Respice in me, & miserere mei,
Quoniam unicus & pauper sum ego.

Hujus generis sunt, quæ extant Psalm. 63. 3. *& Mibhchar Happheninim* cap. 41. n. 6. c. 57. n. 4. c. 63. n. 8. & c. 64. n. 7.

Rhythmus Politissimus est, cum orationem tria, aut etiam plura exornant elementa similia: Sicque vel est monosyllabus, vel bisyllabus, vel trisyllabus.

Monosyllabus Rhythmus est, qui constat duabus consonis, una tantum manifeste apposita, & interposita vocali, ut

שלום

שלום שלי על--יד האל
ייטיב נא לי עמנואל:

Pax mea est super manu Dei.
Benefaciat mihi Immanuel!

Ex communi Germanico: Mein Gluk sihet in Garte Hand. *His similia reperiuntur in Mibhchar. Happheninim* cap. 35. n. 4. 5. 6. & 36. n. 7. & 37. n. 4. 5. & 38. n. 27. & 39. n. 7. & 41. n. 6. & 57. n. 2. 3. & 60. n. 4. & 63. n. 3. 5. 6. 7.

Bisyllabus Rhythmus, est, cum ratio potissimum habetur duarum similium vocalium, quibus regulariter una interponitur consona similis, vel sola, vel cum aliis mista.

Si sola consona interponitur, ejusmodi Rhythmus est, Psal. 23. 2.

בנאות דשא ירביצני
על--מי מנוחות ינהלני:

In loco pascuæ me collocavit,
Super aquam refectionis deduxit me.

Hujus generis exempla extant, Psal. 17. 15. & 25. 4. 16. & 26. 8. & 33. 21. & 34. 5. 6. & 35. 28. & 55. 7. *&* *trimetra* Psal. 27. 5. & 57. 11. & 60. 3. & 61. 2. *Sic in Mibhchar Happheninim* cap. 43. n. 5.

Si mistim consona interponitur, aliam adhuc recipit consonam similem, vel a priori tantum, vel a posteriori solum, vel a priori simul & posteriori.

A priori, quando consonam similem recipit, exemplum extat Psal. 31. 17.

האירה פניך על--עבדך
הושיעני בחסדך

Illustra faciem tuam super servum tuum,
Salvum me fac in misericordia tua.

Huc etiam referri potest Rhythmus, ex vulgato desumtu: Deus providebit.

בידי האל צרכי
הוא יצליח דרכי:

In manibus Dei est necessitas mea,
Ipse prosperare faciet viam meam.

A posteriori, quando recipit similem consonam, *sit exemplum Judæorum proverbium* de proba & casta muliere.

קשבת ולא דברנית
מיושבת ולא יוצאנית:

Quæ obtemperas & non garrula est,
Quæ quieta & modesta est, non discurrit.

Hujus generis

טובה מן--הכול
אהבת כביכול:

Omnibus est rebus majus amare Deum.

A priori simul & posteriori, quando recipit vocalem similem, hoc considerari potest exemplum.

טובים גברים
טובים חברים

Boni viri,
Boni socii.

Trisyllabus Rhythmus est, cum habetur ratio vel trium vocalium, vel trium consonarum.

Cum habetur ratio trium vocalium, *exemplum* ex Psalm. 2. 3.

ננתקה את--מוסרותימו
ונשליכה ממנו עבותימו:

Dirumpamus vincula eorum,
Et abjiciamus a nobis jugum ipsorum.

Simile exemplum extat Psalm. 51. 16. 17. *& in Mibhchar Happheninim* cap. 55. n. 9.

Cum habetur ratio trium consonarum, tum in fine illæ habent adjectam literam quiescentem, vel expressam vel subintellectam.

Rhythmus quiescente litera expressim præsente, ex illo proverbio Ben-Syræ Chaldaico, *quod extat in Medras Mischle* Proverb. 22. 15. *eleganti Paronomasia.*

לחכימא ברמיזא
לשטיא בבורמיזא:

Sapientem nutu,
Stultum fuste, scil. castigare debes.

Rhythmus quiescente litera tacite subintellecta, vita impiorum describitur.

ימיך כימי פשעיך
ימיך כימי רשעיך

Dies tui sicut dies prævaricationum tuarum,
Dies tui sicut dies perversitatum tuarum.

RE-

REGUL. I.

Vitioſum habetur literas ſimilis pronunciationis in Rhythmo uſurpare.

Hanc regulam in ſua Poetica Edit. 3. pag. *636. poſuit Buxtorfius, eique exempla ſubjecit ſequentia:* סכה *&* צוקה*: aut* טצה *&* מסה. *Nos diſtinguimus, in polito Rhythmo vitioſum non eſſe: in politiori aliquo modo vitioſum dici poſſe; quoad ſoni tamen ſimilitudinem excuſari. Unde hæ ſyllabæ* בא וא פא אה עה *Rhythmum efficiunt etiam* in canticis Eliæ, *qui in hac facultate videtur facile Princeps. Sic ante Eliam* R. Chai *in carmine morali* diſt. 137. *ex ſyllaba* שא *&* סה *Rhythmum facit: in quo exemplo ſimul notandum,* א *&* ח *Rhythmum non impedire, quia ſonum non impediunt: Ideo promiſcue iis utitur idem R. Chai* diſt. 4. לה *&* לא diſt. 58. 135. 147. רא *&* רה diſt. *96.* נה diſt. 124. בה *&* בא.

REGUL. II.

Rhythmus uno elemento conſtans, ut parum habet elegantiæ: ita hodie raros ſortiatur imitatores.

Ideo ſupra R. Jechai hunc Rhythmum vocavit שיר עובר.

REGUL. III.

Rhythmus duobus aut tribus elementis conſtans, ut jucundus eſt auribus, & compoſitione ſuavis: ita omnium uſitatiſſimus.

Similes optarem Rhythmos, ſi quis ad imitationem Martini Lutheri, Clementis Marotti, Theodori Bezæ, & Ambroſii Lobwaſſeri *eoſdem componeret, qui Pſalmos Davidis expreſſerunt ſuaviſſimis Rhythmis Gallicis & Germanicis. Ita enim fieret, ut in locum Muſicæ Judaicæ, quam illi habent plane diſſonam in ſuis ſynagogis, ſubſtitueretur melodia dulcis, & Chriſtianis cognita. Specimen hujus rei in decem Pſalmis exhibuit* lib. 2. Præcogn. Theol. cap. 9. *Dn. Alſtedius, de quo non ita pridem amicus noſter literarius D. D. Caſpar Conradus, Medicus & Poeta perinſignis:*

> Nomine par CORDO es, par CORDO es carmine docto.
> Ævo hunc ut ſuperes, det Jova, major eris.

REGUL. IV.

Rhythmus tribus, quatuor aut pluribus elementis conſtans, ut ob paucitatem talium vocum eſt infrequens: ita ſi in ſuccincta etiam duntaxat materia elaboraretur, eſſet carmen expolitum, & maxime eximium.

Ideo ſupra R. Jechai hunc Rhythmum vocavit שיר משכה *Ad hunc vero Rhythmum conſtituendum maximopere prodeſt Lexicum noſtrum Rhythmicum, in quo per totum alphabetum multivarias in fine deſinentias ex lingua potiſſimum Hebræa congeſſimus & ſæpius velut medium praxios Syntheticæ & Rhythmorum componendorum facillimum, noſtris Auditoribus deſcribendum tradidimus. Sed quia nuper admodum, juvenis eruditiſſimus Dn. M.* Hieronymus Avianus, *in Academia* Lipſienſi *Lexicon tale (ſub nomine* Clavis Poeſeos Sacr.) *ex labio non duntaxat Hebraico, ſed & Chaldaico & Syriaco a ſe paratum publici juris fecit, quo omnes illarum Linguarum Rhythmi rite & ſcite juxta ſeriem Alphabeti exhibentur, ad illud ſacræ Poeticæ Candidatos refero, & ut* D. Aviani *ſtudiis ulterius Deus affatim ex alto benedicat, & juventutem ejus velut coronam roſaceam exornet, ex ſcito Talmudico in Scabbath fol.* 152. a. *edit. Cracov.* יגקותא בלילא דורדא *ὁλοψύχως voveo.*

REGUL. V.

Ad elegantiores referuntur Rhythmos, qui iiſdem conſtant vocalibus, aut cognatis.

Voco autem cognatas, quæ ſono conveniunt, ut (ָ) *&* (ַ), (ֵ) *&* (ֶ)*, non quæ diſconveniunt,* (וֹ) *&* (וּ). *Unde recte Buxtorfius* in loco & pagina jam allegatis inquit: *Syllabas* וח *&* וח*, ex vocibus* חמוח *&* חכרוח*, ad Rhythmum conſtituendum quidem tolerari poſſe, ſed melius eſſe abſtinere a talibus. Tolerantur nimirum* non *ratione vocalis*, ſed *ratione conſonæ, quæ ſola ſufficit ad politum Rhythmum conſtituendum.*

Secundo reſpectu Rhythmus dicitur μονόρυθμος uniformis, & πολλόρυθμος multiformis.

Hebræi habent diſtinctionem trimembrem, qua שיר *faciunt* מחלק, קשור, חרוזי*: Vox* חרוזי ſupra *declarata, ubi egimus de Rhythmo in genere*, & hoc loco *notat carmen, per omnes & ſingulos verſus uniformi Rhythmo compoſitum:* שיר קשור *eſt carmen ligatum, cujus ſecundi quique verſus eodem ſemper Rhythmo inter ſe alligantur, in primis autem nulla plane Rhythmi ratio habetur:* שיר מחלק ופשוט *diviſum & expanſum, cujus duo verſus ſemper quatuor inci-*

incisionibus dividuntur: quarum tres priores semper eodem Rhythmo clauduntur, quarta peculiarem habet syllabam, quæ per totum carmen eadem & similis Rhythmo uniformi extenditur. Quæ trimembris distinctio facile reduci potest ad bimembrem nostram: Si שיר חרוזי *referatur ad* μονόρυθμον, קשור *vero &* מחלק *ad* πολλόρυθμον. *Nos interea melioris doctrinæ causa sequentibus utemur subdistinctionibus.*

Uniforme carmen est, cujus omnes versus in unum eundemque Rhythmum communiter desinunt.

Multiforme est, cujus non quidem in omnibus versibus est eadem consonantia, sed in singulis duntaxat vel strophis vel colis, vel mistim in strophis simul & colis: unde iterum dividi potest in στροφόρυθμον, κωλόρυθμον & ποικιλόρυθμον.

Στροφόρυθμον est, cujus singulæ vel strophæ, vel, si placet, disticha suum habent Rhythmum singularem.

Κωλόρυθμον est, cujus κῶλα tantum uno eodemque Rhythmo per totum carmen inter se colligata, reliquorum versuum spatia sunt libera.

Ποικιλόρυθμον est carmen quasi mistum ex στροφορύθμῳ & κωλορύθμῳ: ex hoc quidem, quia ejus etiam κῶλα per totum carmen eodem Rhythmo colligantur: ex illo vero, quia singulæ strophæ, tribus sigillatim ornamentis Rhythmicis colorantur.

Ad mistum hoc carmen referri potest, quando Rhythmi intersecantur, ut primo versui tertius, secundo quartus respondeat, & ita deinceps.

EXEMPLUM

μονορύθμου.

א זוז להוריך בחבור אמונים
ב עתרות אוחך קונים
ג וריך בברית איתנים
ד י חלב שדים לך מדשנים
ה מלבישיך לבוש עדנים
ו מאכלם בפיך נותנים
ז ועקים בערך תחנונים
ח יוחך למו דר עליונים
ט ועניך על--שכמה כאומנים
י נעי בך שבעי אונים
כ אם אם יקרך הם מתענים
ל יראת שדי אותך מפנים
מ צוות ורחות לך מכננים
נ חלת הוז ובית לך מקנים
ס ומכים לך עזר ומתחתנים
ע שה חפצם ולא תעז פנים
פ ן יעמידוך לפני דינים
צ ופים דת סורר ומורה בבנים
ק הל ירגמוך באבנים
ר אה פן תעזבם לעת זקונים
ש רחם כעבד לאדנים
ת פלחם קח ותאריך שנים: פ:

Versio.

א, *Audi parentes tuos in consociatione fidelium* (in legitimo conjugio &) ב. *cum precibus* (ad Deum) *te qui acquirunt* ג. *Qui trahunt te in fœdere fortium* (qui instituunt te in fœdere Patriarcharum) ד. *Sufficientia lactis uberum, qui impinguant* ה *qui vestiunt te vestimento deliciarum* ו. *& cibum suum in os tuum dant:* ז. *qui clamant pro te supplicationes:* ח. *ut vivas cum ipsis ætatem superum* ט. *qui portant te super humeros suos, sicut nutritores,* י. *qui fatigantur propter te, & saturantur molestiis:* כ. *Dolor si acciderit tibi, ipsi condolent* ל. *Ad timorem omnipotentis* (ad pietatem) *te convertunt.* מ. *Præcepta & statuta sibi parant* נ. *Hæreditatem opulentam & domum sibi comparant* ס. *Qui adjungunt tibi adjutorium* (uxorem & adfines) ע. *Fac desiderium eorum, nec obfirmes faciem* (ne imprudenter te eis opponas) פ. *Ne forte te stare faciant coram judicibus* צ. *Qui speculantur jus contumacis & rebellis inter filios,* ק (&) *cœtus* (totus populus) *obruant te lapidibus. Deut 21. 19.* ר. *Vide, ne forte deseras eos in senectute* ש. *Ministra eis, sicut servus Domino* ת. *Orationem eorum accipe, & prolongabis annos.*

Est Paraphrasis præcepti de honore, Parentibus exhibendo. Versuum initia sunt a literis alphabethi, recto ordine incedentibus: fines in unum eundemque Rhythmum, nempe in נים *desinunt. Desumtum est exemplum ex Machsor de festo Pentecostes.*

ALIUD EXEMPLUM

μονορύθμου.

ת ור וסור מאנשי דמים
ש ומרים בלבם איבה ושוטמים
ר שעת סור מערימים
ק חת נפש צדוק זוממים
צ ופנים ואורבים על--תמימים
פ ח טומנים למישרים פעמים
ע ל--דם רע בזדון קמים
ס את כלי מות באף מזעימים
נ קי רוצחים באין רחמים
מ אבדים מעשה הצור חמים
ל נברא בצלמו לשחת הומים
כ רנע נשמה משמימים
י ראת אל בלבם לא שמים
ט ורדים נפש למות בלא ימים
ח דל מלהחיף ניא בדמים
ז כור כי יזעק דם למרמים
ו שפך דם האדם באדם נקמום
ה ז נפש בנפש מושלמים
ד יז הרג לנפשם נורמים

ג ור מפני הרב זעמים
ב רח לך פנחלי רחמים
א שוריך הצעיד בתמים:

Versio,

ח *Cautus esto, & recede a viris sanguinum* ש. *Qui custodiunt in corde suo inimicitiam, & adversarii sunt*, ר. *Qui impietatem secreti* (*secretum impietatis suæ*) *callide servant* ק. *Qui tollere animam justi cogitant*, צ. *Occultant & insidiantur* (occulte insidiantur) *perfectis* פ. *Laqueum abscondunt rectis sæpe* ע. *Contra sanguinem proximi petulanter insurgunt* ס. *Tollere vasa mortis* (arma mortifera) *in furore irascuntur* נ. *Innocentem occidunt sine misericordia* מ. *Perdunt opus Dei perfectissimi* ל. *Contra eum, qui creatus est in imagine Dei, ut perdant, tumultuantur* כ. *Subito animam vastant* י. *Timorem Dei in corde suo non ponunt* ט. *Occupatam habent animam, ad mortem, brevi tempore* ח. *Desine, ne polluas vallem hanc* (terram) *sanguinibus* ז. *Recordare, quod clamet sanguis in cœlum* ו. *Et effusio sanguinis hominis, per hominem vindicabunt* (judices vel Deus ipse) ה. *Ecce anima pro anima reddendæ sunt* ד. *Judicium homicidii animæ suæ extrahunt* ג. *Time a gladio irascentium* (judicum) ב. *Fuge tibi a carbonibus juniperorum Psal.* 120. 4. (glossa a gehenna) א. *Viam tuam gradiaris inter perfectos*.

Est paraphrasis Præcepti de homine non occidendo. Α᾽κρόστιχον *literarum habet ordinem inversum. Rhythmus perpetuo idem est. Desumtus ex Machsor ex loco jam dicto*.

ALIUD EXEMPLUM
μονορύθμα.

ת אמר למחוה אשמינו
ת בא לחדש ימינו
ת גלה שנת שלומינו
ת דגיל דגדל את--שמנו
ת הדוף מהדום מתקוממינו
ת ופיע מרום לרוממנו
ת זכור רחמיך לרחמנו
ת חיש מרום לנחמנו
ת טהר שמצת גונו
ת ידע כי אתה הוא אלהינו
ת כפר עון זדוננו
ת לגי ראש תתן להחינו
ת מחול עקשות מרינו
ת נאום להעצים פרינו
ת סכית שפיכת שיחנו
ת ענה עתר פתחנו
ת פנה לקומם מזבחינו
ת צדיק ניב שפתינו
ת קרב קץ משיחנו
ת רצה ריח ניחוחנו
ת שוכב מקצוות נדחינו
ת תסכנו וכאזור תרביקנו:

Versio,

א. *Dicas* (o Deus) *ad delendum* (ut deleantur) *delicta nostra* ב. *Venias ad innovandum dies nostros* ג. *Aperias annum pacificationis nostræ* (restitutionis) ד *vexillum erigas ad magnificandum nomen nostrum* ה. *Detrudas de scabello adversarios nostros*. ו. *Appareas, o altissime, ut exaltes nos* ז. *Recorderis misericordiæ tuæ, ut miserearis nostri*. ח. *Acceleres altissime* (Deus,) *ut consoleris nos* ט. *Expurges vitium corporis nostri* י. *Cognitum facias* (gentibus,) *quod tu sis Deus noster* כ. *Propitieris iniquitati improbitatis nostræ* ל *o suspense, caput*, (gl. o qui es caput omnium) *des ad vivificandum nos* (da ut vivificemur) מ. *Condones perversitatem rebellionis nostræ* נ. *Dicas* (jubeas) *ut fortes sint fructus nostri* (liberi nostri) ס. *Audias effusionem sermonis nostri* (preces, quas ad te fundimus) ע. *Respondeas orationi apertionis nostræ*, (quam aperto ore facimus) פ. *Respicias, ut erigas* (iterum) *altaria nostra* צ. *Justifices prolationem labiorum nostrorum* ק. *Appropinquare facias finem Messiæ nostri* ר. *Gratum habeas odorem gratum nostrum* ש. *Reducas nos ex angulis depulsionis nostræ* (ad quos depulsi sumus) ת. *Sustentes nos, & sicut cingulum adhærescere* (tibi) *nos facias*.

Oratiuncula Judæorum, in qua petunt remissionem peccatorum, restitutionem in patriam & missionem Messiæ. Desumta ex Machsor die diebus Kippurim. Omnes versus incipiunt a ת *sequentibus literis alphabeti recto ordine: desinunt in unum Rhythmum* נו.

ALIUD EXEMPLUM
μονορύθμα.

סלח--נא אשמות פשעי לאמך
לעוז בניך בל יחרה זעמך:
ס נ נעולם ויחיו ממקור עסך
ל דגליך שא ותנחם כנואמך:
ס נ הכל--מורים ועוזבים כרשוסך
ל ופשע מחל למען שמך:
ס נ זדונות ושגגות לברואי שמך
ל חטאימו חטא בנרבת נשמך:
ס נ טפש טפלות רשעי עמך
ל ירידיך תבקש ואיננו כנואמך:
ס נ כחש כרעים ומשתחוים לעמך
ל לקוחיך כפר בטוב טעמיך:
ס נ מרי מיהליך ומיחדיך בעולמך
ל נדחים מחה ובנה אולמך:
ס נ סלופם ונוגנם בסכת שלומך
ל עבדיך עלם וכבוש בעלומך:
ס נ פן יענשו ממרוסך
ל צאנך

ל צאנך שכח והיא תהלתך ורוממך:
ס נ קלונם וחמול עלימו ממרומך
ל רחומיך תשא מלצורם כחרמך:
ס נ שמץ תעתוע תעוב רחומיך
ל תמימיך העבר בגודל רחמיך:

Versio.

א. *Condona quæso delicta transgressionum populi tui*. ב. *Contra iniquitatem filiorum tuorum ne exardescat ira tua*. נ. *Condona quæso fœditati ipsorum* (peccatis fœdissimis) *& vivant ex fonte, qui tecum est* (gloss. ex aquis viventibus quæ tecum sunt.) ד. *Iniquitatem vexillorum tuorum* (populi tui, quem vexilli instar exaltasti) *remitte, & consoleris secundum verbum tuum*. ה. *Condona quæso omnibus confitentibus tibi, & relinquentibus* (peccata) *secundum scripturam tuam* (illam, in qua dicitur: relinquat impius viam suam.) ו. *Iniquitati & transgressioni ejus ignosce propter nomen tuum*. ז. *Condona quæso delicta petulanter & ignoranter commissa, creaturis nominis tui*. ח. *Iniquitatem peccatorum, quæ in ipsis sunt, emunda in largitate pluviæ tuæ* (hoc est, per pluvias gratiæ tuæ largissimæ) ט. *Condona quæso crassitiem stoliditatis & transgressionem populi tui* (hoc est crassissimas & stolidissimas transgressiones populi) י. *Iniquitatem dilectorum tuorum quæras, ut non sit* (Jerem. 50. 20.) *secundum verbum tuum* (sicut promisisti) כ. *Condona quæso mendacio incurvantium se, & adorantium coram te* (qui mendaciter hoc est corde ficto & non candido orant) ל. *Iniquitati susceptorum tuorum* (qui a te suscepti sunt) *propitius esto in bonitate verbi tui*. מ. *Condona quæso rebellioni sperantium in te, & prædicantium te unicum in Mundo tuo*. נ. *Iniquitatem expulsorum tuorum* (qui a te expulsi sunt) *dele, & ædifica templum tuum*. ס. *Condona quæso perversitati eorum, & protege eos in tabernaculo pacis tuæ* (Psalm. 76. 3. gloss. in Jerusalem) ע. *Iniquitatem servorum tuorum absconde, & subjice* (abjice) *in abscondita tua* (ubi absconditissima maneant; & in conspectum tuum nunquam redeant.) פ *Condona* (servis tuis) *ne puniantur ab alto* (de cœlo) *tuo*. צ. *Iniquitatem ovium tuarum oblivisscere, quæ* (oves) *sunt laus tua* (laudant te,) *& exaltant te*. ק. *Condona quæso ignominiæ ipsorum, & parce super eos de alto cœlo tuo*. ר. *Iniquitatem dilectorum tuorum auferas, ne veneris* (ne capias) *eos in reti tuo, vel in anathemate atque maledictione tua*. ש. *Condona quæso vitio, nempe errori abominationis* (errori abominabili) *dilectorum tuorum*. ת. *Iniquitatem perfectorum tuorum transire fac secundum magnitudinem misericordiæ tuæ*.

Oratiuncula Judæorum, qua petunt remissionem peccatorum. Vide Machsor de vespera noctis Kipphur. Est autem notanda Rhythmi suavitas. Primo *scripturæ textus, proposito accommodus, desumtus ex Numeris* cap. 14. vers. 19. videlicet סלח--נא לעון. Deinde *prior hujus textus particula priori, posterior posteriori membro sive strophæ sive distichi præfixus est, & repetitus per totum carmen, juxta formam propositam.* Tertio *servatum est* ἀκρόστιχον *alphabeti, recto ordine incedens.* Quarto *omnes versus in unum eundemque Rhythmum desinunt, in* מך.

EXEMPLUM

στροφορύθμα.

אדר יקר אלי
אחודה בארש מלולי
בחין אנעים זמר
בניב אביע אומר
גבורותיו מי ימלל
גד--לו מי יפלל:
רוק מרופף בנערה
דרכו סופה וסערה:
הנאדר מקולות מים
הודו כסה שמים:
וסביביו שרפי אלים
ומפחדו זעים וחלים:
זך בשמי מעונים
זעק שעה ממתענים:
חשרת סביב סכו
חשמל בלי לשובו:
טוב ירע חסיו
טהור מצדיק עמוסיו:
יושב בסתר עליון
יקר עוז חביון:
כונן שחק בתבונה
כל--מעשהו באמונה:
לבש עוז וגדלה
לו נאוה תהלה:
מושל--עולם בגבורה
מוחה פשעי ברה:
נאור ואדיר בחדרו
נושא עוז עדרו
סוכת שיחות ערבות
סלו לרוכב ערבות:
עף על כרובו
עונה לעם קרובו:
פוקד צבאות גדוריו
פודה נפש עבדיו:
צרקו עליונים מגירים
צבא תחתנים מורים:
קרוש יושב תהלות
קנויו משינ מחילות:
רם ונשא ונאה
רואה שפל וגבאה:
שוכן ברום עליות
שליט בתוך תחמיות:

חומך זרועות עולם
תקיף ומכל נעלם.

Versio,

א *Magnificentiam gloriæ Dei mei* | *annunciabo in prolatione sermonis mei*. ב. *Cum deprecatione pulchrum faciam canticum* | *Cum fructu eructabo sermonem*. ג. *Fortitudinem ejus quis eloquetur?* | *magnitudinem ejus quis judicabit?* [explicabit] ד. *Cœlum commovet in increpatione* | [*cum increpat*,] *via ejus* [ab ipso sunt] *tempestas & turbo*. ה. *Robustior est sonus aquarum*, | *gloria ejus aperit cœlos*. ו. *In circuitu ejus sunt* [circumstant eum] *ardores fortium*, | *i. e.* [*Seraphim*,] | *& a timore ejus moventur*, *& perturbantur*. ז. *O pure*, *cui es in cœlis habitaculorum*, | *clamorem respice* [qui profertur] *ab afflictis*. ח. *Colligantia* [aquarum] *in circuitu tabernaculi ejus*, | [circa ejus tabernaculorum colligata est aqua,] *Angelus non ad aspiciendum eum* [non potest satis aspicere eum & cognoscere] ט. *Bonus Deus novit sperantes in ipsum*, | *purus est*, *& justificat onustos suos* [qui gravibus oneribus, & miseriis affliguntur. י. *Qui habitat in latibulo altissimus*, | *gloria roboris ejus in abdito*. כ. *Is parat cœlum cum prudentia*, | *omnia opera ejus sunt in veritate*. ל. *Indutus est robore & majestate*, | *eum decet laus*. מ. *Dominatur orbi cum potentia*, | *delet peccata electa* [piorum ex Cant. 6. vers. 9.] נ. *Illustris & magnificus in conclavi suo*, | *remittit iniquitatem gregis sui*. ס. *Adtendit orationes suaves* [*dicentes*] *Laudate eum*, *qui equitat* [sedet super] *cœlos*. ע. *Qui volat super Cherubim suos*, | *respondet populo appropinquanti sibi* פ. *Visitat exercitus militum suorum*. צ. *Justitiam ejus superiores* [cœli] *annunciant*, | *exercitus inferiorum confitentur*. ק. *Sanctus habitat laudes* [ubi laudatur perpetuo,] | *Possessio ejus* [quisque pius] *apprehendit* [nanciscitur] *remissiones*. ר. *Qui magnus est*, *& extollendus*, *& magnificus*, | *respicit*, *quod est humile & fructum*. ש. *Qui habitat in altitudine cœlorum* | *& Dominus est in medio inferiorum*. ת. *sustentat brachiis* [suis] *Mundum*, | *fortis est*, *& præ rebus omnibus occultus* [fortitudo *& potentia ejus plane imperscrutabilis est*.

Precatio est Judæorum, *qua Dei majestatem & potestatem deprædicant*. *Notanda vero est duplicata alphabeti* ἀκροστιχὶς, *quam in nullo exemplo monorythmico a nobis proposito*, *animadvertimus*. *Bis enim in hoc carmine reperiuntur totius alphabeti literæ*, *& ut quælibet stropha aut distichon peculiarem habet Rhythmum*: *ita in singulis distichis sub initio duorum hemistichiorum non sunt dissimiles*, *sed similes & eædem literæ*. *Aliter se res habet in sequenti* στροφορύθμῳ: *in quo quidem duplicata etiam est* ἀκροστιχὶς, *sed ambæ non reperiuntur conjunctim in principio*, *sed disjunctim*, *una in principio*, *altera in medio*.

ALIUD EXEMPLUM

στροφορύθμου,

א אפיד נזר א יום
ב שלוש קדושה ב יום:
ג בורי כוח ג דולה
ד הרוהו בבות ד גילה:
ה וגי הנה ה מולה
ו תקוהו בהלל ו מלה:
ז וכר לעד ז כיורת
ח דשוהו זמר ח יורת:
ט וב עומס ט ורת
י חרוהו בחדוש י רת:
כ ובש כל־ כ עסים
ל כל אף ל השים:
מ שרתי בחיל מ ורא
נ כחם הללו נ זרא:
ס רפי סביב ס ערה
ע נו למעביר ע ברה:
פ לאים פצחו פ ה
צ לצלו הכל צ ופה:
ק הלורת עם ק דושים
ר וםמוהו רבבות ר ועשים:
ש מע קול ש ופר
ת אזין ואשמרה ת ופר:

Versio,

א. *Cingam corona terribilem* [*celebrabo Deum*] ב. *In ter repetito* sanctus *quotidie* [dum singulis diebus ter canam Sanctus ex Esai. 6. vers. 3.] ג. *Fortes virtute majestatis* [pii] ד. *celebrant eum* [דהר pro זהר mutuatione literarum Chaldaica] *in domo vexilli* [in templo vexilli instar elevati] ה. *Qui meditantur sermonem loquelæ* [angeli qui cantica meditantur coram Deo] ו. *Celebrant eum lætitia & oratione*. ז. *Qui recordatur in æternum justitias* [qui memor est justitiæ & pietatis] ח. *Eum innovant cantico animalia* [ex Ezech. gl. angeli novis subinde canticis celebrant] ט. *Bonus* [Deus qui summe bonus est] *portat laborem* [iniquitatem piorum] י. *qui uniunt eum* [unicum prædicant,] *in novitate lunæ* [in noviluniis, in diebus festis.] כ *Et cohibet omnem iram*, ל. *ne furorem ponat* [ne in furore puniat.] מ. *Qui ministrant in tremore & timore* נ. *Coram ipsis* [*vel una cum piis*] *laudant terribilem Deum*. ס. *O angeli circuitus turbinis* [qui circuitis ea loca, ex quibus veniunt turbines & venti] ע. *Respondete*, *vel celebrate eum*, *qui transire*

facit

facit iram, (qui ad remittendum promtus est) פ. *O mirabiles* (angeli) *aperite os*. צ. *laudate eum, omnia qui intuetur*. ק. *O ecclesiæ populi ſanctorum*. ר. *celebrate eum vos millia millium trementium*, (cum tremore laudantium Deum.) ש. *Auditum vocis tubæ* (orationem) ת. *audias, & peccatum irritum fiat* [deleatur.]

Hortatur homines & angelos, ut Deum optimum & miſericordem celebrent. In fine petit exauditionem & peccatorum veniam. Vide Machſor de primo die Roſc haſſcanah: Luſit autor duplici ἀκροςίχῳ, *nempe in principio & medio: ſtrophæ autem ſingulæ ſingulos ſuos habent Rhythmos.*

ALIUD EXEMPLUM

ςροφορύθμυ.

אף אורח משפטיך יהוה קוינוך
תאות לב בצר פקדנוך
ברי לבב מאתמול קדמנוך
שופר תרועה טרם שמענוך
נזרה חקוה ברצירת בראשית
ראש דברך תשובה להשית
דין טרם הוערך מראשית
קדמה למלט שובבים מחרישית
היוצר יחד שני לבביהם
צופה ומביט סרעף קרביהם
ואם און נמצא במחבואיהם
פקוד תפקוד זכות קרוביהם:
זכר הכרת שכם מסבל
עכר כהוחפש מעני כבל
חניטיו אם תעתעו בחבל
שיחו יחננם לחיי הבל:
טמינת לב ונקימת קץ
נדחים לאסיף בו בקץ
יום הוכן עתים להקץ
מימים ימימה ומקץ לקץ:
כסה להקפות חדש לקוב
כסוחים בלהטו להבהב לרקוב
להסיר מכשול מלב העקוב
להזכר לאברהם ליצחק וליעקוב:

Verſio.

א. *Etiamſi via judiciorum tuorum eſt Domine* (etiam hoc, quod patimur, ſecundum judicia tua patimur) *tamen ſperamus in te* ת. *Cupiditate cordis* (corde cupidiſſimo) *in anguſtia viſitamus te* ב. *Puri* (puritatem appetentes) *corde ab heri jam prævenimus te* ש. *Tubam jubilationis antequam audire fecimus te* (preces ad te fundimus, & affligimus nos precando in ipſo jam novi anni exordio, etiam ante feſtum expiationis, in quo ſingulariter affligendæ ſunt animæ jejuniis & oratione Levit. 23. 27. 29. &c.) נ. *Decretum ſtatuiſti, ſtatim in formatione principii* ר. *initium verbi tui Pœnitentiam ponere* ד. *Nimirum judicium antequam inſtitutum* (ordinatum) *eſt a principio* ק. *Ipſa jam præceſſit* (pœnitentia) *ad liberandum pœnitentes a ſilentio* (ab æterna damnatione. Fingunt Judæi pœnitentiam a Deo creatam ſtatim in principio, ante judicum, ſive ante pœnas & damnationem: & ſtatuiſſe Deum, ſe peccatores pœnitentes recepturum eſſe, poſtea a ſtatuiſſe impœnitentes damnare &c.) ה. *O formator ſimul duorum cordium eorum* (o Deus qui poſuiſti ante homines benedictionem & maledictionem Deut 11. 26. vitam & mortem Sirac. 11. 14.) צ. *Tu inſpicis, & intueris cogitationes intimas eorum* ו. *Et ſi iniquitas invenitur in occultis eorum* (in cordibus eorum) פ. *Recordando recordaberis juſtitiæ amicorum ipſorum* (miſerearis ipſorum propter merita Patriarcharum) ז. *Hæc memoria eſt* (hodie memoriam celebramus) *remotionis humeri ab oneribus* (quomodo Joſephus ex carcere ſit liberatus Pſal. 81. 7. quod in Roſc haſcanah factum volunt) ע. *Servus quando liberatus ex calamitate carceris* (ex carcere calamitoſiſſimo) ח. *Cujus ſurculi licet errent in orbe* (vagentur in exilio) ש. *Sermone tamen ſuo miſeretur eorum* (quotidie, & hoc præſertim die, ipſos ſolatur, ſicut olim fratres ſolatus eſt) *ad vitam vanitatis* (ad tempus exiguum, quod ad liberationem uſque reſtare ſomniant) ט. *Occultatio cordis eſt vindicta finis* (i. e. cordibus humanis occultum eſt, quando ſit futurus finis hujus captivitatis) נ. *Expulſi quando colliguntur in hoc ipſo die tandem* י. *Dies paratus eſt, tempora hæc* (exilii) *ut finem capiant* מ. *De die in diem, de fine in finem* (indies magis appropinquat ille finis) כ *occultum quod eſt, ut revolvatur* (reveletur,) *& novum ut vocetur* (ut nova fiant omnia). כ. *Succiſi* (impii) *in flamma ejus* (in gehenna a Deo parata) *ut comburantur, & computreſcant* ל *& removeatur offendiculum* (peccatum) *a corde perverſi* ל *& recordatio fiat Abrahæ, Iſaaci & Jacobi.*

Pœnitentiam oſtentat, & liberationem petit ab exilio &c. Vide Machſor de Roſc haſcanah. Ἀκρόςιχον *incedit ſecundum ordinem literarum* אחכש *Deinde quaterni verſus ad unam ſtropham & unum Rhythmum concurrunt.*

ALIUD EXEMPLUM

ςροφορύθμυ.

אדון אמנני
אצלו שכנני
אדם הקננו
אדם הקנני:
בניז בערכו
בי עץ צרכו

בשעשוע

בשעשוע ברכו
ראשית דרכו :
נשתי לרגליו
נרתי בצליו
נענועי עליו
קדם מפעליו :

דתותי עלם
דודי להועילם
דעת הנעלם
מאז מעולם :

הניני לארוש
המזקק לפרוש
הנפלא לדרוש
נסכתי מראש :

ואהיה בערץ
ושעשועי ירץ
וקדמני במרץ
מקדמי ארץ :

זוהר נכללתי
זכיות נבללתי
זאת נתהללתי
באין תהומות חוללתי :

חקר עונות
חלל ומעונות
תק בי עגינות
באין מעינות :

טפוחי שמים
טפסרי אש נמים
טרמני יומים
נכבדי מים :

יקרותי נבעו
יתיתר נקבעי
יעירותי רבעו
בטרם הרים הטבעו :

כללות נכללתי
כן פרט נגללתי
כמרתי נגללתי
לפני גבעות חוללתי :

לי שת מועצות
לרוץ בדיצות
לא עד עשה קצות
ארץ וחוצות :

מצותי לקבל
מנה וחבל
מדבקים לא נבל
ראש עפרות חבל :

נוי שלשים ושתים
נועם נתיבותים
נהר בי שפתים
בהכיני שמים :

ספונות הראני
סודו קראני
סטך לגאוני
שם אני :

עצתי תחוג
עולם נהוג
ענד בסחיג
בחקו חוג :

פצומה להום
פקר קור וחום
פלס לתהום
על פני תהום :

צופיה למרחקים
צפצופי מצחקים
צערי לא דוחקים
באמצו שחקים :

קבועם מזוז
קרירתם לחזוז
קרישתם לפזוז
ממעל בעזוז :

רונעים בנהום
רנבים יניחים
רתק חול לתהום
על פני תהום :

שורה ארקו
שפר מתקו
שב בהנתקו
בשומו לים חקו :

תבל בשכללו
תושיה שת שכלו
תכונים קדם טלא
ומים לא :

Verſio.

א. *Deus alumnam ſuam fecit me* (Thoram) *apud ſe habitare fecit me : homines* (Iſraelitas) *poſſidere fecit me , Summus Maximus poſſedit me* ב. *Hoc ædificium* (hunc Mundum) *cum diſponeret ipſe per me conſultavit de neceſſitatibus ejus , in delectatione genu ejus , ego ſum principium viæ ejus* ג. *Acceſſi ad pedes ejus , habitavi in umbra ejus , delectationes meæ ſunt apud eum, ante opera ejus* ד. *Statuta mea fecit digniſſima ea* (digniora ſtatutis gentium) *dilectis meis ut proſint , ut cognoſcant* (ex iis) *abſconditum ab æterno ante mundum* ה. *Meditatio mea eſt , ut declarem purgatum* (Dei verbum,) *ut explicem mirabile quod eſt , vel difficile , ut perquiram: Conſtituta ſum a principio* ו. *Et fui in fortitudine* (cum nihil adhuc eſſet, & ne angeli quidem , niſi Deus tantum fortiſſimus , & animæ ſanctæ , laudantes Deum) *& in ludo meo beneplacitum habuit , & præcedere fecit me* (reliquis rebus priorem fecit me) *in robore* (in cœlo vel perpetua æternitate) *antequam fieret terra*, (gloſſa Judæorum ineptiens ait: Deum duobus millibus annorum præceſſiſſe creaturam , & ſecum habuiſſe Thoram, tandem creatas animas, deinde pœnitentiam, poſt judicium , inde reliqua) ז. *Splendore ſum ornata , meritis condita, & propterea laudata : cum nondum eſſent abyſſi, ſum genita* ח. *Inquiſitionem iniquitatum* (judicium) *vacuum & habitationes* (cœlorum) *ſtatuit per me res* (reliquas,) *priuſquam fierent fontes* ט. *Palmos cœlor.* (cœlos quos palmis metitur Deus) *principes ignis & aquæ , præcedere fecit me duos dies* , (gloſs. duo milla annorum) *antequam facta ſunt graviſſimæ aquæ* י. *Præ-*

Præstantia (verba) *mea ebullierunt*, *clavi mei impacti sunt* (ad firmandum Mundum) *cortinæ meæ quatuor Mundi angulis circumdatæ sunt*, *priusquam montes fundarentur* כ. *Ut omni genere rerum perfecta sum* (generalia complector:) *ita omni rerum specie exornata* (species etiam complector) *secundum mensuram meam* (ut par fuit) *volutata sum*, & *ante colles etiam generata* ל. *Ad me posuit consilia* (me sibi fecit consiliarium Deus,) *ut lætaretur in lætitia*, *cum nondum fecisset terminos terræ* (Israeliticæ) & *extremitatum* (terrarum gentilium) מ. *Præcepta mea* (sunt directa) *ad suscipiendum partem* & *hæreditatem* (ut observans ea accipiat hæreditatem vitæ æternæ) *adhærescentes* (reliquos qui nolunt observare) *non definivit Deus* [vel non in eandem cum prioribus massam subegit, hat sie nicht mit jenen gleich eingeknetet. Noluit contemtores verbi ejusdem conditionis & felicitatis esse cum piis] *etiamsi essent caput pulverum orbis* [*etiamsi essent præstantissimi in orbe*] נ. *Pulchritudinem triginta duorum* [omne illud, quod in lege Mosis comprehensum est, & concluditur literis בל, quæ 32. efficiunt: Nimirum incipit Lex Mosis a ב Gen. 1. v. 1. & desinit in ל. Deut. 32. v. 52.] & *elegantiam viarum lucere fecit in me duobus labiis* [misericordia & judicio,] *cum pararet cœlum* ס. *Abscondita monstravit mihi: mysterium suum vocavit me* [dixit mihi, tu eris] *fultura magnificentiæ meæ*, *Ibi jam ego fui* ע. *Consilium meum circumdabit Mundum gubernandum: Colligavit* [circum dedit eum Deus] *circino*, *cum describeret circulum* פ. *Scissa est* [rarefacta est terra] *propter tumultum* [propter varias tempestatum vias] *propter visitationem frigoris* & *caloris*. *Pondus fecit abysso super abyssum* [terminos posuit abysso, quos egredi non potest] צ. *Prospicio* [ego Thorah] *de longinquo: sermones mei risum*, *gaudium faciunt: gressus mei non opprimunt* [non lædunt quenquam] *dum ipse firmat cœlos* ק. *Fixura illorum* [cœlorum nempe] *est talis*, *ut non possit moveri loco: tenebræ illorum sunt tales*, *ut tamen fulgurare possint: congelatio eorum est talis*, *ut tamen fortes sint*, *nec dissolvantur*, *a summo usque*, *cum firmarit* [Deus] ר. *Tumultuabantur* [aquæ congregari jussæ Gen. 1. 9.] *cum fremitu*, *glebas avellebant* [gloss. Cum Deo jubente aquæ a terra dividerentur, & tumultuarentur, subinde partes aliquas terræ seu glebas avulsas secum abripiebant] *Velut catenam alligavit arenam abysso*, *fontibus abyssi* ש. *Æquavit terram ei* [circum id mare æquavit terram] *pulchram fecit dulcedinem* [glossa omnis generis piscibus dulcibus exornavit Deus mare,] & *conversum est*, *cum translatum esset* [mare intra terminos suos se retulit & continuit] *cum posuisset mari terminum suum* ת. *Orbem terrarum cum fundaret Deus*, *Thoram posuit intellectum suum* [Thoræ consilio egit omnia,] *parata illa sunt*, *antequam omnis plenitudo esset*, & *cum aquæ nondum essent*.

Prædicatur Thorah, *seu lex Dei*, *rectius ipse* λόγος, *qui ab æterno est cum patre*, & *per quem facta sunt omnia* &c. *Strophæ singulæ quaternis absolvuntur versibus*. *Tres priores habent* ἀκρόστιχον, *quartus non item*, *nisi quod perpetuo desumitur ex* Prov. 8. v. 22. & *seqq*. *Propterea strophæ singulæ Rhythmum suum habent singulum*. *Vide Machsor de die primo Pentecostes*.

EXEMPLUM

ῥυθμικοκώλου.

הציר אשר כל--היצור משגיח
כל מעשיו ובל יזני-- ח:
לספור תחלותיו וכח מעשיו
כלי תפלותי וכלא שי-- ח:
הפליא חכדיו לי ועל--רוב רחמיו
עסל ורש מאהלי השכי-- ח:
תחת היותי איש שבע רונז אהי
היום שבע רצין ואיש מצלי-- ח:

Versio.

1. *Petra* [Deus,] *qui omnem creaturam creat* | *non relinquet opera sua*, *neque deseret*. 2. *Ut enarrem laudes ejus* & *virtutem operum*, | *insumuntur preces meæ*, & *insumitur oratio* [mea] 3. *Mirificavit beneficentiam suam mihi*, & *propter ingentem misericordiam suam* | *laborem* & *paupertatem a tabernaculo meo oblivisci fecit*. 4. *Pro eo*, *quod fui vir satur iræ* (calamitatum,) *ero* | *nunc plenus beneplaciti* & *vir fortunatus*.

Est brevis oratio ad Deum directa, *qua homo gratias agit pro beneficiis*. *Vide lib. Scunzin*.

ALIUD EXEMPLUM

κωλορύθμου.

אפחד במעשי אדאג בכל--ערת
אירא ביום דין בבואי לזכ-- רון:
—אדרוש לחנון אחלה לרחום
אחנן לחק לי יום לזכ - - - רון:
בבאי להשפט במי אשען
ומי יחפש לי צדק לזכ - - - רון:
—באבות בטחתי ופעלם אכלתי
והם היו קדם לזכ - - - - - רון:
נברה זרועי כשח מחני נא
לבל ימח מני שם וזכ - - - רון:
—נכר אם יעמוד לפניו היועיל
בערת

בערת יבקש מני זכורת וזכ - - רון:
רצתי בלובש אפוד וחושן המשפט
אשר בם הוחק שמי לזכ - - רון:
—רלג במחתה עד עצר נגף
בגשת זר מכהן יקוד לזכ - - רון:
הביטה אל בעמדי לפניך
אין בקרבי אנוש חיו לזכ - - רון:
—היש מי יפלל וישיב חמה
ויוחק לדורות שמו לזכ - - רון:
ומי שונא בצע ידבר ענו בי
ויען ויאמר עד אדון לזכ - - רון:
—בטלה חלב יכפר בעדנו
וכנגה שני עפרים יעל לזכ - רון:

Versio.

א. *Timebo in operibus meis, sollicitus ero omni tempore* | *timebo in die judicii, cum ingressus fuero ad memoriam* (ubi omnia revocantur in memoriam) א. *Quæram benignum* (Deum,) *orabo misericordem* | *deprecabor eum, qui statuit mihi diem in memoriam* ב. *Cum ingressus fuero in judicium, cui innitar* | *& quis quæret mihi justitiam in memoriam?* ב. *In Patriarchis* (in meritis Patriarcharum) *speravi, & opera* (merita) *eorum comedi, & ipsi fuerunt jam olim in memoriam* (etiam cum in Ægypto essent, tamen recordatus est eorum Deus) ג. *Forte est brachium meum, sicut sermo* (ille Mosis Ex. 32. vers. 32.) *Dele me quæso,* | *ne deleatur a me nomen & memoria.* ג. *Vir quispiam si spes coram eo* (Deo,) *proderit ne,* | *quando requiretur a me justitia & memoria?* (Ita fatentur imbecillitatem suam & delicta, quæ Deus in judicio sit judicaturus) 7. *Gaudeo* (consolor me) *in induente Ephod & pectorali judicii* (h. e. in Aarone,) | *in quibus insculptum fuit nomen meum in memoriam.* ד. *Qui discurrit cum thuribulo, donec prohibita est plaga.* (Numer. 16. 47. 48.) | *Cum accessisset alienus minister [h. e. Corah,] qui combustus est in memoriam.* ה. *Respice Deus, cum stetero coram te.*

Estne aliquis Pinehæ similis, qui pro nobis oret? ה. *Quis orabit, ut revertatur ira* | *& scribetur in generationibus nomen ejus in memoriam?* ו. *Quis odit avaritiam, ut dicat* (cum Samuele 1. Sam. 12. 3.) *respondete contra me, & respondeat, & dicat; testis est Dominus in memoriam.* ו. *Qui cum agno lactis propitiationem faciat pro nobis*) 1. Sam. 7. 9.) *& sicut duo illi hinnuli* (Moses & Aaron) *holocaustum offerat in memoriam &c.*

Petunt Judæi, ne rigide secum agat Deus in judicio & Majorum suorum merita respiciat, &c. Carmen integrum describere non placuit propter prolixitatem, & quia ex his reliqua etiam forma intelligi potest. Vide מחזור *de die secundo Rosc hasscanah. A principio est* ἀκρόστιχον *versibus alternis. In fine singulorum distichorum repetitur vox* זכרון.

EXEMPLUM
ποικιλορύθμα.

אדון עולם   ברא גולם
עולה סלם   בשערי חבו נה:
גבוה מכל   דרכו
יש לו כל   ברעת נכו נה:
הוא ארם   ובשר ודם
מעפר ארם   ביצירה אחרו נה:
זכר ונקבה   חבר ערבה
זכה חטיבה   בנחלה הנו נה:
טהור צוה   יפה עוה
ברה ועוה   במצוה ראשו נה:
באשר חטא   לבש ועטה
מעיל חרטה   וקונן אשמו נה:
מצא עלה   נורא עלילה
פניו חלה   בנפש מעו נה:
סומך נופלם   עוזר דלים
מחול גואלים   וראה בעלבו נה:
פלל יפה   צפצוף רפה
לכסא עפה   נשמע במעו נה:
קול רנון   רחש תחנון
מצא חנון   נכנס בחלו נה:
שומע צעקה   תקון זעקא
מקבל אנקה   מבני תלו נה:
שמע קולו   בני נולו
דרכיו יהילו   לשועה תע נה:
לשלם פרים   שפתינו ברים
בחלב כריה   אלינו חפ נה:
מה אנו   שחפץ בנו
היות כלנו   כעבד נק נה:
הלא עבודה   ותרת מעודה
ונלה סורה   שלשתן ימ נה:
חזק ומלא   כל שאלה
לעם אלה   אמונים יכ נה:

Versio.

1. *Dominus Mundi creavit massam* (informem glebam) | *quæ ascendit gradus per portas intelligentiæ* (quæ facta est in creaturam excellentem & intelligentem, nempe hominem) 2. *Altior est omnibus via ejus* | *habet omnia in scientia recta.* 3. *Ipse est homo, caro & sanguis* | *ex pulvere factus est homo, creatione postrema.* 4. *Masculum & fœminam sociavit suaviter* | *dignam fecit dilectam hæreditate decente* (Evæ dedit, ut fieret mater omnium viventium) 5. *Purus* (Deus purissimus & sanctissimus) *præceptum dedit, Pulcher* (homo creatura pulcherrima) *pervertit* | *Pactus est quidem* (suscepit pactum,) *sed pervertit* (deliquit) *in primum præceptum,* 6. *Postquam peccavit* (homo,) *induit, & involvit se* | *pallio pœnitentiæ, & lamentatus est de peccato.* 7. *Invenit occasionem,*

timen-

timendum opere [Deum] *faciem ejus* [*pro* faciem Dei timendi] *oravit in anima humili vel anxia*. 8. *Qui sustentat labantes, juvat pauperes*, | *parcit errantibus*, & *videt dedecus* [peccatum] 9. *Oravit pulcher* [homo, vel oravit in pulchritudine] *oratione remissa* [humili, ut solent rei] | *coram throno volatus* [qui undique cinctus est angelis volantibus] & *auditus est in habitaculo* [Dei] 10. *Vox exultationis & eructatio orationis* | *invenit gratiam*, & *ingressa est per fenestram* [per quam gratia Dei aspicere solet homines] 11. *Audit* [Deus] *clamorem apparatum clamoris* | *accipit gemitum a filiis querelarum*. 12. *Audit vocem ejus, nempe filiorum exilii sui* [qui sunt in exilio] | *Viæ ejus prosperabuntur* Psalm. 10. 5. *ad vocem illorum respondeas*. 13. *Ut solvamus vitulos labiorum nostrorum puros* | *tanquam adipem agnorum, ad nos respicias*. 14. *Quid sumus, quod desideravit nos*, | *cum omnes simus sicut servus emtitius?* 15. *Certe cultus Dei, traditio testimonii vel legis* | & *revelatio secreti* [patefactionis divinæ,] *hæc tria numerabuntur* [reputabuntur] 16. *Confirma & imple omnem petitionem* | *populo* [qui] *Hi sunt fideles, cognominantur*.

Exponit hominis creationem, lapsum & per pœnitentiam receptionem. Deinde *petit liberationem ab exilio & exauditionem*. *Carmen est* ποικιλόρυθμον, *in quo singulæ* στρόφαι, *quatuor incisionibus dividuntur; quarum tres priores semper eodem Rhythmo clauduntur, quarta peculiarem habet syllabam; per totum carmen similem*. Postea *in versibus prioribus* ἀκροστιχὶς *notanda est duarum literarum quarum una in* principio, *altera in* medio *ponitur*. *In posterioribus est libertas, nisi quod dixi, quod in unum eundemque Rhythmum, nempe in* נה, *perpetuo desinat, usque ad finem alphabeti*. *Reliquæ strophæ quinque in* נה *desinunt: & in prioribus quidem versibus quatuor autoris nomen notatum est per* ἀκροστιχὼν, *postremus liber est*. *Est vero autor R. Selomo, cognomento Luria, qui nostro fere seculo Osdroviæ in Podolia per aliquot annos Scholam habuit celebrem, & non ita pridem Lublini mortuus est*.

ALIUD EXEMPLUM

ποικιλορύθμων.

אשא רעי בצדק   חרה לפועלי צדק
אשאלה משפטי צדק   קול להרים בשו -- פר
אין קורא בצדק   ורודף צדק צדק
אקרא שמעה צדק   בקול בלול בשו --- פר
בנתי במרעי   למרחוק שארה רעי
בטוי תרועה בירעי   בקול מתן שו --- פר
בו בהריעי   ארצה לרועי
באמצו זרועי   בקול בח שו --- פר

נשתי ביום דין   להתיכח בדין
נולה עוסק הדין   בקול קפאון שו -- פר
גזרת רת ודין   אם חויבתי בדין
גרוני יעכב מורע דין   בקול עם שו ---- פר
דרש והעל רטיה   לפני טריה
דעת לטרויה   קול חובש שו --- פר
דחוי לבריה   בער נכריה
דרור לכל--בריה   בקול עברת שו --- פר
הוכושל בנאפוף   בזררת נפוף
הצב כריב צפוף   בקול חרדת שו -- פר
הוענש בצפוף   ושב היות חפוף
ועילו לב כפוף   בקול כפיפת שו -- פר
ואם שוד יעלזו   ובדיק יליזו
וצדק ירוץ לאחזו   בקול חיל שו --- פר
ובמו מכניס בזו   ומוציא בזו
ובז מנו יניזו   בקול רוח שו --- פר
זה מכל--קולות   אשר במקהלות
זקק לקהלות   קול תקע שו --- פר
זוממי עקלקלות   מחויבי סקילות
זעו בגדוע מקלות   בקול שמע שו -- פר:

Versio.

א 1. *Assumam scientiam meam in justitia, ut dem iis, qui operantur justitiam*. 2. *Poscam judicia justitiæ, vocem ut levare possim sicut buccinam*. 3. *Nemo invocat in justitia, & sectatur justitiam, justitiam*. 4. *Ego invocabo, tu O Deus exaudi justitiam, in voce mista (condita) cum buccina*.

ב 1. *Intellexi in scientia mea, a longe assumere scientiam* (ego intelligo, non nisi a Deo accipiendam esse scientiam, ut ait glossa) 2. *Verbum jubili dum scire facio* (dum denuncio) *in voce exhibitionis buccinæ* (quali buccina usi sunt majores nostri, cum lex daretur.) 3. *In ea* (buccina) *cum sonuero, placebo pastori meo* (Deo) 4. *Cum roboraverit ipse brachium meum, in voce roboris buccinæ* (in robusta voce buccinæ.)

ג 1. *Cum accedo in die judicii, ut disceptem in judicio:* 2. *Revelat* (Deus) *profunditatem judicii, in voce densitatis buccinæ* (dum densissime inflatur buccina.) 3. *Decreto legis & judicii, etiamsi damnatus fuero in judicio*. 4. *Tamen guttur meum* (oratio mea, quam profero) *impedit malitiam* (duritiem) *judicii in voce cum buccina* (*glos. in voce & in buccina*.)

ד 1. *Quare & superimpone emplastrum* (medicinam) *ad faciem plagæ*. 2. *Scientiam* (superimpone) *percussæ* (misere afflictis Judæis) *vocem alligationis buccinæ* (quomodo recte canendum sit buccina.) 3. *Extrudendus quidem erat* (populus) *in fossam* (in gehennam) *propter alienam* (propter peccata & impietatem.) 4. *Sed libertas est omni creaturæ per vocem buccinæ*.

ה 1. *Offendi factus vel deprehensus est in adulterio, in aliena complexus* (in complexu alienæ, hoc est, in idololatria & reli-

reliquis peccatis.) 2. *constitutus est in contentione angustiæ per vocem tremoris buccinæ*. 3. *Punitus angustia*, *sed revertetur*, *ut sit nudus pedibus*, (hoc est, ut liberetur peccato & malis.) 4. *Ei prodest cor incurvatum*, *in voce incurvationis buccinæ*.

ז 1. *Et si Diabolus excitatum vel lætum fecerit eum* (ad peccandum,) *& in judicio perverterit eum* 2. *Justitia* (lenitas & misericordia Dei) *accurret ad adprehendendum* (liberandum) *eum per vocem tremoris buccinæ* 3. *& sicut ingredi facit* (sonum) *per unam partem* (buccinæ) *& exire facit per alteram*. 4. *Sic a nobis excindet Diabolum per vocem buccinæ*.

ה 1. *Hæc* (justitia) *Dei magis quam omnes voces*, *quæ* (eduntur) *in congregationibus*, 2. *munda est* (acuta, sonora) *cœtibus vox clangoris buccinæ*. 3. *Qui cogitant perversa* (gentes) *qui sunt damnati prop. Idololatriam jacto lapidum* (vid. Ovid. l. 1. Metam. & Thisbite Eliæ in voce Markotis) 4. *moti sunt*, *vel movebuntur in excidio virgarum* (peribunt diluvio & igni) *per vocem auditus buccinæ &c.*

More suo, *& eo satis inepto & impio etiam*, *prædicant ceremoniam inflandi buccinam in exordio novi anni*. *Vide* מחזור *de die primo Roschascanah*. Ἀκρόστιχον *quaternis semper versibus observatum est*, *reliqua sunt manifesta*. *Integrum carmen nolui adscribere*, *tum propter prolixitatem*, *tum quia ex his etiam paucis satis intelligi possit ratio & forma totius*.

ALIUD EXEMPLUM

ποικιλορύθμα.

אנא אלהים חיים
אנא אלהים לחיים
כי עמך מקור חיים
ואתה כרחום סלח לנו:
בעת רצון תענה תחנתי
שמעה יהוה צדק הקשיבה רנתי
אל תעלם אזנך לרוחתי לשועתי
ואתה כרחום סלח לנו:
נעית קוראיך בתפלת השחר
רצה והלבן אודם כצחר
ה' הקשיבה ועשה אל תאחר
ואתה כרחום סלח לנו:
דלותי ולי יהושיע
קויך כל תרשיע
מדבר בצדקה ורב להושיע
ואתה כרחום סלח לנו:
הצפופים יחד לעבדך
צבאות צאן ידיך
הראנו ה' חסדיך
ואתה כרחום סלח לנו:
ומרבים תחן ועתר
פלל לחשנו העתר
אכן אתה אל מסתתר
ואתה כרחום סלח לנו:
זעקנו שעה אותנו לצדקה
ערך שוענו כתמור דקה מן הרקח
לך יהוה הצדקה
ואתה כרחום סלח לנו:
חטאנו באזוב וטהרנו
סומכנו סתרני וסברנו
אנחנו החומר ואתה יוצרנו
ואתה כרחום סלה לנו:
טהור הקשב חנוני
נקני מבתם עוני
מקוה ישראל אדני
ואתה כרחום סלח לנו:
יחמו מעיך עלינו
מהר רחמיך יקדמונו
אתה יהוה אבינו
ואתה כרחום סלח לנו:
ברחום תכפר עון
לכל תשא עון
ואל לעד תזכור עון
ואתה כרחום סלח לנו

Versio.

א. *Obsecro*, *Deus vive*, *abscribas eos*, *qui adhærent tibi ad vitam*: *quoniam tecum est fons vitæ* Psal. 36. 10. *Et tu sicut miserator parce nobis* ב. *In tempore beneplaciti respondeas deprecationi meæ*: *audi Domine justitiam*, *attende clamori meo*: *Ne occultes aurem tuam ad dilationem meam* (cum dilatatio vel solatium mihi dandum est) *& ad clamorem meum* Thren. 3. 56. *Et tu sicut miserator parce nobis* ג. *Gemitum invocantium te in oratione matutina cum beneplacito suscipe*, *& dealba rubedinem* (peccata rubicunda Esa. 1. 18.) *sicut candidum* (ut fiant alba) *Domine attende & fac*, *ne tarderis* Dan. 9. 19. *Et tu sicut M. P. N.* ד. *Depauperatus sum quidem* (non feci quidem, quod debui) *sed tamen me salvabit* Psal. 116. 6. *Qui sperant in te*, *eos non damnabis*, *qui loqueris in justitia*, *multus es ad salvandum* Esai. 93. 1. *& tu sicut M. P. N.* ה. *Qui coarctati simul contendimus ad serviendum tibi*, *exercitus gregis manuum tuarum ostende nobis Domine misericordiam tuam* Ps. 85. 8. *Et tu sicut M. P. N.* ו. *Qui multiplicamus obsecrationem & preces*, *orationem mussitationis nostræ* [orationem nostram humilem] *exaudi*. *Vere tu es Deus absconditus* Esai. 45. 15. *Et tu sicut M. P. N.* ז. *Clamorem nostrum suscipe*, *nos ut justifices*: *æstimatio orationis nostræ* [sit tibi] *sicut suffitus tenuis ex tenui* [ex aromatibus tenuissime concisis vel contusis] *Tua Domine est justitia*. Dan. 9. 7. *Et tu sicut M. P. N.* ח. *A peccato munda nos hyssopo & purifica nos*: *sustenta nos O latibulum vel refugium nostrum & spes nostra*. *Nos sumus lutum*, *tu es figulus noster* Esa. 64. 8. *& tu*

& tu sicut M. P. N. ט. *O pure* [sancte] *adtende precationibus meis, expurga me a macula iniquitatum mearum. Expectatio Israelis O Deus* Jerem. 17. 13. *Et tu sicut M. P. N.* י. *Incalescant viscera tua super nos, subito misericordiæ tuæ præveniant nos. Tu es autem Domine Pater noster* Esa. 64. 8. *Et tu sicut M. P. N.* כ. *Sicut miserator propitieris iniquitati, omnibus tollas, remittas iniquitatem, & ne in perpetuum recorderis iniquitatis.* Esai. 64. 8. *Et tu sicut miserator, parce nobis.*

Petit a Deo exauditionem & peccatorum remissionem &c. Vide מחזור *de diluculo die Kippurim. Quaterni semper versus ad unam Stropham concurrunt. In prioribus duobus est* ἀκρόςιχον τȣ̃ אחבש. *Tertius est certum scripturæ dictum. Quartus per totum carmen repetitur unus & idem.*

EXEMPLUM
ποικιλορύθμȣ posterioris.

אליך תלויות עינינו יהוה אדונינו
ברוך במקהלות עמך מה אדיר שמך
גאלנו שנית ממעננו י א
רר בשמי מרומך מ א ש
הן לך האמרנו י א
ומי כעם מרוממי שמך מ א ש
זכור ברית איתנינו י א
חי כי אין זר עמך מ א ש
טהור לשמך קננו י א
יחיד הדן עולמך מ א ש
בחך יגדל מלכני י א
לבנו רחש לרוממך מ א ש
מנוף בזרוע גאלתנו י א
נהללך כאלי מרומך מ א ש
סעדנו וסמכנו י א
עננו ונודה לשמך מ א ש
פרנו וחננו י א
צור עולמים שמך מ א ש
קוממנו והקימנו י א
רחמיך יקדמו זעמך מ א ש
שמע קול תחנונינו י א
תתרומם מנשואי רחמך מ א ש

Versio.

א. *Ad te suspensi sunt oculi nostri, Domine Deus noster* ב. *O benedicte in congregationibus populi tui, quam admirabile est nomen tuum.* ג. *Libera nos secundo ab iis, qui affligunt nos, O Domine Deus noster.* ד. *Qui habitas in cœlis altitudinis tuæ, quam admirabile est nomen tuum.* ה. *Ecce te laudamus, Domine Deus noster.* ו. *Et quis est, sicut populus exaltantium nomen tuum, quam maxime mirabile nomen tuum.* ז. *Recordare fœderis fortium nostrorum* [Patriarcharum,] *Domine Deus noster.* ח. *Vivus nec est alius tecum, quam admirabile est nomen tuum.* ט. *O pure, propter nomen tuum acquire nos, Domine Deus noster.* י. *O unice, qui judicas Mundum tuum, quam admirabile est nomen tuum.* כ. *Virtus tua magnificetur, rex noster Domine Deus noster.* ל. *Cor nostrum movetur ad exaltandum te, quam admirabile est nomen tuum.* מ. *Ex Ægypto per brachium liberasti nos, O Domine Deus noster.* נ. *Laudabimus te, sicut fortes altitudinis vel cœli tui,* [*idest angeli*] *quam admirabile est nomen tuum.* ס. *Juva nos, sustenta nos, Domine Deus noster.* ע. *Audi nos, & confitebimur nomini tuo, quam admirabile est nomen tuum.* פ. *Redime nos, & miserere nostri, Domine Deus noster.* צ. *Petra Mundi est nomen tuum, quam admirabile nomen tuum.* ק. *Erige nos, & fac stare nos erectos, Domine Deus noster.* ר. *Misericordiæ tuæ præveniant iram tuam, quam admirabile est nomen tuum.* ש. *Audi vocem deprecationis nostræ, Domine Deus noster.* ת. *Eleveris propter sublatos misericordiæ tuæ,* [propter Patriarchas, quos ex mera misericordia suscepisti] *quam admirabile est nomen tuum.*

Celebratur nomen Dei admirabile, & petitur liberatio. Vide מחזור *de diebus Kippurim. Hoc misti generis carmen etiam politissimum est, quia ex reliquis omnibus videtur esse compositum. Sive enim consideremus* μονόρυθμον, *primi stropharum versus omnes in eosdem, & secundi omnes in eosdem & similes Rhythmos desinunt: sive* ςροφόρυθμον; *quilibet versus, in duas partes divisus, singulares Rhythmos efficit: sive* κωλόρυθμον; *cola omnia in* מך *syllabas desinunt: sive denique* ποικιλόρυθμον; *singulæ strophæ in quatuor incisiones dividuntur, quarum duæ priores similes & duæ posteriores similes: nec in uno atque altero loco, sed per totum carmen priores prioribus, & posteriores posterioribus uniformes.* Ἀκροςιχὶς *a principio est manifesta: Finis vel clausura singularum stropharum pingitur ex dicto* Psalm. 8. 2. Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum. *Nempe dictum in duas partes dividitur: quarum prior priorem, posterior posteriorem stropham perpetuo claudit per universum carmen. Repetitio illa habet singularem emphasin.*

CAPUT IV.

De Poetica Hebræorum Metrorythmica in genere.

POetica Metrorythmica est facultas, quæ ad similes sententiarum terminationes adtendit cum respectu ad numerum & tempus.

Vocamus Metrorythmicam, aut Rhythmometricam, quia non ſolum conſtat Rhythmo, de quo jam egimus: ſed & metro, in quo cum pedum numerus, tum ſyllabarum quantitas obſervatur. Quæ Poeſis hodie apud Hebræos potiſſimum celebratur, exemplis declaratur, & juventuti literariæ ad excitandum Philologiæ ſanctioris ſtudium proponitur, & commendatur. Ipſa vero metrorum ratio non Græcorum aut Latinorum, ſed Germanorum & Belgarum more compoſita eſt. Quod iterum docet illuſtris Scaliger in Euſebianis: Hodierni, *inquit*, verſus Judaici ſunt plane noſtri Rhythmi vulgares ὁμοιόπτωτοι, ϗ ὁμοιοτέλευτοι. *Et paulo poſt:* Hebraiſmus, Syraiſmus & Arabiſmus nullo modo ad metrorum Græcorum & Latinorum regulam revocari poſſunt, etiamſi cœlum mari miſceatur.

Poeticæ Metrorythmicæ conſiderantur partes, adfectiones & ſpecies.

Partes ſeu principia ſunt materia & forma.

Materia eſt pedum, vel potius ſyllabarum numerus, pro carminum varietate alibi minor, alibi major.

Nonnulli *inter hodiernos Hebræos ad ſimilitudinem aliquam Græcorum & Latinorum ſex pedes proponunt*. I. Semiſpondeum, *quem facit ſyllaba longa, ut* שם. II. Spondeum, *qui duabus longis conſtat ſyllabis, ut* דבר. III. Moloſſum, *qui tribus longis conſtat, ut* פקרת. IV. Jambum, *qui primam habet brevem alteram longam, ut* ואם אני. V. Bacchium *qui primam brevem & duas efficit longas, ut* דברים. VI. Creticum, *qui ex prima longa, media brevi & ultima conſtitutus eſt, ut* שארה *propinquitas*, משבצה *pala, funda annuli:*

Verum dico, nonnullos *hæc præponere ad ſimilitudinem Græcorum aut Latinorum. Hebræi ſane ipſi non habent pedes, nec nominant: Sed ſyllabas duntaxat duas numerant, & aliam faciunt longam, aliam brevem.* Longa *ſyllaba* חנועה *motus dicitur: duæ longæ ſeu ſpondeus, duo motus: tres longæ ſeu Moloſſus, tres motus dicuntur.* Brevis *ſyllaba certam adpellationem non habet, ſed brevis & longa, hoc eſt, Jambus*, יחד *clavus dicitur, per Metaphoram, quod clavi inſtar initium habeat acutum, finem vero obtuſum: Unde ſi, his non obſtantibus, pedes tamen conſtituendi ſunt, pes erit tandem vel monoſyllabus; ut* חנועה, *qui conſtat longa: vel biſyllabus; ut* יחד *qui conſtat brevi & longa. Qui enim duabus conſtat longis, ſingularis pes uno nomine Hebraico non appellatur, ſed vocatur adjecto nomine numeri, duæ* תנעוות *duo motus, & ſic conſequenter.*

Syllabarum igitur quantitas eſt, qua ſyllabæ aliæ cenſentur longæ, aliæ breves.

Hic jam expreſſe Hebræi imitantur Græcos & Latinos, qui primi invenerunt diſtinctionem inter ſyllabas longas & breves. Ideo veterum Hebræorum inſtitutum non eſt, ſed recentiorum tantum inventum, ex ſæculari Poeſi ad Sacram translatum. Illud vero non intricatum admodum, ut apud Græcos & Latinos, qui partim regulis, partim exemplis, partim autoritatibus utuntur variis: ſed cognitione facillimum, quod quantitatem brevium aut longarum ſyllabarum duobus ſequentibus aphoriſmis uno intuitu monſtrat & declarat: niſi quod, metro Hebræorum creſcente, variæ in ſyllaba brevi conſtituenda creverint obſervationes, ut infra in regulis, ad affectiones pertinentibus prolixius videbimus.

Longæ ſyllabæ ſunt, quæ conſtant uno ex punctis regiis, ſive magnis ſive parvis.

Ad majorem declarationem ſingulis regiis vocalibus exemplum ſubjiciemus, ut רם *excelſus :* קן *nidus :* רי *irrigatio :* און *robur :* רוד *dominatus eſt :* בל *non :* פה *os :* אם *ſi :* --כל *omnis, & prima ſyllaba in voce* חמים.

Breves ſyllabæ ſunt, quæ conſtant Chateph vel ſimplici, vel compoſito.

Harum exempla monſtrantur in primis ſyllabis vocum ſubſequentium, ut עני אכות חצי בכל.

REGUL. I.

Ad decem regias vocales reducitur Pathach Genubha, quod in extremitate dictionum ſub literis החע poſitum longam efficit ſyllabam.

Exemplo ſunt voces שומע *&* משיח, *quæ in metro ſunt triſyllabæ, licet alias ratione accentus tantum biſyllabæ cenſeantur : qua ratione quidam etiam in metro pro biſyllabis agnoſcunt.*

REGUL. II.

Ad unum Cateph ſimplex & tria compoſita refertur Vau copulativum : quod in principio dictionis ante literas בומף non ſchevatas poſitum, itidem brevem efficit ſyllabam.

Exemplo ſunt voces, quæ ab Hebræis corripiuntur, ut R. Chai ובקיץ diſt. 13. ופלל diſt. 21. ובחרך diſt. 25. ובנות diſt. 26. ומרמס *&* ומעמס diſt. 31. *Quod ſi vero literæ* בומף *ſint ſchevatæ*, ו *cum ſequenti ſche-*

ſcheva coit in unam ſyllabam, ut ובלי *ubbli*, ובני *ubbne: ita & aliis ſequentibus literis, ut R. Chai* diſt. 155. ושמור; *Item* וצניף, *&c. In quibus & ſimilibus ſi* ו *& ſequens Scheva non coeant in unam ſyllabam, per* διάλυσιν *Vau ſeorſim legitur, & ſequens ſcheva cum proxima litera conjungitur, quo caſu* ו *iterum fit breve, ut* ובלי *ubbli* ובנה *u-bbne*. Ratio prioris eſt, *quia tum* ו *habet rationem & locum Cateph, unde* ובו *primam habet brevem: quia eſt pro* ובו Ratio poſterioris eſt, *quia tum* ו *habet locum Chirek, unde in* ושמו *prima eſt longa, quia ponitur pro* ושמו.

REGUL. III.

Chatheph, ut Chateh, in Poeſi Hebræa ſemper facit ſyllabam brevem, & analogice nunquam abſorbetur.

Hanc regulam propter nonnullos Cantores adjicimus, qui præſente Scheva geminato, ſeu in concurſu Cateph ſimul & Scheva utrumque non legunt, ſed pronunciatione abſorbent. Rectius faciunt, qui cum R. Chai in voce triſyllaba אזנך diſtich. 7. *agnoſcunt motum & clavum: Sic* אזנך diſtich. 12. & ישנאוהו diſt. 57. *Et quidem ex Regula & præceptis Grammaticorum. Nam poſterius Cateph ſyllabam ſemper inchoat, ac proinde eodem modo ſe illic habet, ut in principio dictionis, ubi regulariter ſyllabam facit brevem.*

Forma Poeticæ Metrorythmicæ eſt apta carminis Hebraici elaboratio.

Hæc cernitur in Syllabarum nexu, & Rhythmorum caſu.

Nexus ſyllabarum reſpicit vel disjunctim; aut priorem verſum, qui dicitur דלת janua; aut poſteriorem, qui dicitur סגור clauſura: vel conjunctim binos verſus, ad Rhythmum concurrentes, qui vocantur בית domus.

Tres illæ voces ſi Græcorum uſu eſſent proferendæ, dicerentur duæ priores hemiſtichia, tertia diſtichon. Ut enim apud Græcos in carmine Elegiaco primum hemiſtichium a pedum numero vocatur Hexameter, alterum Pentameter: utrumque conjunctim verſus Elegiacus; ita hic primum hemiſtichium ab officio vocatur דלת *alterum* סגור *utrumque junctim* בית *Hebræorum autem denominationes a Metaphoris ſumtæ ſunt:* דלת *quidem* ab oſtio, *quia aperit diſtichon, & per illud fit ingreſſus in carmen:* סגור *vero* a clauſura, *quia claudit diſtichon:* בית *tandem* a domo, *quam homines induſtrioſi ſolent aperire ingredientes, & claudere egredientes: Ita Poeta Hebræus in conſtituenda domo metrica, per* דלת *eandem ingreditur, per* סגור *claudit.*

Rhythmorum caſus reſpicit ſimilitudinem deſinentiæ, in qua quo plura concurrunt elementa, eo politiora derivantur carmina.

Adſectiones metri ſunt Scanſio & Cæſura.

Scanſio eſt metri per ſingulas ſyllabas dimenſio.

Cæſura eſt concinnum metri ſegmentum, quo ſyllaba poſt pedem relinquitur.

REGUL. I.

Dimenſio ſyllabarum apud Hebræos non imitatur variationem, ſed rigide altera reſpondere debet alteri.

In carmine Græcorum & Latinorum Elegiaco libertas obſervatur pedum vel Spondeorum vel Dactylorum: modo notetur quintus pes in Hexametro, & verſus dimidius in Pentametro, qui regulariter ſunt uniformes. Iſta vero varietas nullum heic habet locum: ſed ſi accuratum Hebræorum metrum eſſe debet, ut unum hemiſtichium alteri eadem plane pedum ſimilitudine reſpondeat, neceſſe eſt. Exempli gratia, ſi in primo hemiſtichio ſint octo ſyllabæ longæ, alteri hemiſtichio breves non ſunt immiſcendæ, ſed toti longæ etiam abſque ulla dimenſionis mutatione repetendæ veniunt.

REGUL. II.

Accidit ſcanſioni & Cæſuræ in verſibus Hebraicis reſolvendis & componendis, ut inveniatur, & adhibeatur in ſyllabarum conſtitutione vel διαστολὴ vel παρέλλειψις, vel συναίρεσις, vel διαίρεσις.

Diaſtole *eſt, qua ſyllaba, natura brevis, uſu producitur, ut apud Latinos:* Exercet Diana choros. *Idem obſervamus in Scheva ſimplici, ut cum in voce* מריבה *tres agnoſcuntur motus: ex forma, ſine dubio, lectionis antiquæ, qua priſci Chateph legegerunt per A, aut etiam per ſonum vocalis proxime ſequentis. Eadem figura Elias Levita*, cant. 7. diſtich. 9. *in voce* באשר *tres poſuit & agnovit motus.*

Parellipſis eſt, *cum conſona in medio dictionis omittitur, ut apud Latinus Terentius* Ile *pro* Ille *poſuit. Accidit hoc Poeſi Hebreæ, cum Dageſc excidit ex litera ſchevata, quo jure in metro utitur Elias* cantico 2. diſtich. 2. & 4. הנקרות *&* הנרו *utitur pro* הנקרות *&* הנרו. *Sic* cant. 12. *ponit voces* והטעמים להמלכים *quibus pro clavo & duobus utitur.*

Diæreſis *ſive* διάλυσις *eſt, cum una ſyllaba in duas diſtrahitur, ut apud Latinos*

nos suavis pro suavis: solvit pro solvit, apud Tibullum.

Stamina non ulli dissolvenda adeo.

Hac ratione dubio procul fultus R. Chai dist. 29. *pro* קרנך *facit* ק--רנך & dist. 30. *pro* תהיה *facit* ת--היה & distich. 48. & 74. נ--פשך *pro* נפשך Sic dist. 71. מ--מתי *pro* ממתי, & dist. 125. שב--חך *&* מ--להחתחן *pro* שבחך *&* מלהחתחן, & distich. 143. ה--מעט *&* מ--זעף *pro* המעט *&* מזעף. *Sic Elias Levita* in cant. 1. distich. 12. וי--היו & cant. 7. distich. 9. י--היה *&* מ--כלל

Synæresis *est, cum Scheva, ex quo fit syllaba brevis, contrahitur, ut apud Latinos secla pro secula, pocla pro pocula. Observatur eadem apud Hebræos, tum in principio, tum in medio. In principio, vel* suaviter, *ut plurimum in simplicibus carminibus, cum sequitur litera connexilis, ut* בראשיה *brescith, pro bereschith, &* שבו *schbu, aut* ולא *vlo* μονοσυλλάβως; *vel* duriter *interdum, cum sequitur litera inconnexilis, ut apud Eliam* in cant. 2. distich. ult. נקדות *Nkyddoth*, & cant. 7. dist. 9. ביות *bjoth*. In Medio, *cum antecedit vocalis longa, & brevi syllaba opus non habemus: unde R. Chai licet in singulis sui carminis versibus requirat tres syllabas breves, usum tamen hujus regulæ confirmat: dum* אשורך dist. 169. τετρασυλλάβως *effert aschurcha, pro aschurecha tetrasyllabo:* sic distich. 176. לבוראו *lebboro, pro lebboreo. Sic Elias* cant. 2. dist. 6. עומדות *legit, & scandit omdhoth. Puto ad formam finalium syllabarum, in quibus vol tacite subintelligitur scheva, ut* דבר: *vel expresse ponitur ut* לך *quo utitur idem R. Chai* distich. 121. *&* שוא distich. 135.

Valet eadem etiam Synæresis in scheva composito, sive illud consideremus in principio, *ut* אהי: sive in medio, *ut* מעשה *pro* מעשה, *&* ואמת, *pro* ואמת. *Hac figura Elias* in cant. 2. dist. 11. אחרי *&* נאגדות *legit* אחרי *&* נאגדות.

REGUL. III.

Scansioni Hebraicæ accidit distributio, qua nempe una eademque dictio aliquando distribuitur in duos versus: & prior pars in priori versu, posterior in sequenti ponitur.

Hoc Eliæ Levitæ accidisse observavimus cant. 1. dist. 4. & cant. 4. distich. 6. *Cantico enim* 1. *in duobus versibus distrahitur vox* ומש--פטם *quemadmodum* cantico 4. *vox* וש--לם *Nos exempli loco illud adducemus*

מוקש רגל קטן מוקשו
אך מוקש פה יסיר ראשו:
כי שומר פיו ולשונו שו--
מר מצרה את-כל--נפשו:

Offendiculum pedis exiguum est offendiculum,
At offendiculum oris removet caput:
Nam qui custodit os suum & linguam suam,
Custodit a calamitate animam suam:

Hic שו *ponitur in priore versu secundi distichi,* מר *in posteriore. Extat in Miscle Scualim,* in Mascal. 98. *Hujus distributionis exempla apud Græcos in Pindaro habemus plurima. Ita in Sappho*

Ἰζάνει κ̀ πλάσιον ἀδὺ φωνη-
σας ὑπακȣ́ει.

Et apud Latinos in Horatio lib. 1. carm. oda 25.

Thracio bacchante magis sub interlunia vento.

Sin ea litera, quæ resecari debebat, habet dagesch forte, non fit distractio, sed dictio manet integra, eo quod dagesch forte in principio efferri & pronunciari non possit. Sed prior versus fit Hypermeter, syllabam habens superfluam, quæ connumeratur cum initio sequentis versus, qui est ἀκέφαλος, *seu cui ad dimensionem una syllaba in principio deest, ut*

גבר אשר דת וחק
חרות עלי לבו
ישמח וישיש בגבור
—עת שלוף חרבו

In hoc carmine דלת *continet septem syllabas, quarum tertia & sexta breves:* סגיר *vero syllabas sex continet, quarum tertia tantum brevis est. Alterum igitur* דלת *habet superfluam syllabam* כור, *& sequenti Seghor* חנועה. *Apud Horatium* lib. 1. carm. od. 2. *contra invenitur versus* προκέφαλος

Labitur ripa, Jove non probante,
Uxorius amnis.

Similis versus a Buchanano compositus Psalmo 51.

Tu mihi arcanæ facilis beatum
indulseris haustum.

Non absimilem posuit Theodorus Beza Psalmo 119. lit. נ.

Nulla me legum penitus Tuarum
oblivio cepit.

Et Paul. Melissus lib. 4. meletem od. 25.

Fœ-

Fœtuum nec primitias Deo litare negemus?

Vide etiam apud eundem Meliſſum lib. I. Parænet. meloſ. 5.

REGUL. IV.

Cæſuræ nulla vel certe perexigua habetur ratio apud Hebræos, qui in ſyllabis ſimiliter inciſis & ſibimet ordine reſpondentibus omnem & ſufficientem agnoſcunt elegantiam.

Apud Latinos aliter ſe res habet, quorum catmina judicantur inſulſa & inepta, in quibus ſinguli pedes ſingulis verbis conſtant, ut:

Nobis dulcia carmina, nobis dulcia vina.

Tales verſus Scaligero vocantur aſyndeti: a quibus tamen excipiuntur anapæſtici puri, qui nullam cæſuram habent; ut, tertia miſit, buccina ſignum. *Ad hos etiam reducendus, atque ita excuſandus heroicus iſte, in quo tria adonica conjunguntur:*

Ponite luctus, ſumite vinum, pellite curas.

CAPUT V.

De ſpeciebus Poeticæ Metrorythmicæ.

Species Poeticæ Metrorythmicæ deſumuntur vel ex parte Rhythmi, vel ex parte Metri.

Ex parte Rhythmi carmen dividitur.
I. in Politum, Politius, & Politiſſimum.
II. in Uniforme & Multiforme.

Hæ igitur ſpecies ex capite tertio heic repetendæ, & præſenti negotio adplicandæ ſunt. Nam cum hodie metrum Hebræorum abſque Rhythmo non conſiſtat: illud merito commendatur, ſi jam ipſo actu compoſitum metrum alicui Rhythmorum ſpeciei etiam competat & reſpondeat.

Ex parte metri quatuor notari poſſunt carminis Hebraici partitiones: quarum

Prima ex numero domorum aut diſtichorum derivata eſt, qua carmen dividitur in Minus & Majus.

Carmen Minus *eſt, quod* בתים *ſive diſticha pauciora, quam decem continet: & dicitur* פסוק *comprehenſio, ambitus, epigramma;* Majus *vero eſt, quod decem vel plura complectitur diſticha, & vocatur* שירה, *vel* שיר *canticum ſive carmen.*

Secunda ex conjunctione verſuum diverſi generis traducta eſt, qua carmen dividitur in Monocolon & Dicolon.

Etſi in carminibus Hebræorum plerumque ad finem uſque tum Daleth, tum Seghor, atque adeo omnes verſus ejuſdem ſunt generis, ut Latinorum & Græcorum Hexametri: tamen licet etiam interdum duo verſuum genera uno diſticho בית *ita conjungere, ut Daleth ſuum habeat proprium, & Seghor ſimiliter ſuum, more elegiarum: in quibus prior verſus eſt Hexameter, poſterior vero Pentameter. Ergo ſi Daleth & Seghor unius ſint generis; carmen dicetur Monocolon; ſin duorum, Dicolon: quorum hoc extat in cantico Eliæ primo, tertio, quarto: illud in reliquis omnibus, quæ in capitulo cantici reperiuntur. Trium vero vel plurium generum verſus vix conjungi ſolent propter Rhythmum. Niſi ex* ποικιλορύθμῳ *priore aliquis vellet conſtituere Tetracolon, ita ut unum Diſtichon dividatur in quatuor verſus, ſyllabis ſimilibus inciſos: ſeu in Tetraſtichon, in quo tres priores Rhythmo ſemper convenirent ſingulari; quarta vero ſyllabam haberet, a tribus quidem prioribus diſſimilem: ſed tamen cum ſequentium Tetraſtichorum, quarto verſu concurrentem, ſimilem & uniformem.*

Tertia ex concurſu ſyllabarum aut longarum aut brevium deſumta eſt, qua Carmen conſtituitur vel ſimplex, vel Compoſitum.

Hæc diviſio ab omnibus fere ſcriptoribus, etiam Hebræis, adfertur, & declarat carmina, vel ex meris ſyllabis longis conſtantia, quæ dicuntur פשוטים *ſimplicia: vel ex brevibus ſimul & longis compoſita, quæ ideo etiam indigitantur* מורכבים *Compoſita.*

Quarta, ex numero ſyllabarum prolata, numeri eſt vel ſeparati, vel combinati.

Ex numero ſyllabarum ſeparato carmen oritur vel Hexaſyllabum, Heptaſyllabum, Ogdoaſyllabum, vel Enneaſyllabum.

Ex numero ſyllabarum combinato carmen fit Decaſyllabum, Hendecaſyllabum, Triſdecaſyllabum, Teſſeradecaſyllabum, vel Pentedecaſyllabum.

Quartæ hujus Diviſionis membra, quæ potiſſimum Poeſios Hebreæ naturam illuſtrat, exemplis ordine in ſpecie declarabimus, & quodlibet Carminis genus variis formis explicabimus.

HEXASYLLABUM

I.

\- - - - - -

אם נעשה מעשני

כצרון

כרצון יה אלנו:
גם הוא יעשה לנו
טובה כרצוננו:

Si fecerimus opus nostrum,
Secundum voluntatem Domini nostri:
Etiam ipse faciet nobis
Bonum secundum voluntatem nostram.

Ex vulgato Wenn wir theten, was wir solten, wurde Gott thun, was wir wolten. *Carmen est politissimum, monorythmum, minus, monocolon, simplex & numeri separati.*

Ita

Carmen extat Joannis Drusii Junioris *eodem carminis genere scriptum super obitu* Theodori Bezæ Vezelii.

זה איש עזב תבל
שבו נמצא הכל
עלה באש פגרו
כי אם עמד זכרו
לנצח תפארתו
תתרומם ממשלתו
שם לו הוא נתגאל
כי נתן אותו אל
על מועלת רבים
להיות אימת עמים
לרעות היטב הצאן
שבחר העליון
עליון היה עזרו
עליו יציץ נזרו
כי למר חקותיו
שמר את מצותיו
הביא אלי הישע
עם הסיר כל פשע
תמיד הראה שפלות
בכול רדף שכלות
איש ישר מישרים
ירא את שר שרים
אוהב את כל רעיו
שונא חית צריו
בז חברת נלחים
זכרון צדיק מוחים
אך יומם ולילה
הוא הגה במקרא
גם באונגליון
או בברית הארון
חדש שהוא חדש
עמנו גם קדש
לכן לו חכבוד
נאוה חדר והוד:

II.

– – –υ– – –

אם נעשה נחנו
שצות אלהינו:
הוא יעשה לנו
כל סחמו--דנו:

Sententia cum ea, quæ Threnodiam Junioris Drusii jamjam antecessit, coincidit & quoad interpretationem, & quoad carminis genus, nisi quod pro simplici sit compositum.

III.

– – – – υ

שמע נא את עבדך
יהוה חן חסדך:
סלח נא לעוני
ושא כל-שגיוני:

Audi quæso servum tuum
Domine, da gratiam tuam,
Remitte quæso iniquitatem meam,
Et tolle erratum meum.

Carmen est politissimum, strophorythmum, minus, monocolon, compositum & numeri separati.

IV.

υ – – υ – –

י--קירי והורי
פארי מאודי
לראשי כבודי
פניני זה—— בי:
ה--דרי יקירי
זהורי ואורו
בחירי נזירי
ואלפי רב—— בי:
ו--הוא לי משושי
סגלה לנפשי
ונזר לראשי
ותפצי לב—— בי:
ש--לדי ודמי
ו--בתר הלומי
מעוזי וחומי
נסיכי ור—— בו:
ע--טרת שבחי
נויי ורוחי
ארוני ואחי
קציני כא—— בי:

Carmen intellectu facile est, & ποικιλόρυθμον: quo Jehoschua quidam multiplicem congeriem titulorum connexuit in principio Præfationis in librum Tscmach Davidis. Nomen autoris literis cujuslibet tetrastichi initialibus depingitur יהושוע

HEPTASYLLABUM

I.

– – – – – – –

אל אב שב נא אחנו
אל תאביר את נפשנו:
מכל אשם זכנו

ובחנך

ובחנך הושיענו:
מיד שיר הצילנו
באטונרה חחזיקנו:
בטחון בך חן לנו
הגבר נא את--לבנו:
שנבטח בך בוראנו
עם כול אנשי בריתני:
וננתק פח יצרנו
לבשי בכלי צורנו:
אמן אמן חננו
ונזמר לך הללויה:
Sic אל בן שב נה אתנו
אל רוח שב אמנו

Ex Cantico Germanorum Ecclesiastico: Gott der Vater wohn uns bey / etc. *Carmen est Politissimum, nisi quod duobus in locis Rhythmus* נו *pro* נו *Monorythmum, minus, monocolon, simplex & numeri separati.*

II.

–∪– – – –∪
בני דע נא נפשך
ותרע בוראך:

Fili mi nosce quæso animam tuam,
Et nosces creatorem tuum.

Dictum sapientis cujusdam in 3. Ekarim cap. 6. *Sic*

עמוד על משמרחך
ויענך צורך

Sta super custodia tua,
Et respondebit tibi Deus.

Rhythmus desumtus & compositus est ex loco Habac. 2. 1.

III.

–∪ – – ∪ – –
שוב נא אנוש שוב לך
היטב הליך דרכך
הצטערה בלבך
על כל--משוגחך
בקש סליחתך
בבכי ובשחוחך
השתחורה לאלך
שיסלח חטאך
אז יעשא חפצך
וירץ שאלחך

1. *Convertere quæso homo, convertere | benefac gressum viæ tuæ.* 2. *Dole corde tuo | de omni errore tuo.* 3. *Quære remissionem tibi | in fletu & humilitate.* 4. *Ora Deum tuum | ut remittat tibi peccatum tuum.* 5. *Tunc faciet voluntatem tuam | & beneplacitum habebit petitionem tuam.*

Carmen est politius, monorythmum, minus, monocolon, compositum & numeri separati.

OGDOASYLLABUM

I.

– – – – – – – –
ימים אל תתמה אם זרים
בך לרוב גם שוא מגידים
באשר לא החתולים עומדים
שמה העכברים מורדים

Dies ne mireris si petulantes sint | in te valde, & vanitatem nuncient. 2. *Nam ubi non feles sunt, | ibi mures pro libidine agunt.*

Est scitum, cur tot in mundo sint adversitates, videlicet ut sic contineamur in officio: Est carmen politissimum, monorythmum, ex Miscle Scualim in præfatione sumtum: Cui simile extat in toto cantico Eliæ Levitæ secundo, eleganti admodum & artificioso.

Sic στροφόρυθμον.

אך-טוב לעדתו אל אליה
הברוך במאד הלולים:
כי עשרה לנו כל--חמיו
כחסדיו וככל רב-רחמיו:
באל ימים האחרונים
חמבועים כל נעמנים:
מחשך השיב את--אוריו
ויגיה את אומריו:
נתן לנו-אנשי חכמה
לבשי כל--דעת כשלמה:
בעלי מוסרית ולשונות
נאות רבות הקדמונות:
של רומיים ויוניים
של עבריים וארמיים:
ויוסף היום אלנו
ולשין ערבים נתן לנו:
בידי קיר-שטיין מן בר-אשלה
הוא איש גדול ורב מעלה:
עתה יד יה רצה תרץ
ותדבר בכל הארץ:
ברוך אתה קיר--שטיין לעל
שחנך חן זה ויפעל:
לך--לך הלך על דרכך
יה יצליח ויברכך:
ישא יה פניו אליך
ויקים שלום עליך:

1. *Vere bonus est Ecclesiæ suæ Deus deorum, | Benedicendus valde laudibus.* 2. *Quia fecit nobiscum perfectiones suas | secundum misericordias suas, & secundum omnem multitudinem miserationum suarum.* 5. *In hisce diebus extremis, | quæ eructant omnia*

jucunda. 4. *Ex tenebris reduxit lucem ſuam*, | *& ſplendere fecit eloquia ſua*. 5. *Dedit nobis viros ſapientiæ*, | *Induentes omnem ſcientiam ſicut veſtimentum*. 6. *Viros eruditionum & linguas* | *Pulcras, multas, antiquas*. 7. *Latinorum & Græcorum* | *Hebræorum & Syrorum*. 8. *Et addidit hodie Deus noſter*, | *& linguam Arabicam dedit nobis*. 9. *Per Kirſtenium Uratislavienſem* | *Ipſe eſt vir magnus & multus dignitate*. 10. *Nunc manus Domini placendo placebit* | *Et celebrabitur in omni terra*. 11. *Benedictus es, Kirſteni, Altiſſimo*, | *qui largitus eſt tibi gratiam hanc, & operatus eſt*. 12. *Vade tibi vadendo (perge) ſuper via tua*, | *Dominus proſperabitur & benedicet tibi*. 13. *Adtollet Dominus faciem ſuam ad Te* | *& firmabit pacem ſuper te*.

Gratulatus ita eſt Parens meus Venerandus *D. D. Petro Kirſtenio Uratislavienſi*, cum edidit Notas in Evangelium S. Matthæi. *Carmen eſt* στροφόρυθμον *politiſſimum, majus, monocolon, ſimplex &c.*

Ita κωλόρυθμον.

הלל אל--אל מלך נאמן
אבינו האב הרח---- מן:
שהחיני עד הגעתי
עתה אל זה היום וז--מן:
היה אתי עד נטעתי
זה הנטע נטע נע--- מן:
בו נגלות כל--המלות
העבריות עם תרגו-- מן:
גם הוא מורה בגליון
איה תחנותן ומקו--- מן:
הוא כמליץ שהוא ממליץ
ובטוב מלין הוא מטעי-מן:
יהוה שוכן שמים
ממנו דבר לא נט--- מן:
ידע כי לא עשיתי ואת
להיות נקרא רב או אומן:
כי הנותן לכסיל כבוד
כצרור אבן תוך ארג--מן:
לאל בלבד נאוה כבוד
ולזולתו הא ליכא מאן:
הן לכבודי ולאהבתו
בלבד רשמתי רשו--- מן:
אנא אלי לי ולאשתי
החסד גם האמת--- מן:
שהיא לא תהית אלמנה
ואני לא אהיה אל--- מן:
יחד נבוא ובגן עדנות
תוך חיקה אישן עד לז-מן:
יבא הקץ ואוי נקיץ
ולחי עד--יהד נזד--- מן:
ובכן תמו גם נשלמו
דברי השירה עד ת--מן:
ואני אליה המחבר
לפרט זאת השנה ס--מן:

1. *Laus Deo, regi-fideli* | *patri noſtro, patri miſericordi*. 2. *Qui vitam prorogavit mihi*, | *uſque dum perveni nunc ad hunc diem & hoc tempus* 3. *Fuit is mecum, donec plantavi* | *hanc plantationem, plantationem amœnam*. 4. *In qua explicatæ ſunt omnes dictiones* | *Hebreæ cum Targum ipſorum* 5. *Et docet* (hæc plantatio, vel liber hic) *aperte*, | *ubi ſit habitatio & locus earum* (ad quam ſedem & radicem dictio quælibet ſit referenda.) 6. *Eſt hic liber tanquam interpres, qui interpretari facit*, | *& qui bene explicat dictiones*. 7. *Deus qui habitat in cœlo*, | *a quo non eſt ullum verbum abſconditum*. 8. *Is novit, quod non feci hoc* (non ſcripſi hunc librum,) | *ut fiam celebris Doctor aut artifex*. 9. *Nam dat ſtulto gloriam, ſicut faſciculum gemmarum intra purpuram*. 10. *Deum tantum decet gloria*, | *& ubi ipſe non eſt, ecce ecquis?* (ſcilicet poteſt pertingere.) 11. *Ecce ad gloriam & amorem ejus* | *tantum conſignavi ſignaturam iſtam*. 12. *Obſecro O Deus mihi & uxori meæ* | *miſericordiam & veritatem tribue*. 13. *Ut ipſa non fiat vidua*, | *& ego non fiam viduus*. 14. *Sed ſimul moriamur, & in paradiſo* | *in gremio ejus dormiam, uſque ad tempus præfinitum*. 15. *Veniat is finis, & tunc evigilabimus, & ad Deum vivum ſimul parabimur*. 16. *Et ſic abſoluta & ad finem perducta ſunt* | *verba ejus cantici uſque ad perfectionem illorum*. 17. *Et ego* Elias Autor (hujus libri) *minorem numerum hujus anni, hoc deſignat*.

Elias Levita Judæus gratias agit Deo, quod vitam & vires largitus ſit ad confectionem Lexici Chaldaici, *quod* Methurgeman *vocavit:* Et ſimul etiam tum ſibi, tum uxori felicem ex hac vita diſceſſum precatur. *Nam ſenex hunc librum abſolviſſe dicitur*. Vide Methurgeman ſub finem. *Obſervantur vero hoc in carmine multæ* διαστολαὶ, *quia Scheva tam compoſitum, quam ſimplex productum videmus: item* παρέλλειψις *&* συναίρεσις, *ut diligens lector facile ipſe animadvertet. Hujus formæ illud quoque carmen eſt, quod libro Zohar præfixum legitur*. Similia extant in Marpe Laſcon.

Inde etiam ſequens
ποικιλόρυθμος.

צדיק תמים מלא אמים
מאיש דמים על לא פ--שע:
יציל אותו רוב צדקתו
וברשעתו יפול ר--- שע:

1. *Juſtus perfectus eſt plenus terrorum* | *a viro ſanguinum, ut ſit ſine tranſgreſſione*.

ne. 2. Liberabit eum multitudo justitiæ ejus, | & in pietate sua cadet impius.

II.

\- - - - - - ∪ - -
זולת יסוד רגל עומד
כל-איש בלי דקדוק לומד

Sine fundamento pedis stans
Est vir omnis, qui sine Grammatica discit.

Sic Aben Esra.

קומה אלהים עזרתה
לי וענה בצרתה:

Surge Deus in auxilium
Mihi, & responde in angustia.

Simile in Elia cant. 6.

אלה מלכים העשרה
המולכים בהב ----- רה
חמש משרתות לחמש
קטון לגדול כשו---רה
אחר משרת אל כלם
ושמו שוא ולכך נב--רא

1. *Illi sunt reges decem | regnantes in syllaba. 2. Quinque ministrant aliis quinque | minor majori, ut æquam est. 3. Unus est minister omnium | nomine Scheva, ideo creatus.*

Hujus formæ & illud.

מי יעמוד לפני קנאה
יוכל שאה חבלית שנאה:
אין איש בעולם רק יוסף
ששנאו חנם הוסף:
שקר לשקר בז אותם
למד רמית עדותם:
ירא אלהי שמים
חזק במראה עינים:
זכה לבבו גם חייו
רחץ בנקיון בפיו:
שדי יעורר נא תחתיו
אחר וזה נכבוד יחדיו:

Threnodia Drusii Junioris *super obitu* illustris Jos. Scaligeri *scripta.*

III.

∪ - - - - - - -
פתיחני דוד ואפה
היות פתי כי כן תו----בל:
אבל גדול מהסכלים
לעושה את--עצמו ס--בל:

1. *Decepisti me, amice, & deceptus sum | & tu esse simplex similiter poteris. 2. At maximus stultorum est, seipsum stultum facit, hoc est, qui nimis incaute agit: qui non decipitur, sed sponte agit male.*

Carmen desumtum ex Miscle Scualim *in Mascal.* 13.

Hujus formæ sequens carmen est.

בני מדרשא אציתו
כנישת מלפין קבלו:
יבסם איך מטרא שירי
בטלא יתקבל מימרי:
ישבה לבי לקשישא
ופומי לשמה קרישא:
ארבי יקרת עילאה
דשלח מימרה ונבואה:
ממני כהנין לכנשתה
אנשי מקרא ברעותה:
יי אלפת רדמן דעתא
שפכת על לבה חכמתא:
מטול הנא יום דין רבא
הכללנה מן רום אבא:
ברעותך בוך דעתה
ובקשוטך דבר יתה:
בדיל די יהנה לכנשתך
ויחזינה כל ארחתך:

1. *O studiosi adtendite, | cœtum Doctorum audite. 2. Suave sit, ut pluvia, canticum meum, | sicut ros suscipiatur sermo meus. 3. Laudet cor meum Antiquissimum, | & os meum nomen ejus sanctum. 4. Magnificabo gloriam altissimi, qui misit verbum suum & Prophetiam. 5. Constituit sacerdotes ecclesiæ suæ | & viros convocationis secundum beneplacitum suum. 6. O Domine docuisti Radtmanum scientiam | effudisti super cor ejus sapientiam. 7. Propterea hodie Doctorem | coronabis eum ex alto, O Pater. 8. Secundum beneplacitum tuum benedic scientiæ ejus | & in veritate tua deduc eum. 9. Ut utilis sit ecclesiæ tuæ, & ostendat ei omnes vias tuas.*

Est carmen Chaldaicum: quo gratulatus est Parens meus *de honoribus Theologiæ Doctoralibus*, suo Competitori D. Bartholomæo Radtmano, sanctioris linguæ tum temporis Professori meæ conjugis avunculo.

IV.

\- - - ∪ - - - ∪
בחר נכון ילמרך
ולא תחמול בהוני--- ך:
קנה חכמה קנה בינה
ושננחם לבני---- ך:

1. *Elige rectum, qui doceat te* | *& non parces bonis tuis*. 2. *Posside sapientiam, posside intellectum*, | *& acues ea filiis tuis*.

Carmen ex Marpe Lascon: cujus formæ Proverb. Judæorum.

שאל עצה בכל--רגע
ולא יקרא בך נגע:

Quære consilium in tempore,
Et non accidet tibi nocumentum.

Sic

אני ישן ולבי ער
בחחבולות זמן סוער
ותוך לבי כאש בוער
מאר עצור בעצמו----תי:
ביום זכרי מזמותי
חבונותי וערמותי
וקורותי וחכמותי
ואנצור בא חלופו---תי:

1. *Ego dormio, sed cor meum vigilat* | *propter curas temporis turbulenti*. 2. *In medio cordis mei est quasi ignis ardens*, | *vehementer conturbatus sum in membris meis*. 3. *Cum recordor scelerum meorum*, | *dispositionum & astutiarum mearum*. 4. *Casuum & calliditatum mearum*, | *expecto igitur adventum vicissitudinum mearum*.

V.

- ∪ - - - ∪ - - -
קום יהוה פלטני
מרשעים שנאוני

Surge Domine, libera me
Ab impiis, qui oderunt me.

VI.

- - ∪ - - - ∪ - -
בתי אמונות ותילם
שממו ואין איש בכ----לם:
דובר נכוחה ויושר
הזמן הדיפם וכ--- לם:
חונף ושקר יחידה
תם מרת ונסתר ונע---לם:
ירדו שאולה ישרים
עלו נלוזים בסו---- לם:

1. *Domus fideles & acervus earum* | *destruuntur, & nemo est in eis*. 2. *Qui loquitur recta & honesta* | *tempus expellit & consumit eos*. 3. *Hypocrita & mendacium, hoc est, impietas vivit, viget* | *at perfectus moritur, absconditur & occultatur*. 4. *Descendunt in foveam recti, ascendunt perversi in scalam, hoc est, elevantur &c.*

Conqueritur de iniquitate fortunæ, faventis potius malis, quam bonis. *Vide Miscle Scualim* Masc. 9.

VII.

- - ∪ - - - ∪ - ∪ -
מה--לך יחידה תשבי
דומם כמלך בשבי:

Quid tibi sola sedes?
Silens ut rex in captivitate.

Gebhirolis.

רבים שכורי יין זדון
לבם עתידים לע--- נוש:
אז ישכרו מי רוש ולא
יין ישמח לב א---- נוש:

1. *Multi ebrii sunt vino superbiæ, sed animo suo futurum est, ut dent pœnas*. 2. *Tunc inebriabuntur aquis cicutæ, neque Vinum lætificabit cor hominis*.

מטיב לך טובו גמול
אם ישנא ברע ח---- מול:
כי יש בעת צר יעזור
מחר ואם בזוי ת---- מול:
לבך בך תשפל למול
איש תם וראש עקש ק--מול:

1. *Qui benefacit Tibi, ei repende*, | *si oderit te male, remitte ei*. 2. *Nam erit aliquando tempus calamitatis, quo te vicissim juvet cras, tametsi contemtus fueris antea*. 3. *Cor tuum humiles erga virum perfectum, caput autem perversi abscinde*.

Ex Miscle Scualim in Mascal. 15. *carmen extat*.

VIII.

- ∪ - ∪ - ∪ - ∪
חכם בני ובין דעה
אמת קנה ותום ד--עה:
חשוב אויל כצל אליל
ומן עצה כסיל ש---עה:
ואם יצו הרוס בנה
ואל נבון דבר ה---עש:

1. *Sapiens esto mi fili & intellige scientiam* | *veritatem para & perfectionem scito*. 2. *Reputa stultum sicut in umbra idoli, & a consilio stulti recede*. 3. *Si præceperit, destrue tu ædifica* | *& ad prudentem verbi respice*.

In דבר *est enallage casus*. *Sumtum ex Miscle Scualim* Mascal. 19. *Simile exemplum ibid.* ex Mascal. 17.

EN-

ENNEASYLLABUM

I.

– – ⏑ – – – – – ⏑

שאו ראשי ארץ שערים
ויבא מלך הוד ואורים :
ושמעו שמעו שמוע דבריו
לפארו אחכם בפאריו :

1. *Tollite capita terræ portas*, | *& ingredietur rex gloriæ & luminum*. 2. *Ee audite diligenter verbum ejus*, | *ut ornet ipſe vos ornatu ſuo.*

Sumtum hoc & compoſitum ex textu Pſalmi 24. 7.

II.

– – – – – – – – – –

אמר קהלת עת ללדם
עם למות או בשאל לרדת :
כי מעת שהנחש ערום
השיא אדם ראשון תום ורום :
מות הפריד אם איש הן אשתו
וימשוך כלם של--תוך רשתו :

Eſt initium carminis funeralis, *quod* Joan. Druſius Junior *in obitum* Joſephi Scaligeri *ſcripſit*. *Alia eſt ſequens forma* ejuſdem *in obitum* Scaligeri.

III.

– – ⏑ – – – ⏑ –

אישים ככו אמרו בפיכם
הן הו אהה כי מת צביכם :
כי נגדעה קרן לחורים
גם אבדה תקוה למורים :
נקרא שמו יוסף ושדי
הוסיף תבונה לו בורי :

DECASYLLABUM.

I.

– – – – – – – – – –

רבון העולם לא רמו עיני
לא גבה לבי בכל חשבוני :
לא הלכתי בגדולות ממני
תסלח על חטאתי ותחנני :

1. *O Deus non exaltati ſunt oculi mei*, | *neque elatum eſt cor meum in omnibus ratiocinationibus meis*. 2. *Non ambulavi in magnalibus præ me*, | *remittas peccata mea*, *& miſerearis mei*.

Sumtus eſt ex Pſal. 131. *Huic ſimile compoſuit* Antonius Cevallerius *in obitum* Joannis Calvini, *quod inter Epitaphia retulit Theodorus Beza* in ſuis Poematis pag. 129.

הכניס בן--נון הנגיד בימיו
כבש חלק הזהיר בטרם סף :
באל עשה קלוינוס לעמיו
וכן רוחו אל אל רוחות נאסף :

Obſervandum diligenter, *quod in ſingulis hemiſtichiis ſemel Scheva ſimplex per* διαςολὴν *producatur*. *Eſt carmen* κωλόρυθμον, *aut etiam poſterius* ποικιλόρυθμον.

II.

– – – ⏑ – – – ⏑ – –

יוצר אנוש כל--מעשיו שוה
על חק ומי יפר אשר צ---וה :
מי זה יעות את אמר תקן
אי מי יתקן את אשר ע---וה :

1. *Formator hominis omnia facta ſua poſuit ſuper decretum* | *& quis abolebit*, *quod ipſe præcepit* 2. *quis pervertet*, *quod ipſe direxit? & quis diriget*, *quod ipſe pervertit?*

Ex Scunxin *deſumtum eſt*, *cujus formæ & illud* Gebhirolis.

נפש אשר עלו שאוניה
אנא תשלח ר--עיוניה :

Animus cujus aſcenderunt perturbationes
Quo mittet rationes ſuas?

Similis formæ carmina extant in τῷ *Miſcle Scualim*, Maſcal. 14. יגדול in Sepher Tephilloth. *canticum* Eliæ *nonum*; & R. David. Kimchi, *quod poſuit in princ. Michlol.*

III.

– – – ⏑ – – – – – ⏑

בעת תהיה דין שפוט צדק
ואל תט דבר משחט חדל ת--דול :
שניהם שמע יחד ולא תשא
פני דל ולא תהדר פני ג---דול :

1. *Quo tempore fueris judex*, *judica juſte*, | *& ne pervertas rem judicii : abſtinendo abſtine*. 2. *Duo hæc animadverte ſimul : ne auferto* | *faciem tenuis*, *neque honorato faciem magnatis*.

Sumtum ex Moſce Chabhib : *cum quo illud* Aben Eſræ.

ברום גלגל יסוב עלי מעגל
שמך יגל איום וגם נדגל :

In

In elevatione ſphæræ, quæ vertitur in orbem,
Nomen tuum revelatur timendum & inſigne.   *Sic*

בך חסיתי על ולא אבוש
אני רשע אתה מאד קרוש:

In te ſperavi Deus, non confundar,
Ego ſum impius, tu valde ſanctus.

Similis formæ eſt totum *Eliæ* canticum ſeptimum, *& liber*, cui titulus שקל הקרש Siclus ſanctitatis.

IV.

– – ∪ – – – – – – ∪ –

Hujus formæ exemplum habet Janus Druſius Junior in carmine, quod libris quatuor Parentis de tribus ſectis Judæorum præmiſſum & ad Sereniſſimum Britanniæ Magnæ, Franciæ & Hiberniæ Regem Jacobum, ejus nominis primum &c. ſcriptum.

HENDECASYLLABUM

I.

– – ∪ – – ∪ – – – –

לפני שבר איש דרכיו מעקש
לפני כבוד ש-- פלות לו למו-קש:
תזכור מי מצא מלוכה ונבא
כאשר שב מן ה- אתונות עב---קש:

1. *Ante contritionem vir vias ſuas pervertit, | ante gloriam humilitas ei eſt in offendiculum: 2. Recorderis, quis invenit regnum & prophetavit, | ſicut is, qui reverſus eſt ab aſinis, ut quæreret eas.*

Sumtum ex 1. Sam. 9. & 10. *& compoſitum in Miſcle Scualim* in Maſcal. 14.

II.

– – ∪ – – – – – ∪ – –

לך נא ארני קראתי בצרה
ותענני ממרוה מה---- רה:
פנה פנת אל נפשי ברצון
ובחום לעצמתי שימה מק--רה:
מכל-שפת שקר ולשון רמיה
הצל יחירתי ומנע גז--- רה:

1. *Ad te Domine clamavi in afflictione, | & reſpondiſti mihi ex alto celeriter. 2. Reſpice animam meam cum beneplacito, | & in calore oſſibus meis pone refrigerium. 3. Ab omni labio mendaci & lingua doloſa | libera Unicam meam, & prohibe fatum meum.*

Similis formæ eſt, quod adducit Druſius claſ. 1. prov. lib. 2. pr. 16. *Item quod Druſii diſcipulus Lago Chriſtianus Danus ad S. S. Theologiæ & Linguarum nobiliorum Studioſos ſcripſit, libris vero Druſianis quæſtionum Hebraicarum præmiſſum.*

III.

– – – – ∪ – – – ∪ – –

אהבת בני נוער ללא תועלת
כי על לבבם נקשרה עו---לת:
מעת לעת נתהחכה רוחם ולא
יפנו ליעלת חן ואל אי--- לת:

1. *Amor juvenum tendit ad inutilia | quia ſuper corde eorum ligata eſt ſtultitia, 2. A tempore ad tempus (ſingulis temporibus) mutatur ſpiritus eorum (omnia in juventute ſunt inſtabilia,) & non | reſpiciunt ad hinnulam gratioſam & cervam (non adtendunt monitis rationis, quæ longe preferri debebat omnibus cupiditatibus.*

Ex Scunzin *non procul a principio: Tale illud* Majmonis.

עת שערי רצון להפתח
יום בו אהי כפי לאל שוטח:

Cum tempus eſt portas benevolentiæ aperiendi,
Die eo ipſo ero, manus meas ad Deum expandens.

Hujus etiam formæ κωλόρυθμος *extat in Miſcle Scualim* in Maſcal. quinto.

IV.

– – ∪ – – – ∪ – – ∪ – –

מעטה תהלה וצניף ת--פארת
כסו גויה תהלך קר---רת:
אף כן מכסה ברק על ארמרם
תוך ק- רבו ת-- עמור ה--בה---רת:

1. *Involucrum laudis & vitta decoris | tegunt corpus, quod ambulat denigratum. 2. At quamvis tegas pellem viridem ſupra rubram: | tamen in medio ejus ſtat nota albicans.*

Nihil ita ſanctum, purumque eſt, quin aliquas alicubi prodat erroris imbecillitatiſque maculas. Ex Scunzin.

V.

– – ∪ – – | – ∪ – – – ∪

חמור עור הארי מצא ולבשו
זהפחיד דוב ונשר עת פנ--- שו:
וכן בן--בוז בלבשו בוץ ינאה
ולא ידע נשא רגליו ורא---שן:

1. *Aſi-*

1. *Aſinus pellem leonis invenerat, eaque indutus terruit urſum & pardum, cum occurreret eis. 2. Sic & filius Buz, hoc eſt, homo ineptus & levis, cum induit ſe byſſo, ſuperbit, & neſcit tamen neque pedes neque caput tollere.*

Ex Miſcle Scualim Maſcal. 47. *Simile Kimchi* in fine Michlol.

אשר לפר ותורה לו לקנין
ולא למר יסוד דקדוק ולא--- בן:
כמו חורש אשר ינהג שורים
וידו מבלי סלמר ודר--- בן:

1. *Qui ſtudet, ut lex ſibi cedat in poſſeſſionem | neque dicit fundamentum Grammaticæ, aut non intelligit illud. 2. Eſt ſicut arator, qui regit boves, | & manus ejus eſt ſine ſtimulo aut aculeo.*

Utrumque eſt κωλόρυθμον; *cujus formæ etiam eſt canticum Eliæ VIII. & X. carmen ejuſdem, quod libro Electo præmiſit loco Præfationis ad Lectorem. Hujus formæ & generis quoque illud* ϛροφόρυθμον, *carmen morale, quod ante annos quingentos compoſuit* R. Chai Gaon Hiſpanus, *ante vero* XXXII. *annos Parens p. m. meus, tum Philoſophiæ Moralis Profeſſor, in Latinitatem tranſtulit: quod* ἀναλύσεως *loco in fine adjiciemus.*

DODECASYLLABUM.

I.

– – ◡ – – – – ◡ – – – – – –

לא מפני שיבה בני איש נחתו
גם לא לילדות עוז וחיל אז--- רו:
כי אחזה בנים וחשך משחור
תארם ופני אישים זקנים הד---רו:

1. *Non a facie caniciei homines terrentur | neque ad pueritiam robur & potentia alligata ſunt. 2. Sed video tamen juvenum facies præ nigrore | tenebroſas eſſe, & ſenum pulchras.*

Singulæ ætates ſua habent commoda & incommoda. Senectus commendatur ab autoritate inter ſuos, ſed ſæpe deſtituitur: Juventus a robore, ſed neque hoc eſt perpetuum. Juventus a forma, at multos videas deformes, cum contra ſenes, qui deformes eſſe debebant, ſatis eleganti ſint & pulcra forma. *Ex Scunzin.*

II.

– – ◡ – – – ◡ – – – ◡ – – –

נפשי במצוות אם יפו פעמיך
בתי ברוכה את יאמר אלהיך:
לכן בכל כחך בשרת עלומיך
זכרי והנקי מכל--בדיליך:

1. *O anima mea! in præceptis Dei ſi pulchri fuerint pedes tui, | filia mea benedicta tu es, dicet Deus tuus. 2. Idcirco omnibus viribus tuis pudoris adoleſcentiæ tuæ. | Recordare, ut mundes te ab omni ærugine tua.*

Eſt μονόρυθμος *R.* Moſce ben Chabhibh: *cui ſimile iſtud* ποικιμόρυθμον.

אל אל אשר ברא כל--יש אשר נברא
קדמון בלי חברא אליו תשובתי

> *Ad Deum qui creavit, quicquid eſt, quod creatum eſt.*
> *Antiquum ſine ſocietate, ad eum eſt converſio mea.*

In Scunzin extat ſequens κωλόρυθμον, *de ſenectute audienda & reverenter habenda.*

הקשב עצת זקן יועץ בלחשו
ושמע לקול ישיש נם ח--אזין רח שו:
את--ב--חך דינה יפה תנה אליו
כי כל אשר לאיש יתן בעד נפ---שו:

1. *Attende conſilium ſenis, conſulentis ſermone ſuo, | & obtempera voci ſenis, & audi muſſitationem ejus. 2. Filiam tuam Dinam pulchram da ei: | Nam quicquid habet vir, dabit pro anima ipſius, ſcilicet ſenis.*

Hujus formæ ſimilia ſunt carmina, quæ habet Elias in toto cantico undecimo; & *alterum, quod loco præfationis* in frontiſpicio libri Electi poſuit.

III.

– – – – – ◡ – – – – – ◡

ואם דרש דרש חבורת עשיר רש
בלא נורל ננרש כמו רעי הא----רי:
בעת שאלו חלקם בנורל אל חיקם
השיבם חיש ריקם בזעף אף וח--- רי:

1. *Si inquirat de vulnere (morbo) divitis, pauper | ſine ſorte rejicitur, ſicut amici leonis. 2. Hi enim cum petunt partem ſuam | Reſpondet eis, (Leo) cito: Nequaquam cum ira graviſſima (cum maledictis & minis dimittit eos.)*

Ex Miſcle Scualim in Maſcal. 12. *de pauperum ſorte coram divitibus & potentibus contemta. Carmen eſt* ποικιλόρυθμον, *cum quo illud convenit:*

מאור נפשי תגעל לכל אנשי מעל
במברם נפשם על צרורה כספי--הם:
ובדיו

וירבו קנינים ונטעי נעמנים
ויבנו בנינים בארץ לא ל---הם:

1. *Vehementer anima mea faſtidit omnes homines prævaricationis, | Cum vendunt animas ſuas pro loculis pecuniarum ſuarum. 2. Multiplicantque poſſeſſiones & plantationes locorum amœnorum, | & conſtruunt ædificia in terra non ſua.*

Simile eſt carmen Eliæ *quintum, &* Aharonis, *quod in fine Methurgeman Eliæ legitur. Item carmen præfixum* libro, *cujus titulus* עקרת יצחק *& in epiteme Radicum Hebraicarum & Chaldaicarum,* a D. Buxtorfio *edita.*

IV.

-∪- -∪. ---∪ -∪

אולי חמוך נפשי ברת צרקחך
צורי הבינני דבר תורתך:

O Deus ſuſtenta animam meam in mandato juſtitiæ tuæ.

Petra mea fac me intelligere verbum legis tuæ.

Carmen eſt μονόρυθμον & μονόκωλον: cujus formæ eſt illud δίκωλον, quod in altero hemiſtichio pro lathed tantum habet motum, atque adeo undecim duntaxat ſyllabis conſtat, tali modo:

-∪ -- -∪-- -∪ --
- -- -∪-- -∪ --

אם אשתך רעה ולא תשמע לקול
שיחך לשרתך ורע חור----- שרת:
דע כי במקל עז לפרה סוררה
תישר תלמית והיא חור-----שרת:

1. *Si uxor tua mala fuerit, neque auſcultaverit voci | Sermonis tui, ut miniſtret tibi, ſed malum machinetur: 2. Scito, quod ſi baculo forti vitulam refractariam | direxeris, ſulcos ſuos tum ipſa recte erat.*

Tale δίκωλον canticum primum & quartum *Eliæ eſt, ſola anomalia obſervata in primo hemiſtichio: in quo pro ultimo jambo aut Jathed ponitur æque longa ſyllaba, ac in omnibus poſterioribus hemiſtichiis. Eadem forma & anomolia uſus eſt R. Joſeph* in carmine, bibliis Venetis magnis præfixo. *Eſt quoque* δίκωλον *ſequens carmen R. Moſce Scem Tobb: ſed ad formam II. pertinet.*

--∪- - -- ---∪--
- -∪ - -- --∪ -

לבי מאוד יהמה כל יום ולא ישקוט
כי בערה בו חום עם אש טלק---- חרת:
כראות אנוש זריז חריף ומשתדל

לא תמצא ידו קיתון וצל---- חרת
שבתי וראיתי רפה ומתרשל
סכל וגם עצל ידו נצל---- חרת

1. *Cor meum valde tumultuatur quotidie neque quieſcit, | ardente in ipſo calore cum igne ſuſcepto, 2. Cum videt hominem ſollicitum, acrem & induſtrium, | ut non inveniat manus ejus calicem aut patinam. 3. Cum ſedeo & video remiſſi & otium agentis, | ſtulti & pigri manum proſperantem.*

V.

--∪ --∪ --- -∪

נהג אותי האל ניושר מסלות
נחהיה עמדי לתקן עלילות:

Deduc me Domine in rectitudine ſemitarum

Et ſis mecum, ut dirigas actiones meas.

VI.

∪--∪ --∪- -∪- -∪--

וגשען בעשרו ועולות ינהל
ויעבוד ברעו כעבד באו---- הל:
ויעליל עלילות ברשע בערת יש--
אלו זה שכרי אסוף לי והק---- הל:
ויען ברח חיש וצא מגבולי
בטרם אני לך להוציא אב--- הל:
שאלה יקוה יצועו ולא י--
חזה יום אשר י--זרת אור וי-- הל:

1. *Qui nititur divitiis ſuis (qui dives eſt) effert holocauſta (pietatem præ ſe fert,) & tamen utitur proximo ſuo, ut ſervo, in tabernaculo. 2. Et operatur opera in impietate (impius eſt,) cum petit ab eo (divite) ille (pauper) dicens, mercedem meam collige mihi & congrega. 3. Reſpondet dives,) apage cito, & exi termino meo, prius quam ego te ad egrediendum terream. 4. Sepulcrum expectat ſtratum ejus (omnis generis calamitates expectant pauperem) & non videt diem, quo oriatur ipſa lux & luceat.*

Ex Miſcle Scualim in Maſcal. 1. *de miſeria pauperum. Hujus formæ etiam eſt illud R. Moſce Scem Tobb: ſed carmen non* κωλόρυθμον, *ut antecedens, at* ποικιλόρυθμον.

בזקן כעולל היבטח במעלל
ברשע מגולל לבלתי יש--- לם:
ראיתיו בעיני מארם כשני
כפשע וניני ויצר וש---- לם:

1. *Tam ſenex quam puer, an confidet in*

in opere, | *Quod improbitate involvit,* & *non persolvet?* 2. *Vidi cum oculis meis rubentem ut coccinum* | *improbitate* & *turpitudine innatisque vitiis,* & *juxta ea persolvit.*

Ejusdem formæ ποικιλόρυθμον *est illud.*

אנוש חש לרעים מכסה פשעים
ושנאת מרעים תעורל מר---t נים:
וחכם סהרה יבטל לערה
וסכל שמרה לימים וש--- נים:

1. *Homo sollicitus de malis, regit defectiones:* | *Odium maleficorum excitat contentiones.* 2. *Sapiens velociter tollit excandescentiam, stultus servat eam in dies* & *annos.*

VII.

-υ- -υ- -υ- -υ-
אדרשה חסדך כו אני עבדך
אערוך נגדך מהלל נחמר:

Requiro benignitatem tuam cum ego sim servus tuus.
Disponam coram te laudem desiderabilem.

Est ποικιλόρυθμον: *cujus formæ simile* στροφόρυθμον ex Ps. 117. *desumtum.*

כל--לאמים וכל--יושבי ארעתא
הללו את--יהוה בכל--שעתא:
כי חמריו לעולם מאר נברי
גס דבהיו אמוגים ולא יעברו:

1. *Omnes populi* & *omnes, qui habitant terram,* | *Laudate Dominum omni tempore.* 2. *Quia misericordiæ ejus in æternum valde roboratæ sunt,* | & *verba ejus vera sunt, nec transibunt.*

TRISDECASYLABUM.

I.

-- --υ -- ---υ --
מה-טוב ומה-נעים שבת קרובים יחד
אחים ואחות בששין קשט בלא כל-פחר:
הנה כשמז היורד עלי ראש אהרון
על כל-זקני ולבישו כחלית שהרון:

1. *Quam bonum* & *jucundum est propinquos habitare unum* | *fratres* & *sorores, in gaudio veritatis sine pavore.* 2. *Ecce sicut unguentum, quod descendit super caput Aharonis* | *super totam barbam* & *vestimentum ejus sicut ornamentum Saharon.*

Ex Psalmo 133. *compositum est* στροφυ-

ρυθμον, & μονόκωλον. *Hujus generis habet* δίκωλον *Elias* cantico tertio, *in quo primum hemistichium tredecim, alterum novem constat syllabis, ut videmus ex primo* & *ultimo cantici disticho hoc modo:*

-- --υ - ----υ --
- --υ - ----υ -
מזמור לאליהו על--עלמות הוסר
עלי אוי הנ---עלמות:
עוד יש נקדה ומשרת לכלם הז עוד
אששורר בה שירת נעימות:

II.

--υυ - - - υ- υυ --
ציון הלא תשאלי לשלום אסיריך
דרשי שלומך והם יתר עדריך:

O Sion nonne requires pacem vinctorum tuorum.
Quærentium pacem tuam, qui sunt reliquiæ gregum tuorum?

Tali usus est forma R. Jehuda Hal levi in precatione, *quam composuit in ingressum suum in urbem Jerusalem.* Simile huic sequens est.

גבר אשר דת וחוק חרות עלי לבו
ישמח וישיש כנבור עת שלוף חרבו:

Vir super cujus cor lex & *statutum exsculptum est.*
Gaudebit & *lætabitur, sicut potens tempore, quo stringit gladium suum.*

III.

--υ -υ ---υ ---υ
אלהינו ואבינו היה ישעה
ועונו בכל צרה וצוק וחוערת:
פרנו משאול סות ושר ורוע
ונשירה לך במאד בקול תרועה:

1. *Deus* & *pater noster sis salus* | & *robur nostrum in omni calamitate* & *angustia* & *errore.* 2. *Libera nos ab inferno mortis* & *a Diabolo* & *malo* | & *cantabimus tibi valde in voce jubilationis.*

TESSERADECASYLLABUM.

I.

-υ --υ -- -- --υ --
גבור וגרה גבר שפל ורשע לבד
עת יתקפו זה הוא ירד ויחיק דבר
פיו נא ארני לחטא אל חפ קרה כי ככד
גחמתי יאהי לך לאב ואם לי לבד:

1. *Fortis (interdum) irritat humilem* (*con-*

(*contemtim habet humilem,*) *& impius electum* | (*At*) *quando prævalet eum* (*fortem*) *hic* (*humilis,*) *tum ille descendit* (*submittit se ei,*) *& mollificat verbum oris sui,* (*inquiens:*) 2. *Mi Domine ad peccandum ne visites me* (*ne gravim quid in me agas,*) *quia jam consolatus sum me de te* (*optima quæque de te mihi polliceor secundum illud:*) *Ero tibi pater, tu mihi filius.*

Vide Miscle Scualim in Mascal undecimo: *De fortunæ inconstantia, & quod neminem contemnere debeamus. Nam qui parvus est, potest fieri magnus, & contra.*

II.

− − − ∪ − − ∪ − − − ∪ − − ∪

בשם אל אשר יצר והעוז באמרותיו
וערך ויצר כל וכלה פעלותיו:

In nomine Dei qui formavit & robur est in verbis ejus,
Quique disposuit & formavit cuncta, ac perfecit opera sua.

Est Rhythmus R. Aben Esræ: *cui similis ille* R. Salomonis Gebhirolis;

אמת אל אמת אתה ואם לא ראיתיך
ואולם ברוב טובך בכל עת חסיתיך:

In veritate Deus veritatis tu es, etsi non viderim te.
Veruntamen propter amplam bonitatem tuam quovis tempore confisus sum tibi.

שמור נא יהוה עמך על דבריך
שלח רוחך אליו וחון את עבדיך:
למען נאהבך בכל-לב ויצרנו
ונשיר לעולם את תהלות שבחי-ך:

1. *Custodi quæso Domine populum tuum propter verbum tuum* | *mitte spiritum tuum ad eum & miserere servorum tuorum.* 2. *Ut diligamus te ex toto corde & mente nostra* | *& canamus in seculum celebrationes laudum tuarum.*

PENTADECASYLLABUM.

− − ∪ − − ∩ − − ∪ − − ∪ ∪ − ∪

יהוה נהני בדרך ישרה וטובה
ומני מנע כל-לשון רע וצרה ואיבה

Domine deduc me in via recta & bona.
Et a me probibe omnem calumniam & adflictionem & inimicitiam.

HEXADECASYLLABUM.

∪ − − ∪ − − − − − − − − − − − −

כשהחיד האל חסיד את בן יחיד אל זה עולם
והוא הואיל מהר הועיל עמו קביל לשמוע קולם
בעת החוא כא רעהו הסגירו בודי צמים
כעז גם כן בא איש מגן חרבו כונן על איש תמים
ברם בעלו כי זה עמו רצה פרו רדו רחץ ידיו
כמו רמה תחת טובה נתן רעה בעל חיו:

Epitaphium Joan. Drusii Junioris, *quo dux fortissimus, baro generosissimus de nomine oppidi sui lingua Gallorum* cognominatus de Moy, *a famulo suo interfectus scribitur.*

REGUL. I.

Quemadmodum Poesios omnis lex est, ut res breviter & succincte proponatur: ita vitiosum in metro Hebraico judicamus, si illud præter antefatas species excrescat in numerum syllabarum ampliorem.

Hoc ne fieret, maluit ipse Buxtorfius, nostri sæculi in litteratura Hebraica Phoenix, carmina dividere, quam præter legem metricam syllabas ampliare. Uno exemplo duntaxat hoc ipsum declarabimus, quo unum & idem carmen, ex libro precum quotidianorum apud Judæos *desumtum, citat* in sua Prosodia metrica: *quam* Thesauro Grammatico *subjecit, partim ut ogdoasyllabum, partim ut hexadecasyllabum.*

Ut ogdoasyllabum citat clausulam p. 642. Edit. 3.

והוא אלי וחי גואלי
וצור חבלי בעת צ-----רה:
והוא נסי ומנוסי
מנת כוסי ביום אק----רא:
בידו א———————פליד רוחי
בעת אישן ואעי----- רה:
ועם רוחי גויתי
יהוה אלי ולא אי------רא:

1. *Ipse est Deus meus & vivus redemtor meus, & rupes sortis meæ in tempore angustiæ.* 2. *Ipse est vexillum meum & refugium meum,* | *pars calicis mei, die quo ipsum invoco.* 3. *In manum ejus commendo spiritum meum,* | *quando dormio, & quando vigilo.* 4. *Et cum animo meo ac corpore meo* | *Dominus meus est, ideoque non timebo.*

Ut hexadecasyllabum citat initium p. 633. ejusd. Edit. 3.

אדון עולם אשר מלך בטרם כל יציר נברא:
לעת נעשה בחפצו כל אזי מלך שמו נקרא:
ואחרי כ-כלות הכל לבדו ימלוך נורא:

1. *Do-*

1. *Dominus mundi, qui regnavit, antequam ulla creatura creata esset: 2. Quo tempore factum est per voluntatem ejus omne, tunc Rex nomen ejus vocatum est. 3. Et postquam absolvit omnia, ipse solus regnat reverendus.*

Eadem ratione ex carmine sequenti hexasyllabo

מאר נפשי חגעל
לכל אנשי מעל
במכרם נפשם על
צרורות כספי---הם:
וירבו קנינים
ונטעי נעמנים
ויבנו בנינים
בארץ לא ל-----הם:
ושמחו יום מותם
בניהם ובנותם
ולבדוק אוצרותם
מריקים שקי-----הם:

Fieri potest per æqualem syllabarum distributionem dodecasyllabum hoc modo:

מאר נפשי חנעל   לכל אנשי מעל
במכרם נפשם על   צרורות כספי-הם:
וירבו קנינים   ונטעי נעמוים
ויבנו בנינינים   בארץ לא ל---הם:
ושמחו יום מותם   בניהם ובנותם
ולבדוק אוצרותם   מריקים שקי---הם:

1. *Valde abominatur anima mea omnes viros improbitatis, dum vendunt animam suam pro fasciculis pecuniæ. 2. Et multiplicant possessiones & plantationes jucundas & ædificant ædificia in terra non sua. 3. Et gaudent in die mortis eorum, filii & filiæ ipsorum, & ut restaurent thesauros suos, evacuant saccos eorum.*

Ex Marpe Lascon desumtum carmen est. Sic

Ex carmine Heptasyllabo,

שלח נא דבריך
יהוה לעמיך
וקדש אמונך
לנצח ולנצ---- חים
סלה על עוננו
נשאחטא וחובנו
חיה ע--זרתנו
ותן חן וניחו---חים:

Hoc ipso fundamento conformare licet tesseradecasyllabum:

שלח נא דבריך   יהוה לעמיך
וקדש אמוניך   לנצח ולנצ--חים:
סלח על עוננו   גשא חטא וחוכנו
היה ע--זרתנו   ותן חן וניחו--חים:

1. *Mitte quæso verbum tuum Domine populo tuo, & sanctifica fideles tuos in secula seculorum. 2. Remitte iniquitates nostras, tolle peccatum & debitum nostrum, sis auxilium nostrum, & da gratiam atque quietem.*

Ad hanc regulam ulterius declarandam, pertinet præfixum illud carmen Gualtheri Kenchenii Juliacensis, *Lexico pentaglotto Val. Schindleri præfixum, quod primo intuitu est carmen XX. syllabarum, sed æquali syllabarum in singulis versibus distributiones, sit decasyllabum κωλόρυθμον.*

REGUL. II.

Sicut apud Latinos ex materia excogitata sunt carminum genera: & inter alia etiam Anagrammata, Eteosticha & Echus ita simile quid apud Hebræos observavimus:

Specialem tractatum reliquit de Anagrammatis *Guilielmus Blancus, in quo vetustum Anagrammatis inventum nominat, & ab Hebræis, eorumque Cabala ortum arbitratur. Exempli gratia* Esajæ *locus* cap. 40. v. 26. *considerari potest, in qua juxta primam partem Gematriia literas transponunt, ut cum inibi quæritur,* מי ברא אלה *quis creavit hæc? respondetur per anagramma* ex Cen. 1. 1. ברא אלהים *creavit Deus. Quod exemplum adducit Reuchlinus* lib. 1. Cabalæ. *Anagrammati cognatum est, cum Hebræi dicunt, in* איש *&* אשה *contineri nomen* יה *Dei: quod sit symbolum gratiosæ Dei præsentiæ, si maritus & uxor juxta Dei præcepta vivant: si ab eis decedant, & Deum ab ipsis recedere, ut utrimque nomen, excluso* יה, *maneat* אש *ignis.* Meminit autor libri Fasciculi Myrrhæ *in Parascha* שמיני Lev. 11. *Ita R. Bechai* in Kadhaquemah *ex prima, media & ultima litera alphabeti facit vocem* אמת *hoc est, ve,itas, fides. Deum enim qui lingua hac primum est usus, veritas est, & signaculum ejus est veritas, hoc est, servat pacta & promissiones, & vult nos quoque servare. Sunt etiam, qui ex* ברא אלהים את Gen. 1. *colligunt* אמת, *sumtis literis postremis, ad signandam Trinitatis patefactionem in postremis Mundi temporibus singularem & verissimam. Nec absimile reperitur* in Eteostichis. *Ut enim juxta inquisitionem* Christi Agricolæ *in vocibus Græcis* λατεινος *&* ἐκκλησία ἰταλικα; *item* ἡ μίοσα ἡ παπικὴ: *ita in vocibus Hebræis* רומיית *&* מסת הפפא *exhibetur numerus Antichristi 666* Apocal. 13. 18. *ut ex sequenti resolutione cuivis manifestum est.*

מ	40	ר	200
ס	60	ו	6
ת	400	מ	40
ה	5	י	10
פ	80	י	10
פ	80	ת	400
א	1		
	666		*666*

Tandem R. Joseph ben Jechaiæ obitum cujusdam deplorans carmen reliquit, in quo præter Rhythmum & compositionem syllabarum longarum & brevium speciem Echus *observare videtur.*

קרחא לחרחיב כנשרים שרים
חושו יתחרת שיר אמרים מרים

Calvitium dilatandum est instar aquilarum, O Cantores,
Festinate, & pro cantico dicta amara &c.

Quod ita vertit, & sub specie Echus commendat doctissimus D. Buxtorfius in tract. de Prosod. metrica p. 646.

שבח לאל אשר מגן הוא
לכל החוסים בו:

R. CHAI GAON
HISPANI
CARMEN ETHICUM

Quod Vocat מוסר השכל במליצה

A JACOBO EBERTO

Doctore & Professore Theologo in Latinitatem translatum

Praxios Analyticæ loco

RECENSUIT THEODORUS EBERTUS J. F.

Professor Hebræus.

מוסר

השכל במליצה

ירא האל בני ראשית אמרי
לכה קומה ושמעה מ--- אמרי:
וחן על כל-- עבודתך תחלה
בכל יום ל-- אלהיך תפלה
ועליך להשכים כל- שחרך
להודות לו ועליו מ- חסורך:
הירת תמיד פני האל מחלה
ואז כל-מש- אלוהיך ימלא:
שמור חוקה שמור מצוה ותורה
ורע כי בם תהי נפשך צרורה:
והתרעב--- אצילי עם פלולים
דבק בהם ואל תט אל כסילים:
תהי נא אז- נך אל פי חכמים
ועינך ת--- אסוף מהם לשמים
וקנא בם בכל שבתך וגורך
בכיסך אל תקנא ב- חברך:

Institutio

Intellectus cum elegantia.

Time Deum, fili mi, quod est principium verborum meorum, 1
Ades, surge, & audi verba mea.
Et da super omne opus tuum principio
Singulis diebus Deo tuo laudem.
Et super te est, ut mane surgas omni diluculo
Ad celebrandum eum, & apud ipsum est defectus tuus.
Sis jugiter faciem Dei orans,
Et tunc omnes petitiones tuas implebit,
Custodi statutum, custodi mandatum & legem. 5
Et scito quod in istis erit anima tua colligata.
Et associa te præstantibus populi præcipuis,
Adhæresce illis, & ne declines ad stultos,
Sit quæso auris tua ad os sapientium,
Et oculus tuus colligat ab iis topazios.
Et æmulare eos in omni sessione & peregrinatione tua.
In crumena tua ne invideas socio tuo.

במלח

Ex

במלח פת אכול ורעה עשבים
ואל תשאל אגורה מ- נדיבים:
בחר מות והטמן בקברך
ואל תלך לבקש מ-- שארך:
ולמה ת-- היה שואל לשואל
שאל מאל הלא הכל ביד אל:
ואל תישן והבט אל נמלה
ואל נא רג- לך תהיה עצלה:
ובקיץ אגול ירח בירח
אשר תאכל ימי חורף וקרח:
ואם לדרוש מזונך מ--- נוהך
תהי יוצא זכר נא ברת בריחך:
ראה יונה בנודה אל מזונה
תהי שבה ביומה אל מלונה:
ואם ירחיק נדוד נשר ללחמו
בעוד יומו יבקש לו מקומו
ומבית אח שמר רגל וחוקר
וסור מב-- עלי כזב ושקר:
ואל תעמוד בפתחי ה--- גדולים
ואל-תתאו למשמן מ-- אכלים:
ואל תשמח ליום נורא ואיום
לאדם פן יבואך בעוד יום:
ואל תדרוש ליום אידו ותבחר
התדע מה לך יהיה למחר:
אלהים או פלילים לא תקלל
ולשלומם פגע באל ופלל:
ויסיך אהב אשם נעירים
ודודיה בלבך שים קשורום:
ועם אשת עמיתך אל תדבר
ואל תהיה ללצים אח וחבר:
ימזרה תהי עינך רחוקה
ונכריה אמרים ה--- חליקה:
ואימתך בלבה תן ופחדך
ותוכחתך ואל תדע בסודך:
ואם תוליד לך בנים ובנות
בכל--עת י-- סרם אכן בחנות:
קנה להם בכל--בוחך ספרים
ושים להם מלמד מ-- נעורים:
והענק ת--- עניק לרב בהונך
אשר תתן ושתעניק לבנך:
ורע כי ק-- רנך בהם תרימם
ושלום לך יהי עקב שלומם:
מלאכתך ת· היה באמת נכונה
ומאזנך בצדק ו-- אמונה:
והון השס יהי למס ומרמס
ותם לריק בכל--משא ומעמס:
ואם יבחר בך מושל שמור לא
תכזב בו וסודו אל תגל לו:
ואם יצא וירחיק מ-- נותו
שמור ביתו כאלו הוא בביתו:
בחר שבת ימי גשם ונופש
ואל תבא בטיט יון ורפש:
ואל תבא ימי חורף דרכים
בחר לצאת ימי צאת ה-- מלכים:
ואל תפתח לשטן פה ותאמר
דבר רע פן לך ירע דמר:
ולא תרים עלי מושל לשונך
בקולך פן יהי פוקד עונך:
ומה תיגע עשות חיל בכוחך
וחנן את- יצורך הוא וניחך:
לשואל על שלומך כל- פעמים
אמר שלום תהי מוצא שלומים:

ואם

Ex sale buccellæ tuæ comede, & pascere herbis.
Et ne mendices obolum ex principibus.
Elige mortem & occultare in sepulcro tuo. 10
Et ne eas ut mendices a carne tua.
Quare eris mendicans a mendicante?
Mendica a Deo, an non omnia sunt *in manu Dei?*
Et ne dormias, sed respice ad formicam,
& ne quæso pes tuus sit piger.
Et in æstate collige, de mense in mensem,
ut comedas in diebus hyemis & glaciei.
Et si ad quærendum cibum tuum ex habitaculo tuo
exieris, recordare filiæ fœderis tui.
Vide columbam, cum evolat ipsa ad cibum suum. 15
revertitur tamen *in die suo, ad hospitium suum.*
Et si procul volavit aquila ad panem suum,
eo ipso tamen *adhuc die repetet sibi locum suum.*
Et a domo fratris custodi pedem & perfossionem,
Et discede a viris mendacii & falsitatis.
Et ne stes in januis magnatum,
& ne concupiscas pinguedinem ciborum.
Et ne læteris de die terribili & calamitoso
homini, ne forte veniat tibi tale quid *eo ipso die.* 20
Et ne quæras diem calamitatis ejus, nec eligas:
num scis, quod tibi futurum sit in crastinum?
Diis aut judicibus non maledices,
Sed pacem illorum pete a Deo, & obsecra.
Et diebus tuis dilige uxorem juventutis,
& propinquos ejus in corde tuo pone ligatos.
Cum uxore vicini tui ne loquaris,
neque sis derisoribus frater & socius.
Et ab aliena sit oculus tuus elongatus
& ab aliena, quæ verba blandificat.
Timorem tuum in cor ejus da, & pavorem. 25
& correctionem tuam: nec sciat occultum tuum.
Et si pepererit tibi filios & filias,
omni tempore castiga eos, veruntamen cum gratiis.
Compara ipsis in omni virtute tua libros,
& pone ipsis doctorem a pueritia.
Et onerando onerabis magistrum in facultate tua:
Quoniam sic *dabis & onerabis filium tuum,*
Et scito, quod cornu tuum in iis exaltabitur:
& pax tua erit pro pace eorum.
Opus tuum sit in veritate rectum, 30
& lanx tua sit *in justitia & fidelitate* (*cationem.*
Divitiæ iniquitatis erunt in liquefactionem & concul-
& redigentur in nihilum cum omni onere & pondere.
Et si eliget in te princeps, cave: Non
mentieris ei, & secreta ejus ne reveles ipsi.
Et si exierit & longe abfuerit ab habitatione sua,
custodi domum ipsius, ac si ipse esset in domo sua.
Elige sessionem in diebus pluviæ, & quietem,
& ne ingrediaris in lutum cœni & stercus.
Et ne ingrediaris in *diebus hyemis vias,* 35
elige, ut eas, quando eunt reges.
Et ne aperias calumniatori os, & dicas
verbum malum, ne forte tibi male sit, & amarescat.
Et ne eleves super principem linguam tuam
in voce tua, ne forte visitet iniquitatem tuam.
Et quid labores facere virtutem in potentia tua?
Obsecra creatorem tuum, ipse quietem dabit tibi.
Qui precatur pacem tibi, semper
dic ei pacem: sic *educes pacem.*

Si

ואם שכיר יהי לך ו- עבדך
חשוב אתו כאלו הוא ילידך :
ואם הקל לעבדותו לאט לו
ושלם חיש שכירותו ופועלו :
שמע לי ו- עזוב דרך פתאים
בכל-יום ת- חזה תראה פלאים :
בנו חכם ישונה דל וחלך
ובן חכם ישונה שר ומרך :
ואם גאים ונשאים ישומם
ומאשפות ועפר דל ירומם :
וגם איש י- עשיר פתו רצויה
פעולתו וחכמת דל בזויה :
וכל-מכתב אשר תכתוב קראה
ואל ימצא לך איש בו חטאה :
ומרשות והוד מלך ברחה
דרוש צדק ובקש לך נכוחה :
בפחדם נ-- פשך תמיד הביאה
ואם תאכל בפתם חיש תקיאה :
ואם תקנה נכסים אז דאגה
תהי קונה ולא נחת ופוגה :
ואל תתאו בלא שלוה אכילה
וטובה פת חרבה מ- בלולה :
וטובה ה-- סחורה ב-- אנשים
ושרים סו- חריה גם ישישים :
ולמד נא לבניך מלאכה
תהי להם ליום מחר ערוכה :
ולימים ולשנים נשיכה
כצפעונים ולעתים הפיכה :
ואיך יישן אשר ידע בכל--זאת
וכל-- מבין ממולח רב רגזות :
ואם יעלה חברך מ--- עלה אל
תקנא בו בכל-- דבר ומשאול :
תדבר לו כמו רש ת-- חנונים
ולא תזכור אשר היה לפנים :
ודע כי כל- אחי רש יש-- נאוהי
והעשיר לראשם י--- עלוהו :
ועולם זה בזה נוצר ונברא
ולת רצון ועת חרון ועברה :
עשה הסד גאל ופדה והצל
ודע כי כל--- ימותינו כמו צל :
ומכלא דלה יושבים בחושך
וכספך אל תהי נותן בנשך :
וטרם ת-- עשה לך את- מלאכתך
ואת-צרכך דעה נפש בהמתך :
ואם יוגד לך דבר ידעתו
רצה ושמע כאלו לא שמעתו :
ואם תדע בסוד רע וחבר
יהי לו ב- טנך מטמון וקבר :
ואם תאהב ענות שיר ב-- נדיבים
דעה כי אז תהי עונה כזבים :
שמור נא ר-- עך תמיד כעין
לך פן י-- חליף דודיו כאין :
ושנאת ר-- עך רבה תהי אם
יהי נד מ- מך אל סוד משנאים :
ערוך לימי קצירים ה- גריעה
ולימי ה- זקונים ה- נטיעה :
ובעתה ה-- תמותה ב-- מגורים
לך טוב ס- פנות אל יד גבירים :
והזהר במת מצוה ולוה
אלי קבר אבלים גם לנוה :
שמור תמיד חברך י-- עמחך
ואז תיקד בנפשו א-- הבחך :

Si operarium habueris, & ſervum tuum, 40
reputa eum, ac ſi eſſet filius tuus.
Etiamſi levior fuerit ad opus ſuum, facilis ſis ei,
& ſolve ſtatim mercedem ejus & opus ejus,
Audi me & relinque viam ſtultorum,
Quotidie videbis & experieris mirabilia, (inops.
Filius ejus qui *ſapiens* eſt, *mutabitur,* ut ſit *pauper &*
& filius ſapiens mutabitur, ut ſit *princeps & rex.*(*tur;*
Etiamſi ex *magnis & elatis* quis eſt, tamen *deſolabi-*
& licet *ex ſtercore & pulvere paupere* quis eſt, tamẽ *e-*
Et vir ſi ditabitur, buccella ejus grata eſt:(*levabitur* 45
opus autem *& ſapientia pauperis eſt contemta.*
Et omnem ſcripturam, quam ſcribis, relege eam,
ne inveniat tibi quiſpiam in ea erratum.
A principatu & gloria regis fuge,
quære juſtitiam, & inquire tibi rectum.
In formidine eorum animam tuam jugiter deducas,
& ſi comederis ex buccella eorum, ilico evome eam.
Si pararis facultates; tunc curam
pararis, non autem quietem & ocium.
Ne conſpicias ſine quiete cibum, 50
Nam melior eſt buccella ſicca, quam mixta.
Bona eſt negociatio inter viros,
In qua *& principes negociantur & ſenes.*
Doce ergo filios tuos artificium,
Quod *erit ipſis deinceps paratum.*
Dies & anni habent morſum,
ſicut ſerpentes, ſed tamen *interdum* fit *contrarium.*
Quomodo dormiet, qui ſcit omne hoc?
& omnis intelligens intermiſtus eſt multo tremori.
Si aſcenderis proximus tuus aſcenſionem, ne 55
invideas illi in ulla re: ſed ex fovea
loquaris illi, ſicut pauper precum,
nec recorderis, quid fuerit ante.
Et ſcito, quod omnes fratres pauperis oderunt eum:
at divitem ad caput ſuum exaltant.
Mundus hic in hoc formatus eſt & creatus:
& eſt *tempus beneplaciti, & tempus iræ & furoris,*
Fac miſericordiam redime, & libera, & eripe,
& ſcito, quod omnes dies noſtri ſunt *velut umbra.*
E carcere entrahe ſedentes in tenebris, 60
& argentum tuum ne des in uſuram.
Et priuſquam facias tibi opus tuum,
& neceſſaria tua, noſce animam jumenti tui.
Et ſi nunciabitur tibi verbum, noris id;
Complace & audi, ac ſi non audieris id.
Et ſi noveris ſecretum amici & ſocii,
erit ei venter tum occultatio & ſepulcrum.
Et ſi voles reſpondere canticum apud principes,
Scito, quod tunc reſpondebis mendacia.
Cuſtodi amicum tuum jugiter, ut oculum 65
tuum, ne tranſeat amicitia ejus, ut nihilum.
Odium inimici tui magnum erit, ſi
fuerit alienatus a te, ad ſocietatem inimicorum.
Præpara ad dies meſſis ſementem,
& ad dies ſenectutis plantationem.
Et in tempore ſuo mors in ædibus,
tibi erit melior, quam converti ad manum potentum.
Et obſerva officium ſepulturæ, & comitare
ad ſepulcrum lugentes, etiam ad ædes.
Cuſtodi jugiter ſocium & vicinum tuum. 70
& tunc flagrabit in anima ipſius amor tuus.

חדל לך מ- מתי רשע לחברה
ואל תשתה לך יין לשכרה:
הגה תמיד בתורת אל ודתו
ואוה י-- חשוק לישב בביתו:
ואל תחמוד לקניני אנשים
ואל תבזה עניי עם ורשים:
שאל מאל ולא מן ה--- עשירים
יתיקר נ--- פשך בינות זכורים:
מחול נא ל- עמיתך חטא וחובה
ושובה אל תהי תמיד משובה:
ולא תמרוד ולא תבחר מרידה
ואל תאהב ימותיך פרידה;
ומה נעים ישוב שבת ידידים
מחוברים והאחים טרודים:
ואל תבטח בנשים ו--- עבדים
וגם אל ת- אמן בהם בסודים:
אם תחשוף לנער שן בתאוה
מצחק י-- חשוף לך שת וערוה:
עזוב אף ו- עזוב חמה וחרף
ובקיץ בנה לך לא בחורף:
ואל תאכל לשבעה תוך נוהך:
ותשכח ש- אלה על דל דלתך.
חשוב לך בל- בני אדם באחד
וממנו היה תמיד בפחד:
ושוה בן חברך לך כבנך
ואביהו כאלו הוא זקנך:
וחסד אל תאחר מ- שכנך
למחר פן יהי סחר ואינך:
ומנוער בחר רע אמונה
אשר תמצא בכל--רגע ועונה:
ואל תבטח בסוגי לב ורקים
ושואלים על שלומך ב--- שוקים:
ויראו בעת עשרך כאוהבים
ויהפכו בדלותך לאויבים:
היה עבד לאישים בין ידיהם
ואז תיקר וגם תכבד בפיהם:
ואם תשמע קלון איש מ- חבירו
סתור עליו כאלו לא אמרו:
ולו חוט ש- ערה בינך ובינו
שמור נא פן יהי נתק ואינו:
ואל תרבה לדבר כי לצרכך
ויישר מ- הלכיך ודרכך:
בני אדם ביד גדול רחב יד
שמור נא אל תהי בא בו ותמעד:
ואם יתרע בארבך ידידך
נער בו אל תביאהו בסודך:
ואל תאכל עדי תתאו ותרעב
ויטב מ-- אכלך אז ויערב:
ואם את-שב-- עך תקל מאומה
אזית יפב לעיניך תנומה:
יאר תכאב לכל--דבר ומענה
ואל תגיד חלומך לשונא:
סבקש מ- מך ריב אל תריבנו
ובים אל תהי בא עת שאונו:
והשמר לך מרוב דברים
ודע כי כן יריבוך כזרים:
ואל תדרוך בני לילה יחידי
ואל תאמין לך אל כל- יהודי:
ודע כי גם מתי עושק וסרה
וכסדום מ- עשיהם י-- עמורה:
לשנך שים בפיך נ- אסרה
ובאלם היה בין ח- חבורה:

ואל

Abstine te a viris impietatis, ne socieris cum ipsis:
& ne bibas vinum usque ad ebrietatem.
Meditare jugiter in lege Dei & statuto ejus,
& ama & concupisce sedere in domo ejus.
Ne concupiscas possessiones virorum,
& ne contemnas afflictos populi & pauperes.
Pete a Deo & non a divitibus,
& præstans erit anima tua inter viros.
Condona quæso vicino tuo peccatum & debitum, 75
& revertere, nec sit perpetuo rebellio.
Et ne sis rebellis, neque eligas rebellionem,
neque diligas in diebus tuis separationem,
Et quam jucundum & bonum sedere amicos
sociatos & fratres junctim occupatos.
Et ne confidas mulieribus & servis,
& ne credas eis in consiliis.
Et si nudaveris ad puerum dentes in voluptate.
ridens nudabit tibi nates & pudenda;
Dimitte iram & dimitte furorem, & desine. 80
& in æstate ædifica tibi, non in hyeme.
Et ne edas ad saturitatem intra habitaculum tuum,
& obliviscaris petitionis supra pauperem januæ tuæ.
Reputa tibi omnes homines ut unum.
& ab eo sis jugiter in pavore.
& æqualem habe filium socii tui tibi, cum filio tuo
& patrem ejus habe, ac si esset avus tuus.
Et misericordiam ne differas a vicino tuo
In crastinum, ne forte ipse sit cras, at tu non.
Et a juventute elige socium fidelem, 85
quem invenias omni momento & tempore.
Et ne confidas in perversos corde & vanos,
& in eos qui optant tibi pacem in plateis. (amici.
Et qui apparent in diebus divitiarum tuarum quasi
& convertuntur in paupertate tua in inimicos.
Sis servus viris inter manus ipsorum.
& tunc honoraberis, & eris gloriosus in ore ipsorum.
Et si audieris ignominiam viri, a socio ipsius,
occulta super eum, ac si non dixisset eam:
Et si tantum filum pili esset inter te & ipsum, 90
tamen custodi id, ne forte rumpatur, & non sit amplius:
Et ne multa loquaris, nisi quæ sunt necessaria,
& dirige gressus tuos & vitam tuam.
Homines si sint in loco magno & spacioso,
Cave, ne eas in eo, & labaris.
Et si conversatur cum inimico tuo amicus tuus,
increpa eum, nec adhibeas eum in consilium tuum.
Et ne comedas, donec cupias & esurias,
& jucundus erit cibus tuus tunc, & dulcescet.
Et si saturitatem tuam alleviaveris aliquantulum, 95
tunc jucundus fiet oculis tuis somnus.
Et ne doleas propter quodlibet verbum & responsum:
& ne indices somnium tuum inimico.
Si quis *quærit a te contentionem, ne contendas cum eo,*
& in mare ne ingrediaris, tempore fluctuum ejus.
Cave tibi a multitudine verborum,
& scito, quod sic contendent tecum, tanquam cum
Et ne incedas fili mi, de nocte solus. (alienis.
& ne credas cuilibet Judæo: (perfidiæ;
Et scito, quod etiam inter eos sint viri iniquitatis, &
& sicut Sodomæ sunt opera eorum, & sicut Gomorræ.
Linguam tuam pone in ore tuo ligatam,
& sicut mutus sis in societate.

Et

ואל תרפה ארי אסור בחבלך
ואם אותו תשלח י--- אכלך :
ואל תביט אלי אשרת עמיתך
ושימה נא פנימה ר-- עיתך :
כבוד נשים והדר ל- אנשים
לבל חפת- חנה עין באישים :
ושותפורת לכל תעש לעזרה
ולא עם כל- קרוביך סחורה :
ולעד אל תהי שוכן בנהר
וסורה מ- פני גשם אלי הר :
ורע טובה תהי קוצר נעימה
ומשכרתך תהי מאל שלימה ;
היה תמים וישר עם אלהים
ואל תדרוש לך מה ב-- גבוהים :
ומשוטה וחרש גם נקבה
מטה אל ת- עשה עמם מריבה :
ואם חכמה ושכל לא למדתם
שבה אצל פלילי עם בשבתם :
יאל תיבוש לך ללמוד ולדרוש
היה זנב לחכם אז תהי ראש :
והחכמה דרוך דרכי אמונה
ויראת אל וסור מרע תבונה :
היה אצל פלילי עם ודיין
ושתקנה קנהו לך בקנין :
ובמוארק בחר עדים כשרים
יגיזוך אזי מרוב דבדים :
וטוב לבוא ולצאת אל אבלים
לך מבוא בבית שמחה וגילים :
ולא תחשוף לשנא מה בלבך
ושבאתו סהור אם לא תהי בך :
חקור חולים ובקר עת מזורים
ודבר על לבב אישים ומרים :
וסור מדין ומסדון ברחה
ואל תעמור עלי חוף בור ושוחה :
וכבד את- אבותיך ועמם
קרוביד וכל--דורש שלומם :
ואם תבא בצל מלך ותקרב
דעה כי על ארי תעמור ותקרב :
ואז יראת אנשים לך יתרה
ולכן פ-- חרך גדול ונורא :
ושור עז אל תהי אוחז קרניו
ואריח אל תהי חומך רצוניו :
ויש בת ש- תהי מבן יקרה
וטובה ל- אבותיה וברה :
וכל--דבר אשר מאל יהי בא
רצה בו ו- אסור גם זאת לטובה :
וטוב שב- חך תביא לקבר
בתולה מ- להתחתן בגבר :
קנה דירה לך בינות ושרום
וסורה ס- גות חומדים וצרים :
הוה קרוב במאכלך וסוחך
ולוה דל ולא תחמור עמיתך :
וכל- גבר כפי שכלו ודעתו
וכל--חשוב בפי תקוז מלאכת :
ונדבת לב יקרה היא ונאיה
ואחורת ל- נדבה ה--- ענוה :
תהי תמיד במו סדר ועניך
תפלתך בסוד קהל ומנין :
היה עושה נכוחה עם שבחה
ומאנשי בלעיל ברחה :
היה נא ל- ארי זנב ותעל
ותשח אם תהי הראש לשועל :

ואם

Et ne dimittas leonem ligatum fune tuo,
& si eum dimiseris, vorabit te,
Ne respectes ad uxorem proximi tui,
& pone introrsum sociam tuam.
Gloria est mulierum & decus virorum,
ut non aperiant oculum ad alios,
Et totam societatem ne facias in auxilium, 105
neque cum omnibus vicinis tuis facias negociationem.
Et in æternum ne habites juxta flumen,
sed discede a pluvia ad montem.
Semina bonum, & metes jucunditatem,
& merces tua erit a Deo perfecta.
Sis perfectus & rectus cum Deo,
& ne inquiras tibi id, quod est in altis.
A stulto & surdo & muliere
Declina, ne facias cum eis contentionem.
Et si sapientiam & intellectum non didicisti, 110
sede apud præcipuos populi, ubi sedent ipsi,
Ne pudeat te discere, & inquirere,
sis cauda sapientis, tunc fies caput.
Et sapientia est, calcare vias veritatis:
& timor Dei, & discedere a malo, est intellectus.
Sis apud præcipuos populi, & judicem,
& quod paraveris, para id tibi in possessionem.
Et quantum potes, elige testes rectos,
qui quiescere facient te tunc a multitudine verborum,
Et melius est ingredi & egredi apud lugentes 115
Te, quam ingredi in domum gaudii & exultationum.
Ne reveles inimico tuo, quid in corde tuo: (tra te.
& odium ejus occulta, potissimum si non fuerit con-
Visita ægrotos, & quære tempus emplastratorum,
& loquere super cor virorum & afflictorum.
Et discede a contentione, & a rixa fuge,
& ne stes super oram putei & foveæ.
Honora parentes tuos, & cum iis
vicinos tuos, & omnem qui quærit pacem eorum. (veris
Et si ingressus fueris in umbram regis, & appropinqua-
Scito, quod idem sit, ac si juxta leonem stes, & appro-
Tunc timor hominū ad te erit copiosus, (pinquaveris.
& ideo pavor tuus erit magnus & terribilis.
Bovem fortem ne prehendas in cornibus ipsius,
& leoni ne inhibeas voluntatem ejus,
Est filia, quæ sit filio præstantior,
& quæ bona sit parentibus suis, & pura,
Et omne quod a Deo venerit,
Boni consule, & dic: etiam hoc bonum est.
Et melius est, ut filiam tuā deducas ad sepulcrum, 125
Adhuc virginem, quam ut conjungas eam Viro, & po-
Para habitationem tibi inter rectos, (stea moriatur.
& discede ab habitatione cōcupiscentiū & affligentiū.
Sis propinquus pauperi in cibo tuo & tegumento tuo,
& mutua pauperi: & ne concupiscas proximum tuum.
Omnis vir est ut intellectus ejus & scientia ejus,
& quisque æstimatur secundū directionem operis sui.
Liberalitas cordis præstans est, & decora,
& soror liberalitatis est Humilitas.
Sis jugiter in oratione & negotio, 130
& præces tuæ sint in cœtu & numero.
Sis faciens rectum cum laude,
& a viris iniquis fuge,
Sis leonis cauda, & ascendes,
at humiliaberis, si fueris caput vulpis.

Si

ואם אישים ירִיבוּ עם אנשים
לכה מהם וסור מפח יקושים:
אהוב את-ר- עך תמיד כנפשך
ולשלומו פגע באל קרושך:
וסורה מ-- שבועת שוא וגורה
להשביע בשם גדול ונורא:
ואל תברה לארם בור בסתר
לך פן י-- עמוד בורה וחותר:
בחר צדק בכל מתן ומשא
וחון על דל ועל מסכן וחוסה:
ומוכיח לנפשך שירת ויועץ
ולא תעלה עלי קיר או עלי עץ:
ולעד אל תקנא ב-- גדולים
ואל תחמוד לך איש רב פעלים:
ועורה מ- תנוסחך וקומה
קרא ודרוש להבין ת-- עלומה:
וכל---גבר אשר אין לו תבונה:
הלא הוא כי בהמה ב-- אמונה:
ואל תנער ימותיך בשואל
ורוצה נא להעניקו בהואל
ודע כי ה- מעט לתת בלב טוב
לך טוב מ-- זעף פנים וקטוב:
ומחוסר אשר יתן בכושר
מעט טוב מ- אשר יתן בעזשר:
ובוז גלות ועול מלכות תקבל
ומוסר אל היה נושא וסובל:
ותמיד נפ- שך תהיה נמוכה
ותן על כל- אשר מאכל ברכה
ואל תשב במקום צר במורא
לארץ ר-- חבת יד לך וגירה:
ואל תכאב לרבר סף ונדד
ולא תרדוף סלול יחיד ונדד:
ויש דבר אשר בו לא תקוה
יהי חיש בא לך כאשר תאוה:
והנולד ראה טרם עלותו
בראשיתו דעה מה א- חריתו:
וסורה מ- אנוש לבב ועקש
וחסר מ-- מך מכשול ומוקש:
ומפי איש דבריו איך תחוה
ומאמר כל- אנוש כאשר יצוה:
ואל תאמין לך ברבר הגותו
אבל כי אם בעינך ראיתו:
היה מן זמן ירא וחרד
ואל תאמין באיש בוגר ומורד:
ואם תבנה בנה ושמור גבולך
ואל תבנת לך כי אם בשלך
ואם תאהב לשוות את- יסודך
במקום ש- תהי חורס בידך:
היה עם ב- עלי דינך כאלם
ילמו רע בפיך אל תשלם:
וקולך אל תהי נושא בדינך
חקור דינך והפר את- חרונך:
ודבר ה-- אמרת תיקר ותזכרה
ואם אין תהי קלון מחכרה:
בכל עונה יהי ספרך בחיקך
והשכל יהי תמיד דביקך:
ואם אתה תשימהו קשורך
למרפא הוא יהי לך מ- מזורך:
דעת חכמה יאם רעתה בליארה
דעה חשבון ובין ספרי רפוארה:
ותרע לך אזי מולד לבנה
וערת המו- עדים שנה בשנה:

Si viri contendant inter se,
discede ab iis, & discede a laqueo offensionum.
Dilige amicum tuum jugiter in anima tua,
& pacem ejus precare a Deo sancto tuo.
Et discede a juramento vano, & time 135
jurare in Deo magno & tremendo.
Ne foderis alicui foveam in occulto,
tibi ne forte stet fovea & effossio.
Elige justitiam in contractibus,
& miserere super pauperem & egenum, & parce.
Reprehende teipsum, cessa & consulta;
& ne ascendas super murum, aut super arborem.
Et in æternum ne invideas magnis,
& ne concupiscas tibi eum, qui est multorum negotio-(rum
Evigila ex somno tuo, & surge, 140
Lege & perquire, ut intelligas occulta.
Omnis vir qui non habet intellectum,
an non ipse est sicut jumentum in veritate?
Ne increpes per dies tuos eum, qui a te aliquid *petit*,
& promtus sis, ut juves eum libenter.
Et scito, quod parum dare in corde bono,
tibi melius sit, *quam dare cum indignatione & ira.*
Et ex defectu suo qui dat in rectitudine,
non *minus bene dat, quam si daret in divitiis.*
Contemtum exilii & jugum regni suscipe,
& castigationem Dei sis tollens & portans.
Semper anima tua sit humilis,
& da super omnia, quæ comedis, benedictionem.
Ne habites in loco angusto cum timore,
ad terram spaciosam vade, & habita.
Ne affligaris propter rem caducam & fugacem,
& ne sequaris viam unicam & solitariam.
Accidit interdum aliquid, quod non sperasses,
erit propere veniens ad te, uti optasses.
Quod futurum est, vide, priusquam fiat, 150
in principio ejus scito, quis futurus sit *finis.*
Discede a viro cordato & perverso,
& remove a te offendiculum & laqueum.
Et ex ore viri verba ejus quomodo referes.
Nam sermo cujuslibet est, uti præceperit.
Ne credas verbum eloqui ipsius,
nisi oculis tuis id videris.
Sis a tempore timens & pavens,
nec credas viro perverso & rebelli.
Si ædificas, ædifica & observa terminum tuum. 155
& ne ædifices tibi, nisi in eo, quod tuum est.
Et si volueris ponere fundamentum tuum,
eo in loco pones, *ubi sis destructurus* iterum *manu tua.*
Sis cum adversariis tuis quasi mutus,
& eis malum ore tuo ne rependas.
Vocem tuam ne sis tollens in judicio tuo;
Scrutare judicium tuum, & reprime iram tuam.
Verbum veritatis præstans habeas, & magni æstimes:
Si enim non feceris, *eris ignominiam expectans.*
Omni tempore erit liber tuus in sinu tuo, 160
Et intellectus erit jugiter adhæsio tua.
Et si tu feceris eum ligamentum tuum,
in medicinam id erit tibi præ emplastro.
Nosce sapientiam: & si noveris eam, mirabilis eris
Nosce Arithmeticam, & intellige libros Medicinæ,
Et noscas tibi nativitatem lunæ,
& tempus festivitatem singulis annis.

שמור נא ל- בן מכל זרונים	*Custodi cor tuum ab omni petulantia,*	
ותלבש את- בגדיך לבנים:	*& induas vestimenta tua alba.*	
ואם תלוה לך שלום ואם אין	*Si mutuo dederis* erit *pax, & si non,*	165
לך מות כ- מגורים אל תמאן:	*tibi mors* optabitur *in habitatione;* quod tibi est, *ne*	
ואל תאמר לרעך שוב ומחר	*Et ne dicas amico tuo, redi cras,* (*neges,*	
ויש עמך לחתן אל תאחר;	*& est tecum, ut des; ne differas.*	
היה קובץ לכל חכמה ואוסף	*Sis colligens omnem sapientiam, & congregans,*	
קנה בינה ולא זהב וכסף:	*para intellectum & non aurum atque argentum.*	
ושקוי מ-- חלחך גם מזורך	*Et potum morbi tui atque emplastrum tuum*	
אזי תמצא לך גם ל- חברך:	*tunc invenies tibi & socio tuo.*	
והתרע את-- בעליה וכונן	*Societatem ini cum possidentibus eam, & para*	
אשורך אז ברזיה תבונן:	*gressum tuum, tunc secreta ejus intelliges.*	
קנה מן ה-- עברים ה-- צעירים	*Eme ex servis juniores,*	170
ואל תרבה לתת בהם מחירים;	*& ne multiplices dare pro iis pretium.*	
ותרחק מ-- פני מושל ורורה	*Elonga te a facie dominantis & principis,*	
ואז תקנה לך חצר ושדה:	*& tunc parabis tibi aream & agrum.*	
שלשה ת-- עשה חחשוב בשפר	*Tria facies & habeberis in pulcritudine:*	
קנות שדה קנות רע וספר:	*eme agrum, eme amicum & librum.*	
ואם תהוה שבע ימים ושנים	*Et cum eris satur dierum & annorum,*	
תהי אכן שבע צירי יגונים;	*eris profecto satur adversitatum calamitosarum.*	
יאו איש ש- יהוסיף אל בשניו	*Cupit quis, ut addat Deus in annis suis,*	
והוא יוסיף עונות על עוניו:	*ipse vero addit iniquitates super iniquitates suas.*	
ומה יועיל אשר יהיה בחבל	*Quid est, quod vivit in mundo.*	175
וחיותו בעמל גם בהבל:	*& vita ejus est in labore & vanitate?*	
ולא גברא אנוש כי אם לפלל	*Et non creatus est homo, nisi ut adoret*	
לבוראו גם שמו כל--יום להלל:	*creatorem suum, & nomen ipsius quotidie celebret.*	
שמור חוקים ומשפטים ישרים	*Custodi præcepta & judicia recta.*	
ודון נפשך כמו תדין אחרים:	*& judica animam tuam, ut judicas alios.*	
שמע תמיד לדברי ה---- חכמים	*Audi jugiter verba sapientum,*	
וסורה מ-- אנשים נ-- עלמים:	*& discede a viris occultis,*	
וסוף דבר שמיר תורה וחוקה	*Et finis verbi* est, *custodi legem & statutum,*	179
אזי תהיה לך מאל צדקה	*tunc erit tibi a Deo justitia.*	

JACO-

JACOBI EBERTI

TETRASTICHA HEBRÆA

IN TEXTUS EVANGELICOS

Per universum annum

PRAXIOS SYNTHETICÆ

Loco recensuit

THEODORUS EBERTUS J. F.

DOMINICA I. ADVENTUS

Matth. 21. 5.

הנוה מלכנו משיח
בא בא ענו ויצליח:
ברוך הבא משמים
לחיותנו מיומים:

DOMINICA II. ADVENTUS

Luc. 21. 25.

אתות שמים וארץ
מודיעות לנו יום קרץ:
לכן נצום בנקיון
שנזכה לעמוד עם עליון:

DOMINICA III. ADVENTUS

Matth. 11. 2.

מעשי משיח נעשו לן
בימורה יוחנן הטבלן:
לזאת לא נירא עוד מוחה
כי בא משיח זה עתה:

DOMINICA IV. ADVENTUS

Joan. 1. 20. &. 21.

הורה יוחן וישיח
לאמר אינני משיח:
כי אם קול קורא במדבר
הושירו דרך לפני בר:

IN NATALITIIS CHRISTI

Luc. 2. 11.

אל נירא כי נולד היום
ילד שהוא לנו פריום:
נגיל בלבבים כלנו
ונהלל יה ואלהינו:

IN DIE STEPHANI

Martyris Matth. 23. 36.

עולם שונא אח--משיח
ויהוה גאים משביח:
ומנפץ כל--רשעי חנם
לשליכמו אל גיהנם:

IN DIE JOANNIS

Evangelistæ Joan. 21. 19.

צדיק יתהלך בדרכיו
ויקורה לאל בערכיו:
יסבול בענוה סבלתו
וישמח על שפלתו:

IN DIE INNOCENTUM

puerorum Matth. 2. 13.

בעולם רבו החבלים
גם לקטנים גם לגדולים
על משיח כי הנה טף
בנהי בידי הורידוס נעטף:

DOMINICA POST NATIVITATEM

Luc. 2. 23.

משיח הוקם מכשלה
ותקומה לרבים סלה:
האר נא אל לבותינו
פן נכשל במשיחנו:

IN DIE CIRCUMCISIONIS

Luc. 2. 21.

גמול משיח בישרה
ביום השמיני כתורה:
ושמו טוב נקרא ישוע
כי יתן לנו ארח שוע:

IN DIE PAPTISMATIS CHRISTI

Matth. 3. 13.

בירדן נטבל משיח
ורצון שמים הצמיח:
עליו קרא אב מעכו
זה בני שרצה נפשי בו:

IN DIE EPIPHANIAS

Matth. 2. 1.

נקלה משיח ליהודים
ולהושיעם הקדם הקרים:
ממזרח באו אמגושים
מתנוה אליו מגישים:

DOMINICA I. POST EPIPHAN.

Luc. 2. 41.

הורי משיח באמנה
העלו את-בנם שנה שנה:
אל-חג כן נעלה בנינו
לעבודת אל בימותינו:

DOMINICA II. POST EPIPHAN.

Joan. 2. 1.

משיח בעל סלואים
נכנס אל משתה נשואים:
ובחסרונם ראה עין
ויתן למו טוב יין:

DOMINICA III. POST EPIPHAN.

Matth. 8. 10.

הן כמה גודל באמונה
כי לישועתה היא בנה:
האמין שר מאות מן- גוים
כן נרפא עבדו בפלאים:

DOMINICA IV. POST EPIPHAN.

Matth. 8. 23.

עולם הזה מלא צרות
ואנחנו כמתים בסערות:
הן גלי ימים דוחקינו
אם לא מרן יושיענו:

DOMINICA V. POST EPIPHAN.

Matth. 13. 24.

נעצליה נחנו בעשקנו
שטן משכים לאבי-דנו:
האר נא מרן לבנו
יען שנשמור דרכנו:

DOMINICA SEPTUAGES.

Matth. 20. 1.

עם אנשי כרמך שכרנו
אנה מרן ואלהינו:
תן לנו דינר חסרך
לשבה לעד נגרך:

DOMINICA SEXAGES.

Luc. 8. 4.

מרן מנעה מנפשנו
כל מה שחורש נזקנו:
השמי---ענו בדבריך
שהם זרע תנמוליך:

DOMINICA QUINQUAGES.

Luc. 18. 31.

משיח על חטאתינו
נמסר לרפאת חסרונינו:
גוים ויהודים הלעיגו
בו הכוהו ויהרגו:

DOMINICA QUADRAGES.

Matth. 4. 1.

אדם בימי הנסיון
אל--חט מדברי העליון:
השומר את-אל ואת- תורה
לא יחסר חכמה ולא אורה:

DOMINICA REMINISCERE

Matth. 15. 24.

מרן מאשה הכנענית
חשך עזרתו בתענית:
ובסוף הוא רחם עליה
ויתן לה תאלותיה:

DOMINICA OCULI

Luc. 11. 14.

שטן מן האדם מוצא
ידעה מנוח ולא ימצא:
ישוב יביא אל בית צאתו
וישי--מנו מראשיתו:

DOMINICA LÆTARE

Joan. 6. 9.

השומע דברי עליון
ומשמר אותם בנקיון:
ירה ורעה ויכלכל אותו
ויאסף לו כל צירתו:

DOMINICA JUDICA

Joan. 8. 46.

העיד שוע בפלאים
רבים כי הוא כן לאלהים:
ויהודים לא הכרוהו
כי אם בעל שד כנוהו:

DOMINICA PALMARUM
aut Cœnæ Dominicæ

1. *Cor.* 11. 23.

מרן נותן בסעורתו
גופו גם דמו לעדתו:
אשרי האוכל באמונה
את מזון הנה בהגינה:

DIE LOTIONIS PEDUM
aut in viridibus Joan. 13. 1.

באשר את-רגלי תלמידיו
רחץ משיח בחסדיו:
כן נרחוץ רגלי קרובינו
הנצרכים לעזרתנו:

IN DIE CRUCIFIXIONIS

Matth. 27. 45. & 50.

הכרה משיח בשרירות
זיומרת על עץ במרירות:
ובמכתיו נרפא לנו
ויבלע ---- מותנו:

IN FESTO PASCHATOS

Marc. 16. 1.

משיח קם מן המתים
וישחת את המשחיתים:
בזאת נצלוץ כל לנני
כי משיח מותי-- ענו:
חננו יה:

IN SECUNDA PASCHATOS

Luc. 24. 13.

מרן לשני התלמידים
פרש את תורה וכתובים:
כי על משוח כן היה
לסבול ולתשיב תושיה:

IN TERTIA PASCHATOS

Luc. 24. 36.

משיח בא אל תלמידיו
ויראה רגליו ואת ידיו:
גם אכל לפניהם גופת
ויעיד כי הוקם באמת:

DOMINICA QUASIMODOGENITI

Joan. 20. 19.

העידת בשליחיך
משיח על קימתך:
העד עליה גם בנו
והיה מרן ואלהינו:

DOMINICA MISERICORDIAS

Joan. 10. 14.

רוענו טוב היטב לנו
הרחק השכירים ממנו:
אנא רועה חבירנו
ולסגלה שלך כנסנו:

DOMINICA JUBILATE

Joan. 16. 16.

דרך האל במעט נראה
גם עוד כמעט הן לא נראה:
יש למשיחיים רב--צרות
שבסוף תהיינה לשרות:

DOMINICA CANTATE

Joan. 16. 5.

מרן הלך לו אל שלחו
וישלח לנו את---רוחו:
זה אל כל--קשט ינחנו
כי כל שמעו ישמיענו:

DOMINICA ROGATIONUM.

Joan. 16. 23.

עתה נשאל את--צרכנו
מיהוה ואת כל חסרנו:
כי שאלה על שם משיח
בעץ על מים תצליח:

IN FESTO ASCENSIONIS

March. 16. 14.

מרן עלה לשמים
מה--שלח לנו תחתיים:
את--נחמן רוח הקדשים
לתת נחומים לנפשים:
חננו יה

DOMINICA EXAUDI

Joan. 15. 26. & 16. 1.

בעל נחם עם תלמידים
על המשיח הם עדים:
ובעולם זה רע ירועו
כי בני עולם לא ידעו:

IN FESTO PENTECOSTES

Joan. 14. 23.

רוח חקודש הנחמן
שישלחנו אב רחמן:
הוא כל--דבר יודיענו
שאמר משיח לנו:

IN SECUNDA PENTECOSTES

Joan. 3. 16.

כמא אהב אל את--עולם
גם כל-רחמיו אליו שלם:
כי נתן לנו בנו יחיד
הוא איד ושד הכחר הכחיד:

IN TERTIA PENTECOSTES

Joan. 10. 1.

שער לצאן הוא משיח
כל הבא בעדן יצליח:
יבא גם יצא בשמחה
כי מרעה מצא ומנוחה:

IN FESTO TRINITATIS

Joan. 3. 1.

הגולד מבשר בשר
אך נולד מרוח יאשר:
אנה יה הט על לבנו
את רחמיך לושיענו:

DOMINICA I. POST TRINIT.

Luc. 16. 19.

יה נותן לעשיר ממון
לעזור ולהאכיל את אביון:
הבזים לקול אביונים
יה יבוז למו בשאונים:

DOMINICA II. POST TRINIT.

Luc. 14. 16.

מה-הגדיל חסדו עלינו
אל ויכין פשתה לנו:
הוי משליכים את החזה
ומקלים המשתה הזה:

DOMINICA III. POST TRINIT.

Luc. 15. 1.

על מרן רעמו הפרושים
כי מתנהג עם כחשים:
אך הוא בא לרפארת נבאים
ולהושיע את---חטאים

DOMINICA IV. POST TRINIT.

Luc. 6. 36.

רחמו וירחמו גם אתכם
מדה כנגד מדה לכם:
אם תיטיבו עם רעיכם
גם ייטיב עליון עמכם:

DOMINICA V. POST TRINIT.

Luc. 5. 1.

השומע בדבר עליון
ומפרש רשתו נקיון:
אל יתן לו את צירתו
ויברך את--כל---צעדתו:

DOMINICA VI. POST TRINIT.

Matth. 5. 20.

אם לא תעריף צדקת אישים
יותר מצדקת הפרושים:
לא יפנו להם עליונים
להביאם לשמי נעמנים

DOMINICA VII. POST TRINIT.

Marc. 8. 1.

על עם המזין אמרי יה
רחם משיח בציה
וירחם כן גם עלינו
אם נביטה לאלהינו:

DOMINICA VIII. POST TRINIT.

Matth. 7. 15.

מן חזי שקר תרחקו
כי נפשות אדם עשקו:
עטו מלבושי הכשבים
ובקרבם היו כזאבים:

DOMINICA IX. POST TRINIT.

Luc. 16. 1.

נתן חשבון לאלהינו
יום הדין על--לר-מעשינו:
לכן נלמוד מעשי חמים
ולא נבא לשאל עולמים:

DO-

DOMINICA X. POST TRINIT.

Luc. 19. 41.

אל בוכה על חטאתינו
ימבקש את שלותינו:
נדע בימינו את---חנו
ונאודה כל-יום לרצונו:

DOMINICA XI. POST TRINIT.

Luc. 18. 9.

פרוש גואה בזיו מעשיו
מוכסן ארצה הפיל פניו:
הפרוש בדרכיו הורק
מוכסן בתפלתו הוצדק:

DOMINICA XII. POST TRINIT.

Marc. 7. 13.

משיח עשה הפלאים
וירפא את--כל--החלאים:
בזה לא בקש את--ריחו
אך העם הגדיל כל--כוחו:

DOMINICA XIII. POST TRINIT.

Luc. 10. 27.

אשרי האוהב ליהוה
ומשמר את-כל-המצוה:
בלבבו ובכל---מעשהו
ולרעו במאר כמוהו:

DOMINICA XIV. POST TRINIT.

Luc. 17. 11.

נרפא לעשרת הצרועים
חד הודה ואחרים רעים:
כן אל מיטיב כל--העולם
ומעטים גמלו תגמולם:

DOMINICA XV. POST TRINIT.

Matth. 6. 24.

לא נצור על צידתנו
כי אל יתן לן דיינו:
אין עובד את שני השלטון
בי יאהב זה ולזה ישטון:

DOMINICA XVI. POST TRINIT.

Luc. 7. 11.

משיח קרב אל שער
עיר נעים החיה את נער:
שהוא כך יחיר לאלמנה
זה גשמע הנה והנה:

DOMINICA XVII. POST TRINIT.

Luc. 14. 5.

הפרושים העלו מן הבור
בימי שבת את שור וחמר:
גם מותר את--ארם לרפאות
מן----חולי ולמן חטאות:

DOMINICA XVIII. POST TRINIT.

Matth. 22. 34.

דוד לבנו קרא ארון
שיש לו לימין יה שלטון:
לכן משיח לא ארם
בלבד- אך כאמת אל ודם:

DOMINICA XIX. POST TRINIT.

Matth. 9. 6.

משיח שליט בחטאים
ומרפא את---התחלאים:
כן ניטיב גם לחבריגו
ותהי עמהם ידינו:

DOMINICA XX. POST TRINIT.

Matth. 22. 1.

יה קרא אל משתה כלם
ויטוש לבא העולם:
גם אין כלי משתה לקצתם
ויצת אש צל חטאתם

DOMINICA XXI. POST TRINIT.

Joan. 4. 46.

המאמין לדבר משיח
הן באמונתו יצליח:
הי הוא יכול לושיענו
אף-על--פי רתק ממנו:

DOMINICA XXII. POST TRINIT.

Matth. 18. 36.

מלכנו רחם עלינו
ונרחם גם על רענו:
פן יאסרנו בית סהר
ולעולם לא גראה זותר:

DOMINICA XXIII. POST TRINIT.

Matth. 22. 21.

בצדקה יהיו חייני
ולכל--אית נתן דיינו:
ליהוה נתן הלולו
ולקיסר כסף ממשלו:

DO-

DOMINICA XXIV. POST TRINIT.

Matth, 9. 18.

מרן ארח אשה זבת-דם
רפא פתאם בפני ארם:
גם בת נשיא העיר ממורת
כן יעשה לנו בסוף ימום:

DOMINICA XXV. POST TRINIT.

Matth. 24. 15.

אוי במקדש נראה שקוץ
ויקרב לנו יום ערוץ:
אספנו יה במשיחנו
וחשוך את שקרנים מנו

DOMINICA XXVI. POST TRINIT.

Matth. 25. 31.

יה יגדיל את איש החמים
ויאבד רע באחרית ימים:
נעשה נא מעשי מישרים
פן נשלך אל בירת נארים:

DOMINICA XXVII. POST TRINIT.

Matth. 25. 1.

אין יהדע הבלירת כלם
יום דון משיח ארח עולם:
לכן נשקור על ביאתו
לבא אל שמחת עד אמו:

APPENDIX

TEXTUUM EVANGELICORUM,

Qui in diebus Apostolorum aut aliorum sanctorum perleguntur.

IN DIE TRANSFIGURATIONIS CHRISTI

in monte Thabor

Matth. 17. 1.

במקום משיח ונביאים
טוב שבת סכות מחביאים:
ברוך יה כי לנו אחה
מחן את----בנך נחתה:

IN DIE ANDREÆ

Matth. 4. 17.

מרן בחר לו חלמידים
לא מבית מישב הנגידים:
כי אם מאנשי דיגים
מעמי ארץ נלענום:

IN DIE THOMÆ

Joan. 20. 24.

הנה כלנו תאמיים
ומבקשים מראה עינים:
משיח האר קרבנו
ואמונה חן בלבבנו:

IN CONVERSIONE PAULI

Act. 9. 1.

איב ארח משיח שאול
ובאור הברק שב פאול:
חשב נא אל את-בעטנו
ומנע און מלבנו:

IN DIE PURIFICATIONIS

Luc. 2. 22.

משיח מלא את-תורה
ומקור ישע לנו כרה:
את--זה נקח בזרועגו
ובשלום יהיה מוחנו:

IN DIE MATTHIÆ

Matth. 11. 25.

אל מליו גלה לסכלים
ויסמירם מך---משכילים:
סבלי העול אל משיח
יבאו כי זה יניח:

IN DIE ANNUNCIATIONIS

Luc. 1. 26.

הורה מרים מרוח אל
בבלי איש ברבר גבריאל:
הן משיח עמנואל
נולד לנו בר-נש בר-אל:

IN DIE PHILIPPI ET JACOBI

Joan. 14. 1.

משיח מוליך אל האב
ומחונן את-כ ל--המשגב:
אין בא אל אב בלתי בבר
זה דרך ל נו ואף מעבר:

IN

IN DIE JOANNIS BAPTISTÆ

Luc. 1. 51.

עד יוחן תורה ונביאים
זה נולד בגיל ופלאים:
ויעבור לפני משיח
שהוא מוחנו הבריח:

IN DIE PETRI ET PAULI

Matth. 16. 13.

כי משיח בן לאלהים
בשר ודם לא מודיעים:
אשרי האיש שנתון לו
מדע הזה ברצון אלו:

IN DIE VISITATIONIS MARIÆ

Luc. 1. 39.

כל---הבוטח באלהיו
גם טהר מטיב עם רעיו:
נפשו מגדיל את-צור סלעו
ויגל באלהי ישעו:

IN DIE MARIÆ MAGDALENÆ

Luc. 7. 36.

הן משתה רצוי ליהוה
נפש נשברה וענוה:
לכן נשוברה לאלהים
מכל מעללינו רעים:

IN DIE JACOBI

Matth. 20. 20.

רבת ממרן בקשנו
שלא יועילו נפשנו:
לכן נכנע לפני אל
הוא יתן כל-מה שיועל:

IN DIE BARTHOLOMÆI

Luc. 22. 24.

מלכי הגוים מושלים בם
וגאיונים הם מרהבם:
לא כן תלמיד המשיח
כי זה את-עצמו השיח:

IN DIE MATTTÆI

Matth. 9. 9.

הפרושים הצדיקו כחם
ויבזו את----זולתם:
ומשיחא קורא חטאים
לתשיכה ולחיל שמים:

IN DIE MICHAELIS

Matth. 18. 1.

מרן פונה אל השפלים
ומשנא בועי הגדולים:
לכן אשרי הנמשלים
כילדים וכהתעלולים:

IN DIE SIMONIS ET JUDÆ

Joan. 15. 12.

כל-איש ואהב את-רעהו
יעזרנו --- ---- ---- וייפהו
כמשיח אהב לנו
גם נחנו נאהב אחינו:

IN DIE OMNIUM SANCTORUM

Matth. 5. 3.

הנרדף בעבור צדקתו
ומהלך לו באמונתו:
אשריו כי ינחל את-מלכות
שמים שהוא בלי בכורת:

BENEVOLO LECTORI.

S. & S.

E*Diti sunt ante aliquot annos, & adhuc eduntur versus Hebræi, distichis Dominicalibus Viri nobilis D.D. Joachimi* Beustii *Latinis adjecti, in quibus ingens spalmatum numerus lectori exhibebitur, qui exactiori consideratione eos perleget. Hoc cum suo seculo perpendisset Parens meus venerandus, e re literaria fore judicavit, si limatiora de re sacra componerentur carmina. Arrisit ipsi tum temporis forma carminis, quæ ex parte Rhythmi est Politissima & Strophorythmica: ex parte metri, Simplex, Minor, Monocolos & Ogdoasyllaba. Hanc elegit & scopo sacro adplicuit. Est enim præsentis carminis forma* Politissima, *quia ut plurimum Rhythmi constituuntur tribus aut quatuor literis:* Strophorythmica *est, quia singulæ strophæ seu disticha habent peculiarem Rhythmum, immiscetur tamen nonnunquam etiam forma Monorythmica, ut in festo Epiphan. Dom. V. post Epiphan. Dom. Misericord. Dom. III. & IV. Trin. & alibi.* Simplex est, *quia non ex brevibus simul & longis, sed ex meris & solis longis composita est: unde Scheva, si adsit, vel sono eliditur, vel plane omittitur.* Minor est; *quia in qualibet duntaxat Dominica carmen extat duobus disti-*

chis aut quatuor hemistichiis constans, Monocolos *est*, *quia tot in priore*, *quot in posteriore hemistichio singulorum distichorum syllabæ reperiuntur*. *Est denique* Ogdoasyllaba, *quia quodlibet hemistichium octo duntaxat non pluribus constat syllabis*. *Hoc carminis genus in specie a numero hemistichiorum Græca voce vocavit* Tetrastichon, *alii* Tetrametrum *aut* Quadratum. *Genus Orationis adhibuit Hebræum*, *& facile omnibus*, *etiam biblia Hebræa tantum intelligentibus; exceptis tamen locis paucis*, *in quibus propter novitatem rerum & versus angustiam*, *aliis etiam vocibus usus est*, *nempe Chaldaicis & Rabbinicis*, *iisque non nisi vulgatissimis*, *de quibus hic monendos judicavi juniores*.

Dom. 3. *Adventus* לז *est Chaldæum & Hebræis etiam non ignotum*, *pro* לנו nobis. *Et* טבלן baptista, *vox in bibliis quidem non reperta*, *sed tamen proba*, *origine & forma*, *a* טבל, *cujus formæ est* אלמן. *Nam* טובל *sive* מטבל, *qua alii utuntur*, *non significat baptistam*, *sed baptizantem*.

Domin. 4. *Adventus*. יוחן *contractum ex* יוחנן ἰωάννης, *ex quo proxime Latinum* Joannes, *Qui enim H immiscent*, *& Johannes scribunt*, *corrupte & remote facere videntur*: *sumto H ex Hebræo*, ἀννης *ex Græco*. *Melius facerent*, *quibus arridet litera H*, *ut semel scriberent voce incorrupta & pura Hebræa Jochanan*, *aut Johanan ut Nathan*. בר Filius selectissimus, *est vox vere Hebræa*.

DIE CIRCUMCIS. שוע salus *a* ישע

In Epiphan. אסנושים Magi, *vox in Talmud & Rabbinis usitata*, *quam Syrus etiam & Arabs retinuit*.

Dom. 2. *post Epiphan.* משתה נשואים convivium acceptionum; *sic vocant nuptias seu convivium nuptiale*.

*Dom.*5.*post Epiphan.* לאבידנו,*pro* להאבידנו perdere nos. *Infinitiv. Hiphil*, *eliso* ה *characteristico*, *ut sæpe fit*. מרן Dominus noster *sive Deus*, *sive Christus*, *Est Syriacum & Chaldaicum etiam*.

Dom. Septuag. דינר denarius. *Est vox a Latinis accepta*: *sed Hebræis posterioribus recepta & nota*, *qua etiam Syrus ususest*.

Dom. Palm. סעורתו *a* סעורה cœna refectoria, refocillatoria, *Convivium singulariter & laute apparatum*: *qualia solent esse Principum & Magnatum*. *Vocabulum Chaldæis & Rabbinis est frequentissimum* Brachoth. c. 6. misn. 6. c. 8. misn. 1. Nedarim c. 5. misn. 6. & alibi sæpe, *a radice* סער *refecit*, *refocillavit Gen.* 18. 5. *Jud.* 19. 5. 8.

Dom. Jubil. משיחיים Christiani, *a* משיח *Christus*.

Die Ascens. נחמן consolator, *a* נחם *verbo noto & vere Hebræo*. *Hujus formæ nomina jam supra habuimus alia*, *ut Dom. Misericordias*, *sicut & in die Pentecost.*

Die Trinit. לושיענו *pro* להושיענו ad servandum nos. *Vide Dom. V. Epiphan. ubi simile fuit exemplum*.

Dom. 3. *Trinit.* רעמו, *a* רעם insonuit, murmuravit. מהנהג *ducens se*, *vel conversans cum aliis*, *Hithpael*, *a* נהג *verbo Hebræo & noto*.

Dom. II. Trin. מוכסן Publicanus, *a* כסס *numeravit*, מכס *census*, *vectigal*. *Hinc factum* מוכסן

Dom. 17. *Trinit.* מוחר *vel* מחר licitum, concessum est. *In Talmud*, *& Rabbinis est vulgatissimum*, *ab Hebræo* נתר *& in Hiphil* התיר *solvit*, *concessum reddidit*. *Oppositum est* אסור *prohibitum est*.

Dom. 21. *Trin.* אף-על-פי etiamsi, *est vulgatum*.


Dom. 25. שקרנים mendaces, falsi doctores. *Vide Dom. Miser.*

Die Thomæ. תאמיים Thomæi, *Thomæ imitatores*.

Die Annunc. בר-נש Filius hominis. *Est Syriacum*.

Die Matthæi כתם secta eorum. *Est Rabbinicum ex Chaldæis*. כת *est cœtus*, *secta &c. His & aliis uti potius voluit*, *quam novum & horridum dicendi genus*, *nemini unquam auditum*, *confingere*. *Reliqua Hebrææ linguæ cultoribus & studiosis nota sunt & plana*.

R O-



ROBERTI LOWTH
DE SACRA POESI HEBRÆORUM
PRÆLECTIONES ACCADEMICÆ

Subjicitur Metricæ Harianæ brevis confutatio, & oratio Crewiana.

NOTAS, ET EPIMETRA ADJECIT

JOANNES DAVID MICHAELIS

PARS PRIOR.

LECTORIBUS BENEVOLIS

S. D.

JOANNES DAVID MICHAELIS.

EO plausu in Germania exceptæ sunt Roberti Lowth prælectiones de poesi sacra Hebræorum, ut opus haud habeam facti mei rationes reddere, qui librum apud nos rarum, multo auctiorem & tamen multo minore pretio parabilem futurum, typis denuo describi curo. Quod enim alias secus evenire solet, id hic accidit, ut libri peregrini editor ejusdem sit fueritque parcissimus laudator. Sententiam, pro rei publicæ eruditorum libertate lectoribus omnibus permissam, in relationibus de libris novis (*) dixi: neque meæ me religionis in judicando pœnitet, licet non sine aliqua voluptate intelligam, plerosque impensius virum laudasse, nee fere quidquam in eo desiderasse, ut mea laude aut commendatione, jam quidem suspecta futura, facile carere possit. Repetam tamen, quæ sentio.

Poetam de poesi Hebræorum dicere, statim intelligent lectores, inge-

(*) Fascic. X. p. 317. 337.

ingenio præstantem, quod elegantissimis Græcorum Latinorumque literis excoluerat. Rarum hoc & exoptatum munus Hebraicis carminibus contigit: aliter enim poetas vates tractabit, aliter merus grammaticus. Hic quidem scholiis illos onerabit, singulas mirabitur potius quam persentiscet Veneres, pulchras phrases laudabit, ac sæpe laudabit, quæ nemini suæ gentis placeant, ideo quod insolita sunt, legibus tamen artis, quas ipse rogavit, consentanea; talia etiam nonnulla, de quibus poeta nunquam cogitaverat, suarum legum amore illi tribuet; quid in nostris imitari linguis possimus, quid privum sit exteris, obtusius videbit: artifici denique similis erit, qui minimarum partium artificium & pulcritudinem æstimans, universas non complectitur, nec confusa illa imagine, quæ alios admiratione & voluptate percellit, delectari solet. Quod quidem optimis etiam, & meliore ingenio natis accidere grammaticis videmus; nec mirum. Ea enim est adfectuum & delectationis natura, ut fortius nos afficiant, quæ quomodo afficiant ignoramus: contra ubi caussas voluptatis argutius novimus atque ad illas attendimus, hebescat tanquam gustus noster, atque etiam aliqua, pulchris simillima, nec tamen pulchra, confundamus, solum etiam artificium admirantes. Unde & raro contingit, ut qui in grammatica habitant, magni poetæ sint aut maneant: nimis enim sæpe legum pulcritudinis poeticæ & artificii recordantur, quam ut furore illo diviniore, non interrupto, ferri possint. Sui enim sibi conscius quis furat? quis non sit magis sanus, quam esse debent, qui in Helicone bacchantur. At a poeta, quem natura talem finxit, exigas speresque, quod a grammatico, maxime ab illo qui Judaicorum librorum consuetudine aliquid contagii Rabbinici ingenio contraxit, ne optare quidem audeas: nempe, ut vivo sensu universæ pulcritudinis adfectus, voluptatis suæ quodammodo participes sociosque faciat lectores, idem illud pulchrum non ratione sed sensu aliquo intelligens, quod in omnium linguarum poesi excellentia ingenia in sui rapit amorem & admirationem; acutius contra videat, quæ apud exteros pulchra, in nostra tamen poesi aut displicent, aut nova sunt, ut sive excusatione opus habere, sive ob ipsam insolentiam magis mirabilia ac divina futura videantur. Quam quidem spem Lowthus, linguæ Hebraicæ peritior quam plerique esse poetæ solent, poeticæque facultatis adjumento melior interpres carminum Hebraicorum, minime destituit, sed effecit, ut & nostri homines, a literis Orientalibus remoti, voluptatem percipere ex peregrino illo concentu, & tanquam orientalem aliquem Orphea mirari & sectari possint. Idem, qui sit proprius Hebraici carminis color & sanguis, ita ostendit, ut nemo antea: licet non omnia nobis nova & insolentia existimem, quæ ipse soli Orienti tribuit. Fueritne etiam patriæ poesis amore perculsus, nescio: quæ quidem illi utilissima esse potuisset. Dubitari enim nequit, quin nostræ linguæ poemate fortius afficiamur. Græca forte & Latina impensius laudabimus, mirabimur etiam elegantius, tum quia insolentiora sunt his, quæ cum lacte bibimus, tum quod eorum artificium distin-

distinctius perspicimus, denique quod vitia poetæ (quibus nemo caret) in lingua mortua non intelligimus, certe auribus ea non percipimus: erit tamen in illa omni admiratione paulo minus naturæ, plus artis & scholæ, at domestica legentes magis eosdem persentiscemus impetus, qui poetæ pectus pertentaverant.

Desiderari tamen in hoc ipso viro nonnulla jure posse, existimo. Quo non refero, quod eos non excerpsit, qui ante ipsum scripserunt, neque eorum historiam aliquam literariam concinnavit: quis enim poetam, id non pollicitum, ac multo dantem præstantiora, ad hoc detrudat ergastulum? nec quod parum historici dc carminibus Hebræorum habet, soli pene eorum ingenio intentus; illam enim partem tractandam non suscepit, licet lectoribus pergratam futuram, nec ea viro erat reliquarum Orientis linguarum cognitio, ea Arabicorum ac Syriacorum poetarum consuetudo, ut bene suscipere potuisse videatur. Verum id ipsum desidero, quod vix dum indicavi: earum linguarum, sine quibus Hebraica ultra mediocritatem intelligi nequeunt, penitiorem cognitionem. Hinc fit, ut Hebraica nonnunquam minus recte explicet, ubi pulcherrimos sensus fundunt: novas præter necessitatem moliatur lectiones, sive textus, sive vocalium: carminaque Hebraica cum Græcis quidem & Latinis, nunquam cum illis conferat, quibus ut cœlo & lingua, ita ingenio, conjunctissima sunt, Arabicis. Quos defectus non ideo indico, quasi eos supplendos recipiam, id enim facturo liber scribendus non notæ, sed ut candide cum lectoribus agere, nec dissimulare quidquam existimer.

Nolui autem, pro nostræ ætatis consuetudine, Germanice versas has prælectiones prodire, sed quales sunt, Latinas: cujus consilii rationes expediam. Primo sumtus in Germanicam versionem impendendi, pretium libri incensuri erant. Deinde hos ipsos sumtus inutiles existimabam: qui enim rivi fonte præstantiores? quis etiam vel optimus interpres non interdum dormitat? quis vero melius ipso Lowtho, Latina lingua commodissime & ornatissime utente, quæ ille Latine commentatus erat, alia lingua exponere suscipiat? Non ignorabam, in hac linguæ Latinæ strage & pene interitu, multos solis Latinis (ut olim Græcis) ductibus ac literis a libro emendo deterriti, omnibus legere cupientibus, quæ sola intelligunt, vernacula, quod quidem malum ita jam manifestum est, ut vel bibliopolæ a libris Latinis abhorreant. Ita tamen intelligebam: paucos ex his, qui compendiaria contenti sunt & meritoria eruditione, (Brodtbringende Gelehrsamkeit, eam ipsi vocare non dedignantur) Lowthum lecturos; ignorata enim, nec unquam degustata poesi Hebraica, quem sibi propositum habent finem assequi, orationibusque qualibuscunque habitis victum sibi, conjugi carissimæ, liberis, parare, possunt; nullam ergo horum rationem habendam esse: contra ex eruditis, eo nomine dignis, paucos fore, qui libro in suo genere unico carere velint; quod si accedant aliqua eorum, quæ Lowthus omiserat, forte & exteros Latino libro emtores allici posse.

Deinde

Deinde videbam, eximia poemata Latina, quibus Hebraica Lowthus imitatus est, nec ultimam nec secundam, laudem operis esse: eam autem omnem in Germanica interpretatione perituram, nisi poeta insignis, idemque Hebraicarum literarum peritus, huic oneri succederet. Quod quidem omnino desperabam: ut enim taceam, raros esse, qui poeticam facultatem cum Hebraicis conjunxerunt, nimis molestum illud onus est, nimis difficile, illo tempore, quo chartas typotheta poscet, afflatum diviniorem polliceri, sine quo nomen poetæ & honor salvus tibi esse nequit. Sed fac, similem Lowthi aliquem interpretationem suscepisse, plurimum tamen Lowthiani decoris periturum erat, tum quia difficilius est, carmina aliena interpretari versu, quam sua fundere: deinde, quod ille, quem dixi, impetus, cujus omnes in poesi partes sunt, voluntati poetarum non paret, nec horis se atque laboribus typographorum adstringi patitur. Si quid etiam cælestis auræ in versione futurum fuisset, interpretis libere per avia Heliconis vagaturi, ac novum, non Lowthianum, futurum erat; quod facile dabunt, quibus unquam suo Apolline pectus tumuit.

Vitam Lowthi narrare nec necesse est, nec possum; id unum novi, ante biennium fato functum esse. Plura dabo, si plura ex Britannia rescivero antequam tomi secundi editio finita sit. Quæ meo svasu denuo describuntur prælectiones, eas Oxonii, quaternas nisi fallor singulis annis, in auditorio publico habuit. Instituti rationem lectores & ex prælectione prima & ex Crewiana oratione intelligent. Secundæ me interesse vertente anno 1741. memini: quando autem finierit argumentum, nescio. Edidit universas ex typographeo, quod Oxonii est, Clarendoniano, anno 1753. forma multo splendidiore, literis majoribus & pulcrioribus: sed hæc ornamenta omnia, me (fateor) autore & svasore imitari noluit bibliopola, cujus sumtu & literis, hæc nova editio facta est, ut minoris constaret, pluribusque prodesset liber, sua jam sponte, quibuscunque descriptus literis, satis ornatus. Qua re factum est, ut prior hic tomus, in editione Oxoniensi in litera X, schedæ subscripta, desinens, licet notis meis & epimetro valde auctus, schedam litera Y insignem non impleat.

Hæc quidem mea a Lowthianis facile dignoscentur: notæ ex linea supra illas ducta, partim etiam ex titulo lineæ subjecto, *notæ editoris*, epimetron autem a pagina ... prælectioni nonæ subjectum, ex titulo. In his quid præstiterim, non meum est arbitrari: præstare quid allaborarim, indicatu non opus. Id vero profiteri necesse est, nihil mihi cum emendandis schedis textus Lowthiani, lapsibusque typographicis, fuisse: quod omne bibliopola, ipse linguæ latinæ non imperitus, bonusque & curiosius operarum typographei castigator, præstandum recepit. De cujus quidem, eorumque quibus id negotium commisit, diligentia optime spero: si quid tamen mendorum oculos eorum fugerit, a me ejus peccati rationes exigi nolim. Tomo secundo, qui iam typis describitur, quid de meis additurus

diturus sim, (habebit quippe, præter notas, plures commentationes) ne dum mihi quidem prorsus statutum & exploratum est. Id unum: curabo ne meorum multitudine liber oneretur, pretiumve eius augeatur.

Quid prosit de poesi Hebraica scriptus liber? si quis nimis anxie quærat, vereor, ne ad meritorios, quos supra dixi, eruditos, aut ad imperitos, ablegandus videatur. Vix enim quidquam est in omni literarum elegantia, quod elaboratum perfectius, non præter delectationem insignem etiam utilitatem afferat. Fortasse tamen nec illis lectoribus, a quibus hoc libro edito gratiam inire cupio, injucundum erit, si de eius utilitate quid sentiam exposuero.

Ac primo quidem existimem, caussæ Dei & religionis interesse, ut recte & vere de poesi Hebraica sentiatur. Non is sum, qui ex verborum elegantia, poeticaque divinitate dictionis propriam & veram divinitatem literis sacris, ut Corano olim suo ex inimitabili poematis pulcritudine Muhammedes, asserere audeam. Fecerunt id ex defensoribus religionis aliqui, non a me nominandi, quia id post factam Muhammedis mentionem vix sine invidia fieri potest. Aliter omnino sentiebat Paulus (1. *Cor. II.*): cuius auctoritate tutus, lubricum hoc totum argumentorum & defensionis genus mihi videri, libere profiteor. Quis enim mortalium ita metiri aliorum ingenia mortalium, (quorum hucusque mensura nulla mathesisque reperta est) possit, ut, quid vere divinum in poesi sit, vimque humanam superet, ab humana facultate discernat? Quis neget, suum cuique scriptori a Spiritu Sancto ingenium relictum, ut cum nihil habeat Jobi poema simile, secundus ab illo Moses sit, tertius, sed longo intervallo, David; non tamen desint, qui nullo dictionis cultu aut sublimitate commendentur. Obiici etiam, non dicam, toti argumentationis generi, sed tamen his, qui ita argumentantur, potest: varios esse sensus hominum, non eadem omnibus pulchra aut sublimia videri; neque ipsos earum rerum satis peritos spectatosque haberi Judices.

Ne laboraturam quidem Dei caussam putem, si mediocria essent, aut humilia, universa poemata sacra. Est & sua humilibus laus, inque concitandis ipsa simplicitate adfectibus, præstantia. Præterea in divinæ voluntatis interprete, cui, ut manum literarumque ductus, ita suum ingenium dictionisque colorem reliquit Deus, ut indelebili nota vera eius scripta a spuriis dignosci possint, non elegantia spectatur, non admirabilitas, non delectatio quæritur, sed integra sententiarum veritas, erroris nihil, nihil humani admixtum habens. Nullo cultu superbit Judicium liber: sed non ideo non divinus. Nihil Ezra inornatius, ut mirer, quo erroris portento Mosaica illi scripta tribui potuerint: (quamquam non est, quod mirer, cum facinus simillimum ausus sit Harduinus) sed nemo eo crimine, ex prophetarum numero eximendum Ezran censuerit. Eleganter & Mosaice si scripsisset, Mosis libros dignoscere ab Ezrae stilo non possemus.

Quid ergo, inquias, rei sacræ refert, qualia sint carmina Hebraica,

braica, utrum pulchra, quibusque nihil humanum ingenium enixum est maius & perfectius, an deformia, tumida, ridicula, plebeia? Multum vero! Plerique enim ex hostibus sacrorum, non simpliciter inscientia eo deveniunt argumentorumque fallacia victi, sed alii peccandi libidine tales exstitere, alii contemtu eorum qui divini feruntur librorum, & adfectatione sapientiæ non vulgaris. Cum ergo videant, rideri libros sacros & exsibilari ab aliis, aut malis, aut ignaris, multaque in illis, quales lingua nostra leguntur non posse non displicere, pudet, divinos habere: & quia pudet, argumenta contra eos libros conquirunt, quibus ipsi sibi satisfaciant, ad ea non attendunt, quæ contra dici possent, nec dubitatione vere philosophica, sed risu & joco & cupiditate rem unam omnium gravissimam conficiunt. Quibus consuli forte possit, si penitius illis pulcritudo poeseos biblicæ spectanda præbeatur. Ipsi enim sibi non possent non omni contemtu digni videri, si de antiquissimis exemplaribus, post tot annorum millia, modo intelligantur, classicis, & in quibus humanum certe ingenium, quid magni & ornati efficere possit, periclitatum videtur, tam leviter & proterve judicent, eaque non audita spernant. At hic male rem agere solent theologi, non scientiæ culpa, sed quia paucis, ut inter reliquos mortales, ita & ex theologis, contigit, ingenio poetico nasci. Poeticam enim pulcritudinem licet omnes sentiant, qui linguam poetæ callent, pauci tamen de ea recte & acute judicant, ac fere hi soli, qui ipsi a natura poetæ sunt: non critici, non grammatici. Quod ita verum est, ut vel qui florente ætate poetæ fuerunt, cum senescentes, sensim residente illo divino impetu, ex poetis critici fiunt, multo quidem deliberatius, sed & multo obtusius, de aliorum poematis judicent, vituperanda multa admirentur, laudabilem audaciam ac divinam vituperent, verbo dicam, senes de poematis pulcritudine ita sententiam ferant, ut de virginum delectu filiis præcipere solent. Paucis id contingere theologis potest, ut nati ad poesin, eandem facultatem optimorum exemplarium lectione, & exercitatione felici, excoluerint & perfecerint: ac plerique ne grammatici quidem satis sunt, sed remoti ab omni elegantia Græcorum Latinorumque, aliisque studiis distenti, Hebraicæ linguæ perquam modice periti, Arabicæ, cujus in poesi Orientali primæ partes sunt, ignari. Et hi tamen, (si quando in hanc Scyllam incidunt) poematum sacrorum divinitatem ac sublimitatem laudare, id vero est, sani & sicci bacchari audent: felices tamen, si nihil Rabbinicæ eruditionis admiscent. Singulas ergo phrases mirantur: exclamant, pulchra esse, quæ ex nostris nemo in suis carminibus ita legi velit: prave laudando efficiunt, ut contemtiora, quam erant; veneranda hæc antiquitatis monumenta videantur. Perpetua enim peregrinitatis excusatione opus habent, ad quæ illi stupent, ut æquum lectorem miseratio subeat, iniquum risus pertentet.

Plus etiam interpreti sacrarum literarum penitior poesis Hebraicæ cognitio præstabit. Mirum videri possit, cum magna pars codicis

He-

Hebraici omnium confeſſione poetica habeatur, (carmina dico in libris proſa ſcriptis paſſim ſervata, pſalmos, Jobi lamentabile ac divinum carmen, Salomonis proverbia, canticum canticorum, & threnos Jeremiæ) vaticinia præterea prophætarum pleraque multo rectius ad poeſin, quam ad ſolutam orationem referantur! ad interpretationem veteris teſtamenti plerumque accedere homines, non dicam poeticæ facultatis expertes, (quis enim tam ſit ferreus, ut his poetarum interpretationem neget, licet in ea multo melius verſaturus videatur, qui ipſe poeta eſt) ſed qui nulla unquam literarum elegantia, nulla poſtquam ex ephebis egreſſi ſunt poetarum græcorum, latinorum, patriorum conſuetudine ingenium ſeverius exhilararunt: aliquos etiam eorum tam eſſe impudentes, ut rem unam omnium difficillimam adgrediantur, (quippe quæ præter magnam philologiæ cognitionem, multamque exercitationem interpretandi, & elegantiæ omnis literarum diuturnum uſum & cognitionem, accuratiorem ac ſeveriorem, quam plerique putant, philoſophiæ peritiam poſcit), leges ut condant hermeneuticas, earumque inſtitutiones ſcribant. Hoc tamen cum illi audeant, neceſſe eſt, id accidere, quod fieri quotidie videmus: leges interpretandi ab imperitis rogari, quæ forte in exſangui aliquo metaphyſici hominis ſcripto explicando valere poſſint, non in pulcro poemate: eaſdem leges ab imperitiore turba, quam ſuo hi exemplo ſuis præceptis formant, ediſci, ac pene pro divinis haberi: ad illas provocari, ubi philologiæ & bonarum literarum expertes deſtinatum habent, ſacro codici aliquam obtrudere ſententiam: ex verbis, phraſi, imaginibus poeticis, nimiis proprie ſumtis, exſculpi myſteria ab alio, eorum cupido quæ intelligere nequeat, futuros eventus a curioſo, ab hæretico & fanatico errores graviſſimos: audacter hæc omnia proprietate ſignificationis defendi ſi quis poetas, ut par eſt, explicet, dubitari, poſſitne idem in verbo Dei fieri, quod in aliis poetis quotidie facere ſolemus, quaſi vero divinum ſit, omni ornatu & audacia poema carere, nec iidem alibi inſignem poeſis Orientalis inſolentiam, in figuris audaciam, ſublimitatem, etiam in majus augeant. Qua quidem arte afficiunt, ut nullis legibus, nulli ſenſui ex bonorum poetarum lectione nato, pareat interpretatio carminum Hebraicorum, ſed mero ipſorum arbitrio & cupiditati: ſitque ſibi ipſa diſſimillima, prout illis placet, ſive inſolentiam figurarum Orientalium, ſive ſiccam aliquam & exſanguem proprietatem, quæ ſola Deum oracula fundentem deceat, jactare. Proderit his fortaſſe, Lowthum legiſſe, atque ab illo guſtu aliquo poeſis Hebrææ imbui: quod tamen ita dictum nolim ut Lowthi liber interpreti ſufficiat, nunquam probabili futuro, niſi ipſe ſe poetarum lectione ad intelligendos poetas formet, ſed ut non parum adferat & adjumenti, & ad alios poetas legendos cumque ſacris comparandos incitamenti.

Fortaſſe etiam ſtilus eccleſiaſticus orationum ſacrarum & precum, tumoris minus habiturus erat, plus ſanæ rationis, poeſi Hebraica paulo melius intellecta. Locutionibus & dicendi genere

codicis ſacri eccleſiaſtæ delectantur; non male illi, modo proſa oratione loquentes, aut preces fundentes, quas nulla verborum jactantia decet, non poemata Hebraica ſed proſam orationem ſcripturæ ſacræ imitarentur. Non credo, hic peccaturos, qui meminerint, poemata eſſe, phraſeſque poeticas: ægre etiam laturos exiſtimo, ſi quis in precibus orationibuſve ſacris poetam patrium ſublimiorem, aut Latinum Græcumve, imitetur. Moleſtius autem peccatur, ſi ea imitamur, quæ poeſi Hebraicæ priva ac propria ſunt, ut, paralleliſmum duorum hemiſtichiorum, de quo noſter in prælectione XIX. pulcherrime egit: qui vel in carmine vernaculo intolerabilis foret, ac tautologiæ moleſtiſſimæ nomine notaretur. Et tamen video, multos tunc demum ſibi pulcros videri, ſi preces publicas ad hunc modum mere Orientalem conforment, aureſque perpetuis repetitionibus, Orienti jucundis, Europæ inviſis, lædant, prudentioribus ſtomachaturis, dormitaturis reliquis. Nec tamen antiphonias noſtras aut litanias hic carpere videri velim, ſed proſas preces, ab uno fuſas oratore ſacro. Illæ, ſi vel metro careant, ſunt tamen quodammodo ob muſicam modulationem poeticæ: nec quidquam eſt peregrini auribuſve moleſti, in duorum chororum antiphonia, ſed in unius precantis tautologia.

Nec vero ad ſolos pertinet theologos Lowthi liber: nemo illum, qui literarum elegantia atque etiam vernacula poeſi delectatur, a ſuis alienum exiſtimare ſtudiis debet. In ſolo enim non omnia ad hanc ſunt ingenio, ſed ſi natura faveat, accedatque multarum rerum ſcientia, cui ornamenta ſua poetæ debent, arſque & induſtria, luxuriem & vitia carminis depaſcens, optimorum exemplorum varietate perfici ſolet: quæ varietas quo major eſt, eo magis ſuus, nec imitator aliiſque addictus, poeta videbitur, imaginumque novitate, copia, ac tanquam ſilva delectabit. Nihil enim aut mediocrius in poeſi aut moleſtius, quam eadem ornamenta nimis ſæpe redire, uſu crebriore vileſcentia, quę ſi conſtet unde habeas, omnem pene poeticæ facultatis laudem deſperare debeas, aſſeclis adnumeratus. Nec pauca ſunt in poeſi Orientali, (quo nomine Hebraicam jam & Arabicam complector: de Syriaca enim dicere nihil attinet) nova nobis, noſtriſque, & Homericis non audaciora, ac ſine dubio placitura, ſi illi tentent quos ingenium non deſtituit. Ita quæ natales Græcis Latiniſque debet, incrementa ſuperioris ſeculi & hujus noſtri excellentibus poetis domeſticis, nova decora Britannorum lectioni & imitationi (licet, libere fateamur, jam pene nimiæ, & quales antea reprehendebam) nova lumina, & tanquam

ignes

Sidonii rubrique maris

ab Oriente petere poſſet poeſis Germanica: cui rei nonnihil in notis adferre adiumenti ſtudii, paſſim diſputans, minus Orientalem poeſin a noſtra diſtare, quam vulgo putant aut alterutrius aut utriuſque imperiti. Minus hoc noſtro tempore παράδοξον videbitur, cum paſſim per Germaniam celebrentur, quos poeſin Orientalem

imitari

imitari credunt: ab ea licet alieniſſimi, & qui nævos plerumque verſionis patriæ, in quibus ob inſolentiam ſtupent, expreſſerunt. Quod ſi ſecus accideret, mirarer: cum videam ad hoc genus imitationis accedere qui Orientalia nunquam legerunt, certe ea non expedite intelligunt.

Hæc de Lowthi libro. Sed videtur, antequam præfari deſinam, magnus & pervulgatus error, quem in notis aliquoties attigi, ex animis lectorum, ſi qui eodem tenentur, eximendus. Laudari poeſin Hebræorum audiunt, ac cœlo, unde delapſa eſt, æquari; ſtatim ergo non ſuſpicantur, ſed confidunt, eandem gentem & eloquentiæ laude floruiſſe, optantes, ut Lowthus de poeſi ita alium de eloquentia Hebræorum agere. Quas quidem voces frequenter audias; maxime ubi Jeſaiam admirantur, quo majorem & fervidiorem oratorem naſci poſſe, ſunt qui negent. Quæ Jeſaiæ laudes ſi in peritos rerum arbitros incidant, non poſſunt non literis Hebraicis notam haud levem adſpergere: valde enim rudem, ipſiuſque nominis eloquentiæ ignarum oportet eſſe, cui Jeſaias ut orator placere poſſit: quem ſi quis orator imitaretur, a plurimis non intelligeretur, tumidus haberetur a doctioribus, ac facile ei accidere poſſet, quod de Græco poeta narrat Cicero, omnibus, quibus carmen recitabat dilabentibus, ſolum Platonem remanſiſſe. Sufficiebat hic unus auditor poetæ, plures habituro lectores: oratori autem ignominioſius nihil evenire potuiſſet. Magno enim, ut in nota ſecundo monui, utrumque elegantiæ genus intervallo diſtat: poema breve, ac raptim audientibus ſubobſcurum, niſi valde aut attenti aut docti ſint; oratio copioſior, atque ita intellectu plana & facilis, ut vel oſcitantes ad audiendum erigat, atque ab indoctis percipiatur: hæc modeſta, affectu plena, ſed qui initio premi fere ac diſſimulari ſolet, ſenſimque ei frena laxari incenſis jam auditorum animis, ita tamen, ut ſemper ſanus videri orator auditoribus cupiat: in illo divinior furor & audacia placet, atque recte ut mediocres ac frigidos

arcet ſanos Helicone poetas

Horatius: hæc ſolitis utitur verbis imaginibuſque, eoque eloquentior eſt, quo magis unicuique ex corona inter audiendum videtur, eadem ſe iiſdem pene verbis dicturum fuiſſe, atque vix poſſe aliter dici; illud inſolentia ac novitate geſtit, languidum ſi uſitata habeat, ſinguliſque ejus ornamentis non parum jam decoris periit, ſi quis antea occupavit.

Mirum videri poſſit, res tam diverſas a pleriſque confundi, eruditis etiam, niſi jam dudum (quod pene ſuſpicor) eloquentiam nullam habentes mali hujus facultatis arbitri eſſemus. Eſt illa, ut deinceps monebo, liberarum civitatum filia, ſero partu procreari ſolita, ubi in cultis omni doctrina gentibus viri prudentes ad literarum elegantiam informati de re publica non breves dicunt ſententias, ſed in majore ſive ſenatus ſive populi corona pandunt oratione & prolixius ſuadent; & Athenis & Romæ libera republica florens, cumque

 illa

illa extincta: quam nostro tempore vix extra Britanniam Sveciamque speres. Qualis in Svecia sit; nescio; nullas enim in comitiis habitas orationes legere mihi contigit: Britannos quidem oratores antiquis æquiparare ausim, quamquam actionem & vocem oratoris in illis desiderari a nonnullis, Gallis, maxime, videam, quod quo jure fiat ignoro. At quid ejusmodi apud nos est orationum, apud quos reipublicæ administrandæ prudentia ex mutis artibus est? Quid incitamenti habemus, quid exercitationis, quæ præmia eloquentiæ? quibus omnibus destituti eone nobis ingenio esse videmur, ut in umbra, nulla seria exercitatione, eam assequamur facultatem, quam Græci sibi & Romani aurea demum linguæ ingeniorumque ætate, multo usu & exercitatione compararunt? In scholis orationes habemus, sed pueri, nec ut suadeamus permoveamusque, sed ut quodammodo probemur. Non dissimulabo, ab his, qui scientias profitentur, in academiis nonnunquam orationes haberi, quando munus auspicantur: nec quæram, quales hi sint, unde plerisque eorum subito contingat, cui nunquam studuerunt, eloquentia, quibus verbis dicant, qua actione, qui, postquam ex ludo egressi erant, non dixerunt, neque deinceps dicturi sunt, hac una perfuncti fatali oratione? Id unum moneo, ejusmodi plerosque legere argumentum, in quo vel perfectus orator, Demosthenes aut Cicero, non futurus orator sit: protritum alios ac pervulgatum, abstrusum qui doctiores sunt, quod commentationis indiget, non orationis: quod quidem ita perorant, ut movere animos & concitare affectus, (in qua re dominatur orator) propositum illis minime sit, sed sive legibus accademiæ satisfacere, sive, si magna sperare audent, delectare ac laudari. Quod quidem citra invidiam profiteri posse mihi videor, qui ipse tales pro more orationes & habui, & prelo permisi.

Opponi sacros mihi oratores video, qui de rebus gravissimis & verissimis verba facientes, acerrimos animorum motus concitare student. Nec obnitor, quin possit hic aliquis esse locus, incognitus Græcis & Romanis, eloquentiæ novo generi, eo nobilioris, quo minus fuco indiget, nihilque habet non sinceri: existimem tamen, plerumque eos, quos oratores sacros dicimus, doctores potius & præceptores & esse, & debere esse, similiores philosophis, quos distincte & ornate de sua scientia disserere vult Cicero, eloquentes fore & oratores vix sperans. Mirum ergo, si tanta nos nascimur ingenii felicitate, ut in quo genere veteres maximis civilis eloquentiæ exemplis instituti & ad imitandum abrepti, eniti non potuerunt, in eo nos eloquentiæ rudimenta ponimus, ad eamque formamur. Vereor etiam, ne reprehendendi sint plerique ex concionatoribus sacris, si verorum oratorum similes esse velint: cum rusticis enim, ut infima plebe, & aniculis, qui ita agere cupit, ut doceat & moveat, submittere ad illorum captum orationem debet; laudabimus in illo plebeja quædam & verba & sententias, quæ in vero oratore, cultius poscente auditorium, displicebunt. Sunt & aliæ difficultates maximæ, contra quas universas quemquam eo usque eniti posse,

poſſe, ut verus, Athenarum Romæque antiquæ ſenſu, orator fiat, deſperem. Ipſa rei ſanctitas paulo ſedatiorem, quam orator eſſe debet, noſtrum poſcit divinioris philoſophiæ præceptorem: de rebus itidem tam notis agit atque quotidianis, ut defutura orationi videatur varietas, erectas aures tenens, niſi curatius interdum & abſtruſius, quam oratoris eſt, diſſerat, atque cognitionem adultorum ac τελείων ſententiis argumentiſque ditet. Adde vincula illa, quibus ſacri noſtri oratores conſtringuntur, in quibus nec Demoſthenes nec Cicero orator futurus erat: leges dico orationum ſacrarum, ex moribus ortas, ut ſemper aliquod præmittendum exordium ſit, licet nihil faciat ad erigendos auditorum animos, qui cur convenerint, non ignorant, nec præfamine opus habent: ſtatum ſuumque tempus preces habeant, quibus oratio abrumpitur; prælegatur & explicetur oraculum divinum; & quæ alia ejuſmodi ſunt: in quibus ipſa moris ſervandi conſtantia varietati obeſt, quam orator ſequi debet. In iis tantis difficultatibus ſufficere poſſit eccleſiæ, quod philoſopho diſerto Cicero concedit, unde rectius forte proprio vocabulo & antiquo *homilias*, quam orationes ſacras dixeris: quod ſi fecerit, admonitiones preceſque paternas aut amicas addens, næ ille ſuo officio non defuiſſe cenſendus erit, licet rem maximam, eloquentiam, ad quam pauci nati ſunt, non tentet. Nec video pleroſque ex illis, qui noſtræ ætati eloquentes habentur, veros oratores eſſe: quorum aliqui, graviſſimos animorum motus concitantes, ideoque hoc nomine digniores, pluſculum tamen plebeii ſunt, quam oratorem decet, debentque eſſe, quia ad plebem dicunt; nullum certe ex illis novi, qui luxuriem & nævos orationis ſcribendo & arte ita caſtigaverit, ut Atticus orator dici queat. Alii perquam ornati ſunt & elegantes, ſed hoc omni cultu, ob quem ſuaviter audiuntur, delectant magis quam movent. Quibus ſæpe accidit, ut valde laudentur ab auditoribus, quos percellere oratione, triſteſque aut iratos dimittere debebant, ſi eloquentes eſſent. Quo quidem nihil alienius eſt a veræ eloquentiæ laude. Quis enim, quæſo, Ciceronem habiturus eloquentem erat, ſi ejus actio prima Verrem, hominem ab elegantia literarum remotum, tantopere delectaſſet, ut reliquis omnibus, quas parabat, orationibus interfuiſſet avide, eaſque pocula inter & delicias valde commendaſſet. Quæ omnia non ita dicta velim, ut negem, oratorem ſacrum, ſolutum vinculis de quibus dixi, Græcis Romaniſque parem fieri aliquando poſſe: ſed ut hactenus nondum exſtitiſſe videatur. Sero fortaſſe florenti literis naſcetur eccleſiæ: id donec fiat, dumque oratores, ex libris lingua peregrina ſcriptis tantum novimus, auribus oculiſque uſurpavimus nunquam, excuſandi videmur, ſi prave interdum de eloquentia judicamus. Faceret idem forte de poeſi judicans orator, ſi poetas lingua ipſius non haberet: quin fecit ante Virgilium Cicero, pravus carminum æſtimator.

Sed ut ad rem redeam, mihi quidem nullam omnino eloquentia, (quo vocabulo ita uti exiſtimari velim, ut Cicero illud accepit, multum intereſſe eloquentiam inter & facundiam ſtatuens) Hebræis

fuiſſe,

fuiſſe , aut in illa gente ſperanda fuiſſe videtur . Ut enim hic prætermittam , quod jam ſupra attigi atque ex Cicerone mutuum ſumſi , rem unam omnium difficillimam eloquentiam eſſe , nec niſi ſero civitatibus oratorem contingere , Græciæ multis poſt Homerum ſeculis contigiſſe : vix videtur extra liberam civitatem , florentem diu ac beatam , omnibuſque literis ita cultam , ut oratorem comtum etiam & elegantem cives intelligant , oritura eloquentia . Libertas enim ipſi & materiam in qua verſari queat , proſternet , & majus congregabit auditorium , quo & accenditur orator , & ſine illo eſſe omnino nequit , (breviter enim , amici more , regi ſuadere , quid faciendum ſit , diverſiſſimum adhuc a populari eſt eloquentia) & coget viros prudentes patriæque amantes , de republica ita ad cives dicere , ut erudiant omnes ac moveant : erit tamen eorum oratio inornatior , ſententiæque ſimilior , aut plebejo acumine agreſtique comparatione audientiam ſibi faciens , niſi omni literarum elegantia civitas floreat , florueritque diu , quod quidem niſi in beato populo vix ſperandum eſt . Mollioris enim & delicatioris vitæ otium ad literarum elegantiam plerumque requiritur : in egeſtate , perpetuoſque inter armorum ſtrepitus pauci erunt , qui literis excolent ingenia , ut , ſi orator naſceretur ; auditores tamen , quorum auribus , aſſenſu , vituperatione , faſtidio , laude , admiratione formatur ac perficitur , defuturi ſint . Multum autem temporis requiritur , antequam in hoc ipſo libero , beato , docto populo perfectus orator , imitatione aliorum , æmulatione , uſuque diuturno , qui multa rebus inventis vitia demere ſolet , addere multum novæ pulchritudinis , exſiſtere queat . Deerit diu periodorum conformatio & cura ; materiæ perſpicua diſtributio , magis neceſſaria , quo longiores fiunt orationes , ſenſimque a ſententiæ brevitate recedunt ; delectus verborum , quorum multa , privato ſermoni non indecora , faſtidire incipiet oratio , peregrina maxime , quibus uti in literis aut familiari colloquio poſſis , at orationi eaſdem attexens lacinias , a quibuſdam non intelligi te ſenties : varietas , exordiorum inprimis , cui ſtudere tum demum opus eſt , cum maxime obvia a multis jam ſunt oratoribus occupata , nimioque uſu faſtidiuntur : actio liberior , oratorem decens ; alia denique multa , quæ hic ſingula animus non eſt enumerare . Hæc omnia ſenſim in libero & docto populo addentur oratori : præmiis etiam eloquentiæ majoribus innumeri incitabuntur , ut ad illam contendant , ex quibus pauci , e meliore luto ficti , eloquentes fient .

Ergo ante Moſen in populo Ægyptiis ſerviente nullus omnino locus erat oratori : hoc autem duce , Deique auſpiciis , cum libertatem recuperaſſent , vix poterat illa ipſa , quæ prima libera fuit , ætate hominum , naſci eloquentia . Quamquam ne liberi quidem ſenſu civili dici poſſunt , quibus Deus rex erat , per prophetam omnia gerens , nullæ de re publica , legibuſque ferendis conſultationes aut comitia populi . Ad ſeditionem ubi res vergebat , verbo

potius

potius gravi quam oratione meditata castigabantur, aut Dei interventu, miraculis, pestibus, fulminibus, terræ labibus, compescebantur. Hæc tamen vere aurea fuit linguæ Hebraicæ ætas, omnesque recentiores & poetæ & historici hujus gentis, Mosi comparati jacent: quo in viro natura etiam experta videtur, possitne Orienti oratorem dare. Quam enim Judæ ad Josephum nobis orationem servavit, (Gen. XXXXIV, 18-34) in summa simplicitate ornatusque omnis neglectu his tamen verbis concepta est, ut, qui ita dixit, magisque qui alius dicta ita retulit, eximius fieri orator potuisse videatur, si in hac facultate elaborare voluisset, nec defuisset ei populare auditorium. Quas etiam sub vitæ exitum orationes Moses habuit, petens a populo, ut legis post sua fata tenaces essent, quo spiritu plenæ sunt! quam in illis agnoscas disjecti tanquam oratoris membra! at carent adhuc ea periodorum concinnitate, numero, varietate, ea argumentorum distributione, sine qua oratorem & eloquentem illum non dixeris, qui patris more diserte quidem & graviter ortatur. Quamquam & hic intelligere licet, quid excellens ingenium ad eloquentiam valeat: Moses enim contra linguæ Hebraicæ consuetudinem sola natura duce ad numerosiores periodos aliquoties pervenit, quæ Græcis auribus, oratori adsuetis, placere potuissent.

Longo, quod ejus mortem excipiebat, victoriarum primo, deinde Judicum tempore, libera quidem fuit forma rei publicæ, sed alia deerant, procreandæ & educandæ eloquentiæ necessaria. Novo in Palestina populo, qui novæ patriæ, cæli, agri ingenio perdiscendo occupatus esset, vix satis erat temporis & otii, quod literarum elegantiæ daret: mox etiam servire hostibus coactus, identidemque armis libertatem recuperans, inter perpetuas servitutum, rebellionum, vastationum vices, non poterat ad eloquentiam eniti. Ergo ex illo tempore insigne quidem habemus epinicion, quo exemplo, ut aliis multis constat, facilius poetam perfectum nasci quam oratorem, nec illi calamitatem patriæ & egestatem officere: at quæ una superest Jothami oratio (Jud. IX, 7-15.) prisci & horridi dicendi moris tenax, reliquiisque rudis facundiæ Romanæ ita similis est, ut ovum ovo. Adscribere liceat Livii verba, ex quibus intelligetur, aliter Romanas aures de ejusmodi oratione sensisse, quam nostri nonnunquam homines facere solent. Sic ergo ille, l. II. c. 32. *Placuit oratorem ad plebem mitti, Menenium Agrippam, facundum virum, &, quod inde oriundus erat, plebi carum. Is intromissus in castra prisco illo dicendi & horrido modo, nihil aliud, quam hoc, narrasse fertur; tempore, quo in homine, non, ut nunc, omnia in unum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietum, nihil aliud, quam datis voluptatibus frui. Conspirasse inde, ne manus ad os cibos ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira, dum ventrem fame domare vellent,*

ipsa

ipsa una membra, totum corpus, ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnis corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venos, maturum confecto cibo sanguinem. Sub regum denique imperio quis expectabit eloquentiæ natales? Sacri oratores, quos in ecclesia perfectos aliquando exsistere posse non omnino desperavi, nulli olim erant, cum nondum opus esset, sacrum codicem patria lingua scriptum interpretari, sacerdotesque sacrificiis potius quam instituendo populo ministrarent. Prophetæ autem carmine fundebant oracula; aut sententiis potius quam eloquenti oratione crimina publica notabant.

Huic oratorum & eloquentiæ defectui tribuendum existimem, quod periodorum conformatione & artificio universa lingua Hebraica caret (*): quod ita peculiare Hebræis est, ut Hebraica quantumvis pure & eleganter Græce reddita, barbarum tamen quid Græcis auribus sonent, nisi totus orationis habitus mutetur. Faciamus periculum in versione LXX. virorum, pro Hebraismis, locutionibusque Alexandrinis, verba optima & exquisitissima substituamus: vereor tamen, ut vel tum satis Græca futura sit oratio. Unde qui Græcis probari segique cupiebat, Josepho, alia tenenda ratio, ac licet ex solis se historiam antiquam hausisse sacris literis profiteretur, alio prorsus scribendi genere utendum fuit: nec forte tam ignari rerum Judaicarum fuissent exteri, qui Græce ea in versione Alexandrina habebant, nisi hæc ipsa versionis barbaries, aures Græcas magis etiam quam nostras lædens, a legendo deterruisset. Prolixiores enim periodos, cum concinnitate, & perspicuitate sonoras, earumque miram & numeri & reliquæ distributionis varietatem, quæ satietati non tam legentium quam audientium occurrit, oratoribus debuisse Græcia, ejusque imitatrix, Roma, videtur: cujus concinnitatis si multum in Europæas linguas transfusum est, meminerimus, hac omnes olim Latina tanquam dicendi scribendique magistratui. At Hebraica lingua breves amat periodos, non magna varietate, utpote quæ in tanta particularum egestate vix teneri possit; numeri aut nullam omnino curam suscipit, aut in poesi nostro quidem carmine solutiorem, perbrevem tamen & concisum amat. Scio, quid hic de pausa Hebraica dicturi sint grammatici, qui numerum linguæ Hebraicæ laudant, ab eloquentia plerumque remotissimi: sed nolo hanc nimis longam ordiri disputationem. Erunt, quibus ipsa pausa suspecta, Masoretharumque inventum videatur: querentur alii, vel maxime aures lædi, si opus sit, in fine periodi sonum ac mensuram vocum mutare, jambosque ex trochæis, trochæos ex jambis facere: aliorum auribus id ipsum molestum erit, quod sæpe pausa Hebraica spectat, ut in syllabam tonicam ac longiorem perio-dus

(*) Vide Lowthum p. 127. edit. Oxoniensis, 269. nostræ.

dus desinat: mihi quidem hi numeri musici potius, ac nimis iidem & adstricti videntur, præcentoribus textuum sacrorum excogitati, in recitando aures fatigaturi, quia nimis sæpe recurrunt.

Est tamen, in quo defectum eloquentiæ Hebræis gratuleris, illis scriptionis vitiis carentibus, quæ apud Græcos & Latinos nimia eloquentiæ admiratio peperit. Horum quippe historici vel optimi fictas, aut supra modum ornatas orationes narrationibus suis intexunt, periodorum ea conformatione, qua nemo privatus utitur, nemo ex tempore dicens, eo sæpe verborum delectu & ornatu, ut a reliquo historici stilo extemporanea oratio ducis, milites, hortantis, aut alius magni viri, manu quam verbis promtioris, multum distet. Quo quidem vix quidquam committere ad fidem scriptis suis abrogandam aut labefactandam aptius potuissent. Ut enim quærere non instituam, quis militum illam tam comtam orationem calamo exceperit? difficile creditu est, ab imperatoribus, ne his quidem exceptis, qui diu ante natam eloquentiam bellatorem populum in acies eduxerunt, tam comtas concinnasque orationes in ipso pugnæ discrimine, cum res manu agenda paucisque verbis opus esset, habitas, aut ab exercitu intellectas esse. Quod si aliqui duces oratores fuerunt, non tamen omnes; neque barbari, quibus etiam orationes tribuuntur. Fidem ergo non faciet, qui hoc fuco utitur, historicus: qua jactura eleganter compositæ declamationis laudem emere, id vero vix dignum erat, eorum virorum persona, quorum ingenium, prudentiam, scribendique artificium suspicimus jure ac miramur. Lectori quidem, quid dixerit imperator, quid de suo, formandæ orationis caussa addiderit historicus, nullo certo indicio constare potest. Unde etiam sæpe accidit, ut minus, quam possent, tales historici delectent, eoque ipso fructu, quem mendacio elegantiore quæsiverant, destituantur. Pauca enim magni viri verba, non meditata, quibus res maximas administravit, acies inclinatas restituit, cives accendit, repressit seditiones, plurimam habitura animi imaginem, ipsa rescire cupimus, pro quibus qui meditatam dat & calamistratam orationem, sitim nostram non restinguet. Hoc tamen peccatum quam late per Græcos Romanosque scriptores diffusum sit, eadem licentia orationes fingentes, qua ex Gallorum gente recentiores historici ingenia formant, characteresque, quos dicunt, magnorum virorum, elegantiæ studiosiores quam veritatis, dicere non opus est: nec credo omnes, qui morem in hoc gentis suæ sequebantur, fingendi ista licentia delectatos esse, sed auribus aliquid dedisse, orationum supra modum, avidis. At nihil ejusmodi vitii ab historicis Hebræorum committi video, qui in narrandis aliorum verbis testium pene religionem suscipiunt: ut vel Josepho, eadem Græce scripturo quæ illi Hebraice, opus fuerit, multa confingere ubi verba aliorum refert, sententiisque ex tempore dictis Græcæ orationis conformationem, ambitiosioremque ornatum largiri. Quod & nonnunquam ausus est, ubi concitatior affectus artem vix ferebat, ut in illa, quam supra laudavi, Judæ defensione, cujus perspicua &

flebilis facundia magis delectat; quam ornatior eloquentia a Græco artifice illi addita. Græcis autem displicuisset auribus, si eam qualis habita erat, non meditatam nec expolitam dedisset.

Erunt, non nego, quos male habebit, reginam me artium elegantium ipsiusque rei publicæ, eloquentiam ab Hebræis abjudicare: partim, quod de eloquentia aliter sentiunt, nec eam a facundia, aut ornate ac diserte commentandi facultate distinguunt; partim quod in Hebraica lingua omnia esse summa arbitrantur. Paulo tamen apostolo, si viveret, non displiceret, nec inhonorifica sacris literis videretur, hæc, quam libere dixi, sententia, qui se Corinthi ne studuisse quidem eloquentiæ profitetur, nec tam oratoris, quam doctoris præ se fert personam, cujus similes, id vero est æquos meæ opinionis arbitros, lectores mihi expeto. Dabam Goettingæ die 10. Maji 1758.



ROBERTI LOWTH
ORATIO INAUGURALIS;
SIVE
PRÆLECTIO PRIMA:
DE POETICÆ FINE ET UTILITATE.

OCCASIONEM hanc, ultro jam, quanquam paulo maturius, se præbentem, libenter tamen amplector, Academici, qua vobis testari possim me ad suscipiendum hoc quicquid est, sive impositi oneris, sive muneris delati, si nihil aliud, studium saltem & industriam, & promtissimam voluntatem attulisse. Etenim desiderari in me ingenii celeritatem & facultatem orationis facile patior; ægre ferrem vel minus diligens haberi in eo officio exercendo, quod autoritate vestra mihi demandatum esset, vel parum gratus in accipiendo beneficio, quod quantumcunque est, cum a Vobis in me confertur, est certe magnum. Nam hujusmodi beneficia hoc modo recte æstimari arbitror, si cum ipsius muneris, tum illorum qui id conferunt, tum etiam ejus in quem confertur, habeatur ratio. Cum igitur reputo eam mihi provinciam administrandam dari, quam viri ingenio & doctrina ornatissimi antehac illustrarunt; cum Vos respicio quorum ex favore vel amplissimis dignitas accederet; cum denique me ipsum cogito, qui publicam aliquam vestræ voluntatis significationem promereri posse nunquam speraverim; profecto hoc quicquid est officii adeo mihi honorificum contigisse existimo, ut nulla me unquam observantiæ assiduitate aut laboris diligentia parem vobis relaturum gratiam putem. Hanc certe officii mei partem, utcunque exiliter, lubentissime tamen & nunc exequor, & in posterum exequi studebo: nihil enim animo vere grato potest esse jucundius, quam vel referre gratiam, vel etiam habere; nec tam oneri mihi erit, quam stimulo, beneficii memoria. Cætera autem sane me haud mediocriter sollicitum & commotum habent, hæc vehementer perturbat cogitatio; id mihi munus suscipiendum esse, quod studio vestro & frequentia semper ornavistis; eam materiam tractandam, quam cum auribus vestris & hujusce Academiæ luce dignam judicavistis, tum pro sua dignitate ornatam audistis: quod si in posterum neglectui & solitudini relinquatur, vereor ut dissimulare possim, id meo, non ipsius disciplinæ aut institutionis vitio obtigisse.

Verum enimvero, utcunque nostri conatus ceciderint, ecquid magis ipsarum literarum interfuit, vel hujus Academiæ institutis erat accomodatius, quam ut ea tandem ars inter cæteras hic locum haberet, cujus opera & auxilio reliquæ omnes semper libentissime uterentur? qua ut nulla antiquior, ita nulla jucundior; cum homini quodammodo insita sit & ingenita, secumque afferat gratissimam naturæ ipsius commendationem: quæ apud rudes, doctos, remissos, graves, gratiam, amorem, admirationem, semper consecuta est. Quid porro vel homine ingenuo vel erudito dignius, quam ut in ea arte, cujus recondita quædam est venustas, sentiat, qui rectum sit, quid secus, quid conveniat, quid deceat, & in quo positum sit id, quod pulchrum est & decorum; quæ denique a vulgari sensu sunt remotiora, ea ut perspiciat & intelligat? Neque vero existimandum est, eum qui in hac elegantiarum subtilitate explicanda judicium suum aliquando exercitatum habuit & excultum, non inde aliquid adjumenti aut acuminis ad severiores etiam literas illustrandas allaturum. Atque hoc quidem vel maxime in animo habuisse arbitror virum ornatissimum, * cujus munificentiæ debetur quod in cæterarum scientiarum chorum hic loci jamdudum recepta sit poetica. Hic enim cum ipse animum suum non modo utilissimarum rerum cognitione optimisque disciplinis instruxisset, sed & artibus elegantissimis omnique literarum humanitate ornavisset; atque in iis etiam Ædibus institutus esset, in quibus maxime semper viguerunt, & etiamnum vigent, gravissimarum

* Instituta erat lectio poetica ab *Henrico Birkhead* *L. L. D.* collegii *Omnium Animarum* olim socio.

rum rerum & ſanctiſſimarum ſtudia, omni politioris doctrinæ ſuavitate condita & commendata; vidit profecto & expertus eſt, quam vim haberet ad illam ſeveriorem eruditionem vel adjuvandam vel illuſtrandam harum elegantiarum ratio; quam arcta inter Philoſophiam & Poeſim cognatio intercederet.

Admonet me igitur, Academici, cum ipſius Autoris conſilium, qui hanc nobis diſciplinæ rationem inſtituit, tum hujuſcemodi orationis conſuetudo, ut quæ de Poeticæ Fine & Utilitate veriſſime dici poſſe exiſtimo, quanquam vobis notiſſima, paucis exponam.

Poeticæ itaque propoſitum aut duplex, aut ex duobus alterum, vulgo ſtatuitur; nimirum aut Prodeſſe, aut Delectare, aut etiam Utrumque. Mallem equidem Utilitatem ſolummodo, (1) quaſi ultimum ejus finem, ſtatuiſſent; Delectationem vero, quaſi rationem & viam, per quam ad iſtum finem unice perveniret: ita ut judicaretur prodeſſe delectando. Hoc enim maxime videtur intereſſe inter philoſophum & poetam, quod cum utriuſque idem ſit conſilium, alia tamen alii id quod velit conſequendi ſit ratio. Uterque Docentis perſonam ſuſtinet; quam quidem alter ita optime tueri cenſetur, ſi clare doceat, ſi ſubtiliter, ſi enucleate; alter, ſi jucunde, ornate, ſuaviter, eleganter. Ille ab Affectibus ad Rationem unice provocat; hic ita Rationem appellat, ut Affectus etiam in ſuas partes ſtudeat pertrahere. Ille ad virtutem & veritatem proxima & compendiaria ſemita utitur; hic per itinerum flexiones quaſdam & diverticula, ſed amœniore via, eodem ducit. Illius denique eſt utramque ita exponere & nudare, ut neceſſario eas agnoſcamus: hujus ita eaſdem ornare & veſtire, ut amemus ultro & amplectamur.

Poeticam igitur eo præcipue utilem eſſe ſtatuo, quod ſit jucunda: & dabunt mihi veniam, ut ſpero, philoſophi, homini fortaſſe ſuis, ut fit, nimium tribuendi, ſi addidero, tanto nonnunquam utiliora eſſe Poetæ quam Philoſophi ſcripta, quanto jucundiora. Nam, ut exemplis quibuſdam in hac parte notiſſimis utar, quis eſt, qui exiſtimet doctiores Romanos, cum diſciplinæ Epicureæ impenſe dediti eſſent, non magis in deliciis, in manibus etiam, ut in quotidiano uſu, habuiſſe Lucretii luculentiſſimum poema, quam aut Catium, aut Amafanium, aut Epicuri demum ipſius commentarios? Quis credat vel rudiores etiam homines aut doctiſſimi Varronis, aut (ut priſcum illum Catonem omittam) Columellæ ſatis elegantis autoris, ſcripta de rebus ruſticis pari diligentia & ſtudio evolviſſe, ac Virgilii pulcherrimum & abſolutiſſimum opus? præſertim qui graviſſimos ſcriptores autoritatis pondere æquaret, * cum incredibili carminis ſuavitate elegantiſſimis longe antecelleret. Contra vero ſi Manilius, quem ſcriptoribus qui ſub Auguſto floruerunt, & vere quidem, ſi ipſi credendum eſt, annumerant, ſi is pulcherrimum de aſtrorum ſcientia argumentum adeo exiliter & inornate verſibus tractet, ut Julius Firmicus, ſequioris ævi ſcriptor, rem eandem ſoluta oratione explicans haud multo minorem legentibus afferat delectationem; nec illum, etſi philoſopho & aſtronomo ſuas laudes concederem, poetam tamen omnino eſſe negarem. Quid enim quæſo eſt poeta expers ſuavitatis, expers gratiæ, omnibus illecebris, omni voluptatis inſtrumento deſtitutus? vel quis reliquus eſt utilitati vel documento locus, ex eo ſcriptore hauriendis, quem ne legere quidem quiſquam omnino ſuſtineat? Quod itaque ſtudeat poeſis lætiori quadam amœnitate orationem ſuam perfundere.

Et quaſi Muſeo dulci contingere melle,

hoc plane ejus eſt conſilium, hæc ratio, ut talibus condimentis doctrinæ ſuæ gratiam conciliet: quod etiam medicis uſu venit, qui medicamentis inſuavioribus lenimenta quædam excogitant,

Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur;

prout eleganter illuſtrat Lucretius non ſui magis ipſius, quam univerſæ poeticæ inſtitutum.

Hoc autem ſi patet in iis ſcriptoribus, qui ſe docere & prodeſſe palam profitentur, ut qui delectent magis ii melius & effica-

* Elevat Virgilii autoritatem in Georgicis *Seneca*: *Virgilius noſter, qui non quid veriſſime, ſed quid decentiſſime diceretur, aſpexit; nec agricolas docere voluit, ſed legentes delectare*. *Epiſt.* LXXXVI. Verum longe aliter de eo opere ſentire videtur *Columella*, harum rerum multo magis idoneus æſtimator; Georgica perpetuo citat, cum reprehenſione ne ſemel quidem ſæpiſſime multa cum laude: *Hæc autem conſequemur, ſi veriſſimo vati velut oraculo crediderimus, dicenti*, Ventos & varium. —— Lib. I. 4. *Utamurque ſæpius autoritate divini carminis*. —— Lib. VII. 3. Qua autem in re ſola Virgilium reprehendit Seneca, de tempore ſationis milii, in ea, qui videre velit, quam imperite Philoſophus Poetam calumnietur, adeat *Columell.* II. 9. *Plin. N. N.* XVIII. 7. *Pallad.* III. 3.

efficacius præcipiant, idem multo etiam apparebit manifeſtius, in iis, qui diſſimulato monendi conſilio delectationis lenocinium unice oſtentant; qui cum de rebus agant graviſſimis, omnemque vitæ rationem, omnes virtutes atque officiorum locos tractent, depoſita tamen magiſterii ſeveritate, omnia ſimul elegantiarum ornamenta & jucunditatis illecebras adhibent: qui hominum actiones, mores, ſtudia, affectus, quaſi tabula depictos oculis ſubjiciunt; & imitatione & fabula, numerorum dulcedine & imaginum gratia & varietate, lectoris animum capiunt, & ad omnem honeſtatem vel inſcium vel etiam invitum deducunt? Quid enim aliud agit poeſis epica? quid nobis uſu venit Homerum legentibus? Quis eſt tam iners, tam inhumanus, quem non incredibili voluptate perfundat, quem non moveat & percellat, ſuoque veluti afflatum inſtinctu ſecum arripiat divinum illud ingenium? Quis tam excors, qui non videat atque animadvertat, non percipiat etiam, atque in animo inſcribi ſibi & quaſi inuri ſentiat, vitæ morumque pulcherrima documenta? Poſſis a Philoſophia frigida virtutis præcepta petere; poſſis in hiſtoria exſanguia ac demortua quædam morum exempla inſpicere: vivas hic virtutis voces audimus, vivam effigiem cernimus. Præcepta non rationi ſolum commendat poeſis, ſed infundit & admiſcet affectibus: exempla non oſtendit modo, ſed mentibus imprimit; ceram ſuo calore emolliens ſimul, & fingenti facilem & ſequacem reddens. Illud itaque veriſſimum ac juſtiſſimum ſane præconium poetas tribuit Horatius;

> *Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,*
> *Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit:*

Plenius, qui non partitionum ac definitionum formulas jejune explicet; ſed morum atque affectuum humanorum imaginem, vitæque communis & civilis univerſam rationem, tot tamque variis in omni genere exemplis tam accurate perfecteque exprimat, ut qui ex philoſophorum ſcholis ad illius acroamata ſe conferat, ſentiat ſeſe ex implicatiſſimis anguſtiis in ampliſſimi cujuſdam & florentiſſimi campi ſpatia delatum: melius, qui non monitis ſolum & præceptionibus & nudis ſententiis doceat, ſed ſuavitate carminis, pulchritudine imaginum, fabulæ artificio, veritate imitationis, lectoris animum alliciat, penetret, delectet, percellat, ad omnem virtutis habitum formet, atque ipſius honeſti ſpiritu quodam imbuat.

Quod ſi ab epopœia ad tragœdiam tranſeamus, cui primas tribuit Ariſtoteles * propter imitationem veram & præcipue efficacem, adhuc facilius obtinebimus, poeſin philoſophiæ utilitate antecedere, eo quod jucunditate præſtet. Quid enim vero aliud eſt tragœdia quam philoſophia in ſcenam producta, quæ ſua ſunt & propria retinens, nec de gravitate quicquam remittens, ſed alienis inſuper aucta atque ornata adjumentis? Quem enim moralis diſciplinæ locum intactum aut inornatum reliquerunt tragœdiæ Græcæ ſcriptores? Quod vitæ officium, quæ pars politici muneris, quæ ratio temperatioque perturbationum, quæ virtutum commendatio, quam non illi varie, copioſe, erudite tractaverunt? Quid Æſchylus, non Poeta modo, ſed & Pythagoreus? quid Sophocles, quid Euripides, uterque ſapientiæ laude clarus; hic quidem Anaxagoræ & Socratis auditor, & apud ſuos Philoſophi Scenici cognomento notus? Adeo in his viris acceſſio quædam philoſophiæ erat poetica facultas: neque ſane quiſquam adhuc poeſim ad faſtigium ſuum ac culmen evexit, niſi qui prius in intima philoſophia artis ſuæ fundamenta jecerit.

Quod ſi quis objiciat, nonnullos in hoc ipſo poeſeos genere excelluiſſe, qui nunquam habiti ſunt philoſophi, ac ne literis quidem præter cæteros imbuti; ſciat is, me rem ipſam quærere, non de vulgari opinione, aut de verbo laborare: qui autem tantum ingenio conſecutus eſt, ut naturas hominum, vimque omnem humanitatis, cauſaſque eas, quibus aut incitatur mentis impetus aut retunditur, penitus perſpectas habeat, ejuſque omnes motus oratione non modo explicet, ſed effingat planeque oculis ſubjiciat; ſed excitet, regat, commoveat, moveretur; eum, etſi diſciplinarum inſtrumento minus adjutum, eximie tamen eſſe philoſophum arbitrari. Quo in genere affectum zelotypiæ, ejuſque cauſas, adjuncta, progreſſiones, effectus, in una Shakeſpeari noſtri fabula, copioſius, ſubtilius, accuratius etiam veriuſque pertractari exiſtumo, quam ab omnibus omnium philoſophorum ſcholis in ſimili argumento eſt unquam diſputatum.

Quod ſi autem Tragœdia ſit ipſa φιλοσοφατατη, & ad omnem ſapientiæ vim ac gravitatem ſua quædam ornamenta adjiciat, & proprias venuſtates conciliet, car-

* *Poet.* cap ult.

carminis dulcedinem, fabulæ condimentum, imitationis evidentiam, actionis veritatem; utrum dicemus, philosophiam poesi utilitate victam concedere, an potius maximo ejus beneficio obstrictam teneri, cujus opera & commendatione ad propositum utilitatis finem consequendum summo cum fructu suo utatur?

Si vero tanta sit imitationis & fabulæ vis, major videri possit ipsius veritatis autoritas; adeoque historia demum potius quam poesi magistra ac duce utendum. Quod tamen multo aliter se habet: etenim nimium angustis finibus continetur historia, nimium severas habet operis sui leges. Res gestas tradit, eventorum vestigiis insistit; quod contigit, non quod contigisse potuit aut oportuit, narrandum; nec quo documenti opportunitas, vel probabilitatis ratio vocat, sed quo facti necessitas cogit, eundum. Historia res & personas certas & constitutas tractat, infinitas & universales poesis: altera rerum causas incertis conjecturis consectatur; altera evidenter certeque demonstrat; altera fortuito elucentem veritatis imaginem captat; altera simplicem ejus formam intuetur: illa præscriptum iter certa via conficit; hæc liberis naturæ spatiis fruitur: illa demum argumento suo inservit; hæc dominatur. Quocirca Aristoteles * poesin historia & gravius quiddam & philosophiæ propius esse affirmat: nec aliter sensit Aristotele non minor Baconus noster. Et res ipsa, & summa viri autoritas, postulat, ut sententiam ejus ipsius verbis integram vobis exponam: ** *Cum mundus sensibilis (inquit ille) sit anima rationali dignitate inferior, videtur poesis hæc humanæ naturæ largiri, quæ historia denegat; atque animo umbris rerum utcunque satisfacere, cum solida haberi non possint. Si quis enim rem acutius introspiciat, firmum ex poesi sumitur argumentum, magnitudinem rerum magis illustrem, ordinem magis perfectum, & varietatem magis pulchram, animæ humanæ complacere, quam in natura ipsa post lapsum reperire ullo modo possit. Quapropter cum res gestæ & eventus, qui veræ historiæ subjiciuntur, non sint ejus amplitudinis in qua anima humana sibi satisfaciat, præsto est poesis, quæ facta magis heroica confingat. Cum historia vera successus rerum minime pro meritis virtutum & scelerum narret, corrigit eam poesis, & exitus & fortunas secundum merita & ex lege Nemeseos exhibet. Cum historia vera obvia rerum satietate & similitudine animæ humanæ fastidio sit, reficit eam poesis, inexpectata & varia & vicissitudinum plena canens. Adeo ut poesis ista non solum ad delectationem, sed etiam ad animi magnitudinem & ad mores conferat. Quare & merito etiam divinitatis cujuspiam particeps videri possit, quia animum erigit & in sublime rapit; rerum simulachra ad animi desideria accommodando, non animum rebus (quod ratio facit & historia) submittendo.*

Nec tamen ea spiritus elatio & quasi participatio divinitatis, neque ea profecto in moribus conformandis utilitas, ita est propria epopœiæ, (de qua solummodo isthic agit Vir Magnus) ut cæteræ omnes poeticæ species harum virtutum expertes esse censendæ sint: adsunt aliæ nonnullæ, quæ in hujus laudis societatem cupiunt venire. Instat imprimis Ode,

> *Ingentes animos angusto in pectore versans;*

quæ etsi cætera inferior, vi tamen, impetu, ardore, gravitate etiam interdum & severitate, nulli profecto cedit. Alia quidem alii agendi est ratio; par fortasse effectus. Epopœia lentius, cautius, consideratius, ideoque forsan & certius, finem suum consequitur; sensim sese insinuat, penetrat, movet, delectat, nunc impetum faciens, nunc deinde recedens; & per jucundas rerum ambages lectorem circumducens, animo lenem quandam vim adhibet, & cum pondere suo, tum potissimum mora imprimitur: ode contra ferit continuo & percellit, ipsamque affectuum arcem protinus expugnat. Altera flammæ similis, quæ vento adjuta undequaque paulatim serpit, & cuncta demum incendio corripit: altera instar fulminis, quod subito erumpit,

> *magnamque cadens, magnamque revertens*
> *Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes.*

Quam autem vim habeat hoc genus poeseos in vita civili tuenda, & in formandis moribus; præcipue autem in generosa illa animi ac sensuum elatione, qua maxime virtus continetur, excitanda atque alenda quantum valeat, intelligemus, si Græcorum monumenta revocemus in memoriam. Ut Pindari carmina spectemus, quæ etsi neutiquam in hoc genere prima, tamen nescio quomodo prope sola jam supersunt: quem Græco homini sæpe ea canenti, passim cantitata audienti, nam hujusmodi omnia non solum doctis & delicatioribus jucunda erant, sed

* Και ΦΙΛΟΣΟΦΩΤΕΡΟΝ και σπουδαιοτερον ΠΟΙΗΣΙΣ ιστοριας εστιν. *Arist. Poet.* cap. 9.

** *De Augm. Scient.* Lib. II. 13.

ſed uſu populi quotidiano trita & pervulgata; quem, inquam, ſenſum fuiſſe credamus? An cum Deos ſuos, cum Heroas, cum majores in Deorum numerum relatos, cum loca, regiones, urbes, & cujuſque populi primordia, tantis honoribus tantaque gloria celebrari toties ſentiret, non flagraſſe ejus pectus laudis ſtudio, virorum excellentium æmulatione, amore patriæ etiam immodico fortaſſe, ſed nec inhoneſto nec inutili; adeoque ut fit, utque fieri expedit, ea animi elatione dicam, an ſuperbia atque inſolentia inflatum fuiſſe, ut præ ſe ſuiſque barbaros omnes nihili putaret, ſummeque deſpiceret? Quid quod ludis ſacris, quibus non minimum Græcorum virtus bellica ſuſtentabatur, * ex poetarum carminibus haud exigua acceſſit dignitas & pretium: neque ampliorem victoriæ mercedem certantibus oſtendebat corona Olympica, quam Pindari aut Steſichori encomium? Utinam profecto Steſichorum non invidiſſet nobis vetuſtas, cujus gravitatem & magnificentiam omnes prædicant; quem præ cæteris laudat Dionyſius, ** quod & argumenta ſumeret grandia imprimis & ſplendida, & in iis tractandis mores & perſonarum dignitatem egregie ſervaret. Alcæo autem præcipue το των πολιτικων πραγματων ηθος idem tribuit: *** at cui viro? quam ſtrenuo civi? quam animoſo reipublicæ & legum propugnatori? quam acri tyrannorum inſectatori & vindici? qui gladium ſuum pariter & lyram patriæ & libertati conſecraverat; cujus minaces Camœnæ per ora populi volitantes & præſenti & perpetuo erant, non modo ſuæ civitati, ſed & univerſæ Græciæ, contra malorum civium conatus præſidio. Equidem tam vehemens tamque animoſum poeſeos genus, a tali ingenio tractatum, permultum habuiſſe momenti neceſſe eſt, in hominum mentibus cum ad omnem honeſtatem erigendis, tum a ſcelere abſterrendis; maxime vero in fovendo & ſuſtentando illo vigore animi, atque generoſa αξιωσει, quæ libertatis & alumna eſt eadem & cuſtos. Num verendum erat ne quis tyrannidem Piſiſtratidarum Athenis inſtaurare auderet, ubi in omnibus conviviis, & æque ab infima plebe in compitis, quotidie cantitaretur Σκολιον illud Calliſtrati neſcio cujus, ſed

* Conſule Viri Doctiſſimi *Gilberti West Diſſertationem de Ludis Olympicis*. Sect. XVII.
** *Dion. Halicar.* Tom. II. p. 123. edit. Hudſon.
*** Ibid.

Accentus in Græcis Vocibus omiſimus cum eos omiſſos in Originali deprehendimus.

ingenioſi certe poetæ, & valde bonis civis? *

Εν μυρτου κλαδι το ξιφος φορησω,
Ωσπερ Αρμοδιος κ' Αριστογειτων,
Οτε τον τυραννον κτανετην,
Ισονομους τ' Αθηνας εποιησατην.
Φιλταθ' Αρμοδι' ουπι που τεθνηκας,
Νησοις δ' εν μακαρων σε φασιν ειναι,
Ινα περ ποδωκης Αχιλευς,
Τυδειδην τε φασιν Διομηδεα.
Εν μυρτου κλαδι το ξιφος φορησω,
Ωσπερ Αρμοδιος κ' Αριστογειτων,
Οτ' Αθηναιης εν θυσιαις
Ανδρα τυραννον Ιππαρχον εκαινετην.
Αει σφων κλεος εσσεται κατ' αιαν,
Φιλταθ' Αρμοδιε κ' Αριστογειτον,
Οτι τον τυραννον κτανετον,
Ισονομους τ' Αθηνας εποιησατον.

quod ſi poſt Idus illas Martias e Tyrannoctonis quiſpiam tale aliquod carmen plebi tradidiſſet, inque Suburram, & fori circulos, & in ora vulgi intuliſſet; actum profecto fuiſſet de partibus deque dominatione Cæſarum: plus mehercule va-

* *Athenæus lib.* XV. Σκολιον hoc nonnulli Alcæo tribuerunt: quod temporum ratio non fert. Floruit enim Alcæus annis circiter octoginta ante Hipparchi necem. Sed & autoris nomen ab interitu vindicavit *Heſychius*: Αρμοδιου μελος το επὶ Αρμοδιῳ ποιηθεν σκολιον υπό Καλλιστρατου ουτως ελεγον. Erat autem hoc Σκολιον Athenis ita celebre, ut in omnibus conviviis cantari ſolitum eſſet. *Ariſtophanes*, *Αχαρν.* 977.

Ουδεποτ' εγω πολεμον οικαδ' υποδεξομαι,
Ουδε παρ' ἐμοι ποτε τὸν Α'ρμοδιον ᾳσεται,
Συγκατακλινεις, ὀτι παροινιος ἀνηρ εφυ.

Nunquam apud me Hermodium canet; hoc eſt, nunquam apud me conviva erit. Ubi *Scholiaſtes*: ἐν ταις των ποτων συνοδοις ηδον τι μελος Αρμοδιου καλουμενον ου η ἀρχη, Φιλτατε Α'ρμοδιε, ουτι που τεθνηκας. Item ibid. 1092. inter cætera in apparatu cœnæ numerantur,

Ορχηστριδες, τα φιλταθ Αρμοδιου, καλαι.

Huc etiam alluſum ΛΥΣΙΣΤ. 633.

Και φορησω το ξιφος το λοιπον εν μυρτου κλαδι,
Αγορασω τ' εν τοις οπλοις εξης Αριστογειτονι.

Liquet autem ex ipſo Σκολιῳ, conjuratos, cum Hipparchum adorirentur, pugiones ſuos abdidiſſe in illis myrti ramis, quos, opinor, ſolenne erat geſtari ab omnibus qui ſacrificio Panathenaico interehent: quod etiam diſerte teſtatur Ariſtophanis Scholiaſtes ad locum proxime citatum, ουτοι γαρ (Αρμοδιος και Αριστογειτων) απο μυρσινων κλαδων τα ξιφη αναασπασαντες τον τυραννον κατεβαλον. Hinc fortaſſe ductus eſt mos, ut qui in convivio Σκολιον aliquod cantaret, ſemper manu teneret myrti ramum, (vide *Plutarch.* I. *Symp. Quæſt.* I.) quod in hoc Σκολιῳ ex re initium habuiſſe videtur. Cæterum Σκολιον hoc celeberrimum in verſiculos ſuos diſtinxi; metroque conſului, legendo, Tetraſticho ſecundo, pro ουπω, ουτι που, cum Scholiaſte Ariſtophanis, (ſunt qui legunt ουτι πω;) pro Αχιλλευς, Αχιλευς; & omittendo otioſum epithetum τον εσθλον ante Διομηδεα. Porro autem ſvaſerunt rationes Grammaticæ legendum, Tetraſticho quarto Αριστογειτον pro Αριστογειτων; & κτανετον, εποιησατον, pro κτανετην, εποιησατην.

valuisset unum Αρμοδιου μελος, quam Ciceronis Philippicæ omnes.

Sunt & aliæ poeseos species, quæ quanquam nobiscum comiter plerumque & familiariter versantur, graviorem tamen personam nonnunquam induunt. Talis est elegia; non hanc levem dico & amatoriam, sed antiquam illam, sapientem, sanctam, severam; ducem vitæ, magistram morum, civitatum administratricem, virtutis antistitem. Ne plures autores nominem, quorum nullæ jam supersunt reliquiæ de quibus judicare possimus, ecce vobis Solon, vir sanctissimus, legum lator sapientissimus, poeta optimus: qui si quid in reip. administratione ardui objiceretur, ad poeticam facultatem semper confugiebat. * Num vindicandæ sunt leges suæ, castiganda civium vel licentia vel segnities, concitandi eorum animi & ad libertatis desiderium erigendi? Continuo carmen aliquod populo impingitur, acre, severum, fervidum, & in illa gravitate censoria tamen elegans:

> Εκ νεφελης πελεται χιονος μενος ηδε χαλαζης,
> Βροντη δ' εκ λαμπρης γιγνεται αστεροπης.
> Ανδρων δ' εκ μεγαλων πολις ολλυται εις δε μοναρχου
> Δημος αϊδρειη δουλοσυνην επεσε.

Notum est Athenienses Salamina ex hostibus receptam Solonis carminibus unice debuisse, etiam invito atque ingratiis: cum multis cladibus acceptis in summam desperationem incidissent, adeo ut capitale esset, si quis de bello instaurando deque vindicanda insula ferret; tantam profecto vim habuit carmen illud, ιομεν εις Σαλαμινα —— quasi a vaticinante sub furoris specie pronuntiatum, ut populus veluti aliquo numinis afflatu instinctus, ad arma concurreret, bellum flagitaret, aciem posceret, & impetu facto, cæsis hostibus, victoriam exoptatissimam reportaret.

Habemus etiam aliquas Tyrtæi illius reliquias, qui

> *mares animos in martia bella*
> *Versibus exacuit;*

omnes de bellica fortitudine, de amore patriæ, de immortali gloria virorum in acie strenue occumbentium; quæ timidis etiam audaciam addere possent: quibus ipsis hortationibus Lacedæmonios, debilitatos jamdudum & fractos animo, ad certam spem victoriæ erexit. Nota res est, multorumque autorum testimonio celebrata: quod ni ita esset, nonnullis isthæc omnia fabulosa forsan haberi possent; mihi quidem videntur non magis historiæ fide, quam rei ipsius ratione comprobari. Nonne enim credibile est summo animi ardore, summa firmitate atque pertinacia virtutis, ab iis hominibus fuisse dimicatum, qui in acie stantes, gradientes, manum jam cum hoste conserentes, perpetuo canebant ad tibiam istiusmodi carmina:

> Θυμῳ γης περι τησδε μαχωμεθα, και περι παιδων
> Θνησκωμεν, ψυχων μηκετι φειδομενοι,
> Ω νεοι αλλα μαχεσθε παρ' αλληλοισι μενοντες,
> Μηδε φυγης αισχρας αρχετε, μηδε φοβου.
> Αλλα τις ευ διαβας μενετω ποσιν αμφοτεροισι
> Στηριχθεις επι γης, χειλος οδουσι δακων.
> Δεξιτερη δ' ενι χειρι τινασσετω οβριμον εγχος,
> Κινειτω δε λοφον δεινον υπερ κεφαλης·
> Και ποδα παρ ποδι θεις, ϗ επ' ασπιδος ασπιδ' ερεισας,
> Εν δε λοφον τε λοφῳ, ϗ κυνεην κυνεη,
> Και στερνον στερνῳ πεπαλημενος ανδρι μαχεσθω,
> Η ξιφεος κωπην, η δορυ μακρον ελων.
> Ουδεποτε κλεος εσθλον απολλυται, ουδ' ονομ' αυτου,
> Αλλ', υπο γης περ εων, γιγνεται αθανατος,
> Οντιν' αριστευοντα, μενοντατε, μαρναμενοντε
> Γης περι ϗ παιδων, θουρος Αρης ολεση.

Leviores poeticæ species ne omnino prætermittamus, iis profecto satis superque tribuisse multis videbimur, si illarum utilitatem in ipsa quam afferunt delectatione positam statuamus. Verum ne hanc quidem contemnendam fortasse judicabitis, Academici, si cogitetis hos lusus, hanc ipsam levitatem, præbere vobis ubi respiret animus operosa veritatis indagatione defessus; unde ingenia a vehementi contentione relaxentur, attrita reparentur, debilitata reficiantur, & vel ipsa studiorum vicissitudine & varietate recreentur. Qua quidem in re uti possitis gravissimorum virorum exemplo atque autoritate: inter Græcos, Solonis, Platonis, Aristotelis; inter Romanos, Scipionis & Lælii, Julii & Augusti Cæsarum, M. Varronis, M. Bruti; qui maximis negotiis studiisque severissimis hanc poeticæ facultatis suavitatem & hilaritatem crebro ac libenter asperserunt. Equidem præclare nobis consuluisse videtur natura, quæ cum nos ad veri cognitionem longe a nobis remotam, nec sine magnis laboribus assequendam, vehementer impelleret, hæc nobis invenit & paravit oblectamenta, ut haberet mens nostra, quo defatigata identidem confugeret; ubi conquiesceret, omnemque illum languorem & molestiam deponeret.

* Vide *Plutarch. & Diog. Laert.* in *Solone*.

Nec

Nec vero illud quoque in his ſtudiis prætereundum eſt, Academici, quod ut veſtrorum laborum ſolatia quædam ibi repoſita habetis, ita ex eiſdem multa literarum ornamenta depromere poſſitis. Primum equidem eſt, res ipſas earumque rationes clare animo concipere & cogitatione complecti; tum huic proximum, animi ſenſus non modo dilucide, ſed & ornate, oratione explicare. In hoc enim omnes aliquantulum delicati ſumus, ut nuda & jejuna etiam graviſſimarum rerum expoſitione parum ſimus contenti: aſſumenda ſunt artis aliqua condimenta, quæ faſtidium illud vincant; adhibendus flos quidam orationis, aliqua ſententiarum lumina; etiam aurium voluptati modis quibuſdam & numeris conſulendum. Quibus omnibus quanquam poetæ longe aliter ac cæteri ſcriptores utuntur, nihilominus qui in eorum ſcriptis & legendis & imitandis aliquid temporis & operæ collocaverit, id ei uſu venturum arbitror, ut ſentiat, hac quaſi palæſtra excoli & formari ſibi ingenium, vires animi & celeritatem augeri, orationem etiam ſuam hac conſuetudine atque commercio ſimilem quendam habitum & colorem aſſumere. Cujuſmodi quiddam iis accidere videmus, qui ſaltationi aliquando operam dederunt; nam etſi geſtum & inceſſum ad certos motus minime componant, ſubeſt tamen aliquid ex hac exercitatione, unde eos non id agentes decor ille furtim proſequitur. Neque vero incredibile eſt, ad ſummam oratoriæ eloquentiæ laudem perficiendam nonnihil ex poetica facultate adjumenti attuliſſe tum C. Cæſarem, tum M. Tullium; * alterum Romanorum diſertiſſimum, alterum eloquentiſſimum; (2) utrumque & legendis carminibus deditum, & in ſcribendis exercitatum. Hoc in Platonis ſcriptis ita apparet, ut non modo de re ipſa male ac perverſe judicaviſſet, ſed & hominis ingrati crimen in ſe admiſiſſe videatur, cum poeſin ex commentitia ſua civitate ejecerit, cui ipſe ingenii ſui nitorem & cultum deberet; cujus ex fontibus dulcem illam orationis ubertatem & flumen eloquentiæ derivaſſet.

Sed ut ad majora illa redeamus hoc certe præcipue inter cæteras diſciplinas eminet poetica, quod excelſum quiddam ac pœne divinum ſapiat; quod animum non modo defeſſum recreet, turbatum leniat, oppreſſum erigat; ſed ad pulchra, decora, ardua evehat atque accendat; nec tantum optima vitæ præcepta ita tradat, ut reddat etiam jucundiſſima, ſed ipſum etiam honeſtum menti quodammodo inſerat atque infundat. Præterea cum ea laudis ac gloriæ cupiditas animis noſtris innata ſit; quæ nos ad præclara & excelſa acerrime ſtimulet, id ſedulo agit poeſis, ut hoc naturæ conſilium plene exequatur, ut hos virtutum igniculos foveat nutriatque. Cumque id imprimis ſui muneris eſſe ſemper duxit, ut res bene, præclare, fortiterque geſtas celebraret; ut egregia maximorum virorum exempla poſteris traderet, eorumque immortalem memoriam ſuis conſecraret monumentis: hæ certe poeſi debentur gratiæ, quod non ſolum animum ad virtutem præceptis informet, exemplis dirigat, & vi quadam inſita atque ſua concitet atque incendat, verum etiam quod ipſi virtuti ampliſſimam & jucundiſſimam ſuorum laborum mercedem perſolvat.

Verum de poetica adhuc levius omnino & humilius, quam ejus dignitas poſtulat, exiſtimabimus, niſi eo demum convertamus animos, unde ejus magnitudo maxime elucet; niſi eam in ſacris verſantem, & religioni miniſtrantem contemplemur. Hoc primum ei negotium datum eſt; hoc ita feliciter exequitur, ut in cæteris rebus impoſitam quandam perſonam gerere videatur, hic ſolummodo ſuam; alibi enim ad artis ſubſidia ſemper confugere, hic propria vi niti, aut potius ſpiritu vere divino ſuſtentari. Quid enim habet univerſa poeſis, quid concipere poteſt mens humana grandius, excelſius, ardentius; quid etiam venuſtius & elegantius, quam quæ in ſacris Hæbræorum vatum ſcriptis occurrunt? qui magnitudinem rerum fere ineffabilem verborum pondere & carminis majeſtate exæquant; quorum cum nonnulli vel ipſis Græcorum poetarum fabulis ſunt antiquiores, ita omnes tantum eos ſublimitate exſuperant, quantum vetuſtate antiquiſſimi antecedunt. Quod ſi ipſius poeſeos ultima origo quæratur, ad religionem omnino videtur referenda. Nam cum ſit facultas a natura profecta, præceptis & legibus non niſi ſero conformata, non ætatis alicujus aut gentis propria, ſed univerſi humani generis; vehementioribus humanæ mentis affectibus neceſſario tribuenda eſt: quorum ea eſt natura ut ſeſe efferant vocibus elatis, ardentibus, maximeque a vulgari ſermonis uſu abhorrentibus; nec minus æquabilem illum continuæ locutionis tenorem impetu ſuo dirumpunt & diſtinguunt intervallis; ſententias acres, incitatas, vibrantes, crebris ve-

* *Ne carmine quidem ludere contrarium fuerit: — ideoque mihi videtur M. Tullius tantum intuliſſe eloquentiæ lumen, quod in hos quoque ſtudiorum ſeceſſus excurrit.* *Quintil.* Lib. X. 5.

veluti ictibus contorquent; & orationem pro motu & habitu animi varie intercidunt, & quodammodo modulantur. Hoc in admiratione & gaudio vel maxime locum habet; & quid erat quod hominis jam tum creati mentem, opinionum vanitate nondum depravatam, adeo vehementer potuit percellere, ac, quæ tum ei plane obversata est, Dei Optimi Maximi bonitas, sapientia & magnitudo? quid verisimilius, quam primum inconditi carminis conatum in creatoris laudes ipso exardescentis animi impetu erupisse? Id certe minime dubium est, eisdem in sacris enutritam fuisse poeticam, in quibus nata videtur: obire templa, adesse altaribus, prima ei & propria quædam occupatio fuit: & cum religiones in variis gentibus atque ætatibus diversissimæ obtinuerint, in hoc tamen omnes consensisse accepimus, ut hymnis & carminibus celebrarentur. * Hujusce originis non obscura indicia etiamnum præ se fert poesis, eo quod sacram & cælestem materiam veluti parentem suam & educatricem ardentissimo affectu semper amplectatur; huc veluti ad germanam patriam amat recurrere, ibique & lubentissime versetur, & maxime vigeat.

Verum isthæc attigisse solummodo & quasi prælibasse jam sufficiat, plenius forsan aliquando discutienda. Quod autem sit in posterum instituti mei consilium, quæ propositæ materiæ forma, veniam mihi ut spero facile concedetis, Academici, si nondum ausim in medium proferre. Esset sane hominis & vestrum de se judicium parum reverentis, & suo plurimum tribuentis, quæ apud animum suum paululum agitata haberet, nec satis ad liquidum cogitatione perducta, coram vobis protinus effutire. Ego vero sic mecum statuo; nihil huc subitum, nihil nisi mea qualicunque industria elaboratum afferri oportere; id mihi sedulo enitendum, ut ingenium, eruditionem, copiam, cæteraque quæ mihi sentio deesse omnia, ea quantum possim cura, diligentia, labore compensem. Hæc si præstem, altera illa ut mihi remittatis & condonetis rogo, Academici; ut quem studio vestro & favore ornavistis, eundem porro humanitate & indulgentia prosequamini.

* Antiquissimum secundum *Platonem* Musicæ sive poeseos genus erat ευχαι προς θεους. ονομα δε υμνος επεκαλειτο *de Leg.* Lib. III. Rem ipsam eleganter illustrat *Suetonius*; in Nominis etymologia infelicior, ut accidit nonnunquam veteribus Grammaticis. *Cum primum homines exuta feritate rationem vitæ habere cæpissent, seque ac Deos suos nosse, cultum modicum ac sermonem necessarium commenti sibi, utriusque magnificentiam ad religionem Deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut templa illis domibus pulchriora, & simulachra corporibus ampliora faciebant: ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos putaverunt, laudesque eorum & verbis illustrioribus & jucundioribus numeris extulerunt. Id genus, quia forma quædam efficeretur, quæ ποιησις dicitur, poema vocitatum est, ejusque fictores poetæ.* Ex opere deperdito *de Poetis* citatum ab *Isidorus*, *Orig.* Lib. VIII. cap. 7.

NOTÆ EDITORIS.

(1) Atqui sunt & carmina, quæ tantummodo delectant, nec tamen ideo repudianda, aut damnanda: ut quæ morum nulla præcepta, nullas numinis virtutisque laudes, reconditas abstrusasque sententias nullas, sed res obvias ita omni convestiunt dictionis & numerorum ornatu, ut exquisitius placeant; quæ silvas, quæ amœnos fluminum lapsus, tanquam oculis nostris subjiciunt. Horum eadem esse ratio possit, quæ picturæ elegantioris, cujus major laus est ex sola delectatione, quam aliarum rerum multarum ex utilitate. Quæ sequuntur, valde probo: nollem tamen prorsus negari, esse aliquam poesin, eamque laudabilem, quæ nullum sibi finem propositum, præter delectationem, habeat, neque id negare omnino voluisse autorem, pagina ejus 13. & 14. editionis Oxoniensis docebit.

(2) De Cicerone subdubitare liceat, debueritne exercitationi in scribendis carminibus, quod Romanorum factus est eloquentissimus. Oratorem habitura Roma mediocrem erat, si orationes carminibus æquasset is, qui

Antoni gladios poterat contemnere si sic
Omnia dixisset.

Non exigo a Cicerone Virgilii illud perfectum ante Virgilium carmen, sed ut asper & quodammodo inconditus verbis numerisque, delectet tamen accendatve carmine, quod vel nostros poetas bonos superioris temporis quantumvis rudi utantur carmine, facere videmus: utque appareat, non artis fuisse ejus poemata, sed naturæ & fortioris impetus, quem furorem poetarum dicunt.

Atque etiam hoc, sæpe animo observatum, profiteri audeo, quantumvis ad perficiendam orationem faciat poesis, vix tamen me sperare, fore, ut idem perfectus sit orator, qui magnus & divinus poeta. Sunt enim in utroque dictionis genere aliqua ita dissita ac contraria, ut qui in hoc elaboraverit, aut ingenio ei aptior sit, eundem ultra mediocritatem eniti in altero posse, vix sit opinabile. Oratoris maxima laus in perspicuitate est, eaque tanta, ut vel a plebe statim intelligatur: poetam obscuritas non decet, at non nisi mediocrem vulgus nullo negotio assequi poterit. Illum ab usu loquendi regiaque tanquam & trita via recedere non fas est: hunc audacia dicendi novis tanquam semitis libere errans, perficit. Ille, ut ab omnibus intelligatur, prolixior esse non poeta solum, sed & aliis scriptoribus, debet: hujus in brevitate laus est, ut vel carmen circumloquutione enervetur, nisi nova addas sententiarum verborumque lumina. Hæc mihi cogitanti, & alia multa, ita videtur: hominem ingenio & studio ad poesin formatum, inque hac arte magnum & admirandum, si orator fieri vehementius allaboraret, perfecturum quidem, ut eruditis auditoribus placeat, atque etiam ut plebi nec displiceat, & satis intelligatur stilo orationem juvans; at nunquam ut popularis fiat orator, quem stupeat vulgus, quem audire gestiat, a quo erigatur hæreatque suspensum, atque in omnes rapiatur affectus: quem autem natura ipsa oratorem esse jussit, plebejum aliquem fieri poetam posse, atque accedente studio, & imitatione optimorum exemplorum, probabilem; nunquam magnum ac divinum.

DE
SACRA POESI HEBRÆORUM.

PRÆLECTIO SECUNDA:

ARGUMENTI PROPOSITIO ET DISTRIBUTIO.

Socrates, ut apud Platonem * legimus, cum sæpius per insomnium esset admonitus, ut Musicæ operam daret, officio quasi divinitus sibi delato satisfaciendum ratus, primo quidem carmen in Apollinis laudes composuit, ac postea aliquas sumpsit fabellas Æsopi versibus illustrandas: id, credo, secum reputans, primitias Poeticæ, quam ille præcipuam quandam Musicæ partem ** esse existimabat, Diis immortalibus consecrari debere; nec sibi, homini in his studiis minime exercitato, nisi ea se religione prius exsolvisset, ad leviorem materiam suoque forsan ingenio accommodatiorem licere descendere. Sequar, Academici, gravissimi Philosophi autoritatem; & cum hoc mihi ab Academia munus demandatum est, ut poeticæ naturam & rationem vobis exponam, id ex ea potissimum parte ingrediar, unde ille ad ejusdem artis studium & exercitationem accedendum sibi putavit. Statui enim in primis quædam de sacra poesi disserere, ea nimirum quæ a veteribus Hebræis exculta est, & in rebus vere divinis unice occupata; ut si materiæ arduæ ac difficili parum satisfecero, ad minora saltem quasi auspicato possim transire. Ego vero hoc negotium ea mente suscipio, ut non solum pro ratione officii diligenter, sed & pro mandantis amplitudine honorifice exequendum existimem; nec mihi videndum modo esse, quid hujusce instituti propositum & studiosæ juventutis utilitas, sed & quid hujus Academiæ dignitas requirat. Quandoquidem autem ipsa etiam Academia, cum hanc nobis disciplinam decreto suo confirmaret, Poeticæ studium eo præcipue nomine commendavit, *quod ad severioris literaturæ, tam sacræ quam humanæ, incrementum conducat*; *** nihil sane occurrebat, quod tractari posset, vel utilius, vel ad hujus institutionis consilium, & Academiæ nostræ mentem, etiam accomodatius, quam ea poeticæ species, quæ cum sacrarum literarum magnam partem conficit, tum cæteris omnibus & rerum dignitate & magnificentia spiritus longe antecellit.

Enimvero quid est cur Homeri, Pinderi, Horatii scriptis celebrandis omnique laude cumulandis toties immorantur, Mosem interea, Davidem, Isaiam, silentio præterimus? An rem ipsam censebimus ab his scholis abhorrere? in quibus tamen hæ literæ semper primas obtinuerunt: an ab hoc florentissimorum juvenum cœtu alienam esse? quorum tamen plurimi his ipsis studiis operam suam & labores consecraverunt. An id tandem statuendum est, eorum quidem hominum scripta, qui tantum modo effecerunt, quantum ingenio & facultate consequi potuerunt, ratione & via tractari oportere, & ad artis præscriptum & normam exigi: quæ vero altiorem habent originem, & Divini Spiritus afflatui vere tribuuntur, eorum vim quidem & venustatem suo lumine quodammodo elucere; sed nec doctrinæ institutis constare, neque artis finibus circumscribi posse? Verissimum quidem est, poesin sacram, si ejus originem spectamus, humanam & artem & naturam longe superare: nihilo tamen minus, si ejus sublimitatem cæterasque virtutes recte æstimare velimus, hoc est, quantum in concitandis animi humani affectibus valeat, intelligere ad utramque est recurrendum: videndum enim, quænam sint istæ mentis affectiones, & quibus potissimum modis excitandæ. Præterea cum, ut in cæteris disciplinis, ita in poetica, ars omnis sit cognitio quædam ex natura deprompta, rerum observatione percepta, usu confirmata; cum in iis homines docti deprehenderent, quid decorum esset, quid conveniens, & ad instituti operis finem consequendum recte comparatum; eaque sparsim notata, lateque diffusa, ratione quadam inter se constringerent, & ad certum ordinem certasque leges revocarent: patet artem ex ingeniorum excellentium monumentis suam originem ducere, non excelluisse ingenia eo quod artis subsidiis essent instructa, recteque adhiberi ejus præcepta in illustrandis etiam illorum scri-

* *In Phædone* sub init.

** Τις ουν η παιδεια; — εστι δε που η επι σωμασι, γυμναστικη η δ' επι ψυχη, μουσικη. *Plat. de Rep.* Lib. II.

*** *Statutum de lectura Poetica.*

ſcriptis, qui ea vel neſcirent, vel non attenderent. Cumque poeſeos ſacræ conſilium ſit, mentem humanam ad omnem veræ virtutis & pietatis habitum formare, & vehementiores animi affectus ita concitare, ut eos ad proprium finem uſumque legitimum dirigere poſſit; ſi quis inſtrumenta illa, & quaſi machinas, quibus inſtitutum ſuum abſolvit, perſpexerit, is profecto haud exiguum ipſi arti ſubſidium eſt collaturus. Quamvis igitur ad occultos hujuſce veluti Nili cæleſtis fontes haud fas ſit penetrare, licebit tamen ſancti fluminis curſum & flexiones ſequi aquarum auctus & receſſus notare, ac rivos etiam quoſdam tanquam in ſubjacentes campos deducere.

Primum certe in hac diſciplina locum merito ſibi vendicant ſacra poemata, cum ex iis & ipſius artis origo repetenda eſt, & ejuſdem dignitas veriſſime æſtimanda. Cæterarum artium initia, utcunque rudia & imperfecta, & circa res tenues & minutas occupata, juvat tamen plerumque eruere & contemplari: hic poeſin in ipſis primordiis intueri licet, non humano ingenio excogitatam, ſed e cœlo delapſam; non parvis incrementis paulatim creſcentem, ſed ab ipſo ortu plenam quandam habentem & decoris & roboris maturitatem (3); non nugis ancillantem & & vanitati ſua præbentem lenocinia, ſed divinæ veritatis miniſtram, inter Deum atque homines quandam internuntiam. Hoc enim primum & præcipuum habet munus, ut & hominum vota actioneſque gratiarum Deo commendet, ejuſque laudes celebret, utque ex altera parte hominibus divinorum conſiliorum myſteria patefaciat, & prænuntiet futura: quod quidem officium poeſis imprimis ſibi honorificum & illuſtre ducit contigiſſe. Illud enimvero haud perfunctorie attendi velim, quod ex univerſa ſacrorum voluminum ſerie conſtare arbitror; eventum futurorum ſignificationes ſemper fere verſu & numeris enuntiari; & ejuſdem fuiſſe Spiritus rerum præſenſionem ſuo inflatu impertire, iiſque magnificos poeſeos ſenſus & carminis ornatum inducere; ut cum rebus ipſis longe humanos conceptus ſuperantibus quædam etiam eloquii divinitas conſentiret. Quid autem eſt ex iis omnibus, quæ in honorem poeticæ fautores ejus ſtudioſiſſimi, vel ediderunt unquam, vel conceperunt, vel etiam finxerunt, quod non infra hanc laudem, infraque ejus merita reique veritatem conſiſtat? Quid ex omnibus, quæ in eandem acerrimi ejus obtrectatores unquam conjecerunt, opprobriis, quod non Hebrææ poeſeos exemplo penitus refutetur atque obruatur? Deſinant itaque ex quorundam hominum vitio, qui rebus optimis peſſime abutuntur, honeſtiſſimæ facultati invidiam conflare: deſinant eam artem, ut in ſe levem futilemque contemnere, ut profanam atque etiam impiam criminari, quam in ſanctiſſimos uſus Dei ipſius munere hominibus conceſſam fuiſſe videmus, Deique ipſius auctoritate atque exemplo auguſtiſſimis miniſteriis conſecratam.

Utrum poeſin ſuam Græci ex naturæ primum fontibus ipſi hauſerint, an aliunde ex remotiore aliqua origine derivatam acceperint, nec magni momenti videtur, nec exitum habitura diſputatio: hoc certe conſtat, eam ſemper apud Græcos invaluiſſe de poeticæ natura & origine opinionem, quæ, ſi ipſorum tantum poeſin ſpectamus, eſſet vaniſſima; cum Hebræorum vero poeſi re & veritate congrueret. Etenim poeſin ſanctum & cæleſte quiddam exiſtimabant, neque artis aut facultatis eſſe humanæ, ſed divini omnino muneris: apud eos itaque ſancti habiti vates & deorum interpretes, ut quibus conſuetudo & commercium quoddam cum cœlo intercederet; cæremoniæ, & religiones, deorumque laudes carminibus celebratæ; & quod habet eorum poeſis antiquiſſimum, oracula ſemper verſibus edita, quo & anguſtiora & credibiliora populo viderentur; quippe qui exiſtimabat, æque divini cujuſdam inſtinctus eſſe, res & præſentire, & verſibus protinus exprimere. Retinuiſſe itaque videntur conſignatam quondam in animis hominum antiquæ & veræ poeticæ notionem aliquam & formam, poſteaquam rem ipſam amiſiſſent; cum vaniſſimis commentis ſeſe invicem corrupiſſent religio & poeſis.

Cum igitur unicas primævæ & germanæ poeſeos reliquias nobis ſacri codices ſervarunt, ipſa vetuſtate venerandas, divinitate etiam adorandas, de iis mihi in primis quærendum exiſtimavi; quantum nimirum patitur hujuſce diſciplinæ ratio: ut meminerim me, non theologiæ ſtudioſis divinæ veritatis oracula exponere, ſed juventuti in politiori doctrina & literarum elegantiis exercitatæ commendare lectiſſima poemata. Debuit fortaſſe me ab hoc incepto omnino dehortari rei ipſius difficultas; verum hanc, ut ſpero, apud vos, Academici, excuſationem habebit meum audacius forſan conſilium, ut me exiſtimetis eam potiſſimum materiam tractandam ſuſcepiſſe, quam maxime & per ſe egregiam & huic inſtituto accommodatam judicarem; atque id ſaltem vidiſſe, quid hoc loco dignum eſſet, ſi parum conſiderate expenderim, quid meæ vires poſſent ſuſtinere.

Eam autem in hac disquisitione viam insistam, quam ultro videtur ostendere rei ipsius ratio. Tria enim sunt in omni poemate præcipue advertenda: primum quidem res ipsa, ejusque tractandæ ratio; quæ dispositio, quis ordo, quæ pro vario poematis genere totius forma: tum elocutio sive stylus; in quo continentur sensus elati atque ardentes, sententiarum lumina, figurarum atque imaginum pulchritudo & varietas, verborum denique vis, pondus, elegantia: postremo carminis suavitas, numerique, non solum ad aurium delectationem compositi, sed ad res ipsas exprimendas, omnemque animi motum concitandum efficaces. Videndum itaque quid in harum partium singulis præstari possit, & quousque in Hebraica poesi discutienda & tuto & cum fructu aliquo versari liceat.

Quod ad versuum rationem attinet, ut de posteriore prius dicam; vereor ne is locus pœne sit omittendus, cum pateat non modo ex irritis doctissimorum virorum conatibus, sed ex rei ipsius natura, omnem fere carminis Hebraici cognitionem intercidisse: nisi forte operæ pretium sit hac in parte certa, si quæ sunt, ab incertis conjecturis secernere, & hoc ipsum ostendere, quantillum id sit, quod sciamus. Et profecto, quanquam abjicienda quidem fuerit omnis de metrorum ratione disquisitio, cum tamen aliqua appareant carminis vestigia, erunt fortasse nonnulla quæ de universa ejus natura breviter primo animadverti poterunt, & prout occasio fert, particulatim etiam postea notari.

Verum satis uberem disquisitioni nostræ materiam præbebit ea pars quæ de stylo Hebrææ poeseos agit; qui cum præcipuas habet virtutes, quæ in poetica sunt communes ac veluti publici juris, tum multas possidet tanquam proprias & suas.

In altera illa parte, quæ natura & dignitate prior ultimo restabit tractanda, diligenter ut in re perquam difficili erit versandum, & caute simul, ut semper, insistendum; ne si in spatiis poeticis nimis licenter vagamur, in theologiæ sacraria imprudentes irruamus; quod ne unquam temere fiat sedulo mihi cavendum statui. Hujus vero loci erit, poemata Hebræa in certas classes secundum varias eorum species, quantum commode fieri poterit, distribuere; quid in singulis maxime advertendum sit videre; fortasse etiam cum Græcis ac Latinis comparare, si quæ ejusdem generis esse videantur.

NOTÆ EDITORIS.

(3) Aut nimis oratorem egit, aut incautius Judæos, eorumque similes Christianos, Hebraicorum omnium originem ad Deum referentes, sequutus est noster, cum magnifica hæc scriberet: oblitus & ante sacra Mosis ac divina carmina Moabitas eximio poemate regis sui victorias celebrasse, quod ipse nobis Moses Num. XXI. 27. 30. servavit, & prophetico Jacobi carmine alia antiquiora fuisse, historica, mediocria plerumque, sive adeo exilia. Oblitus inquam: ignorasse enim censendus non est, de quibus p. 39. 40. (edit. Oxon.) verissime dicentem audiemus. Inter saltantium choros, non semper pios, natam poesin Hebraicam dixerim, cum motum corporis canticis, hæcque illi accommodarent: cui poesis origini crebros versuum parallelismos, de quibus nemo melius Lowtho egit, acceptos refero: nec abludunt ab hac sententia, quæ noster in prælectione XIX. habet. Quod si ergo non primus Moses rem insolitam instituit, carmini saltationem accommodare, sequitur, ut diu ante ipsum poesis fuerit, rustica primum & inculta, deinde sensim adolescens & ornatior. Nec verisimile est, primum poema Hebraicum perfectum fuisse, licet Mosis tempore, quam auream dixeris linguæ Hebraicæ ætatem, excellentia carmina divino impetu fusa sint.

PARS

PARS PRIMA,

מזמור

SIVE DE METRIS HEBRÆIS:

PRÆLECTIO TERTIA.

POESIM HEBRÆAM METRICAM ESSE.

INgredienti mihi propositam de sacra Hebræorum poesi disputationem in ipso aditu occurrit difficilis ac perobscura quæstio de natura carminis Hebraici; quam sane libenter desugissem, si per instituti rationem licuisset. Sed cum omni poesi hæc sit veluti propria quædam lex & necessaria conditio constituta, a qua si discedat, non solum præcipuam elegantiam desiderabit & suavitatem, sed ne nomen quidem suum obtinebit; nimirum ut sit numeris adstricta, atque aliquo constet metrorum genere: idcirco qui poesim Hebraicam tractat, ei hujusce disquisitionis quædam imposita est necessitas, ut ostendat saltem isthæc Hebræorum scripta, siquidem poemata sunt, esse metrica; utque porro inquirat, numquid certi de hujusce carminis ratione definiri possit. Hunc itaque locum ita aggredior, non ut rem ipsam multum illustraturum me sperem, sed ut quæram potius quatenus omnino possit illustrari; atque id ipsum breviter cauteque, ut qui hujus argumenti, veluti freti cujusdam doctorum naufragiis infamis, extremam tantum oram ausim legere.

Ac primum quidem Hebræorum scripta quædam non modo spiritu poetico animata esse, sed numeris etiam & metro aliquo adstricta, quanquam in contrariam sententiam abierint eruditorum nonnulli, satis tamen clare opinor constabit, si ea vel paulo attentius advertimus. Nam ubique fere apparent eæ saltem reliquiæ & quasi vestigia carminis, quæ vix potuissent in ulla alia lingua superesse, cujus, ita ut nunc Hebrææ, sonus ac pronuntiatio propter varios casus, quos tanta fert vetustas, penitus obsolevisset.

Erat apud Hebræos vates in usu carminis quoddam genus memoriæ præcipue juvandæ causa, ut videtur, inventum, quo res aut sententias, aliquantum dissipatas plerumque, nec satis ipsa naturæ & dispositionis necessitate inter se connexas, ita exprimerent, ut singuli vel versus vel strophæ literis primoribus alphabeti ordinem repræsentarent. Cujus rei multa etiamnum inter sacra poemata exempla extant. * Hic itaque prodeunt, ac veluti ultro sese nobis offerunt versiculi certis quibusdam notis signati, suisque limitibus circumscripti; quod in membris tantum orationis omnino solutæ fieri unquam potuisse plane incredibile est: præsertim, si hos ipsos versus animadvertimus, interque se comparamus, æqualibus plerumque spatiorum intervallis decurrentes, atque ita veluti in quadrum redactos, ut sæpe vocibus voces adnumeratæ, ac pœne syllabis syllabæ pares respondeant. Quæ cum ita se habeant, quamvis aurium judicio in hac re vix uti licet, ipso tamen prope aspectu agnoscemus, omnia non modo numeris poeticis esse distincta, sed etiam accuratam aliquam in iis dimentiendis adhibitam fuisse diligentiam.

Habet etiam aliud poesis Hebræa quod metricæ orationis omnino est proprium. Iis enim solummodo scriptoribus, qui certa quadam numerorum ac pedum moderatione sunt adstricti, ea licentia conceditur, ut vocibus utantur a communi loquendi usu ac lege discedentibus, & a linguæ analogia paulum detortis; utque eas nonnunquam vel detractis quibusdam syllabis diminuant, vel adjectis augeant. Quæ res eam vim habet, non tam ut in promtu sint quædam numerorum complementa, quam ut sonorum varietas satietati occurrat, utque universæ elocutioni proprius quidam color inducatur, & sua constet tanquam a plebe semota dignitas. Hujusmodi igitur artificio aliquo pro vario cujusque linguæ ingenio semper utitur poesis. Cernitur autem id duobus potissimum: primo glossarum, sive peregrini sermonis, usu; tum vocum receptarum anomaliis quibusdam, sive formis insolentioribus. ** Notum est quantum in hoc genere sibi permiserunt poetæ

* *Ps.* XXV. XXXIV. XXXVII. CXI. CXII. CXIX. CXLV. *Prov.* XXXI., a commate decimo ad finem. *Jeremiæ Threni* per totum excepto ultimo capite.

** Vide *Aristot. Poet.* cap. 22.

tæ Græci; quorum lingua præ cæteris omnibus, propter dialectorum, quæ in diversis Græciæ rebuspublicis obtinuerunt, varietatem & copiam, hujusmodi licentiis erat maxime opportuna. Secundum illos nulli fortasse eas liberius admiserunt quam Hebræi; qui cum glossis, tum vocum anomaliis, maxime autem particulis * quibusdam orationi metricæ propriis, & in fine vocum identidem additis, stylum distinxerunt, & dialectum quandam poeticam sibi confecerunt.

Hoc igitur opinor satis tuto affirmare possumus, poesin Hebræam metricam esse. Ipsorum porro versuum proprietatem unam aut alteram liceat adnotare, quas uti quivis deprehendat in iis carminibus, quorum versiculi per literas initiales certo definiuntur, ita ad reliqua inde transferri conjectura saltem possunt. Primum quidem, versus eo inter se dissimiles esse, quod alii aliis multo sunt productiores; brevissimos sex aut septem fere syllabis constare; longissimos ad bis totidem circiter excurrere; ita tamen ut unum atque idem poema versiculis (ut plurimum) non valde inter se imparibus continuetur; ibi denique fere incidere versiculorum clausulas, ubi distinguuntur sententiarum membra.

Quod

* Particulæ poeticæ, quas fere paragogicas vocant Grammatici:

ו Nominibus additum: *Num.* XXIV. 3. *Ps.* CXIV. 8. CIV. 11. 20. *Isai.* LVI. 9., bis. *Zeph.* II. 14. quanquam in his locis novissimis fieri potest, ut ו loco suo motum fuerit, & pro חיתו legendum sit חיות; quod amicissime submonuit vir harum literarum peritissimus, cujus conjecturæ favent LXX. interpretes.

י additum nominibus, adverbiis, præpositionibus, in poeticis passim: item participiis Benon. sing. masc. & fem. *Gen.* XLIX. 11. *Ps.* CI. 5. *Prov.* XXVIII. 16. *Jer.* XXII. 23. XLIX. 16. LI. 13. *Ezech.* XXVII. 3. hoc autem Masoretæ aliquoties perperam expunxerunt.

De י addito verbis secundæ pers. fem. sing. præt. mendum sit necne nonnihil dubito: Masoretæ certe semper expungendum censuerunt. Vide *Jer.* XIII. 21. XXII. 23. XXXI. 21. *&* *Ezech.* XVI., ubi decies reperitur. Non est verisimile in uno capite eodem modo toties potuisse errari. Potest etiam esse glossæ Syriaca, quæ *Lud. Capelli* sententia est; *Crit. Sacr.* lib. III. cap. XIII. 8. Quanquam est locus ubi eadem forma effertur eadem pers. masculina: כי אמרתי. *Quoniam dixisti* --- *Ps.* LXXXIX. 3. ita sane acceperunt veteres interpretes omnes præter Paraphrastem Chaldæum; & recte quidem, si aut sententiæ, aut locorum parallelorum habenda est ratio. Verum hoc mendum potius esse existimo, quanquam Masoretæ non notarunt.

מו pro ם, vel הם, in poeticis passim; *Ps.* II. 3. 4. 5. quinquies: nonnunquam singulariter pro ו. Vide *Isai.* XLIV. 15. LIII. 8. *Job.* XX. 23. XXII. 2. XXVII. 23. *Ps.* XI. 7. Et paragogicum sæpe. כמו simplex videtur omnino poeticum, (quod occurrit *Nehem.* IX. 11. sumptum est ex cantico Mosis *Exod.* XV. 5.) cum affixis non item.

Harum particularum, quas poeticas voco, occurrunt in scriptis prosaicis exempla, singularum singula, in sequentibus locis, ac nescio an aliis ulla: ו, *Gen.* I. 24. sed abest litera paragogica in codice Samaritano. י, *Gen.* XXXI. 39. bis: sed deest item in codice Samaritano: quanquam hoc potest etiam esse pronomen affixum. מו denique *Exod.* XXIII. 31. sed pro וגרשתמו codex Samaritanus habet וגרשתים; ita etiam legerunt LXX. *Intt. Vulgat. Chald.* &c. & huic lectioni favet loci sententia.

Huc forte referri possunt ה & ן paragogica, & ש relativum, quæ in poeticis frequentius quam alibi occurrunt.

' Hæc sunt plerarumque si non omnium anomaliarum exempla, quibus præcipue constat dialectus poetica. Quam libere autem iis utantur sacri vates, ut melius appareat, apponam earundem specimen, quod ex uno loco collectum, nimirum ex cantico Mosis *Exod.* XV. exhibet Abarbanel: *Vides*, inquit, *in isto cantico mensuræ causa quandoque contrahi*, voces, *quandoque extendi & protrahi per additionem quarundam literarum, ad justam faciendam mensuram & modulationem; prout aliquando etiam una & altera hujus rei causa deficit. Literæ quæ in præsenti cantico sunt superadditæ sunt istæ: duo Vau & Jod in voce* יכסיֻמו, *sufficisset enim* כסם*: Jod item in* נאדרי*: Vau in* תאכלמו*: Vau in* תורישמו*: Vau in* כמו*: Vau in* תבלעמו*: Vau in* יאחזמו*: Tau in* אימתה*:* (sane mihi videtur hæc nominum forma esse omnino poetica; multa ejus exempla profert *Glassius Phil. sacr.* pag. 269. ex libris autem poeticis & propheticis omnia:) *Vau in* תביאמו*: Vau in* תטעמו. *Deficientes sunt Jod in* וזמרת יה*: sic in* תמלאמו *pro* תמלא מהם*: Vau in* נהלת *pro* נהלתו*: sic etiam deficit vox* לבב *in versu* כמוגו כל ישבי בנען. *Non enim existimandum principem prophetarum errasse circa accuratam literarum rationem, & ordinem scriptionis illarum: verum carminis ratio & melodiæ necessitas sic postularunt. Abarb.* in *Mantista Dissertationum ad Libr. Cosri* a *Buxtorfio* edit. *Basil.* 1660. pag. 412. Quibus exemplis addere potuisset ex eodem cantico, מו paragogicum in כמו bis, נ epentheticum in ארממנהו, paragogicum in ירגזון.

De Glossis autem, sive de vocibus peregrinis; quæ in Hebræorum poesi occurrunt, in hac linguæ Hebrææ vetustate atque angustiis, vicinarumque dialectorum quæ una vigebant pœne ruina, haud licet nimis fidenter pronunciare: cum fieri possit, ut quæ pro Chaldaicis (puta) vulgo habentur, fuerint fortasse utrique linguæ communes; contra, ex iis quæ rarius usurpantur, quarumque origo ignoratur, aliquæ a vicinis dialectis fuerint mutuatæ. Cum vero sint voces nonnullæ, quæ sæpius occurrunt in eorum monumentis poeticis, nec alibi, nisi apud Chaldæos; de his probabiliter judicare possumus, eas vel a vicinis dialectis adscitas fuisse in Hebræam, vel saltem postquam in vulgari sermone penitus obsolevissent, in usum revocatas: cujusmodi sunt, quæ sequuntur. בר filius, קשט veritas, קטל occidit, שגא crevit, שבח laudavit, זקף erexit, עוק (quod Hebraice effertur צוק) arctavit: &c. Ecce autem Moses ipse in exordio supremæ benedictionis, *Deut.* XXXIII. nonne Chaldaismum sæpius admisit?

ואתה מרבבת קדש
מימינו אש דת למו
אף חבב עמים

quid אתה? quod iterum etiam occurrit v. 21. quid חבב? & forma & notione Chaldaicum: quid דת? vocabulum in vulgarem Hebræorum sermonem vix receptum nisi post captivitatem Babylonicam; præsertim cum sermo Hebræus abundaret synonymis quibus Dei legem exprimere potuisset. Porro forma Chaldaica eleganter utitur *Isaias*, de Babylone loquens, in voce מדהבה, quod Hebraice esset מזהבה, cap. XVI. 4. nec minus apposite in eodem argumento Psaltes adhibet vocem תוללינו *Psal.* CXXXVII. 3. quod est Chaldaicum pro שוללינו, ut accepit ipse Paraphrastes Chaldæus, qui reddit per vocem synonymam בזזנא; nec sani quidquam huc afferunt cæteri interpretes. In anomaliis item quibusdam grammaticis glossarum exempla quædam certo deprehenduntur: qualia sunt sequentia, Syriaca vel Chaldaica: כי pro ך, *Ps.* CXVI. ter; CIII., quater occurrens; item *Cant.* II. 13. *Jer.* XI. 5. והי pro יו, *Ps.* CXVI. 12. ין Terminatio plur. nom. masc. pro ים, *Job.* IV. 2. XXIV. 22. XXXI. 10. & alibi sæpe; item *Prov.* XXXI. 3. *Thren.* IV. 3. *Isai.* XLV. 10. *Ezech.* XXVI. 18. *Mich.* III. 12. (4)

Quod autem ad veros horum verſuum numeros, ad rhythmum & modulationem attinet, id omne & penitus ignotum eſſe, & nulla unquam arte aut induſtria humana inveſtigari poſſe, ex ipſa rei natura ſatis apparet. Manifeſtum eſt antiquam & veram Hebraica pronuntiandi rationem omnino eſſe ignotam. Quæ enim de hac re præcepta excogitaverunt recentiores Judæi, multis poſt ſeculis quam majorum ſuorum lingua in deſuetudinem abiiſſet, eis auctoritatem ac fidem jamdudum derogaverunt eruditi: quod ſi revera ex horum hominum decretis conformanda ſit pronuntiatio, fatendum jam erit, non modo, id quod experti ſentimus, Hebræorum carmina nihil reliqui habere, ſed nihil etiam unquam habuiſſe, harmoniæ ac poeticæ ſuavitatis. Sed nec iis tum integrum erat obſoletæ linguæ ſonos jamdiu elapſos revocare, & veras pronuntiandi leges inſtaurare; nec cuiquam jam mortalium fas eſt ſperare, ſe vel minimum in re tam tenui, & ab noſtris ſenſibus omnino remota, tamque funditus deperdita, conjectura conſecuturum. Equidem linguarum omnium hac in parte ſubtiliſſima quædam eſt ratio: poſtquam obſoleverunt, literis quidem conſignatæ vocem aliquam retinent, ſed, ut ore alieno prolatam, abſonam eam omnino ac barbaram: abeſt illa vitalis gratia, defloruit nativa ſuavitas, evanuit primævæ venuſtatis color. Græca proculdubio & Latina multum jam priſtinæ ac patriæ dulcedinis amiſerunt, & prout nunc efferuntur, ſonum edunt, apud diverſos populos diverſum, ſed ubique barbarum, quemque olim Atticæ & Romanæ aures nullo modo ferre potuiſſent. Sed in his manet utcunque rhythmus, ſui utriſque numeri, ſui pedes conſtant: Hebræi vero ſermonis longe deterior eſt conditio, qui ſuis vocalibus deſtitutus per annos ſupra bis mille mutus omnino &, ut ita dicam, elinguis jacuit. Itaque ne numerus quidem ſyllabarum, quibus ſingulæ ejus voces conſtant, plerumque certo definiri poteſt; ac multo minus earum tempora, ſive, ut vocant, quantitas, unquam inveſtigari (5). Cum vero in omni lingua metrorum ratio omnis ab his duobus neceſſario pendet, ſyllabarum dico & numero & quantitate, quorum in Hebræa cognitionem intercidiſſe, nec revocari poſſe, ipſa rei natura clare indicat; profecto qui metricam Hebræam veram illam & genuinam inſtaurare conatur, is ædificium extruit, cui fundamentum in quo nitatur plane deeſt. Illorum quidem nonnullis, qui in hoc negotio ſtudium ſuum atque operam poſuerunt, ea forſan laus debetur; ut judicentur, poeſin Hebræam, dure antea & barbare ſonantem, aliquanto jam molliorem & humaniorem effeciſſe, & aliquos ſaltem numeros ei utendos dediſſe, cum veros ac ſuos quos ei reſtituerent invenire non poſſent. Ut majus aliquod iis tribuamus, nec rei ratio patitur, nec argumenta, quibus conjecturas ſuas munire aggreſſi ſunt, evincunt. * Id potius ſuadere videntur eorum omnes conatus, ut deſinamus tandem quærere, quod viri ingenio & doctrina inſtructiſſimi fruſtra quæſiverunt; ut quod videmus periiſſe, perditum ducamus.

Verum quanquam de verſuum ſingulorum numeris nihil certo definiri poſſit, eſt tamen aliud pluribus ſimul ſumptis animadvertendum, quod ad carminis artificium pertinet. Habet Hebræorum poeſis, quod ſupra attigi, peculiarem quandam ſibique accommodatam ſententiarum conformationem; cujus ea ratio eſt, ut plena comprehenſio in ſuas partes fere æqualiter diſtribuatur, utque integra ejus membra integros verſus conficiant. Itaque ut poemata in periodos plerumque æquales quaſi ſua ſponte ſe diſpertiunt, ita periodi ipſæ per ſe dividuntur in ſuos verſiculos; multo frequentius quidem binos, ſed ſæpe etiam plures. Hoc in iis maxime locis cernitur, qui apud Hebræos vates ubique fere occurrunt, ubi rem unam multis modis verſant, & in eadem ſententia commorantur, ubi idem ſæpius diverſis verbis exprimunt, aut diverſa eadem verborum forma includunt; cum paria paribus referuntur, adverſis opponuntur contraria: quæ cum efficiant plerumque, ut apte & numeroſe cadat etiam ſoluta oratio, vix dubitari poteſt, quin eadem præcipuam quandam hiſce numeris venuſtatem & gratiam conciliaverint. In hoc igitur, quod in horum poematum longe maxima parte obtinet, ſi non legem aliquam, at certe generalem quandam indolem & charactera Hebræorum poeſeos deprehendimus: adeoque apud eos ipſum carminis vocabulum מזמור ** eam vim

* Vide *Metricæ Harianæ brevem confutationem*.

** זמר, *incidit*, *ſecuit*, *putavit*, *amputavit* ſuperflua nimirum & luxuriantia ex arboribus: hinc זמורה, *palmes*, *ſurculus*; מזמרה, *falx vinitoris*. Item, *cecinit*, *modulatus eſt*: & notat modulationes artificioſas certis numeris & cæſuris inciſas. שיר ſignificat *voce cantare*; נגן *inſtrumenta pulſare*: זמר *pſallere vel voce vel inſtrumento*: ſic שיר מזמור בנגינות, (vid. *Pſ.* LXVII. 1.) opinor denotare *cautionem*, *metricam*, *chordis ſociandam*: ita ut מזמור metrum, vel numeros, ſive quem Græci ῥυθμον vocant, ſignificet. Poteſt etiam ad priorem radicis notionem propius referri, ut denotet carmen in breves ſententias conciſum, & ab omni verborum luxurie reſectum, quæ Hebræorum præcipue carminum eſt ratio. Proſa oratio eſt שלוחה, ſoluta & libera, ſine lege temere diffuſa; quaſi

vim habet, ut designet orationem, peculiari quodam modo in breves, crebras, certisque intervallis demensas, sententias intercisam.

Græcæ pariter ac Latinæ poeseos hac in parte contraria est ratio; illic diligenter vitatur, quod hic studiose quæritur: utrumque ex linguarum natura atque ingenio. Nam Græca lingua omnium maxime, & proxime illam Latina, multiplex est, numerosa, volubilis, magnam habens pedum & metrorum varietatem; quorum tam certæ sunt impressiones, tamque notabiles ictus, ut si vel versus particulam aliquam mancam & imperfectam recites, vel plures simul versiculos uno spiritu devolvas, numeri nihilominus clare percipiantur: adeoque in his universi carminis varietati sine metrorum singulorum injuria ac dispendio, pene ut libet, licebit consulere. In Hebræa vero lingua contraria esse his omnia videntur: nam universa ejus conformatio omnium maxime est simplex; primæ vocum formæ uniusmodi sunt & inter se fere similes; earumque nec multæ nec admodum diversæ flexiones: ex quibus satis intelligitur, ejus etiam numeros nec varios nec multiformes fuisse; sed potius simplices, temperatos, graves, non tam ad mobilitatem, quam ad dignitatem & pondus compositos: ut forsan necesse habuerint versiculorum spatia sententiarum respirationibus distinguere, ne implicata & permixta inter se carmina penitus obruerentur. (7)

Duo hic occurrunt adnotanda, quæ ex jam dictis quasi consectaria quædam enascuntur. Primo quidem, poema ex Hebræa in aliam linguam conversum, & oratione soluta ad verbum expressum, cum sententiarum formæ eædem permaneant, multum adhuc, etiam quod ad numeros attinet, pristinæ dignitatis retinebit, & adumbratam quandam carminis imaginem. Hoc itaque in vernacula sacrorum poematum interpretatione cernitur, ubi plerumque

Invenias etiam disjecti membra poetæ:

quod in Græcis aut Latinis eodem modo conversis longe aliter eveniret. * Alterum est, quod poema Hebræum Græcis aut Latinis versibus redditum, sententiarum formis ad peregrini sermonis indolem jam accommodatis, id est, confusis perditisque, nativi ornatus & propriæ venustatis non exiguam faciet jacturam. Nam in exprimendis alia lingua egregiorum poetarum operibus, multum in eo positum est, ut non tantum iidem sint intimi sensus, par in sensibus explicandis vis & venustas, sed ut quantum fieri potest externa etiam oris lineamenta effingantur, ut suus cuique color atque habitus, suus etiam motus & incessus tribuatur. Qui itaque sacros vates Græco vel Latino carmine exprimere, adeoque eorum veluti personam sustinere conati sunt, fieri non potuit quin toto genere & forma, si non inferiores, multum certe ab iis dissimiles essent: an ex altera parte ad eorum vim, majestatem, spiritum proprius accesserint, non est hujus loci quærere.

quasi arbor sylvestris in ramos & frondes undequaque luxurians: metrica oratio est זמורה, præcisa undique & amputata, sententiis, veduti palmitibus, in certum ordinem & formam distributis; quasi vitis, quam vinitor luxuriantem falce compescit, fingitque putando. (6)

* *Neque tamen* (i. e. quanquam carmina sacra non habent modos certarum syllabarum & pedum, quæ est hujus Magistri sententia:) *diffitemur illa habere proculdubio mensuras alias quæ dependent a rebus ipsis. — Nunquid vides, si quædam illorum transferas in aliam linguam, quod retineant mensuram suam si non totam saltem aliqua ex parte? quod non possumus facere in illis carminibus quorum mensuratio constat certo syllabarum numero & quantitate R. Azarias, in Mantiss. Dissert. ad lib. Cosri pag.* 420.

NOTÆ EDITORIS.

(4) Adeo modeste noster ac timide in lubrico versatur argumento, ut, si qua ei neges anomaliæ licentiæque poeticæ exempla, summam tamen caussæ æquis arbitris facile probet. Meminerimus autem, quas nominibus discerpimus, Hebraicam, Phœniciam; Samaritanam, Syriacam, Chaldaicam, Arabicam, Æthiopicam linguam, non totidem linguas esse, sed unius, quam communi nomine Orientalem recte dixeris, propagines ac dialectos. Solent autem, (quod vel Germanica nos cognatæque linguæ docere possint) eadem verba & vocabula, eodem manente significatu, pretio tamen, honore, & usus frequentia in dialectis differre. Obscenum enim huic est, aut turpe, aut certe plebejum, ac loquentium potius quam oratorum & scriptorum, quod illa optimis scriptoribus permittit: rarius hic, & exquisitius, ac vel ideo, quia inusitatum, fortius poetisque proprium, quo illic omnes boni scriptores utuntur. Sæpe etiam accidit, ut quod in loquendo commune & plebejum, idem in scribendo poeticum habeatur, quia insolitum quid ac majus sonat, postquam diu ab eo scriptores prosaici sese continuerunt. Quo tritior enim vox est, eo plus de ejus vi ac gravitate decedit: quamquam & hoc poetæ cavendum, ne frequentior verborum insolentia artis potius, & quæsitæ elegantiæ, egestatis denique verborum propriorum, quam impetus poetici esse videatur. Magna etiam in carmine gratia est archaismi, qui ipse dictiones peregrinarum dialectorum, nostræ olim usitatiores, invehit. Quæ breviter per transennam demonstrasse sufficiat, materiamque indicasse, dignam,

de qua uberius commententur, qui cum Orientali philologia, aut Græca, vernaculam conjunxerunt.

Videtur certe idem in Orientalis linguæ dialectis obtinuiſſe. Exempli loco ſufficit, quod & noſter habet, חבב, *amare*, non niſi ſemel in ſacro codice obvium, at non Chaldæis ſolum, quos nominat noſter, Syriſque, ſed & Arabibus ita uſitatum, ut illud tanquam proprium & maxime vulgatum ponant, ſi amandi mentio inciderit. Contra Hebræi plerumque אהב dicunt, quod in hac ſignificatione Syriaca & Arabica dialectus non habet.

His exoticis particulas etiam nonnullas annumeraverim, poeticas noſtro viſas, ut ש relativum, rarius in antiquiſſimis Hebraicæ linguæ monumentis, in Chaldaizantibus frequentius, manifeſta imitatione exprimens particulam Syrorum præfixam ד pro ש, quamquam hæc non, ut vulgo ſtatuunt, ex ש & אשר Hebraico orta eſt, ſed cum זה conferenda videtur. Verum id hujus loci non eſt.

De litera paragogica Vau & Jod non erat cur dubitaret, ſolicitaretque lectionem, ſive vir doctus, cujus mentionem noſter facit, ſive ex criticis alii, ſuſpecta habentes, quorum rationes non bene reddiderunt vulgares grammatici, nec meliorem reddere ipſi queunt. Pronomen eſt redundans, ut Schultenſius in inſtitutionibus linguæ Hebraicæ de Jod optime docuit: idemque de Vau paragogico tenendum. Hujus generis pronomina, ſed ſecundæ perſonæ, apud Arabes frequenter in omni ſcriptionis genere abundant, ut vel opus habeant pro, *hic eſt liber*, dicere, *hic tibi eſt liber*, ſimiliterque Chaldæi pro HI ponere ſolent אלך *hi tibi*. Hebræi contra pleonaſmo pronominis primæ aut tertiæ perſonæ in carminibus adſueverunt, qui ſi plebejum quibus nobis ſonat, illuc referendus eſt, quod ſupra diximus, plebeja aliqua & poetica congruere.

Jod verbis ſecundæ perſonæ fem. ſing. præt. additum, (קטלתי *occidiſti*) nec mendum eſſe videtur, nec poeticum, ſed merus Chaldaiſmus, uſitatum quippe Jeremiæ & Ezechieli, qui ſub Chaldæis vixerunt, ignotum aliis, qui plus quam hi poetæ ſunt. Nempe & Chaldæi Syrique, & Arabes J addunt ſecundæ fæminorum, (Katalti) idque & Hebræos antiquitus feciſſe, argumento eſt forma hujus perſonæ ante pronomina ſuffixa: omiſſum autem diu Hebræi reſtituerunt, uſum victoris populi imitantes, cum rerum Chaldæi potirentur.

Nun quod dicunt paragogicum Hebræis quidem perquam uſitatum, multo tamen frequentius Arabibus, quorum & grammatici per omnes perſonas numeroſque futuri paragogici exemplum proponunt, ſuamque illi vim propriam, concinente linguæ uſu, ſubjiciunt. At Hebræi, idem in poetico, rarius in hiſtorico ſcribendi genere imitati, non utuntur tamen paragogico futuro, niſi ſequantur ſuffixa, aut futurum ſimplex in vocales U & J deſinat, nec ſua apud illos ſignificatio, a communi forma diverſa, paragogico futuro conſtat. Exoticum ergo quodammodo cenſendum eſt, quia Arabiæ frequentius; recte præterea a noſtro ad inſolentiam ſermonis poetici refertur qui quam illo delectetur diſce ex Jeſ. XXVI. 5. 6.

Sunt & aliæ particulæ poetis frequentiores quam aliis ſcriptoribus, ut אף, ubi expletivum videri poſſit, neglectum etiam priſcorum interpretum quibuſdam, Jeſ. XXVI. 8. 9. 11. בל pro לא aliquoties in eodem capite. Sed horum larga meſſis eſt, aliis relinquenda, nimiſque moleſta, niſi ſenſim aliud agendo tanquam per ſpicilegia colligatur.

Quamquam hæc omnia non efficiunt, ut metrum certis perpetuiſque legibus adſtrictum fuerit Hebræis, ſed ut divinius inſolentiuſque dicendi genus habuerint, poetico noſtro ſimile: ipſe quippe noſter fatetur, anomalias poeticas non eam vim habere, ut in promtu ſint quædam numerorum complementa, ſed ut ſonorum varietas ſatietati occurrat, elocutionique proprius color inducatur. Et tamen in ea eſt ſententia, verum aliquod Hebræis fuiſſe metrum, perpetuis legibus adſtrictum, quod ita perierit, ut jam inveſtigari, revocarique ab inferis nulla arte queat. In quo nos conſentientes non habet. Sed ne aut omne metrum Hebræis negare, aut verbis ſolis diſſidere videamur, duplex metri poetici genus diſtinguamus, adſtrictius & liberius, utrumque ab oratorum numero tam diverſum, quam eſt ſaltatio ab ambulatione. Adſtrictius dicimus, in quo ſyllabarum pedumque menſura per totum carmen eadem decurrit, eoſdem numeros habentibus verſibus, ut in Græcis, Latinis, vernaculis; Hoc nos Hebræis negamus: concedimus autem liberum, verſus habens cum brevitate ſonoros, muſicis poeticiſque pedibus conſtantes, qui tibiæ ſaltationibuſque facile accommodentur, ut cantando atque a ſaltantibus recitati perfectum carmen videri potuerint. Non diſſimile illud ſingulis odarum Horatianarum tetraſtichis, varios pedes tanquam confundentibus: at integrarum odarum neutiquam ſimile, per quas iidem idemtidem ad certam legem numeri redeunt: aut ſi ad vernaculi carminis rationem referas, conferendum quodammodo noſtro, inæquales verſus habenti, quod recitativum dicimus, niſi quod hoc unius modo generis pedes, jambos plerumque admittit, cum liberius, quod dicimus, metrum, numeros poeticos nullos excludat. Hoc autem liberius metrum, non ſolum oratorum numerum, qui & rotundior poetico eſſe ſolet, in carminibus Hebræorum dominari, recte verborum illa inſolentia, oſque poeticum, grande quid & divinum ſonans, efficit: quorum utrumque in oratore nec laudari nec ferri poteſt. In quo ſæpe miratus ſum eorum errorem, qui Jeſaiam, totum illum poeticum, res etiam ita miſcentem, inque medias rapientem, ut talis orator ferri non poſſit, poeta divinus ſit, perfectum oratorem faciunt.

Non ignoro quidem, eſſe, qui illam verborum inſolentiam, ac diviniorem furorem, oratione nihil metri habente, quam poema proſaicum dicunt, imitentur: meis tamen mihi auribus animique ſenſibus ſi fidere licet, nihil carmina illa proſa delectationis habent, artis aliquid, tumoris ingrati permultum; ac ne tam bene quidem cum illis agi ſolet, ut disjecti membra poetæ, qualia in verſione proſa carminis, agnoſcas, ſed ejus, qui poeta haberi cupiebat. Non in eoſdem me adfectus rapi perſentiſco, quos proſum carmen exprimere ſtudet, quibus ſolis illa ſe inſolentia & audacia verborum tueri poteſt: unde dum is, qui ſe poetam dicit, furere videtur, vel potius furere velle, ego langueo, ſurdo Ciceroniano non abſimilis, qui oratorem videbat, non audiebat. Proſum ergo ejuſmodi poema ut excellentia Jobi, Moſis, Davidis carmina habeam, quorum divino adflatu ipſe inter legendum adficior, non adducar. Quæ autem ſit ratio metri Hebraici, noſtro liberioris, inque arbitrio & impetu poetarum ſiti, melius faciliuſque dici poſt prælectionem XIX. poterit, in qua magis quam hic noſtrum habebimus Lowthum.

(5) Concedenda alia Lowtho arbitrer, alia neganda. Dandum cenſeo, dabuntque omnes, elegantiam ac vitam Hebraicæ appellationis poſt tot ſecula nec ſperari nec tentari poſſe: quæ enim illam perficiunt varia ac prope infinita, mollities & aſperitates literarum, ac vocalium tanquam media, ſemitoniis muſicorum non diſſimilia, feſtinationes & more minutiores his, quæ ſyllabam brevem longamque faciunt, alia denique permulta, ſcribendo exprimi nequeunt. Ac ne quidem a dialectis cognatis peti fas eſt, ut vitam, ſuamque ſuavitatem appellationi Hebraicorum verborum reddant: ſolent enim dialectis a dialectis appellatione maxime diſtare, ut putidum huic ſit, quod illi conſuetum aut dulce. Verum id nihil ad metrum; neque hujus elegantiæ jactura periiſſe ſpem metri Hebraici inveniendi ſtatuit autor.

Ultro etiam offero, moneoque, quod ne petit quidem: puncta vocalia, ſi ad illas exigantur leges, quas aliqui fingunt, omni-omnino metro linguam Hebraicam ineptam facere. Quod ſi enim æqualia ſunt omnium ſyllabarum tempora, quod volunt, qui tres moras cuivis ſyllabæ tribuunt, id eſt, ſi ſyllabę omnes ſive ob vocalem longam ſive ob poſitionem longę exiſtimantur, neque ſunt pręterea ſyllabę breviores, nec Schva mobile vocalis breviſſimæ loco haberi licet: deſperandum non modo omne metrum erit, in lingua cujus omnia elementa perfecte ſunt æqualia; ſed & numerus orationis, atque adeo illa varietas, quæ vel in colloquiis erectos nos tenet, ſomnoſque fugat, excludetur.

At manifeſto hæ leges, in Germania notiores quam in Britannia, vitio latæ ſunt: quidquid autem ex illis hactenus verum eſt, ut punctorum quæ nunc ſunt juſtam rationem reddat, non ad antiquam Hebræorum appellationem modumque ſyllabarum, ſed ad grammatica Maſoretharum placita referendum exiſtimem. De utroque pauca: nec enim hic locus eſt, ſcrinia

ube-

uberiori grammaticæ Hebraicæ deſtinata, effundendi, nec auſim, diſputationem, quam totam vellem jucundam ac poetici leporis plenam eſſe, his ſpinis impedire. Primo enim, ut taceam, crebris anomaliis, quarum ſatis pro arbitrio ratio redditur, obrui leges, quę cuivis ſyllabæ tria tempora definiunt, ipſiſque auribus judicibus cauſſa cadere, qui dicat, לבר non plus temporis requirere quam בר, cum audiamus omnino, eo tempore quo ב effertur, non & ל appellari, ſed ante ב: ipſi accentus, hac certe in lite maximam habituri autoritatem, novæ legi refragantur. Ex horum norma ſunt ſyllabæ aliquæ, quibus vulgares grammatici tria ſua tempora largiuntur, adeo breves, ut earum nulla ratio habeatur, ו præfixum in ſyllaba ſimplice, & ſyllaba compoſita ex Schva conciſo orta, (e. c. עָם in יעמוד) contra Schva mobile in media voce pro ſyllaba plena numeratur, cui ne unicum quidem tempus grammatici, contra quos diſputo, concedunt: ut ומלך juſto brevior vox, laborantem dicunt phraſi Arabica, exiſtimetur, contra מלכה ſat longa, ſive, ut ajunt, ſana. Sunt permulta ejuſmodi, ſed quæ, quia minuta & ingrata ſunt, hic non excerpo. Eſt vero dubitationis expers, qui punctorum vocalium rationem redditurum ſe profitetur, accentus non negligere, nec illis recentiores natales, de quibus inter Cappellos Buxtorfioſque diſputatum eſt, objicere debere. Quæ enim cunque eorum ætas ſit, dubio tamen caret, diſcrimen vocalium Maſorethicarum longarum & brevium recentius accentibus eſſe: non raro enim ab accentibus pendet, longane an brevis vocalis ponenda ſit. Obliviosi ſunt diſputatores, qui vocales cum Buxtorfiis, tanquam antiquas & divinas venerantes, contra accentus cum Cappellis faciunt, ut ſuos de vocalibus errores tueantur. Nec ſoli accentus jubent, Schva mobile pro vocali haberi, ſed & ejus loco Arabes veram vocalem ponere ſolent, ut Katalu pro Katlu, & qui literis Græcis Latiniſque Hebraicas voces ſcripſerunt, LXX. tres Græci, Origenes, Hieronymus, alii, Græcam pro illo Latinamve vocalem habent.

Tota porro illa vocalium longarum breviumque ratio, qualem Maſorethæ inſtruxerunt, ſuſpecta mihi videtur. Sumit id, quod ab omnium aliarum linguarum uſu abhorret, auribuſque eſt moleſtiſſimum, æqualia ſyllabarum, niſi quid intercedat, tempora eſſe debere. Nec reliquarum dialectorum Orientis conſenſu ſeſe tueri poteſt: hæ enim illud diſcrimen longarum vocalium breviumque, quod Maſorethis placuit, ut vocalis ſimplicis ſyllabæ longa ſit, brevis compoſitæ, omnino ignorant: contra, quod vero magis conſentaneum eſt, Arabibus illæ vocales ſolæ longæ habentur, poſt quas ſequitur ſono proprio deſtituta litera אוי, quas Hebræorum grammatici, quia abjici nequeunt, invariabiles dicunt: reliquæ omnes breves. Ut ergo quid ſentiam expromam, tantum abfuerunt veteres Hebræi ab illa Maſoretharum diligentia, quæ ſingularum vocalium quantitatem duplicata earum figura exprimit, ut tres modo vocales cum Arabibus Syriſque haberent, quarum rarus uſus, ubi ambiguitas orationis eas expoſceret. Pro his deinceps Syri quinque vocalibus uti a Græcis didicerunt ſeculo octavo (vide Aſſemani biblioth. Orient. T. I. pag. 64. 477. 478.) Judæi autem VII. Græcorum vocales, multiplicatis punctis imitari cœperunt. Quorum exemplo cum diſcerent, tempus vocali debitum figura diſtingui poſſe, ut eſt grammaticorum genus nimis diligens, otio in induſtriam verſo, IX. vel X. vocales excogitarunt, ut poſſent pro lubitu brevi vel longa uti. Quas quidem breviter dictas, exque hiſtoria linguarum Orientalium decerptas ſententias argumentis confirmare non hic vacat: atque etiam vereor, ne aliarum rerum cupidis lectoribus hæc jam copia diſpliceat. Sed ignoſcent, ſi æqui haberi volunt, neceſſitati: qui enim poteſt recte de poeſi ſtatui, omiſſa omni de proſodia quæſtione?

Quod ſi ergo hæc, quæ manifeſto laborare vitio videntur, demas, ſyllabamque tonicam producas, non inepta metro erit lingua Hebraica in reliquis, quæ erroris convinci non poſſunt, punctis Maſoretharum attemperata. Nec deeſt carminibus Hebraicis ad hanc legem recitatis ſua ſuavitas ſoni, rhythmuſque, liberior quidem, ſed tamen talis, ut ſaltantium choris moderari potuerit; qui ipſi poetici numeri non ſpernendo indicio ſunt, non penitus veram appellationem Hebraicam intercidiſſe, ſed (modeſte loquar) magnam ejus partem in punctis, quæ nimis aliqui contemnunt, ſupereſſe. Hanc numerorum ſuavitatem poeticoſque modos ſi minus perſenſit noſter, adcuſanda fortaſſe propria Anglis vocum Hebraicarum appellatio, noſtra plerumque multo deterior, quam ab Hiſpaniæ Judæis, Hieroſolymitanam originem profitentibus, Germanoſque & Polonos Judæos ceu Galilæam turbam, (nec abludit dialectus) aſpernantibus, acceptam & tralatitiam ſervavimus. At multi ex Britannis in Hebraicis idem, quod in Latinis, faciunt, ita omnia ad ſuæ linguæ modum detorquentes, ut exteris non intelligantur: quod ſi & autor fecit, & non potuerunt non Hebraica punctis Maſorethicis inſtructa paulo magis, quam erant, videri incondita. Equidem illam de genuina appellatione Hebraica quæſtionem nondum ſatis tractatam, ac ne eatenus quidem perpurgatam, ut ſemper numerus ſyllabarum ac quantitas definiri poſſit, largior autori: veteres tamen, qui Hebraica Græce & Latine ſcripſerunt, cum punctis conferens, ac ſi diſcrepent, ad cognatas dialectos, ſuperſtitem maxime Arabicam, tanquam ad arbitros confugiens, in multis nihil eſſe dubii deprehendo, ſed concinere puncta cum veteribus Græcis Latiniſque, in diſſenſu paulo ſæpius Origenem & Hieronymum, quam puncta, erraſſe: tantum autem veræ & antiquæ appellationis ſupereſſe, ut, ſi quod metrum certum integriſque odis perpetuum fuiſſet, non ubivis latere poſſet, licet nos ſæpe fugiat. Id vero, quod nullibi a diligentiſſimis viris inveniri potuit, non fuiſſe arbitrer. Sed immenſa eſt materia, non tractanda, ſed ſubindicanda lectoribus, ſi quos non tædet iiſdem veſtigiis grammaticas has perſequi minutias.

(6) Vide notam 8 prælectioni ſequenti ſubjiciendam.

(7) Recte hæc ab autore dici, nec in media ſententia verſus Hebraici finem faciendum, argumento ſunt alphabetica carmina.

PARS SECUNDA

משל

SIVE DE STYLO PARABOLICO.

PRÆLECTIO QUARTA:

STYLI PARABOLICI ORIGO, USUS, CHARACTERES; AC DE SENTENTIOSO GENERE.

SEquitur, ut de ſtylo poeſeos Hebrææ dicendum ſit: quo intelligi velim non nudam ſolum vatum ſacrorum dictionem, ſed ſenſus etiam, & rationem cogitandi; unde tanquam ex fonte neceſſario derivetur, ſuumque quendam ſaporem ducat oratio. Illud quidem in promtu eſt notare, eam eſſe cum omnis poeſeos, tum imprimis Hebrææ indolem, ut a vulgari ſermonis uſu maxime abhorreat, utque verborum non ſolum delectu, ſed & conſtructione, proprium quoddam & exquiſitius dicendi genus affectet. Id ex eo ſatis intelligitur quod uſu venit literas Hebræas diſcenti; ut qui in hiſtoricis jam probe fuerit verſatus, idem tamen in poeticis ſeſe plane hoſpitem ſentiat. Verum locutiones vatibus proprias, audaciſſimas ellipſes, præcipites temporum, generum, perſonarum immutationes, atque ejuſmodi cætera, niſi aliter aliquando occaſio ſuadeat, grammaticis relinquam tractanda; ſeu potius, quandoquidem illi, quantum video, nullum inter dictionem poeticam & merum ſermonem diſcrimen agnoſcunt, uſu ac diligenti lectione obſervanda. Nec minus eſſet proclive per omnes illas troporum & figurarum formulas decurrere, quas dicendi magiſtri ambitioſe, ne dicam inutiliter, congeſſerunt: quis enim eſt, qui non videt horum omnium exempla, non modo ſacram poeſin, ſed omnem fere cujuſcunque ſit generis orationem abunde præbere? Iis itaque utemur parcius, quantum neceſſe erit, non quantum licebit. Quærimus enim, non quæ ſit in univerſum ſtyli poetici ratio, ſed quænam poeſeos Hebrææ in hac parte peculiares notæ & characteres. Videamus itaque annon ipſæ Hebræorum literæ ejuſmodi ſpeciem aliquam ac formam nobis oſtendant, in quam rem de qua agitur univerſam includere, adeoque uno ſub conſpectu ponere poſſimus; quaque etiam in ſuas partes diſtributa, diſquiſitioni noſtræ certum quoddam ac definitum curriculum deſignetur.

Carmen Hebræis vocatur מזמור, hoc eſt, ut prius obſervatum, oratio brevis, conciſa, certis membrorum intervallis & cæſuris demenſa: ea verſus & numerorum propria eſt appellatio. Idem ratione dictionis & ſenſuum משל * dicitur, quod ipſum eſſe arbitror ſtyli poetici vocabulum. Parabolam vocant plerique interpretes; verbo aliqua ex parte non incommodo, ſed quod totum Hebrææ vocis ambitum minime complectitur; cujus ſi vim atque uſum inveſtigemus, ea inveniemus tria potiſſimum ſignificari; ſententioſum, figuratum, & ſublime dicendi genus. Ad has itaque tanquam partes ſuo generi ſubjectas ordine referenda erunt quæcunque de Hebræorum ſtylo parabolico ſive poetico occurrent animadvertenda: cujus diſtributionis ratio melius forſan intelligetur, ſi prius de hujuſce ſtyli origine uſuque primævo breviter quæſiverimus.

Di-

* *Num.* XXI. 27. XXIII. & XXIV. ſæpius, *Mich.* II. 4. *Iſai.* XIV. 4. *Pſ.* XLIX. 5. LXXVIII. 2. *Job.* XXVII. 1. XXIX. 1.

משל, *aſſimulavit*, *comparavit*, *parabolice loquutus eſt*; *proverbia*, *ſententias graves & acutas*, *orationem comparationibus & figuris ornatam*, *edidit*: item *dominatus eſt*, *eminuit*, *antecelluit*, *habuit autoritatem*; delegatam fortaſſe & vicariam primo & reſtrictiore ſenſu, unde demum laxius de quovis dominio uſurpatum: Abrahami certe ſervus ſenior, quem familiæ ſuæ præfecerat, dicitur המשל בכל אשר לו *Gen.* XXIV. 2. Erat nimirum procurator domini vices gerens, ipſumque autoritate delegata repræſentans; unde elucet inter duas hujus radicis notiones aliqua cognatio, in eo poſita, quod tam imago parabolica, quam procurator deputatus, alterius cujuſdam vice fungatur. משל itaque eſt oratio elata & gravis, magna vi & autoritate pollens, comparationibus, imaginibus, figuris, multum ornata; qualis eſt Pſalmorum, Prophetarum, & Jobi ſtylus: eſt dictio, quæ ſub una imagine atque exemplo alia quam plurima includit, & ad cætera omnia ejuſdem generis facile transferri poteſt; quæ Proverbiorum plerumque eſt ratio: eſt denique quævis ſententia ſive axioma ſcite graviterque dictum, paucis concinnatum, & ad γνωμων formam compoſitum, uti ex 1. *Sam.* XXIV. 18. & multis exemplis parabolarum Salomonis conſtat.

Cum משל ſæpe conjungitur חידה, denotatque: *Dictum aliquod ſcitum*, *acutum*, *obſcurum*; quale ut vel edatur vel intelligatur, multo ingenii acumine opus eſt. Eſt a חיד, *problema*, *ænigma*, *vel ſcitum aliquod dictum proponere*, quod convenit cum חדד, *acuere*, *acutum eſſe*. (8)

Dictionis poeticæ primus ac præcipuus fons est vehemens mentis affectus. Quid enim est aliud ille poetarum proprius furor, quem Græci divino afflatui tribuentes ενθουσιασμον vocant, quam oratio ex ipso naturæ habitu depromta, animique motu aliquo vehementer concitati veram atque expressam imaginem exhibens? cum mentis quasi ultimos recessus ac penetralia aperiunt, intimosque ostendunt sensus turbide confluentes, nec suo ordine dispositos, nec suis inter se vinculis connexos? hinc subitæ exclamationes, interrogationes crebræ, rerum etiam inanimarum compellationes; cum qui valde ipsi commoventur, iis universa rerum natura eodem affici motu debere videatur. Omnes autem animi motus non modo suum orationis genus, sed & suum quendam habent a natura sonum vocis & gestum corporis: atque ex his affectibus quidam nudo sermone parum contenti cantum ei & saltationem adhibent; quibus forsan, siquidem iis cum poetica arcta erat antiquitus necessitudo, verba debemus certis intervallis accuratius demensa, numerorum tandem & pedum justam moderationem; ut cum vocis corporisque motu ac rhythmo orationis modulatio consentiret.

Poeticam, hoc modo, ut videtur, rudi quodam initio ab natura fusam, mature excepit ars, atque ad delectationem & utilitatem transtulit. Nam quemadmodum ex affectibus mentis suam originem duxerat, numerosque etiam sibi adsciverat, ita ad omnem animi motum concitandum, seque ei penitus infigendum egregie erat comparata; cum rerum omnium imagines in animo eminenter expressas signaret & effingeret, sensus percelleret, delectaret aures, efficeretque, ut mens attente singula perciperet, nec percepta facile elabi pateretur. Si quod igitur erat, quod expediret vulgo cognosci percipique, memoriæ hominum mandari, atque omnium sermone passim celebrari; id viri ob hanc ipsam rem primum habiti dictique sapientes *, jucundiore stylo ornatum dabant, variis splendidisque orationis coloribus illuminabant, sententiis brevibus, argutis, numerosis, concludebant. Hæ itaque erant poeticæ partes, grandia, pulchra, honesta signare & depingere; præcepta ad religionem & virtutem spectantia commendare; res præclare graviterque dictas gestasque, Dei opera, benefacta, laudes, memoriam præteritorum, futurorum prædictiones, posteris tradere. In quibus omnibus singularem habuit a principio utilitatem, cum priusquam ulla vocum signa essent inventa, aut saltem vulgo recepta, videatur percrebuisse, & idem prope ministerium rudi scientiæ diu præstitisse quod literæ postea explebant: siquidem præconis cujusdam publici munus in se suscepit, cujus voce clarissima quædam rerum monumenta per diversas ætates gentesque tuto transmitterentur.

Hanc fuisse apud exteras nationes poeticæ originem, hunc usum, autorum testimonio abunde liquet. Constat Græcos per multas ætates nulla alia habuisse literarum monumenta præter quam poetica: primus enim, qui opere pretium esse duxit prosam orationem in vulgus edere, Pherecydes erat insula Syro oriundus, Cyri regis ætate, aliquot post Homerum & Hesiodum sæculis: aliquanto serius historiam condere instituit Cadmus Milesius. * Ipse leges metricæ erant, & ad modos quosdam musicos compositæ: tales erant Charondæ leges, quæ Athenis inter pocula canebantur: ** tales, quas pueris ingenuis cum concentu quodam & melodia perdiscendas tradebant Cretenses, *** ut ex musica voluptatem caperent, easque memoriæ facilius mandarent. Hinc fiebat, ut appellarentur Νομοι carmina quædam, seu cantionis quoddam genus in

* A *Sirachide* viris illustribus & sapientibus superiorum ætatum adnumerantur vates sive poetæ.

> Σοφοι εν λογοις παιδειας αυτων,
> Εκζητουντες μελη μουσικων,
> Διηγουμενοι επη εν γραφη. *Eccluf.* XLIV. 5.

Vide etiam annon quatuor illi, quorum sapientia tantopere celebrabatur, 1. *Reg.* IV. 31. בני מחול dicti sunt filii *chori*, i. e. musici sive poetæ: erant enim (non filii *Maholis*, ut interpretes reddunt, nomen appellativum pro proprio sumentes, sed) filii Zerachi, ut liquet ex 1. *Paralip.* II. 6. (9) Apud Græcos etiam poetæ sapientes & sophistæ antiquitus appellabantur: *Anacreon*;

> Ροδοχρυς δε κ' Αφροδιτα
> Παρα των Σοφων καλειται.

hoc est, παρα των ποιητων. Item *Pindarus*;

> —— μελεταν δε Σοφισταις
> Διος εκατι προσβαλλον σεβιζομενοι. *Isth.* v. 36.

ad quem locum Scholiastes: σοφιστας μεν και σοφους ελεγον τους ποιητας. *Poetæ & priores multo fuerunt (Philosophis,) & ante natum philosophiæ nomen pro sapientibus habebantur*, inquit *Lactantius*, Lib. v. 5.

* *Strabo. Geogr.* Lib. I. *Plin. Hist. Nat.* Lib. VII. 56. & v. 29. Hanc rem, quam perperam intellexerunt docti quidam viri, bene expressit Isidorus: *Sciendum*, *inquit*, *tam apud Græcos*, *quam Latinos*, *longe antiquiorem* curam *carminum fuisse*, *quam prosæ*. *Omnia enim prius versibus condebantur: prosæ autem* studium *sero viguit*. *Primus apud Græcos Pherecydes Syrius soluta oratione scripsit; apud Romanos autem Appius Cæcus adversus Pyrrhum solutam orationem primus exercuit*. *Isidor. Hispal. Orig.* Lib. I. 27.

** Ηδοντο δε Αθηνησι και οι Χαρωνδου νομοι παρ' οινον, ως Ερμιππος φησιν. *Athenæus* Lib. XIV. 3. vid. *Bentleii Dissert. in Phalarim* pag. 373.

*** *Ælian. Var. Hist.* Lib. II. 39.

Po-

in conviviis uſitatum : quod notat Ariſtoteles . * aitque eundem leges ſuas canendi mores apud Agathyrſos ſua etiam ætate adhuc viguiſſe . Etiam Turdetani, Hiſpaniæ populus, leges metricæ conditas habebant, ſi Straboni ** credendum (10) Germanos autem nullum aliud habuiſſe memoriæ & annalium genus, præterquam carmina quibus majores ſuos & heroas celebrabant, teſtatur Tacitus . *** (11) Nimirum id unum præceptionis genus populorum rudium & indoctorum ; quibus aut nulla omnino aut minime pervagata erat literarum cognitio , utilitati accomodatum erat , quod aures animoſque capturum , & memoriæ firmiter inhæſurum eſſet (12) ; quod non tradendum eſſet manibus , ſed mentibus infundendum.

Eodem modo apud Hebræos etiam ſe rem habuiſſe, uſumque poeticæ cum valde antiquum, tum mature fuiſſe communem & pervagatum , ut ex rei natura veriſimile eſt, ita clare etiam apparet ex reliquiis & veſtigiis quibuſdam dictionis poeticæ, quæ in ſcriptis Moſaicis extant. Primum quod ibi occurrit hujus rei exemplum remotiſſimæ atque intimæ eſt vetuſtatis , Lamechi ad uxores effatum , eo quidem obſcuriſſimum , quod , qua occaſione eſſet editum (13) , omnino reticetur; cætera autem, aptam verborum conſtructionem, concinnam totius periodi in tria diſticha diſtributionem , ſententias in ſingulis diſtichis binas parallellas , alteramque alteri quaſi recinentes; iſthæc, inquam, ſi ſpectetis, agnoſcetis, credo, primævi carminis clariſſimum ſpecimen: ****

עדה וצלה שמען קולי
נשי למך האזנה אמרתי:
כי איש הרגתי לפצעי
וילד לחברתי:
כי שבעתים קם יקין
ולמך שבעים ושבעה:

Hadah & Sillah , audite vocem meam ;
Uxores Lamechi , auſculate eloquium meum :
Quod virum occidi in vulnus meum,
Et puerum in livorem meum:
Quia ſeptempliciter vindicabitur Cain,
Et Lamech ſeptuageſies ſepties.

Alterum eſt, idque haud dubium , nolo enim conjecturis indulgere, Noachi Chamum execrantis , fratribuſque ejus, Shemo præcipue , proſpera & magna præſagientis , cæleſti ſpiritu inſtinctæ preces: tribus item verſiculorum paribus expreſſæ , unoque inſuper verſiculo cum indignatione repetito deſinentes: *

ארור כנען
עבד עבדים יהיה לאחיו:
ברוך יהוה אלהי שם
ויהי כנען עבד למו:
יפת אלהים ליפת
וישכן באהלי שם
ויהי כנען עבד למו:

Maledictus Chanaan!
Servus ſervorum erit fratribus ſuis.
Benedictus Jehova Deus Shemi!
Et ſit Chanaan ſervus illis.
Dilatet Deus Japhetum,
Et habitet in tentoriis Shemi ;
Et ſic Chanaan ſervus illis .

Atque ejuſdem omnino ſunt generis Iſaaci & Jacobi Patriarcharum poſteris ſuis divinitus editæ benedictiones . Quæ cum tanti eſſent momenti , ut in iis poſitæ fuerint, non modo Iſraeliticæ gentis, ſed & humani etiam generis fortunæ ; credibile prorſus eſt , iſthæc omnia & prius apud Hebræos fuiſſe pervulgata , eademque ſcriptorem divinum ſumma fide & religione, quemadmodum a majoribus accepiſſet , literis mandaviſſe , nec ſacratiſſimis oraculis peregrinum quemvis ornatum , aut fucatos ullos poeticæ colores, voluiſſe inducere .

Quod conſtabit etiam certius , ſi alia quædam carmina generis paulum diverſi adverterimus , quæ adhibet idem hiſtoricus tanquam vulgo nota paſſimque celebrata , quibuſque veluti teſtimoniis utitur

* Δια τι νομοι καλουνται ους αδουσιν; η οτι πριν επιστασθαι γραμματα ηδον τους νομους, οπως μη επιλαθωνται ωσπερ εν Αγαθυρσοις ετι ειωθασι; *Probl.* Sect. 19. Quæſt. 28.

** *Geogr.* Lib. III.

*** *De Mor. Germ.* cap. 2. — His de primævo poeticæ uſu teſtimoniis adjungam inſignem Plutarchi locum , qui pleraque quæ huc pertineat ſummatim complectitur : Αμοιβη γαρ εοικε νομισματος η του λογου χρεια, και δοκιμον μεν αυτου το συνηθες εστι και γνωριμον, αλλην εν αλλοις χρονοις ισχυν λαμβανοντος. Ην ουν οτε λογου νομισμασιν εχρωντο μετροις και μελεσι και ωδαις, πασαν μεν ιστοριαν και φιλοσοφιαν, παν δε παθος, ως απλως ειπειν, και πραγμα, σεμνοτερας φωνης δεομενον, εις ποιητικην και μουσικην αγοντες· α γαρ μονον νυν ολιγοι μολις επαιουσι, τοτε δε παντες ηκροωντο, και εχαιρον αδομενοις, αροται τε, ορνιθολογοι τε, κατα Πινδαρον. Αλλα υπο της προς ποιητικην επιτηδειοτητος, οι πλειστοι δια λυρας και ωδης ενουθετουν, επαρρησιαζοντο, παρεκελευοντο, μυθοις και παροιμιαις επεραινον· ετι δε υμνους, θεων ευχας, παιανας εν μετροις εποιουντο και μελεσιν, οι μεν δι ευφυιαν, οι δε δια συνηθειαν. Ουκουν ουδε μαντικην κοσμου και χαριτος εφθονει ο θεος, ουδε απηλαυνεν ενθενδε τιμωμενην μουσαν του τριποδος, αλλα επηγετο, μαλλον εγειρων τας ποιητικας ασπαζομενος φυσεις, αυτος τε φαντασιας ενεδιδου, και συνεξωρμα το σοβαρον και λογιον, ως αρμοττον και θαυμαζομενον. *Plutarch. Comment. Cur nunc Pithia non reddat oracula carmine*. ſub fin.

**** *Gen.* IV. 23. 24. Cum plane neſciam quæ ſit hujus loci ſententia , contentus ſum ſubjunxiſſe verſionem interlinearem *Santis Pagnini* .

* *Gen.* IX. 25. — 27.

tur ad faciendum rebus ab ſe narratis fidem. Primum enim Iſraelitarum in Amoræos incurſum narrans, quo certius hujuſce populi fines notaret, & victorias de Maobitis haud ita pridem reportatas exponeret, duas citat Poematum quorundam particulas; alteram * ex libro bellorum Jehovæ alteram ** ex dictis των מושלים, *eorum qui Parabolis utuntur*, hoc eſt, ut ex re ipſa apparet, ex Amoræorum carmine quodam επινικιῳ, delumtam. Quibus ſi addamus, quæ proxime ſequuntur, Balaami Aramæi vaticinationes, ſtylo item parabolico enuntiatas; hoc eſt, ſi compoſitionem ſpectamus lectiſſimam, ſententias numeroſas & parallelas, dictionis ſenſuumque ſublimitatem, carmine longe elegantiſſimo editas: ex his omnibus colligere licebit, genus hoc poeticæ, cui prorſus concinit quicquid jam reſtat Hebraici carminis, nec Moſem habuiſſe autorem primum, nec proprium fuiſſe Hebrææ gentis; ſed eam, tanquam primitias quaſdam humani ingenii (15), ab ipſis mundi primordiis ad ſe delatam Hebræos accepiſſe, & cum cæteris orientis populis communi ſtudio coluiſſe, cuſtodem memoriæ, magiſtram vitæ, teſtem anteactorum, futurorum prænuntiam.

De poeticæ itaque hac in parte utilitate eadem per omnes Hebrææ nationis ætates invaluit opinio. Ea maxima ſemper ſcientiæ atque eruditionis laus habebatur, verſari in dictis prudentium, veterum parabolas atque ænigmata callere. *** Quorum nominum utrovis æque notare videntur duo carminum genera; quæ quanquam ex aliqua parte multum inter ſe diſtarent, aliqua tamen haberent communia. Alterum voco didacticum, verſibus eleganter & acute concinnatis præcepta includens, & comparationibus ſive apertis ſive occultis ſæpe illuſtratum; quales erant ſapientium γνωμαι atque Adagia: alterum erat vere poeticum, omnibus grandioris ſtyli coloribus ornatum, elatione ſenſuum magnificum, incitatiſſimis affectuum motibus animarum, figuris & imaginibus varium; qualia ſunt cætera fere vatum monumenta. Erat utrumque breve plerumque & ſubobſcurum; utrumque ſemper numeroſis conſtabat ſententiis: quam præcipue ob cauſam videntur dictionem poeticam, & proverbialem, ſive didacticam, uno atque eodem nomine deſignaſſe: atque his duobus generibus omnis rerum humanarum & divinarum cognitio contineri exiſtimabatur.

Sententioſum itaque dicendi genus primum ſtatuo Hebræorum ſtyli poetici charactera, ut qui omnium maxime eſt inſignis, & latiſſime patet. Nam etſi ſpeciem tantum illam didacticam quaſi jure naturæ poſſediſſe videatur, in reliquas tamen immigravit, & univerſam Hebræorum poeſin occupavit. Plurima quidem ſunt in ſacris carminibus & egregie figurata, & ſupra modum ſublimia; at ſententioſe concluſa ſunt plane omnia. Sunt etiam nonnulla, neque ea ſane inelegantia poemata, quæ nihil fere aliud habent poeticum præter numeros, atque eam, ex qua ipſa numerorum ſuavitas magna ex parte conſtat, & ſententiarum concinnitatem: hoc in Pſalmis fere omnibus didacticis cernitur; hoc in aliis nonnullis, in quibus hiſtorica plane eſt res, ordo, dictio, conceptus; conformatio ſententiarum poetica. Ea profecto eſt numerorum cum ſententiarum conformatione conjunctio & neceſſitas, ut ubicunque harum, quod nonnunquam ſit, paulo obſcurior & minus ordinata ſit diſtributio, ibi etiam de verſiculorum diviſione, quæ una pars ex univerſa Metricæ Hebrææ ratione haud prorſus obſolevit, vix ullus relinquatur conjecturæ locus. Ideoque neceſſe habui, cum de carminis artificio diſſererem, pleraque etiam quæ ad hunc locum pertinerent, prius annotare.

Hujus autem rei (ut breviſſime jam expediam quod ex omni prope ſacrorum poematum pagina haud obſcure elucet) iſthæc fere eſt ratio. Pleraque Hebræi vates breviter primo ac ſimpliciter enuntiant, nullis adjunctis illuſtrata, nullis, quibus rariſſime omnino utuntur, exornata epithetis: accerſunt poſtea ac ſubjiciunt ornamenta; idem iterant, variant, augent; unaque addita, vel pluribus etiam ſententiis, paribus pariterque conſtructis, rem vel eandem, vel ſimilem, vel contrariam, eadem forma includunt. His ſaltem tribus omnium frequentiſſime utuntur ornandi formulis; unius rei multiplicatione, plurium congerie, & oppoſitione

* *Num.* XXI. 14. 15.

** Ibid. 27. — 30. Confer *Jer.* XLVIII. 45. 46. Οι Αινιγματιϛαι, LXX. Intt. *Ænigmatiſtæ autem qui ſunt (inquit Auguſtinus) ideo non apparet, quia non ſunt in conſuetudine literaturæ noſtræ (ſc. Latinæ;) nec in ipſis divinis ſcripturis (nimirum apud LXX. Intt.) fere alio loco reperitur hoc nomen: ſed quia videntur quaſi canticum dicere quo cecinerunt bellum inter Amorræos & Moabitas geſtum, in quo Seor rex Amorræorum Moabitas ſuperavit, non incredibiliter putantur iſti ænigmatiſtæ ſic tunc appellati, quos poetas nos appellamus, eo quod poetarum ſit conſuetudo atque licentia miſcere carminibus ſuis ænigmata fabularum, quibus aliquid ſignificare intelligantur: non enim aliter eſſent ænigmata, niſi illic eſſet tropica locutio, qua diſcuſſa perveniretur ad intellectum qui in ænigmate latitarat. Quæſt.* XLV. *in Num.* (14)

*** Vide *Prov.* I. 6. *Sapient.* VIII. 8. *Ecclus.* I. 25. VI. 35. XVIII. 29. XXXIX. 1. 2. 3.

tione diverſorum: ſententias binas fere ordinatim diſponunt, aptas & æqualibus decurrentes intervallis, in quibus res plerumque rebus, verbis verba, invicem reſpondent. Hæ figuræ ipſæ variantur pluribus modis; admiratione, comparatione, inficiatione, cæteriſque hujuſmodi; ſed præcipue interrogatione, unde ſæpe ſingularis orationi vis & elatio accedit.

Sua cujuſque linguæ eſt indoles & ingenium, ex quo pendet univerſa carminis ratio, & magna ex parte etiam ſtyli poetici color. In Hebræa crebra ſeu potius perpetua ſententiarum lumina, clauſulæque debitis intervallis accurate cadentes, ad verſus diſtinguendos neceſſariæ videntur: ut quod in alia quavis lingua modum forſan omnino excederet, hic ſine diſpendio carminis non poſſit deeſſe. Hoc igitur primum & præcipuum habet in poeſi Hebræa ſententioſum dicendi genus, ut orationem ſolutam & diſſluentem coerceat, numeriſque diſtinguat; quod eſt ejus rei conſequens: *Formæ enim quædam ſunt orationis*, (*uti notavit* * Cicero) *in quibus ea concinnitas ineſt, ut ſequatur numerus neceſſario. Nam cum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quæ ſimiliter cadunt verba verbis comparantur; quicquid ita concluditur, plerumque fit ut numeroſe cadat*. Habet vero & in cæteris magnam vim, & multas in ſe continet eaſque inſignes virtutes. Nam ut ſæpe ex hoc fonte eximiam elegantiam dulcedinem & nitorem ducunt ſacra poemata, ita in multis eidem ſuam debent ſublimitatem & pondus: crebræ ſibique inſtantes ſententiæ vel maxime conciſam, gravem, & incitatam faciunt orationem; nervis eam quibuſdam intendit ipſa brevitas contractamque in arctiſſimum ſpatium aerius contorquet.

Horum omnium, quæ dixi, abunde ſuppetent exempla ex iis ipſis quæ alias ob cauſas poſthac adducentur: & erit fortaſſe cum fuſiorem ordinatioremque de hac ipſa re diſquiſitionem inſtituti noſtri ratio poſtulabit. **

* *Orator.*
** Vide infra *Præl.* XIX.

NOTÆ EDITORIS.

(8) Ab etymi inveſtigatione, & comparatione ſignificationum, qua carere hæc diſputatio poterat, felicius nonnunquam autor ſeſe continuiſſet. Quæ ſupra de מזמור habet, conjecturæ locum merentur: at nec certa & explorata ſunt, nec meliora conſueta derivatione a *canendo*. At de verbo משל perquam adferuntur improbabilia, quod ſolis perexiguis reliquiis Hebraicæ linguæ uſus tentavit rem difficillimam in philologia, quæ omnes veteris linguæ copias requirebat. Meliora & limpidiora prodiderat Schultenſius, quo duce, vel lingua potius Arabica viam monſtrante, משל primo eſt *premere*, deinde & *dominio premere*, ſeu dominari, & *exprimere* ſimilitudine: unde & nos uſitatiſſimam Arabum phraſin, ſed in qua aliqui hæſerunt, exponere ſolemus, ضرب مثلا, proprie, *percuſſit ſimilitudinem*, tanquam ictu eam exprimens, ut in moneta fit, quam & cudere Arabicum ضرب, *percuſſit*, ſignificat; id vero deinde eſt, propoſuit ſimilitudinem, ſimili rem illuſtravit. Illud autem ſcitu dignius, nec prætermiſſum Lowtho, ſed tamen paulo dicendum diſtinctius, nominis משל duplicem in poeſi vim eſſe, quæque de ejus uſu collegit exempla autor, atque his quæ addi poſſunt, in duo ſignificatus diſpeſcenda eſſe. Jam enim omnia in univerſum carmina ob figuratum dicendi genus משלים vocantur, prophetica, epinicia, lugubria, invectiva, ut *Num.* XXI. 27. XXIII. XXIV. *Pſal.* XLIX. 5. *Jeſ.* XIV. 4. ac præterea *Habac.* II. 6. forte etiam *Ezech.* XVI. 44.: jam ab aliis carminibus diſtinctum, atque etiam cantico (שיר) oppoſitum, breve quoddam verſuum genus, mediocre, ad morum diſciplinam ſapientiamque pertinens, Pythagoreis ſimillimum ſententiis, deſignat, 1. *Reg.* V. 12. *Prov.* I. 1. de quo prælectione XXIV. agitur.

חידה idem ſupra laudatus Schultenſius ad Job. XVI. 20. rectius *paroemiam*, *orationem flexam* exponit, ab Arabico חור *deflectere per ambages ducere*, ut opus non ſit illa, ad quam perfugiunt plerique, permutatione literarum, qua quid verbum חור ſignificaverit, ex alio verbo חדר efficitur. Id unum addam, & hujus nominis duplicem ſignificationem ſolicite diſtinguendam eſſe: jam enim ab ambagibus, & intricato dictionis, ænigma eſt; jam omne in univerſum carmen a vulgari ſermonis proprietate ac tanquam rectitudine deflectens: Habac. II. 6. *Pſal.* XLIX. 5. LXXVIII. 3. Sic Latini proſam orationem tanquam prorſam, ſeu rectam dixerunt, *quod eam non inflexerit cantilena*. Verba ſunt Donati. Cæterum quæ hic obite de חידה ænigmate habet noſter, monent nos, aliquid de ænigmate poetico Hebræorum addendum eſſe.

Notum eſt vel ex Salomonis hiſtoria ænigmatum ſtudium honoſque apud veteres, ut vel reges, ingenti mulcta ſtatuta, illis certare non dedignarentur. Cujuſmodi obſcura & Salomoni propoſuiſſe Arabiæ felicis reginam legimus, 1. *Reg.* X. 1. & Salomonem inter Hiramumque Tyri regem reciprocata ingeniorum certamina, conducto etiam ab Hiramo qui ænigmata Salomonis ſolveret homine ingenioſo, Menander & Dius Tyriorum hiſtorici retulerunt. Verba non exſcribo, legenda in Joſephi lib. VIII. Ant. c. 5. §. 3. nec Ægyptiorum Æthiopumque certamina, aliaque Ægyptia & Græca colligo, de quibus rectius conſulueris *Jablonskii Pantheon Ægypti* §. 48. prolegomenorum. Videntur autem illa ænigmatum certamina ad Muhammedis uſque ætatem in Arabia duraſſe, quo refero verſum 35. capitis XXV. Corani: *non proponent tibi ſimilitudinem, cujus non tibi demus veritatem, explicationemque optimam:* i. e. nullo te tentabunt ænigmate, quin tibi Deus ejus ſolutionem ſuppeditet.

Videntur ænigmata non raro verſibus propoſita fuiſſe, ut muſicam ſuavitatem verborumque elegantiam ſententiarum acumini miſcerent: ad quæ carmine reſpondendum erat, niſi inferior haberi velles. Cujus moris exemplum in Simſonis habemus hiſtoria, Judic. XIV. 14. 18. Nec enim proſum ænigma eſt, ſed, vel ipſo ſonoro parallelíſmo membrorum indicante, & concinente Lowtho p. 189. 190. poeticum: *ex voraci egrediebatur cibus, & ex ſævo egrediebatur dulce:* neque ad illud ſimplici oratione reſpondent Philiſtæi, mel intelligi ex cadavere leonis ſumtum, ſed verbis idem tanquam tripudium poeticum habentibus, conformationem eandem utriuſque membri cum brevitate ſonori:

מה מתוק מדבש
ומה עז מארי

Melle dulcius quid eſt?
Sævius quid eſt leone?

Ejuſdem indolis ænigma poeticum, ſed ſublimius, proponi videtur Jeſ. XXI. 12.

(9) Fuit hæc *Hilleri* conjectura, conferentis Cohel. XII. 4. Quo autem illam, ſive denuo inventam, ſive acceptam ab Hillero, confirmat argumento Lowthus, id parum momenti facit. Filii enim Zerachi 1. Paral. II. 6. non ſunt filii proprie ſic dicti, ſed poſteri: qui enim viri Davidi & Salomoni coævi, patrem habere proximum verumque potuiſſent Zerachum, Judæ patriarchæ filium, qui diu ante Moſen vixit? Et vel ſic tamen tenebit noſter, ſapientes illos, fuiſſe poetas: duorum enim ex illis, Hemanis & Ethanis carmina, Davidicis odis mixta legimus.

(10) Forte ſententioſo ſtilo conceptæ ejuſmodi leges, morum primo & æquitatis præcepta fuerunt, ac temporis demum tractu in judiciis autoritatem adepta ſunt. Talia ſunt permulta in antiquiſſimo jure Germanico, proverbiis vim juris habentibus: idemque de priſco Svecico jure ejus Conſulti me docent. Ipſe Moſes nonnunquam ita ſententioſus & argutus in ſumma legum brevitate, ut proverbiis, tralatitium jus continentibus, pro legibus uſus videatur: cujus rei exemplum Exod. XXIII. 5. inveniri reor. Proverbii enim potius quam ſeveritatis forenſis eſt illa oppoſitio עזב לו & עזב עמו, quorum alterum eſt, ſuccumbentem aſinum deſerere dominoque relinquere, alterum, tua omnia relinquere, ut cum domino ſuccumbenti aſino opem feras. Propius abeſt a Turdetanorum more, ſed recens, quod anno 1748. leges Svecicæ carmine conveſtitæ prodierunt, titulo: *Swe-riges nya Lag, helt och hallen pa Swensk Alexandrisk vers ſatt.*

(11) Nobis quidem poſt magnas Germaniæ mutationes, coloniaſque ex ea deductas, antiqua patrum carmina hiſtorica non ſuperſunt: at felicior hac parte Scandinavia & Islandia laudes heroum & antiquiſſimarum rerum memoriam carminibus in hunc uſque diem ſervatis debet. Peregrina hæc & noſtra, & Borealia Hebræis: docent tamen ingenium mortalium ſui per omnem terrarum orbem ſimile eſſe, citiuſque natura duce ad invenienda carmina rerum memoriam ſervatura, quam ad ſcriptionem delabi. At domeſticum pene eſt, quod de Arabibus Pocokius habet p. 158. ſpeciminis hiſtoriæ Arabum: *quod ſarta tecta ſervaretur lingua tam late patens ſine literarum præſidiis, poeſi ſuæ debuiſſe videtur. Inter cæteras poeſeos laudes hoc ejus beneficium enumerant, ſcil. quod & linguæ Arabicæ conſervatio, & ſermonis proprietas & elegantia ei debeatur. Hoc eſt, quod dicit Ebn Phares, referente Jallaloddivo in libro Mezhar c. 29. eſſe poemata Arabibus commentariorum vice, quorum beneficio imperturbatæ ſervabantur genealogiarum ſeries, ne oblivioni traderentur res geſtæ memoria dignæ cavebatur, & e quibus linguæ peritia hauriebatur. Cui geminum, quod a Mohammede Ebn Salam, referente eodem, dictum: fuerunt poemata Arabibus olim ἐγκυκλοπαιδείας Pandectæ, ultimus ſapientiæ eorum terminus, unde quæ illis uſui depromebant, & quo omnia deferebant.*

(12) Adde, quod minus mutationi obnoxium carmen, metro tam fido cuſtode veritatis hiſtoricæ, ut quæ ſimplici oratione narrata in dies augentur, mutantur, corrumpuntur, in poemate per multa ſecula eadem & invariata maneant, ne obſoletis quidem verbis mutatis. Nec enim ſtudio ſed caſu mentitur vulgus, nec ita ingenioſum in mentiendo ut conſententia metro interpolaturum ſit.

(13) Occaſionem conjecturis fingendique licentia inveſtigare auſi Judæi, id unum effecerunt, ut verba Lamechi obſcuriora quam ſunt haberentur aliis, qui nugas Judaicas concoquere non poterant. Mihi non multum obſcuritatis in Hebraicis eſſe, & licet nomen occiſi ignorem, id tamen liquere videtur, eædem a Lamecho commiſſam eſſe. Cædem inquam, non cædes: quidquid enim Judæi aliique de duplici cæde, viri altera, altera juvenis, fingunt, inſcitiæ debetur Hebraici poematis, eaſdem ſententias cum paralleliſmo aliquo utriuſque membri repetentis, de quo noſter in Prælectione XIX. præclare egit: nec eſt, cur virum a juvene diſtinguant, qui Adam & Sillam non diverſas faciunt ab uxoribus Lamechi, diſtichon illud legentes, *Ada & Silla audite vocem meam, uxores Lamechi auſcultate eloquium meum*. Cædem ergo commiſerat Lamechus: facti illum pœnitebat, ſed impunitatem ſibi, Caini exemplo ſperabat: eaque ſpe mœſtas uxores, vitæ mariti timentes, ſolabatur. Nec tamen eas carmine, quod ridiculum, allocutus eſt, ſed proſo ac familiari ſermone: cujus ſententias, numeris adſtrinxit hiſtoria, ut idemtidem a ſaltantium choris repetitæ ad æternam ſupereſſent rei memoriam. Eſt ergo hæc carminis hiſtorici particula, noti Iſraelitis, quod quo pertineat, & quem Lamechum loquentem faciat, Moſes docet, nempe non Sethitam Noachi patrem, ſed hunc ex Caini poſteris: q. d. *Lamech autem hic, Caino ortus; illa dixit, quæ ex antiquo carmine noſtis: Ada & Silla &c.*

Multa ex ejuſmodi monumentis poeticis hauſiſſe Moſen, indicio ſunt disjectorum tanquam carminum membra, a reliquæ orationis mediocritate abhorrentia. Tale eſt, quod Geneſ. III. 24. Cherubos ante paradiſum collocatos memorat: quo nomine non angelos, ſed equos tonantes, quales & Græcorum Latinorumque poetæ fingunt, intelligo. Rationes, cur ita ſentiam in commentatione de Cherubis dixi. (Vide Commentarios Societatis Regiæ Scientiarum Gottingenſis T. I. p. 175. ſeqq.) Sunt autem ſine dubio poetica: *collocavit ante hortum equos tonantes, & flammam gladii ancipitem, ad ſervandum aditum arboris vitæ*: id vero eſt: crebrarum tempeſtatum & quotidianorum fulminum metu hominem ex illo tractu fugavit, in quo paradiſus erat, ne fructu arboris vitæ veſceretur. Carmine latino imitari in commentariis Soc. Scient. Gotting. ita audebam:

Fulminis hic telum omnipotens; currumque tonantem
Conſtituit, ſcelus affrenum rutilante coercens
Flamma: mortales ſacrum ne invadere pomum
Auſi immortales fierent, feliciaque eſſent
Crimine ſurta novo.

Hiſtorici etiam carminis particulam eſſe ſuſpicor, quam Moſes Geneſ. X. 9. citat, *tyrannus venationes coram domino*. Proverbium enim fuiſſe vix puto, non modo quod nullum ejuſmodi proverbii veſtigium occurrit, ſed & quia in multos dici non potuit, cum perpauci a venatione ad tyrannidem progrediantur. Eſt autem proverbiorum proprium, ut non rariſſimos caſus, ſed quotidiana complectantur. Nempe גבור non fortem modo virum ſignificat, ſed & violentum, prædonem, oppreſſorem, qui jura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis. Sic Doegum, ne fortem quidem illum, ſed delatorem & ſanguinis cupidum, David גבור vocat, vocabulo ad ignominiam traducto, Pſ. LII. 3. & Arabibus جبار *prædo & homicida* eſt. Lege Muhammedem Suta XXVI. 130. *cum deprehenditis viatores prehenditis illos* جبارين *tanquam latrones*: & Sur. XXVIII. 18. Iſraelita Moſi, *viſne*, inquit, *me occidere, o Moſes, ut heri aliquem occidiſti? Viſne* جبار *violentus fieri in terra, an vero ex probis?* Erit ergo גבור ציד, *violentus venatione*, qui, venator cum eſſet, violentiæ uſu & ſanguine ſeſe imbuit, atque domandis feris ad hominum tanquam venationem progreſſus, fortiorque jam & formidoloſior, coacta ſervorum vi, qui eum horrebant, tyrannidem invaſit. Talis Nimrod, cui aliquem in aliquo carmine hiſtorico, Iſraelitis noto, his verbis comparari putem, *ut Nimrod, tyrannus venatione*: quæ ex media oratione decerpta eſſe nemo non videt. Hæc ergo ex hiſtoria explicat Moſes, docetque, ad quem referenda ſint. Sed plura ejuſmodi colligere jam non vacat. Mirum, eum qui nuper fontes hiſtoriæ Moſaicæ inveſtigare auſus eſt, (inſcriptio libri, *Conjectures ſur les memoires originaux, dont il paroit que Moiſe s'eſt ſervi pour former le livre de la Geneſe*) nihil de carminibus hiſtoricis habere: ſed de hac omiſſione, aliiſque, queſti ſumus in relationibus de libris novis Faſc. XI. p. 173.

(14) Faciliora & expeditiora hæc fiunt, ſi duplicem diſtinxeris nominis משל ſignificatum: alterum latius patentem, quo omne carmen ob figuratam orationem deſignat, alterum generi cuidam poematis, quod

quod cantico opponitur, proprium. Vide notam 8. Ipse noster pagina sequenti duplicem vim vocis intellexit, a cujus sententia hactenus alieni sumus, quod non duas species carminis, sed genus universum, & unam speciem משל dici putamus. Quæ si cui minuta videntur, mittat. Non bene vero hoc loco LXX. αἰνιγματισταῖς verterunt, licet possit aliquando משל (*similitudo*) & pro ænigmate poni, quos si Augustinus explicabat ut potuit, facile patri, Hebraicæ eruditionis laudem non habenti, condonandum est, si rem acu non tetigit.

(15) Plaudo his, & quæ sequuntur, poesis Hebrææ inventionem humano tribuentibus ingenio, non eam totam consecrantibus ac divinam facientibus. Rectius ergo sensit Lowthus, quam supra pag. 21. 22. edit. Oxon. sentire videri poterat.

PRÆLECTIO QUINTA:

DE GENERE FIGURATO; EJUSQUE PARTITIO.

Prælectione proxima sententiam meam proposui, Academici, stylum poeticum eo apud Hebræos vocabulo appellari, cujus notio, quam ex vi sua atque usu non unam nec plane simplicem haberet, in tres partes commode satis distribui posse videbatur; ita ut in ea contineri censerentur sententiosum, figuratum, & sublime dicendi genus. Ac de sententioso quidem genere, quænam esset ejus origo, quæ ratio, quis in Hebræa poesi effectus, breviter tum, quæ occurrebant, adnotabam. De genere figurato jam dicturus, video mihi pœne infinitam rerum materiam subjici, & immensum quendam campum patere; in quo ne latius evagetur, aut etiam incerte fluctuet disquisitio nostra, itineris hujusce aditus exitusque, locorum ordo, viarum flexiones & compendia, diligenter mihi in antecessum sunt inquirenda. Atque ut melius etiam intelligantur quæ in hac parte dicenda erunt, ab usu communi paulum fortasse abhorrentia, non incommodum erit prius consilii mei rationes, quibus principiis, quo ordine & modo, quem in finem, figuras poeseos Hebrææ tractaturus sum, quantum possum plane & aperte, eoque paulo fusius exponere.

Vox משל significatione usitatissima notat similitudinem; & eatenus dictionem figuratam proprie denotat, quatenus ratio & natura figurarum ponitur in vocum, vel idearum potius sive imaginum, inter se similium mutatione: quæ in nonnullis figuris, quales etiam a rhetoribus constituuntur, locum habet. Hanc itaque notionem dictionis figuratæ, ex ipsorum Hebræorum literis ac sensu depromtam, in explicanda eorum poesi unice sequendam duxi: atque eo quidem libentius, quod disputationem hanc eo modo arctioribus terminis possim definire. Missis itaque Græcorum rhetorum formulis, quas constituerunt prope innumerabiles, ut quibus nomina fingere semper erat promtissimum; ac neglectis etiam primariis eorum partitionibus, quibus tropos a figuris secernunt, figuras deinde alias λέξεως, alias διανοίας statuunt; (in quo quidem possem me tueri exemplo C. Artorii Proculi, qui cum aliis nonnullis autoribus tropo figuræ nomen imposuit, uti nos docet Quintilianus; * aut ipsius Quintiliani autoritate saltem excusare, qui utrumque & eundem usum & multa habere inter se communia agnoscit:) his autem, utcunque suo in loco nec veritate nec usu carent, missis, cum mihi sit propositum non Græcorum sed Hebræorum sensa explicare, per dictionem figuratam eam intelligo, qua una pluresve voces vel imagines in aliarum locum transferuntur, aut etiam aliis illustrandis inserviunt, ex aliqua quam cum iis habent similitudine. Ea similitudo si innuitur tantum, idque una atque altera modo voce, fit metaphora; si oratione continuata, dicitur allegoria: si aperte exprimitur, collatis inter se utrisque imaginibus, fit comparatio: fundatur etiam in ejusmodi similitudine prosopopœia, cum vel rebus fictis aut sensu carentibus datur actus & persona, (quæ species quædam est audacioris metaphoræ,) vel cum veræ personæ probabilis oratio tribuitur.

De his itaque figuris eo quo dixi ordine disseram: non quasi aut hoc sit unicum figurarum genus, quod ab Hebræis vatibus usurpatur; aut hæ solæ sint ejus generis figuræ: sed primum quod hæ maxime cadunt sub notionem parabolicæ dictionis: tum quod harum usus in sacra poesi sit & frequentissimus & longe pulcherrimus, ita ut nusquam fere alias vis earum ac virtus æque appareat. Nec vero satis erit eas ita illustrare, ut singularum exempla quædam solummodo expromantur; quasi res quæreremus ignotas aut reconditas, ac non in promtu positas passimque occurrentes: ulterius si fieri potest progrediendum; quærendus præcipue si qui sit earum usus Hebræis proprius; perscrutandæ peculiares atque interiores elegantiæ: ad quas ni fallor facilior

* Vide *Quinctil.* Lib. IX. 1.

lior plerumque aditus concedetur, si eam viam constanter persequamur, quam rei ipsius ratio hac in parte palam ostendit atque aperit.

Etenim dictionis figuratæ, in eum quem modo exposui sensum acceptæ, id consilium est, ea vis, ut imaginibus aliunde translatis res vel evidentius ac clarius, vel grandius etiam atque elatius exprimantur: cum igitur quod illustrandæ vel augendæ alterius rei gratia assumitur, id ipsum oporteat esse quam maxime notum & manifestum vel etiam insigne & magnificum, earum potissimum rerum in hunc finem necesse est adducantur imagines, quæ & ipsi scriptori, & iis pariter quos in scribendo quasi alloquitur, in oculis atque animo plurimum versentur, aut maximi semper visæ sunt ponderis ac dignitatis. Quod si aliæ scriptori, aliæ lectori res in communi vita plurimum occurrant, adeoque aliæ animo obversentur imagines, fieri non potest quin multa quæ alter clare atque eleganter illustravit, feliciter etiam ac magnifice amplificavit, alteri nihilominus obscura fortasse vel humilia, vel dure insolenterque dicta videantur. Atque hoc eo magis par est accidere, quo longius alter ab altero disjuncti sunt atque discrepant, tempore, loco, moribus, rebus sacris ac profanis, vitæ denique publicæ ac privatæ institutis & consuetudine. Igitur in omni genere scriptorum id aliqua ex parte legentibus usu veniet; in poeticis maxime, in quibus omnia distinguuntur & illuminantur summa imaginum copia & varietate; ac in poetarum scriptis tum præcipue, si peregrini sunt, si veteres; ex peregrinis autem maxime Orientalium, ut qui a nobis ingenio & moribus longissime distant; atque ex Orientalibus maxime Hebræorum, ut quos habemus multo omnium qui extant vetustissimos. Horum itaque poemata legentibus ex omnibus quas dixi caussis incommoda ac difficultates obveniunt; officit eorum claritati cum multis modis ipsa antiquitas, tum usus vivendi, loquendi, sentiendi, ab nostra consuetudine omnino abhorrens; ita ut maximum periculum sit, ne veluti iniquo in loco positi omnia perperam spectemus, ne nostro ut fit modulo aliena metientes male æstimemus.

Ab hoc errore semper cavendum, & incommoda ista quantum licet diligentia compensanda sunt: nec modo perdiscendus eorum sermo, mores, ritus, disciplinæ; sed intimi etiam sensus pervestigandi, cogitationum modi nexusque eruendi; eorum oculis, ut ita dicam, cernenda sunt omnia, eorum opinionibus æstimanda: id denique enitendum, ut Hebræa, quantum fieri potest, tanquam Hebræi legamus. Idem propemodum hic nobis faciendum est, quod Astronomi solent in ea suæ disciplinæ parte quam vocant comparativam: qui ut clariorem in animo forment imaginem & totius mundi & singularum ejus partium, fingunt sese universum obire & perlustrare, de alio Planeta in alium migrare, & uniuscujusque paulisper incolas fieri; atque ita clare contemplantur & accurate æstimant, quid quisque sibi habet proprium cum ex loco, celeritate, & satellitio suo, tum ex conspectu cæterorum; quale & quam diversum cuique mundi spectaculum pro diverso cujusque situ exhibetur. Similiter is quoque qui poematum Hebræorum proprias & interiores elegantias percipere velit, ita se comparet oportet, ut sese putet eodem in loco positum, quo ii quorum caussa ea scripta sunt, aut qui ipsi scripserunt; ut cogitet, non quas rerum imagines suo protinus animo jam offerrent certæ quædam voces, sed quænam Hebræo iis temporibus in ea regione constituto easdem dicenti aut audienti obversari debuissent. Quoad id poterit consequi, eatenus vim earum ac venustatem intelliget: id quidem in multis perquam difficile erit, in nonnullis nullo modo fieri poterit; in omnibus tamen unice erit spectandum, ac præcipue in iis locis qui maxime figuris exornantur.

Etenim in metaphora, (ut de ea dicam quæ ad cæteras fere quas dixi figuras referri etiam possunt, cum omnes communem habeant naturam,) duo præcipue spectanda sunt, ex quibus pendet ejus vis omnis atque elegantia: primum quidem ea similitudo, propter quam imagines invicem commutantur, quæque unicum parabolicæ dictionis fundamentum est; quæ fortasse satis apparebit ex vulgari & crassa rerum ipsarum cognitione: deinde imaginis in alterius locum translatæ vel venustas vel dignitas; cujus rei subtilior quædam est ratio: nascitur enim sæpe opinio decoris & dignitatis, non tam ex ipsis rebus quibus inesse existimantur, quam ex animo æstimantis, aut ex tenui aliqua & recondita cognatione qua res alias attingunt. Itaque nonnunquam fit, ut externæ rerum species & crassa quædam lineamenta satis etiamnum appareant, cum tamen pristinus nitor & flos ille elegantiæ vetustate penitus evanuit.

Non igitur inutile fortasse erit, ita de metaphoris sacræ poeseos disserere, ut simul latiorem ineamus disquisitionem de imaginibus poeticis, quatenus metapho-

rarum copiam præbent; in eum finem, ut hujus figuræ usum apud Hebræos vates non modo in se elegantissimum plerumque esse videamus, sed sæpissime etiam peculiarem habero elegantiam, modo cogitemus, quid habuerit momenti apud Hebræorum animos, quem cum eorum rebus, sensubus, opinionibus, nexum & necessitudinem; ut quæ in se pulchra sunt eo modo spectata multo videantur pulchriora, utque quæ videri solent dura, deformia, humilia, eorum contra gratia, honestas, sublimitas appareat.

Omnis natura, immensa hæc rerum universitas, humanæ mentis contemplationi offertur atque objicitur; suppetitque infinitam notionum varietatem, confusam quandam materiem atque sylvam, unde imagines, veluti quædam poetica supellex, colliguntur, & delectu habito, prout usus fert, expromuntur. Animus hominis est illud Platonis * speculum, quod cum pro libitu undequaque circumfert, protinus solem alium efficit, alias stellas, terram, plantas, animalia, atque etiam seipsum. In hac sui ipsius umbra atque imagine, quam converso in se animi sui speculo homo intuetur, aliorum etiam hominum animos quodammodo inspicit: nam ex eo quod ipse in se sensit quodque intus percipit, de aliis facit conjecturam, atque alienos mores, affectus, conceptus, ex suis deprendit & exscribit. Ex hac autem imaginum copia, quam mens humana ex universa undique natura atque ex se ipsa suisque motibus atque operationibus colligit, subtiliores, & ut par est minus clare & eminentes sunt hæ, quæ ratione atque argumentatione conquiruntur; evidentiores plerumque & magis expressæ illæ alteræ, quæ sensuum impulsu perpetuo ingeruntur; ex his autem maxime omnium certæ & illustres, quas oculorum sensu acerrimo percipimus. Hinc est quod omnis poesis plurimum versatur in iis imaginibus transferendis, quæ per sensus, maximeque per visum, animo imprimuntur; ut obscura manifestioribus, subtilia crassioribus notis designet; quantoque est ipsa sincerior atque simplicior, tanto libentius eas consectatur, quæ sunt ex eo genere maxime claræ, maxime pervulgatæ, atque omnibus expositæ: quarum tanta est copia, ut cum plurimum ad evidentiam, tum non minus ad varietatem & ornatum conferant.

Equidem infinitæ plane sunt numero rerum externarum imagines, quibus quasi luminibus ornatur & distinguitur dictio poetica: ut autem in immensa materia aliquem sequamur ordinem, neque vagemur incerte, constituere possumus quatuor earum veluti fontes, ad quos satis commode omnes referri possunt. Itaque desumuntur imagines poeticæ, primo, ex rebus naturalibus; secundo ex moribus, artificiis, rebusque in communi vita occurrentibus; tertio ex rebus sacris; postremo ex rebus gestis quæ in historia sacra maxime sunt insignes (16). Ex horum locorum singulis paucula delibanda sunt, & exemplis illustranda; quæ etsi de metaphoris potissimum sumentur, intelligantur tamen ad reliquas figuras prius memoratas aliqua ex parte pertinere: de quibus postea relinquetur dicendi locus, in quo non solum spectandæ erunt imagines ipsæ, sed eas etiam substituendi & adornandi rationes formæque diversæ.

* Vide *de Rep.* Lib. X. sub init.

NOTÆ EDITORIS.

(16) Possis addere, ex quibus imagines poeticæ desumuntur, vitia virtutesque, quæ forte moribus non complexus autor est, & fabulas. De quibus si quid omnino addidero, ero tamen parcus: adjecturus forte in fine libri commentationem meam de ingenio poeseos Orientalis, Latine versam, ex qua exempla peti poterunt.

PRÆLECTIO SEXTA:

DE IMAGINIBUS POETICIS; EX REBUS NATURALIBUS.

E*Locutionis poeticæ, ut optime statuit Aristoteles,* * *in eo posita est virtus, ut sit perspicua, nec tamen humilis. Dictionem maxime perspicuam faciunt usitata ac propria, sed & humilem: grandem quidem reddunt peregrina & arcessita, sed sæpe etiam obscuram.* Ex iis quæ vocat peregrina, præcipua vis est metaphoræ; sed *ut modicus & opportunus ejus usus illustrat orationem, ita frequens obscurat, continuus etiam in ænigma exit.* ** Si ad hæc summi Philosophi & Critici præcepta revocanda sint & exigenda Hebræorum poemata, id certe facile concedetur, translationum splendore & copia abunde eos orationis sublimitati consuluisse; an in earum usu tenuerint modum dubitari magis poterit. Nam, in carminibus saltem, quæ grandius quiddam spirant & ad majestatis speciem composita sunt, ubique dominatur perpetua fere ac sibi instans metaphora, sæpe audacter illata, sæpe etiam cum periculo irruens; & quæ licentius occupavit, iis immoderate nonnunquam & insolenter utitur. Amant hoc Orientales; & multa quæ nostræ aures, nimium forsam in his rebus religiosæ, ferre non possunt, eorum audaciæ concedenda sunt. Verum si sacra poemata hac in parte intueamur, simulque cogitemus, fieri non potuisse, quin iis magna obscuritas ex eo induceretur, quod nonnunquam res ipsæ unde transferuntur imagines obruantur oblivione; cujus rei, ut alias, ita præcipue in cantico Salomonis multa videntur esse exempla; erit, credo, quod miremur, in tanta vetustate, tantaque translationum copia & libertate, tam puram plerumque & integram etiamnum elucere orationis & sensuum perspicuitatem. Hujus rei ut causæ appareant, & styli etiam parabolici indoles magis innotescat, aliqua adnotabimus de usu metaphorarum apud Hebræos vates, quæ eos attentius paulo legentibus obvia, ut opinor, erunt, & de universo saltem genere pro veris & satis exploratis haberi possunt.

Ac primum quidem Hebræi vates in dictione figurata utuntur plerumque imaginibus de medio sumptis, deque rebus maxime notis, communibus, & pervulgatis; qua ex re vel maxime pendet styli perspicuitas. Nam ea plerumque de causa translationibus utimur, ut res tacita quadam comparatione illustrentur; quod si pro notis parum nota adsciscimus, si occultis aperta demonstramus, obscurior certe non clarior fiet oratio. Hoc itaque ne fiat, cavendum est, non modo ne nimis dure, ne nimis frequenter & confuse utamur metaphoris, sed etiam ne obscura, ne parum obvia longiusque petita arcessamus. Ex his omnibus causis, nec minimum ex ultima, oritur inter Latinos Persii obscuritas. Nisi insignis esset in hac parte sacrorum vatum accuratio, vix sane quidquam in eorum carminibus jam intelligeremus.

Deinde vero Hebræi non modo notissimas adsciscunt imagines, sed & in earundem usu & accomodatione ad res alias certam fere rationem & viam servant, & receptam quandam consuetudinis normam sequuntur. Equidem stylus parabolicus pro novo quodam & peculiari sermonis genere haberi potest, in quo per comparationes vel occultas vel apertas, ex iis rebus sumptas, quæ in sensum cadunt, rerum moralium, civilium, divinarumque notiones signantur & exprimuntur. Ut in sermone communi & proprio certæ voces certas res notant, ita fere in parabolico certæ imagines naturales certas aliquas notiones magis abstrusas & reconditas illustrant. Quod quidem non omnino absolute intelligendum est, sed eousque, ut vere dici possit, vates Hebræos in eadem materia exornanda iisdem imaginibus multo saltem constantius uti, quam cæteri poetæ solent: cujus item rei magna vis est in conservando styli nitore & perspicuitate (17).

Postremo, iis potissimum imaginibus Hebræi audacius & licentius utuntur, in quibus id facilius admitti possit, eo quod & res ipsæ unde sumuntur maxime sunt obviæ & familiares, & figura earum potestas usu constanti rata & definita. Hoc ut orationem apertam & dilucidam præstat in iis etiam locis ubi maximum est obscuritatis periculum, ita sacris vatibus facilem plerumque & paratam defensionem præbebit, siquando ut duri, nimii, tumidique reprehendantur.

Ut quæ nude hactenus notavi exemplis illustrentur & confirmentur, perpendamus metaphoras aliquas ex rebus primum

* *Poet.* cap. 22.
** *Quinctil.* VIII. 6.

mum naturalibus deſumptas, maximeque uſitatas (18): ita ut quæ in una atque altera animadverſa fuerint, in permultas poſſint transferri.

Imago lucis & tenebrarum ad exprimendas res proſperas & adverſas translata communi omnium linguarum uſu frequentatur, quemadmodum omnium hominum communis eſt rerum ipſarum ſenſus & perceptio. Verum his metaphoris Hebræi frequentius quam cæteri omnes & conſtantius utuntur; uſque adeo quidem, ut raro ſe iis abſtineant, ubicunque loci argumentum poſtulat aut etiam patitur. Haberi itaque poſſunt, in eo locutionum genere, quarum in ſtylo parabolico maxime nota & rata eſt ſignificatio; cum imagines exhibeant notiſſimas & maxime familiares, fiatque translatio ex agnita & conceſſa rerum inter ſe ſimilitudine, quæ & natura percipitur, & ſermonis uſu conſtanti comprobatur. In imaginibus tam notis tamque frequentatis apud Hebræos facile conceditur audaciæ venia. Iiſdem utuntur Latini, ſed rarius, ideoque & cautius:

** Lucem redde tuæ, Dux bone, patriæ:*
Inſtar veris enim vultus ubi tuus
Affulſit populo, gratior it dies,
Et ſoles melius nitent.

Vix quidquam habent elegantius, aut in ſimili materia etiam liberius, ſeveriores Muſæ Latinæ. Hebræi vero, ut in argumento longe ſublimiore & in imagine notiſſima, efferunt ſe atque exultant licentius, & audaciæ poeticæ frenos omnes laxant. Exhibent nimirum, non veris, non auroræ, non caliginoſæ noctis imaginem, ſed ſolem & ſydera quaſi nova creatione aucto in immenſum ſplendore exſurgentia, aut in antiquum Chaos & primævas tenebras iterum demerſa. Promittitne vates renovatum populo ſuo Dei favorem, & omnimodæ felicitatis inſtaurationem? quam magnificis id coloribus depingit, quos nulla interpretatio exprimere, ſed nec ulla omnino obſcurare poteſt! **

והיה אור הלבנה כאור החמה
ואר החמה יהיה שבעתים

Erit lux lunæ inſtar ſolis meridiani;
Erunt ſolares radii ſeptemplices. (19)

Sed nec hoc ſatis: ***

לא יהיה לך עוד השמש לאור יומם
ולנגה הירח לא יאיר לך
והיה לך יהוה לאור עולם
ואלהיך לתפארתך
לא יבוא עוד שמשך
וירחך לא יאסף
כי יהוה יהיה לך לאור עולם
ושלמו ימי אבלך

Non diurna ſolis luce uteris amplius;
Neque ad illuſtrandam noctem luna tibi illucebit:
Sed erit tibi Jehova æterna lux;
Et gloria tibi erit Deus tuus.
Non occidet amplius ſol tuus,
Nec luna tua ſeſe retrahet;
Nam Jehova erit tibi æterna lux,
Et dies mœroris tui deſinent.

Quod idem alio in loco mirifice variavit: *

וחפרה הלבנה ובושה החמה
כי מלך יהוה צבאות
בהר ציון ובירושלם
ונגד זקניו כבוד

Et pudebit lunam, & erubeſcet ſol meridianus;
Cum regnat Jehova exercituum,
In monte Zione & in Hieroſolymis,
Et coram ſenioribus ſuis glorioſe.

Contra ſuperbo Ægypti regi cladem minatus; **

וכסיתי בכבותך שמים
והקדרתי את כככיהם
שמש בענן אכסנו
וירח לא יאיר אורו
כל מאורי אור בשמים אקדירם עליך
ונתתי חשך על ארצך נאם אדני יהוה

Cum extinguam te, obtegam cœlos,
Et ſtellas eorum atrabo;
Solem nube involvam,
Nec ſplendorem ſuum emittet luna:
Omnia cœli lumina ſupra te obſcurabo,
Terramque tuam tenebris operiam; edicit Dominus Jehova.

Periculoſa ſunt hæc & παρατετολμημενα; ſed notæ ſunt imagines; frequens earum uſus, certa ſignificatio; ideoque perſpicua, clara, vereque magnifica.

Porro, aliæ ſunt imagines ex rebus naturalibus deſumptæ, quæ etſi Hebræis cum cæteris hominibus aliqua ex parte ſint

* *Hor.* IV. 5.
** *Iſai.* XXX. 26.
*** *Iſai.* LX. 19. 20.

* *Iſ.* XXIV. 23.
** *Ezek.* XXXII. 7. 8.

ſint communes, illis tamen, ex ſitu puta regionis aut natura ſoli, multo magis ſunt notæ & familiares. Nulla in ſacris carminibus frequentior occurrit metaphora, quam ea, qua graves ſubitoque ingruentes calamitates ſub imagine exundantium aquarum exprimuntur. Hanc maxime familiarem habuiſſe videntur Hebræi, utpote ex proprio ſuæ regionis habitu & natura depromptam. Obverſabatur iis ante oculos Jordanes * ripas ſuas quotannis inundans, cum Libani montiumque vicinorum nives ineunte æſtate liquefactæ effuſis ſubito torrentibus aquas fluminis augerent. Erat præterea tota Palæſtinæ regio **, non multis quidem perennibus fluviis irrigua, ſed ut maxima ex parte montuoſa, ita torrentibus crebris per anguſtas valles poſt ſtatas pluviarum tempeſtates præcipitantibus obnoxia: ex qua re Moſes *** ipſe terram hanc Iſraelitis jam eam invaſuris commendabat, ut qui nihil hujuſmodi in Ægypto prius, aut nuper in Arabicis deſertis experti eſſent. Hæc itaque imago, omnibus quidem poetis nota & uſurpata, Hebræis vero præcipue familiaris & quaſi domeſtica cenſeri debet; adeoque eam & crebrius & liberius adducunt. Ipſam profecto naturæ faciem, qualis tum ei præſens obverſabatur, expreſſiſſe videtur vates, & in ſe ſuaſque fortunas tranſtuliſſe, cum ex terra Jordanica, montibuſque ad ortum fluminis ſitis, ardentiſſimos doloris ſui æſtus eo verborum impetu & audacia effundit: ****

תהום אל תהום קורא לקול צנוריך
כל משבריך וגליך עלי עברו

Abyſſus abyſſum inclamat, circumſonantibus tuis cataractis;
Fluctus tui omnes undæque me obruerunt.

Subit hoc in loco animadvertere, metaphoram hanc, cæteris quidem ſcriptoribus ſacris ubicunque occaſio ferat adeo frequentatam, autorem tamen Jobi per totum poema, in quo eam ſæpiſſime locum habituram quivis ex argumento facile conjiceret, ſemel tantum atque iterum *****, nec niſi leviter, attigiſſe. Alia nimirum naturæ facies nobiliſſimi hujus poematis autori, quicunque is fuerit, obverſabatur, ſi, ut multis eruditis placuit, in aliqua Arabiæ parte ſcriptum eſſet:

* Vide *Joſh.* III. 15. 1. *Paralip.* XII. 15. *Eccluſ.* XXIV. 26.
** Vide *Sandyſ. itin.* Lib. III. ſub initio.
*** *Deut.* VIII. 7. XI. 10. 11.
**** *Pſal.* XLII. 8.
***** Vide *Job.* XXII. 11. XXVII. 20.

quæ ſententia ut veriſimilior videatur, facit etiam inſignis ea comparatio *, qua Jobus amicos ſuos cum perfido torrente confert, quæ ex ſiticuloſis Arabiæ locis manifeſto petita eſt, pluribuſque (20) imaginibus ejus regionis propriis exornata.

Aliæ denique ſunt imagines poeticæ, ex rebus item naturalibus deſumtæ, Hebræorum omnino propriæ. Inter montes Palæſtinæ, maxime notabiles, adeoque ſacris carminibus celebratiſſimi ſunt duo, Libanus & Carmelus. Alter tum ſua altitudine, tum Cedrorum in ſummis ejus verticibus conſurgentium proceritate, magnitudine, & copia, inſignis; veram & eminentem quandam præ ſe ferens roboris & majeſtatis effigiem: alter opimus & ferax, vitibus, oleis, & arboribus omnis generis frugiferis conſitus, & cum ſoli ubertate tum cultura florentiſſimus; eximiamque exhibens fertilitatis ſpeciem & exquiſitioris cujuſdam pulchritudinis & gratiæ. Horum quod ſit in forma & aſpectu inter ſe diſcrimen accurate definit Salomo, cum dignitatem virilem Libano **, Carmelo muliebrem venuſtatem comparat. Ex utroque exſurgit diverſa quædam at generalis imago, quam varie uſurpant Hebræi vates, id per metaphoram exprimentes, in quo cautiores aperta comparatione uterentur. Libanus itaque audaci translatione ponitur pro univerſo populi Hebræi aut Eccleſiæ *** ſtatu; pro **** Hieroſolymis; pro templo ***** Hieroſolymitano; pro rege etiam Aſſyrio † ejuſque exercitu; pro eo denique quod in re aliqua eximie eſt †† ſuperbum, auguſtum, & ſublime: atque eodem modo quodcunque in ſe habet egregiam fertilitatem, opulentiam, aut decorem, illud Carmelus ††† dicitur. Similiter per robuſtos Baſanis, arietes, juvencas, tauros ††††; per feram arundineti †††††, ſive leonem Jordanis; adumbrantur

* *Job.* VI. 15. — 20.
** *Cant.* V. 15. VII. 5.
*** *Iſ.* XXXIII. 9. XXXV. 2.
**** *Iſ.* XXXVII. 24. *Jer.* XXII. 6. 23.
***** *Zech.* XI. 1.
† *Iſ.* X. 34.
†† *Iſ.* II. 13. Vid. *Ezek.* XXXI. per totum.
††† Vide ſupra citata, & *Iſ.* X. 18. *Mic.* VII. 14. *Jer.* IV. 26.
†††† *Pſ.* XXII. 13. *Ezek* XXXIX. 18. *Amos* IV. 1.
††††† *Pſal.* LXVIII. 30. חית קנה Fera arundinis, eſt periphraſis leonis, eaque minime obſcura ſi ejus rationem attendimus. Leones in arundinetis maxime luſtra habere ſolent. *Inter arundineta Meſopotomiæ fluminum & frutecta leones vagantur innumeri.* *Ammian. Marcell.* Lib. XVIII. cap. 7. Id adeo familiare erat Arabibus, ut peculiare habeant vocabulum pro leonis luſtro cum in arundineto cubat. *Bochart. Hieroz.* part. 1. lib. 3. cap. 2. Erat autem Jordanes præcipue infeſtus leonibus, qui in denſis riparum arundinibus latitabant. Ἐν ταῖς τοῦ Ἰορδάνου ἑλικοειδέσι καὶ ἀγκυλοστρο-φοις

tur gentium Tyranni insolentes, crudeles, efferri. In his cæterisque ejusmodi imaginibus quanquam id audent vates sacri, quod Latinis Græcisque minime conceditur, nemo tamen unquam aut elegantiam aut perspicuitatem desiderabit; præsertim qui meminerit, eas Hebræis notissimas, ac, ut ita dicam, populares, & veluti indigenas, fuisse.

Id denique hoc in loco generatim adnotandum est: poesin omnem, ac præcipue Hebraicam, ornamenta sua longe plurima ex rerum naturalium imaginibus depromere; has ut quisque in animo suo format atque exprimit ex eo quod cuique in sensus incurrit, fieri non potest, quin pro locorum diversitate aliæ sint aliis magis familiares, aliæ etiam propriæ; & quæ maxime videntur communes tenuem sæpe aliquam & latentiorem habeant cum proxima sua origine & natali solo necessitudinem: imprimis itaque tenendus est, quantum fieri potest, rerum in quibus versatur autor situs habitusque, percipienda regionis historia naturalis, & poematis cujusque veluti scena ob oculos ponenda. Huc nisi perpetuo animos attendamus, vix tuto licebit de sensuum decore & venustate judicare: fugient nos interdum vel apertissima, reconditæ certe & interiores elegantiæ plurimæ latebunt. (22)

φοις ροαις, ως το εικος, τας εχομενα τα ποταμου γης μερη τινα περιγραφονται, εν οις μεγα τι καλαμων χρημα εκφυεσθαι πεφυκεν· εν τουτοις λεοντων φυλα ειωθασι κατοικειν. *Johan. Phocas. Descript. Loc. Sanct.* cap. 23. vide etiam *Maundreli. itin. Hieronymus* itidem ad hæc verba Zechariæ XI. 3. *Vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis: Jordani, inquit, fluvio, qui maximus in Judæa est, juxta quem morantur leones, fremitum junxit leonum, propter ardorem sitis, & ob deserti viciniam, & latitudinem vastæ solitudinis, & arundineta & carecta.* Hinc apud Jeremiam IV. 7. Leo dicitur exire מסבכו *ex lustro suo perplexo*, & XLIX. 19. *ascendere inundante Jordane*. Itaque hoc in loco (*Ps.* LXVIII. 30.) fera arundinis, cœtus robustorum, & juvenci, sunt leones, tauri, pecudesque lascivientes, sive Tyranni feroces insolentesque: de quibus, continuata translatione, addit Psaltes מתרפס ברצי כסף, hoc est, pro se quisque de industria (ea est vis numeri singularis distributivi & formæ *Hithpael*) *conculcantes* & turbantes *rivos argenteos*, perdentes nimirum & vastantes vicinorum Judæorum bona. Hæc ipsa imago apud Ezekielem usurpatur cap. XXXII. 2. iterumque cap. XXXIV. 18. 19. in quibus locis ter ponitur in eo sensu verbum רפש: vid. etiam *Dan.* VII. 19. verum an רוץ de motu fluminis dicatur, ut apud Latinos *currere*, (*Virg. Georg.* I. 132.) ita ut רץ rivum significet, non æque constat. (21)

NOTÆ EDITORIS.

(17) Egregie observatum, cujus ope ad propinquam sententiam, ab autore distincte non explicatam delabemur, simulque nimiæ insolentiæ & audaciæ crimen, poetis Orientalium objectum, si non totum refellemus, minuere tamen & tanquam diluere conabimur, unum in locum colligentes, quæ superiora capita legentibus in animum venerunt. Nec vero probare suscipimus, majorem optimorum poetarum Orientis audaciam non esse, quam optimorum ex nostris: difficilis enim ejusmodi rerum comparatio, quarum certa mensura non constat: non turgidos aliquos Arabum poetas laudabimus, qui antiquiores imitati, naturamque, & ingenium eorum quos admirabantur, arte superare laborantes, tumidi potius quam sublimes facti sunt, (quod quidem cujus populi poetis non accidit? quæ gens est, cui aurea tantummodo poetarum proles obtigerit, argentea nulla?) non denique tumorem excusabimus, qui post flexum & declinationem bonarum apud Arabes literarum, nimia poetici sermonis imitatione, elegantiæ studio nimio, historias etiam & epistolas invasit. De eo solo cum lectoribus Orientalium literarum non imperitis anquiremus, sintne optima Hebræorum Arabumque carmina tam audacia & grandiloqua, tam a frigidiore tanquam sensu Europæ abhorrentia, ut videntur nonnuliis, non indoctis solum, sed & orientalium linguarum peritis, quibus forte aut ingenium poeticum defuerit, (aliud enim est, grammaticum esse, quam poetam) aut nostri sermonis peritia, aut facultas, diversas linguas inter se comparandi.

Est & prosæ orationi sua per omnes populos tanquam lingua metaphorica, certis comparationibus frequentius utens, ut illi loco tanquam propriæ fiant, in duplex genus dispertienda. Sunt enim comparationes aliæ oratoribus, & scriptoribus qui ingenii laudem quærunt, propriæ, non tam tritæ, ut vulgares haberi possint, animosque adficere aut elegantes videri desierint, nec tamen ita novæ, ut sive inventionis laudem mereantur, rapiantque in admirationem, sive insolentiæ excusatione opus habeant. Contra aliæ omnium in ore versantur, quibus nimio usu plus indies perit gravitatis Venerisque, sive quod minus delectant consueta, sive quod usitatis animum non satis attendimus ad similitudines rerum intelligendas, unde fit, ut nonnunquam simplicem modo percipiamus nudamque sententiam, neglecto metaphoræ ornatu. Accidere etiam potest his plebejis comparationibus, ut frequentia usus tropicæ significationes vocabulis inducantur, detrita jam omni comparationis & figuræ elegantia, cujus nec audientes recordantur, nec loquentes, sed soli grammatici, scholiastæ, & lexicographi. Quod ubi factum est, non jam ad nostram comparationum linguam referenda sunt, sed ad communem.

Metaphoricæ ergo hujus linguæ, & tanquam hieroglyphicæ, (cum sacra enim Ægyptiorum lingua commode comparaveris, de qua præclare egit Jablonskius in prolegomenis Panthei Ægyptii §. LVII. sequ.) triplex genus teneamus, poeticum, oratorium & plebejum: pro diversitate autem linguarum eandem comparationem alius apud alios populos generis ac tanquam ordinis esse. Sic Horatianus ille *ignis cineri suppositus* Latinis poeticum jam aliquid & elegantius sonat: nobis apta quidem sed tamen plebeja est comparatio. Das Feuer glimmet unter der Asche, quotidiano proverbio dicimus.

Prosaica autem duo illa comparationum genera cum sua faciunt poetæ, multo solent gerere se audacius ac tanquam jactare, quam in suis: suntque insolentiores etiam in plebejis, quam in oratorum figuris. Cum enim poetarum sit, ultra tritas dicendi loquendique vias evagari, ac novitate gravitati addita percellere, non satis placent plebejæ hæ atque oratoriæ elegantiæ, nisi novum decus illis addatur: suntque jam eo audaciores, quod alios simile quid proso sermone tentasse vident, unde & evenit, ut poetæ & brevius & insolentius eadem similitudine utentes, intelligantur tamen, nec fiant obscuri. Hoc ergo cum in aliis metaphoris orientales poetæ faciunt, quam nostri, audaciores, quam sunt, nobis videntur, non recordatis, idem a nostris poetis in aliis metaphoris committi,

in

in quibus uſu quotidiano ita jam occalluimus, ut minus novitati orationis timeamus.

Idem in metaphorica poetarum lingua accidit, ſive in metaphoris, quas oratorum vitæque communis uſus refugit, contra non poeta aliquis aliquando carmini ornando adhibuit, ſed lingua poetica tanquam ſuas & conſuetas ponit. Ut eſt enim in tota poeſi maxima vis imitationis, qua ad fundenda carmina plerumque incitamur, motus eoſdem furoremque poeticum lecto pulchro carmine tanquam aliquo contagio concipientes; ita & metaphoras poetæ alii aliorum, vel inſcii ignarique, ſolo naturæ impetu & amore ejus pulcritudinis quæ ipſorum animos adfecerat, imitantur, donec nimis crebro uſu plebis poeticæ ita vileſcant, ut ab illis abſtinendum ſit. Solent autem in imitando jam eandem metaphoram, qualem a ſuperioribus acceperunt, ſuam facere, jam aliquid in ea mutare, addere, demere, magis ornare, ſive quod diviniorem animi impetum perſentiunt, quam is ipſe qui eos ita accenderat, ſive quia novitatis laudem adfectant, ornatioremque & pulchriorem effingi metaphoram ſperant poſſe. Ex quibus illi ſuperare eos, quos imitabantur, non raro ſolent: hi minus feliciter verſari, exemploque eſſe, in poeſi artem non delectare, ſed ingenium impetumque. Ita autem fit, ut & poetica metaphora indies fiat audacior, donec tandem aut in tumorem abit, aut nimio ornatu laborat, aut a magno poeta, ſimpliciore & jam pene obſoleta metaphora denuo utente, ac redivivæ novitatis gratiam habente, illuc reducitur unde divagata erat. Quod quiſque, qui a natura ad poeſin informatus contagium illud pulchrorum carminum ſenſit, non aliorum modo exemplis ſed & ſuo compertum habebit: nam & optimi, atque a natura poetæ aliquando tamen in imitando magis fiunt quam eſſe debebant artifices. Eſt ergo & poetica imitatio in cauſſis numeranda, quibus fit, ut carmina Orientalium, gentium denique omnium, quibuſcum non multum nobis intercedit commercii, paullo inſolentiora, quam ſunt, videantur: quod nos in aliis metaphoris audemus, idem illis in aliis facientibus, in quibus nos timidiores ſumus. Nempe in his caſti omnes, nec ornatus prodigi ſolemus eſſe, quibus aut ipſi primi utimur, aut poſt paucos, ita ut nondum ad linguam metaphoricam referri poſſint: in reliquis audaces. Erit forte alius de imitatione Orientalium poetarum dicendi locus, cujus eximium exemplum propoſuerimus Habacucum, ſi non injucunda ea videbitur diſputatio.

Quoniam autem de metaphoris agentes eo dilapſi ſumus, ut nimii tumoris crimen toti Orienti objectum ab optimis ejus poetis abſtergeremus, cauſſaſque indicaremus erroris, addamus & aliam, culpam interpretum. Nempe contra, quam eſt boni interpretis, etyma vocum non raro in verſione exprimunt, adeo obſoleta, ut nec autor, nec qui linguam cum lacte matris imbiberant auditores, illorum recordarentur, quando verbum in ſignificatione ſecundaria ponebatur: aut ſi hoc non committunt, vocem tamen tropice pro communi uſu linguæ poſitam, in qua jam nihil nec ſublimitatis nec elegantiæ, proprie reddunt, quo fit, ut pro tropo legamus metaphoram, ſine dubio inſolentiorem, nimioque ornatu poema obrutum laboret. Quo in genere & inſcitia peccatur interpretum, qui nec ſignificatus proprii ac tropici, metaphoræque fines, nec ſuum officium norunt, (Aquila pro exemplo ſit:) & nimia eruditione atque induſtria. Grammaticus enim, omnes receſſus linguæ pervagatus, nimiſque præſentes animo ſuo ſignificationum origines habens, in verſione ponit, quæ melius forte in ſcholiis, ac ne in his quidem, ſed in vocabulario legerentur. A qua culpa ne Schultenſius quidem immunis in Jobo interpretando, vir de linguis Orientalibus immortaliter meritus, nec Grammaticus merus, ſed elegantioris ingenii: multo autem gravius ab aliis peccatur, qui, carmina Arabica Europæo idiomate incondite nimiſque proprie interpretati, mirum quantum clamant calidiora (ſic putant) ingenia a noſtris differre, quaſi vero calore ſolis, corpora enervante, animi accendantur.

(18) Eſt hoc peculiare poemati Hebræo, multas metaphoras a rebus naturalibus depromere, maxime ab herbis arboribuſque, ut poeſin botanicam dicere auſim. Neque id mirum, populus enim erat aratorius & paſtoritius, in quo ſine ſuo agro paſcuiſque nemo naſcebatur: nec poeſis eruditis relicta, ſed ita per omnem populum amor ejus diffuſus, ut & verorum paſtorum carmine ſilvæ reſonarent. Hinc in exiguæ molis bibliotheca Hebraica, genti ſuperſtite, codice inquam ſacro, ultra CCL. inveniuntur nomina botanica, quibus nemo frequentius utitur poetis. In quo a noſtra poeſi maxime diſtat Hebraica, plus habuiſſe varietatis & jucunditatis nobis viſa. Ut enim taceam, ipſos noſtros botanicos vernacula plantarum nomina, apud alios alia, perſæpe ignorare, proque illis uti Latinis arte factis, quæ carmine aſſuere nefas: plurimi poetæ ita ab agris rerumque natura ſemoti ſunt, ut paucas herbas arboreſque norint, prudentes, ſi ab illarum nominibus abſtinent, nec committunt, ut riſum debeant peritioribus. Quod ſi botanicum eſſe poetam contingat, non ſinit tamen eum inſcitia plerorumque lectorum ſuæ ſcientiæ ornatu uti, niſi obſcurus fieri velit. Atque etiam multarum plantarum nomina vernacula in eam deſuetudinem abierunt & poetis & eruditis, tamque ſunt ſolis relicta ruſticis, ut illa tanquam plebeja dignitas cultuſque poetici ſermonis refugiat. Sequitur autem hinc, ut ſine curatiore & penitiore botanices cognitione, notitiaque herbarum arborumque Orientis, pulchrum id, quod Hebraica carmina maxime commendabat, non ſatis queamus intelligere, ſed lætante & ridente poeta, boni forte philologi & grammatici, ſimus oſcitaturi. Qua in ſcientia uni Olao Celſio plus quam reliquis debemus omnibus: ſed tamen reliquit ille multa aliis, ipſum Orientem adituris, ignotarumque adhuc plantarum notitiam ad nos reportaturis. Nec ſufficit poematum biblicorum lectori, deſcriptiones noſſe plantarum, ſed ipſas aut vivas viderit neceſſe eſt, aut imagine expreſſas objecerit oculis, ſi illos motus perſentiſcere cupit, eodemque pulchro adfici, quod animo poetæ obverſabatur.

(19) Hæ quidem, & quæ ſequuntur, deſcriptiones aucti ſplendoris ſolis aſtrorumque, dierumque ſine nocte, non ex rerum natura depromtæ ſunt, ſed ex fabula. Comparant inſignem felicitatem populi aureæ, quam ab Ægyptiis poetæ acceperunt, ætati. Multus in hac imagine ornanda Jeſaias: de qua plura dabo in appendice prælectionis nonæ.

(20) Plures ejuſmodi imagines ex Arabia petitas collegi, atque hanc torrentis perfidi curatius expoſui in *commentatione de Jobo Ægyptio, ſeu de crebris alluſionibus ad res Ægyptias in libro Jobi*, menſe Octobri 1753. Societati Regiæ Scientiarum recitata §. 2.

(21) De explicatione hujus loci dubito. Dabo, beſtiam arundinis leonem eſſe poſſe: videtur tamen aptior etiam crocodilo deſcriptio, Nili incolæ, cujus fluvii arundineta ita ſunt decantata, ac nemini non dicta, ut de Nilo potius quam de Jordane cogitaveris, *beſtiam arundinis* legens. Eſt præterea frequens Hebræorum poetis, crocodilo comparare Ægyptum, ut nec hac parte mea laboret interpretatio. Nec in מתרפס ברצי כסף facere cum Lowtho velim, licet data ab eo verſio crocodilo aptior ſit, quam leoni, eoque ipſo in loco, quem citat, Ezech. XXXII. 2. crocodilus turbare Nilum dicatur. Primo enim rivi *argentei*, quibus noſtri poetæ delectantur, in omni poeſi Hebraica non inveniuntur, (ſed hoc leve, poſſit enim poeta & novum quid atque inſolens tentaſſe:) deinde רצי non ſatis grammatice a רוץ derivari poteſt, ex רצץ ortum: neque uſu linguarum Orientalium confirmavit, ſed tantum per conjecturam ſumſit noſter, a currendo rivos רצים dictos eſſe. Contra, communem interpretationem, cui רצי כסף laminæ argenteæ ſunt, vel ideo prætulerim, quod linguæ Arabicæ conſuetudine commendatur, nec tamen מתרפס verterim, ſubſternentem ſibi, vel proſternentem ſe, ſed eadem ſororia lingua duce, cui رفش eſt *luxuriari*, *abundare*, reddiderim, *qui luxuriantur in laminis argenteis*. Noli autem hoc ſive ad beſtiam arundinis, ſive ad cœtum taurorum referre, quod nec fieri ſine generis anomalia poteſt. Eſt nova, magiſque propria, prædivitis & inſolentis populi deſcriptio: *increpa crocodilum, arundinis incolam,* (Ægyptum) *cœtum taurorum inter vitulos populorum: luxuriantem in laminis argenteis gentem. Ratum eſt! Diſſipavit populos bello delectatos*. In quibus meis diſplicet tamen adhuc *cœtu* taurorum, de quo ſi quis me plenius edocuerit, aut pro *cœto* verbum ſubſtituerit, quale in ſuperiore membro erat נער, gratus alterutro utar beneficio.

(22) Non omittenda hic rivorum & fontium, terræque larga pluvia recreatæ imago: qua quidem & noſtri poetæ utuntur, ſed frequentius Orientales. Nem-

Nempe penuria aquæ, æstusque intolerabilis, & mira ipsius arenæ fertilitas & luxuries, si rivulo rigatur, pulchriorem & jucundiorem Orienti, quam nobis est, illam comparationem facit. Vere & æstate, flante per aliquot dies Euro, agri universi ita aduruntur, ut vix quidquam virens supersit, rivi plerique & fontes exsiccantur, reliqui salmacidi fiunt, ipsaque pene emori videtur natura. At imbre largo effuso, agri exspectatione citius mirum in modum revirescunt, & rivi redeunt, & dulciorem jam aquam fontes fundunt. Major apud illos morientis naturæ tristitia, & reviviscentis luxuries, non potuit non & vulgi animos & poetarum fortius afficere. Sæpe hanc imaginem resurrectionis mortuorum Muhammedes proponere solet; non tam hac parte poetam agens, quam philosophum. Iisdem pene phrasibus utens, mori terram dicit; imbre eandem vivificari, omnesque tum ejus glebas moveri, novis herbis certatim erumpentibus. Vivis hanc naturæ tanquam παλιγγενεσίαν coloribus descripsit *Alexander Russell* in historia naturali Halabæ (*natural history of Aleppo*) p. 13. 14. 15. dignus, ut ab illis legatur, qui orientalium poetarum non verba modo audire, sed & eodem cum illis sensu adfici cupiunt. Hinc enim millenæ similitudines, aut insolitæ nobis & audaces; aut quæ apud Orientales propriam habent significationem. Caabus, Arabicus poeta, Muhammedis æqualis, statim in initio carminis puellæ subridentis dentes audacter satis ob suavitatem & puritatem comparat vino aqua temperato, in qua vixdum fuerint bullæ ex guttis hesternæ pluviæ. Jesaiæ frequens, faustum & exoptatum rerum statum, adversis succedentem, eadem imagine exprimere: sed quam plerique interpretes magis anxie explicant, & tanquam ad vivum resecant, quam in poeta licet. Jam enim proprie accipiunt, quæ vates figurate dixerat, jam theologice singula interpretantur, quæ aqua sit, quærentes, qui sitientes; vera multa & pia admiscentes, sed quæ nec reliquo orationis argumento apta sunt, & de quibus poeta non cogitaverat. Poetæ enim non est, ænigma aliquod per omnia similia anxie exasciare, sed libere ornare atque illustrare pulchram, qua utitur, imaginem. Sic ille de felici Palæstinæ statu, eo tempore, quo vastata & subacta esset Idumæa, cap. XXXV. 1. 6. 7.

Lætetur de his desertum & aridum,
Gaudeat solitudo & floreat ut narcissus

Erumpet in deserto aqua,
Et flumina in planitie.
Eritque nebulosum æquor stagnum,
Et sitientia scaturigines aquæ.

Sciendum autem, planities majores intolerabilis plerumque æstu torreri, & aquæ penuria deserta esse. שרב, vapor æstu solis accensus, ut vasti æquoris speciem referat, qualis sit, & ex patris mei dissertatione naturalia codicis sacri ex Corano illustrante, §. 10. & ex Russello disci potest. Quod de stagnis habet, etiam in illo tractu verum, in quibus post imbres late stagnare aqua in arenosis vallibus solet, ut tota regio alia, novusque aliquis orbis creatus videatur. Alio modo eandem imaginem magnæ siccitatis largique imbris ornat c. XXXXI. 17. reditum Israelitarum ex Babylonio exsilio canens:

Humiles & incurvati quærunt aquam, sed deficit:
Lingua eorum siti exsiccatur:
Ego Jehova audiam illos;
Ego Deus Israelis non relinquam illos.
Aperiam in montibus flumina
Et in vallibus fontes:
Deserta faciam stagna,
Et siticulosa loca scaturigines aquæ.
Dabo in deserto pinus & Ægypti spinam,
Myrtumque & oleam:
Ponam in planitie abietem, & Tedar, & buxum una.

Nempe & hoc jam fingit mirabile, ut nova audacia carmen illustret, arbores patria disjunctissimas in eodem deserto proventuras; abietem pinumque, Libani indigenas, nivibus & largo humore delectatas, olivam Hierosolymæ, spinam Ægyptiam Arabiæ utrique siccæ, propriam, & myrteta in litoribus alias lætissima. Redit eadem imago, c. XXXXIII. 18. 20. sed nova, alioque ornatu. Fingit enim, feras deserti, ipsosque dracones siti vexatos, sibilis suis, atque nocturnis ululatibus laudare Deum ob rigatas Arabiæ arenas. Vide & c. XXXXIIII. 3. 4. Nonnunquam in Hierosolymitano tractu, qui natura aridissimus est, paucisque rigatur fontibus, ingens erumpere flumen vident, ac tanto alveo in mare mortuum influere, ut ejus aqua, omnium marium maxime salsa, dulcis evadat. Cui fictioni Gihon occasionem dedisse videtur, ex Sione erumpens rivulus, cum forte aliquando solito largius fluens prodigii instar haberetur. Primus, ni fallor, ausus tale quid David, sed modice & verecunde, ut primum fictionis autorem decet. Descripto enim ingenti terræ motu, quo regna mundi, montes, insulæ quassarentur, addit, sanctam Dei urbem canalibus interea fluminis exhilarari Ps. XXXXVI. 6. Suspicor, ejusmodi quid illo tempore accidisse: solet enim cum terræ motibus conjunctum esse, ut rivi fontesque alii deficiant, alii repente exsistant, aut insolita aquæ copia exuberet. Sed hoc imitatoribus non suffecit, nova semper & audaciora, ut supra jam monui, tentaturis, ne omnem ornatum illi debeant, quem imitantur. Sic ergo Joel, fabulam etiam aureæ ætatis admiscens, c. IIII. 18.

Stillabunt montes musto,
Et colles ibunt lacte:
Et alvei Judææ omnes ibunt aqua,
Fonsque ex æde Jehovæ promanabit
Rigabitque vallem Sittim.

Forte hic subest sensus mysticus: sed is jamjam nihil ad me, solum decus fictionis poeticæ explicantem. Ezechiel, semper ille imitator, imaginesque ab aliis inceptas absolvens, minus tamen sublimis, in capite XXXXVIII. prosa oratione, ac pene geographus, hunc rivum descripsit, marique eum mortuo immisit: Zacharias etiam, sed brevior, duplicem ei exitum in mare mortuum & mediterraneum dedit, c. XIV. 8. At Jesaias, in ipsa imitatione novus, semperque suus, ingentiumque imaginum creator, majus quid ausus. Non rivum, non flumen vidit, sed confluentia in vallem Hierosolymitanam flumina soli omnem naturam mutare, ingentemque efficere lacum, cui Æolus a Deo custos additus, ventique, hostium classes dispersuri, si qui navibus oppugnare invictam urbem audeant: c. XXXIII. 21. Confer autem Ps. XXXXVIII. 8. cujus imagines in toto capite XXXIII. imitatur propheta, ne ridiculam poetæ sacro fictionem tribuas, ac si ob latitudinem aut profunditatem fluminum navigia in illis ire nequeant. Alibi gentes fœcundæ, late exporrectis rivis comparantur, eorumque progenitores jam fonti sacro ex saxo erumpenti; jam fluviali genio, ex amphora flumen fundenti: Num. XXIV. 6. 7. Ps. LXVIII. 27. Jes. XXXXVIII. 1. LI. 1. 2. Quibus in locis aliqui, poetam ita interpretati, ut in prosaico scriptore fas erat, pro amœnissima comparatione turpiculam descriptionem & molestam, nihil certe habituram delectationis, Jesaiæ affinxerunt.

Quæ in tempestatibus describendis Orientalibus poetis propria sunt, hujus loci videri poterant: sed agam de illis ad pag. autoris 83. ubi, licet alia occasione, Psalmum XVIII. versione expressit,

A terræ motibus, Palæstinæ frequentibus, similitudinem petere, vix erit, qui non audeat, poeta, licet illos nunquam ipse expertus sit. Non ergo hic commemoro, quod a Jesaia, qui ipse motui terræ gravissimo sub Uzzia interfuit, magnæ calamitates terræ trementi comparantur, c. XXIV. 19. 20. alibique. Id tamen insolentius nobis, & tum ob pulchritudinem ac decus, tum ob audaciam figuræ, notatu dignum, quod imperium præpotens, sed interiturum, monti perdenti, id vero est ignivomo, ruituro, & late alios montes sua strage involuturo, & toti comburendo, ut ne lapidibus quidem exustis uti possis, Jeremias comparavit, c. LI. 25. 26. quam imaginem non assequutos interpretes video.

Parturientium etiam feminarum imagine multo utuntur crebrius quam nostri, quibus non dolentes modo & desperantes, sed & sæva spirantes heroas comparare audent, Jes. XXXXII. 14. 15. atque, quod nunquam tentarent nostri, sive pudore, sive comparationis insolentia, partum curiosius describunt, rariora etiam in usus suos vertentes. Ex quo genere est,

est, quod habet Jesaias, c. XXVI. 18. *parturivimus*, *intremuimus* (חול enim proprie tremorem parientium designat, quod bene vidit Chaldæus) *peperimus ventum*: ubi ad empneumatosin, seu, ut vocant, molam ventosam alludit, de qua, aliisque imaginibus similibus, plura egi in notis, subjectis orationi meæ de connubiis scientiarum aliarum cum philologia orientali. Cujusmodi imaginem aures nostræ vix quidem in poeta ferrent, sed vide, quæ disputabo in vicesima quinta observatione.

PRÆLECTIO SEPTIMA:

DE IMAGINIBUS EX COMMUNI VITA.

QUas tres causas proxime exposui, quibus apud Hebræos vates in figurata dictione conservaretur cum summa sublimitate conjuncta perspicuitas; (primo quod uterentur plerumque imaginibus de medio sumtis, deque rebus maxime notis & pervulgatis; tum quod in earundem accomodatione certam fere rationem & viam, seu analogiam quandam servarent; quod denique iis potissimum licentius uterentur, quæ maxime essent familiares & notissimæ significationis:) earum veritatem ulterius confirmatum iri arbitror, si eas etiam metaphoras paulum advertamus, quæ ex artificiis, moribus, vitaque communi desumuntur; quem alterum statueram veluti fontem unde poeticæ imagines derivari solent. Ac sufficient hac in parte quædam de universo genere breviter notata, & exemplum unum atque alterum ex innumeris decerptum.

Tota communis vitæ ratio apud vetustiores Hebræos admodum simplex constansque fuit: non erat ea studiorum, conditionum, artium, quæstuumque diversitas, quæ apud alios populos postmodum obtinuit, qui sese quasi haud paulo humaniores jactaverunt, ac merito quidem, si pro humanitate habendus est luxus, levitas, & superbia. Una omnibus libertas, una generis nobilitas ab antiquissima stirpe deducta: nulli inanes tituli, aut falsæ gloriæ insignia; vix ulli honorum & dignitatis gradus, nisi ut cuique ex virtute, prudentia, provecta ætate, aut bene gesta republica accessere. Legibus & sacris ab cæteris hominibus divisi, nec admodum mercaturæ dediti, satis habuerunt eas artes colere, quæ ad vitæ usum simplicem & incultum, seu incorruptum potius, necessariæ essent. Itaque præcipua erat omnibus occupatio in colendis terris & curando pecore; agricolarum & pastorum ferme natio erant. Prædia in familias principio sortiti, quæ * pretio addicere, ita ut omnino alienarentur, fas non erat, posteris suis possidenda suoque labore colenda tradebant; quos ex suo quisque agro fructus percipiebat, eæ cujusque erant divitiæ. Nemo vel amplissimus indecorum aut se indignum putabat etiam infimis rustici operis negotiis vacare. Igitur in sacra historia * sæpe legimus, Duces, Reges, Prophetas, ad sancta & augusta munera obeunda ab aratro & stabulis accessisse.

Itaque non mirum est si Hebræi scriptores multi sint in deducendis metaphoris ex his potissimum artibus, in quibus fere nutriti & educati sunt; si quæ animis oculisque eorum maxime obversarentur, ea derivarent in poesin: præsertim quæ suppeditarent tam variam lautamque rerum suppellectilem, unde depromi posset quicquid in imaginibus non modo venustum est atque elegans, sed grande etiam & magnificum. Quod si cui male delicato sordere nonnunquam videantur hujusmodi rerum species, quasi scilicet oleant plebeculam & stercus; id suæ tribuat inscitiæ, qui ex sui sensus modulo antiqua æstimet; non sacris vatibus vitio vertat, qui hisce imaginibus non modo suam præstant dignitatem, sed persæpe etiam ipsa translationis vi atque audacia incredibilem inducunt elegantiam & ornatum.

Longum esset singulatim percensere, quibus illi verborum luminibus, ex re una levi humilique, ut quibusdam videri possit, ex area nimirum & tritura petitis, rebus tamen maximis splendorem, gravissimis pondus addiderunt: cum *Jehova ira incensus impios proterit, conculcat, profligat* ** ; *cum populos Israeli veluti dentato tribulo subjicit frangendos, aut æratis ejus ungulis comminuendos* ***; *hostesque suos, palea montana leviores, disflat*

* *Lev.* XXV. 13. – 16. & 23. 24. confer 1. *Reg.* XXI. 3.

* Vide *Jud.* III. 31. VI. 11. 1. *Sam.* IX. 3. XI. 5. 2. *Sam.* VII. 8. *Ps.* LXXVIII. 72. 73. 1. *Reg.* XIX. 19. 20. *Amos* I. 1. VII. 14. 15.

** *Hab.* III. 12. *Joel* III. 14. *Jerem.* LI. 33. *Is.* XXI. 10.

*** *Micah.* IV. 13.

flat ſpiritu, & indignationis turbine diſpergit. *

הוה שמתיך למורג
חרוץ חרש בעל פיפיות:
תרש הרים ותדק
וגבעות כמץ תשים:
תזרם ורוח תשאם
וסערה תפיץ אתם:

Ecce feci te trabam;
Tribulum novum, inſtructum dentibus;
Triturabis montes atque comminues,
Et colles pro paleis habebis:
Ventilabis eos, ventuſque auferet,
Et turbo eos diſſipabit. **

Quibus in locis notandum eſt primum, hujus metaphoræ rationem & legem a variis ſacrorum poematum autoribus conſtanter & religioſe ſervari; unde ei audacius quidem, ſed intra ſuos limites, exultanti ſua conſtat & verecundia & perſpicuitas: ſiquidem unice eam uſurpant ad amplificandam improborum hoſtiumque ſtragem & diſperſionem. Ad hoc promptam facilemque huic audaciæ defenſionem præbebit vel ipſa vis imaginis ad rem exprimendam accommodatiſſima, ſi receptum apud Hebræos triturandi modum cogitemus. Id fiebat in loco ſublimi, ventis obnoxio; inacto ſpicis vel jumentorum grege, vel tribulo gravibus tabulis conſtructo, & lapidibus vel ferro ſubtus aſperato, vel ploſtello rotis ſive axibus ferreis & dentatis, quod Varro *** Poenicum vocat, utpote a Poenis Italiæ illatum de Phoenicia Palæſtinæ proxima; unde etiam, præterquam quod per omnia conveniunt deſcriptiones, conſtat Hebræorum ac Romanorum in hac re uſum ſimilem & plane eundem fuiſſe: nec tamen hi quidquam unquam, quod ſciam, ad poeſeos ſuæ ornatum inde mutuantur. Non autem prætermittendum eſt, imaginem hanc fuiſſe Hebræis, ſupra quam a nobis facile concipi poteſt, obviam & familiarem; cujus rei ſatis indicio eſt Araunæ Jebuſæi Area, **** ſub dio, ut cæteræ omnes, in ipſis Hieroſolymis, & in editiſſima urbis parte ſita, eo ipſo in loco, in quo poſtea templum a Salomone conditum eſt.

Homero, cui vehementer placuit omnis Agreſtis vitæ imago, adeo decora ſignificanſque viſa eſt hæc ipſa de qua agimus, ut ſemel iterumque ex Area petierit comparationem; (nam translationis periculum vel ipſe hic reformidavit) unam quidem atque alteram * ad illuſtrandam rem leviculam contra quam ſolent Hebræi; tertiam autem vere magnificam, qua Achillem ſuum exornat: hanc, ſiquidem accedat ad effigiem aliquam Hebrææ ſublimitatis, libet recitare: **

Ως δ' οτε τις ζευξη βοας αρσενας ευρυμετωπους,
Τριβεμεναι κρι λευκον ἐϋτροχαλῳ εν αλωῃ,
Ριμφα τε λεπτ' εγενοντο βοων υπο ποσσ' εριμυκων.
Ως υπ' Αχιλληος μεγαθυμου μωνυχες ιπποι
Στειβον ομου νεκυας τε και ασπιδας. —

Quæ comparatio inter pulcherrimas & grandiſſimas merito quidem numeranda, multum tamen abeſt ab Hebræorum ſublimitate atque audacia. Hebræus contuliſſet potius ipſum heroa cum tribulo, non equos ejus cum bobus ploſtello junctis; quod eſt paulo nimis appoſitum, & plus æquo congruens. *** Verum illam licentiam Græcorum poeſi non dederat conſuetudo; non occupaverat hunc locum ea imago, ſicuti apud Hebræos, neque ejus quaſi dominium uſucapione acquiſiverat.

Religio eſt hoc in loco ſilentio tranſire egregiam & ſupra modum magnificam ultionis divinæ imaginem ductam a torculari, ſæpiuſque a ſacris vatibus uſurpatam; ſed quam nulla alia poeſis auſa eſt vel attigiſſe. Quibus autem Latini ſermonis coloribus ea exprimere poſſumus, quæ niſi ſuis digne exhiberi omnino nequeunt? quibus lineamentis vel tenuem umbram ejus deſcriptionis effingere, qua Iſaias depinxit Meſſiam vindicem? **** —

— Ille Patris vires indutus & iram,
Dira rubens graditur, per ſtragem & fracta potentum
Agmina, prona ſolo; proſtratiſque hoſtibus ultor
Inſultat; ceu, præla novo ſpumantia muſto
Exercens, ſalit attritas calcator in uvas,
Congeſtamque ſtruem ſubigit: cædem atra recenti
Crura madent, rorantque inſperſæ ſanguine veſtes.

Porro, innumera plane ſunt quæ in hanc rem adduci poſſunt ex moribus vitæque conſuetudine translata. De his etiam id

* *Pſ.* LXXXIII. 13. 15. *Iſ.* XVII. 13.
** *Iſai.* XLI. 15. 16.
*** *De re Ruſt.* l. 56.
**** 2. *Paralip.* III. 1.

* Vide *Iliad.* V. 499. & XIII. 588.
** *Iliad.* XX. 495.
*** Hoc mox fuſius exponetur. *Prel.* XII.
**** Vide *Iſai.* LXIII. 1. – 3.

id generatim adnotandum eſt, receptam apud Hebræos vivendi rationem, ſimplicem, conſtantem, gravem, naturæque convenientem efficere, ut vates ſacri multo minus habeant vel obſcuri, vel humilis ac demiſſi, in hujus generis metaphoris, quam quiſquam ſperare potuerit, qui reputat, vel quanto a nobis rerum & temporum intervallo disjuncti ſunt, quantumque in translationibus audent; vel quantum in rebus communibus & vulgaribus transferendis verſantur. Eam profecto ſacrorum vatum præ cæteris omnibus veram eſſe laudem exiſtimo, metaphoris audacibus cum ſumma perſpicuitate uti, & vulgaribus cum ſumma dignitate & ſplendore. Non verebor vobis in hoc genere proponere exemplum, quo nihil concipi poteſt ſummiſſius & contemptius, nihil planius & inornatius exprimi; quod tamen ipſa imaginis congruentia atque accomodationis proprietate eam vim habet, ut non dubitem eminentem ſublimitatis notam ei apponere. Minatur Deus Hieroſolymæ ultimum excidium: *

ומחיתי את ירושלם
כאשר ימחה את הצלחת
מחה והפך על פניה:

Et detergam Hieroſolymam,
Ut detorſerit quiſpiam pateram;
Detergit eam, & pronam in faciem vertit.

Verum multa hujuſmodi neceſſe eſt humilia & obſcura nobis falſo videri, qui vita moribuſque tam diverſis utimur: ſed in his nec temere reprehendendum, nec cito deſperandum; verſandus potius in omnem partem animus, ſi forte erui poſſit ſenſuum atque imaginum nexus, a rebus abſtruſis noſtramque aciem facile fugientibus tenui perſæpe filo pendens: mos nonnunquam obſoletus opportune notatus, ſuoque loco admotus, multis ſimul aliis ſuam lucem & dignitatem reſtituet. An hoc præcipue præſtet quod jam proferam exemplum, non auſim quidem dicere; oſtendet forſan Hebræorum in formandis imaginibus poeticis uſum, & in applicandis accurationem & conſtantiam.

Poetis fere omnibus id ſæpenumero uſu venit, ut vel occaſione inducti, vel neceſſitate prope coacti, in eum locum incidant, in quo multo cum ornatu & amplificatione, utpote in re gravi magnaque, deſcribendi ſunt inferi, ſive vita functorum ſtatus; hoc eſt, id clare explicandum, quod quale ſit, nemini mortalium conceſſum eſt omnino mente percipere, aut conjectura conſequi. Itaque Græci, promto fertilique ingenio, & ad fabulas adornandas nati, pulchram nacti occaſionem, inferos plane poeticos ac ſuos commenti ſunt; eo quidem monſtrorum apparatu inſtructos, ut nemo vel e populo tam excors eſſet, cui non riſum moverent tot deliramenta (23). Quid vero vates Hebræi? quibus non eadem fingendi licentia, & quanquam perſuaſiſſimum erat animos non interire & corpora etiam in vitam eſſe reditura, eadem tamen de præſenti mortuorum ſtatu & conditione ignoratio? Nimirum idem hoc in loco feciſſe videntur quod in cæteris omnibus: nam quæ palam & in aperto eſſent vulgoque conſtarent de mortuis, hoc eſt, de mortuorum cadaveribus, ex iis generalem quandam imaginem confecerunt, quam in deſcribendo vita functorum ſtatu unice & conſtanter uſurpant; quamque, ſi modo fas ſit, appellare poſſumus Hebræorum infernum poeticum. שאול ipſi vocant; Græci ᾅδην; Latini infernum, ſive etiam ſepulchrum; neque ſane aliunde ſumpta eſt Hebræis tota hæc imago, quam de more rituque ſepulturæ apud ipſos recepti; qui ejuſmodi erat, ut materiem præberet ornatui poetico ſatis accomodatam. Hebræorum enim ſepulchra, ſaltem honeſtiora, quæque familiis principibus patria erant ac gentilitia, ſpeluncæ * erant amplæ, ſub terram, ex nativa rupe, arte manuque excavatæ; laqueare teſtudinato; quædam tam ſpatioſæ, ut columnis ſuffulcirentur; ad latera circumquaque excidebantur cellæ recipiendis Sarcophagis; ii ſculptili opere apte ornati erant, ſingulique ſingulis cellis condebantur: nullam omnino lucem admittebat ſpecus, quippe anguſto aditu, quique advoluto ſaxo obſtruebatur. Multa hujuſmodi conditoria etiamnum in Judæa viſuntur; duo ** præ cæteris magni-

* 2. *Reg.* XXI. 13. Vatis alicujus reſponſum ab hiſtorico traditum.

* Vide *Gen.* XXIII. 2. *Reg.* XIII. 21. *Iſai.* XXII. 16. 2. *Paralip.* XVI. 14. *Joſ.* X. 27. *Thren.* III. 53. *Johan.* XI. 38. & Evangeliſtas de Chriſti ſepulchro.

** Horum ſepulchrorum deſcriptionem exhibent, *Serlio Architettura* Lib. III. *Villalpandus Apparat. Urbis* III. 16. *Maundrell. Itin.* pag. 76.

Joſephus ſæpius mentionem facit ſepulchri Davidis. Sepulchrum ipſum vocat ταφον vel μνημα; cameras, in quarum plures ſæpe diſtribuebatur, (ut in duas illud Abrahami *Gen.* XXIII. 9. ideo vocatum מערת המכפלה) οικος των εν τω μνηματι; cellas, θηκας. *Antiq.* VII. 15. XVI. 7. *Bell.* 1. 2. Memorantur a Strabone Lib. XVII. Regum Ægyptiorum conditoria, θηκαι εν σπηλαιοις λατομηται περι τετταρακοντα. Viſuntur adhuc Neapoli cryptæ ſepulchrales, quas *Catacumbas* vocant, opus quo nihil extat uſquam in eo genere grandius aut admirabilius. Mihi quidem videtur eſſe monumentum ultimæ antiquitatis, quod alios in uſus primo deſtinatum, ævo demum Chriſtiano

gnifica, quæ regum habentur ſepulchra, alterum in ipſis Hieroſolymis cellas habens viginti quatuor; alterum bis totidem continens, in urbis pomœrio.

Quod ſi eos locos omnes excutimus quibus ſacri vates inferos ornatu poetico deſcribunt, liquido niſi valde fallor apparebit, eos mentem in hujuſmodi ſepulchrorum imagine per omnia intentam & defixam habuiſſe. Quæ in ſenſus incurrebant, & oculis obverſabantur eorum omnium effigiem exprimebant oratione: nullam ibi animorum immortalium deſcriptionem, aut explicate admodum factam mentionem reperiemus; non eo quod permanere poſt mortem animos non crederent, quod doctis quibuſdam placuit; ſed quod nec ullam haberent ſatis claram eorum notionem & intelligentiam, unde ubi & quales eſſent explicarent, neque eam adepti eſſent ſermonis & argumentationis ſubtilitatem, ut de rebus abſtruſis & a ſenſu omnino remotis probabiliter dicere, & eruditam diſputationem ſuæ ignorantiæ prætendere poſſent. Qualis itaque ab animis a corpore ſejunctis vita viveretur, quis eorum locus, forma, conditio, Hebræi juxta cum cæteris mortalibus in ſumma ignoratione verſabantur. Neque eos hac in parte vel minimum ſacri codices adjuvere; haud quia hanc iis cognitionem invideret divina revelatio, ſed quia humanæ mentis conditio eam omnino non recipiat: quæ cum res a corpore & materia remotas contemplatur, propriarum notionum inopia cogitur ad improprias confugere, & corporeis incorporea quadantenus adumbrare. Cum itaque viderent corpora vita functa in terram cadere, eoque modo quo dictum eſt ſepulchro condi, percrebuit apud Hebræos, ut apud cæteros etiam, opinio quædam popularis, ſub terra reliquam vitam agi mortuorum; quam ut adſciſcerent vates ſacri etiam neceſſe erat, ſi modo de hac re omnino loqui & intelligi vellent.

Atque hinc plane eſt quod mortui toties dicuntur *deſcendere* * *in foveam*, *in inferiora terræ*, *ad portas lethi*, *ad ſaxa*, *ad latera*, *ad repagula cavernæ: hauſit eos* ** *avidis faucibus ſepulchrum*, *atque os iis occludit*, *decumbunt* *** *in Barathro*, *in loca vaſta*, *in voraginem*, *tenebraſque profundiſſimas demerſi*; *in terram caliginis*, *& umbram mortis*, *immanem*, *tetram*, *carentem ordine*; *& ubi pro luce veluti diradiatur caligo*.

Germanam hanc inferorum imaginem retinuerunt inter tot ſua commenta poetæ exteri: appoſite admodum & præclare vetus poeta tragicus **** altam Acherontis viam ait eſſe

Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus,
Maximis, ubi rigida conſtat craſſa caligo inferum.

Quam grandis autem & magnifica ab Hebræis vatibus ex hoc rerum apparatu ornatur ſcena, in quam heroes & tyranni defuncti prodeunt! Ponite vobis ob oculos cavernam ſepulchralem, ingentem, vaſtam, caliginoſam: ibi decumbunt ***** in ſuo quiſque pulvinari † gentium reges, armis juxta poſitis, ſubjecto cujuſque vertici gladio ††, circumjacentibuſque ſuorum

ſtiano condendis cadaveribus inſerviit. Eſt enim ejuſdem plane generis cum cæteris operibus ſubterraneis ejus regionis, quorum quidem multa crebris terræ motibus deleta ſunt, multa tamen plane ſtupenda hodie ſuperſunt; Cumis, Miſeni, Bajis, ad Averni lacum, & in monte Pauſilypi. Non dubito quin hæc omnia haud paulo præceſſerint Homeri tempora, qui in his regionibus locat Cimmerios illos in tenebris habitantes, Odyſſ. IX. ſub initio; uti & Ephorus, apud Strabonem Lib. V. eoſque ait, εν καταγειοις οικιαις οικειν, ας καλουσιν Αργιλλας, και δια τινων ορυγματων παρ' αλληλους φοιταν: quæ non eſſe ex omni parte fabuloſa hæc ipſa monumenta ſubterranea jam palam teſtantur. *Argillæ* autem vocabantur hæ ſpeluncæ ex natura ſoli in quo hujuſmodi cavernæ frequentius opinor fodiebantur. Αργιλλος, η σμηκτη γη, η λευκογειος. *Heſych.* unde collis in hac regione Leucogæus dictus, inter Puteolos & Neapolim; *Plin.* N. H. XVIII. XI. quanquam hæ omnes, quas dixi, ſpeluncæ ex ſolida ſunt tophi rupe, unde temporum injuriæ reſiſtere potuerunt. Hinc Argiletum, vici nomen Romæ, ex hujuſmodi Argillis quibuſdam ſumtum, quale erat haud ita longe ab eo vide Varronem *de Ling. Lat. Lib.* IV. Cæterum ex his Speluncis Cimmeriis Campaniæ Homerum primo, deinde Virgilium inferorum ſuorum imaginem duxiſſe manifeſtum eſt (24): & Virgilio, cum Caci Speluncam ab Hercule effractam deſcriberet, protinus obverſabatur inferni patefacti imago:

At ſpecus, & Caci detecta apparuit ingens.
Regia, & umbroſa penitus patuere cavernæ:
Non ſecus, ac ſi qua penitus vi terra dehiſcens
Infernas reſeret ſedes, & regna recludat
Pallida, Dis inviſa, ſuperque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immiſſo lumine manes.
Æn. VIII. 241.

* שחת, item בור, ſive באר, *Job.* XXXIII. 18. *Pſ.* XXVIII. 1. & paſſim. ארץ תחתית, vel ארץ תחתיות, *Ezek.* XXXI. 14. XXXII. 18. & *Pſ.* paſſim. שערי שאול, *Iſai.* XXXVIII. 10. שערי מות, *Job.* XXXVIII. 17. *Pſ.* IX. 14. אבני בור, *Iſai.* XIV. 19. ירכתי בור, *Iſai.* 15. *Ezek.* XXXII. 23. ברי שאול, *Job.* XVII. 16.

** פי שאול, *Pſ.* CXLI. 7. פי באר, *Pſ.* LXIX. 16. & vide *Iſai.* V. 14.

*** מצולה, *Pſ.* LXIX. 16. LXXXVIII. 7. חרבות, *Job.* III. 14. *Iſai.* LIX. 10. *Ezec.* XXVI. 20.

ארץ עפתה כמו אפל
צלמות ולא סדרים
ותפע כמו אפל.
Job. X. 21. 22.

**** Apud *Ciceronem Tuſc. Quæſt.* I.

***** *Iſai.* XIV. 9. 18. *Ezek.* XXXII. 19. 21. &c.

† משכב *Iſai.* LVII. 2. *Ezek.* XXXII. 25. Ita appellatur η θηκη, cella quæ ſarcophagum recipit.

†† *Ezek.* XXXII. 27. vide 1. *Maccab.* XIII. 29.

rum ſarcophagis *. Ecce vero inducitur rex Babylonius! ſoliis omnes protinus deſurgunt, obviam procedunt, & venientem excipiunt: *Tene ergo ad nos deductum conſpicimus? Te noſtri ſimilem? Te ſucciſum & caſſum viribus, o gentium debellator?* — Sed manum abſtineo: iſthæc enim, non dico mei, ſed ne humani quidem ingenii eſſe arbitror pro dignitate exponere. Libentius meliuſque ipſi videbitis, Academici, in Iſraelitarum carmine triumphali *, quod Babylonii regis funeri præcinuit, omnium qui unquam fuerunt poetarum elegantia & ſublimitate longe princeps, Iſaias. Eandem etiam ſcenam cum eodem adjunctorum apparatu egregie inſtruxit Ezekiel **, in ultimo vaticinio de occaſu Pharaonis; inſigni illius δεινωσεως exemplo, quæ hujus vatis propria merito habetur (25).

* *Ezek.* XXXII. 22. 23. 24.

* *Iſai.* XIV. 4. — 27.
** *Ezek.* XXXII. 18. — 32.

NOTÆ EDITORIS.

(23) Vereor, ne Græcis paullo iniquior hic ſit, multum illis debens Noſter. Inferorum regnum, quod Græci habent, ab Ægyptiis fortaſſe acceptum, ex eodem fonte promanavit, animis ſede data ſub terra, quia corpora ſepulcro condebantur. Nec negari poteſt, ſocietatem aliquam, conſortium, colloquia, civitatem etiam inferorum Hebræos fingere, quæ ſine dubio fabula eſt: licet neminem ex illorum poetis habeamus, qui iter ſubterraneum ſingulari libro deſcribens fictionem tanquam perficiat, audeatque,

Pandere res alta terra & caligine merſas.

Habent præterea & ſuas beatorum inſulas, & Stygem, de quibus infra poſt prælectionem nonam dicendi locus erit. Nec dedecet poetam fabula; licet non vera ſecundum literam, multum tamen a mendacio diſtans. Quin video Hebræos hac fabula de republica umbrarum (Reich der Todten vulgari etiam nomine Germani dicimus) magis aliquando quam Latinos Græcoſque abuti: quippe ad inferos non humanas modo umbras deſcendere fingunt, ſed & arborum, & regnorum: Jeſ. XIV. 9. 20. *Ezech.* XXXI. 14. 16. 17. 18. XXXII. tot. (ubi non omnes qui quacunque morte occiderunt, ſed deletarum gentium exercitus, deſcendere ad inferos, ipſamque ſecum rempublicam Orco inferre finguntur.) Quod ita uſu invaluit, ut & in proſam orationem tranſiret, Chriſtuſque æternitatem eccleſiæ promittens, portas, ſeu regnum inferorum non eam debellaturum dicat Matth. XVI. 18. Nempe poetarum veſtigiis inſiſtentes, ut apud Græcos, ita in Judæis theologiæ interpretes, mythologiam aliquam habent de aula, (portam dicunt Orientales,) inferorum, Orcique tyranno Sammiele: hactenus non accuſandi, niſi deinceps eo prolapſi eſſent, ut improprie dicta & μυθολογούμενα proprio ſenſu acciperent: unde eadem tandem apud illos theologiæ corruptio, quæ apud Græcos, non poetis imputanda, ſed nimium ſanis eorum lectoribus.

Quod autem ait noſter, *eo monſtrorum apparatu Græciam fabulas ſuas de inferis inſtruxiſſe, ut nemo vel e populo tam eſſet excors, cui non riſum moverent tot deliramenta;* fateor, ſi quis mythologica proprio ſenſu accepta credebat, vel populo eum riſum debuiſſe. At non exiſtimo, ipſum Lowthum, pro eo quem habet pulchri poematis ſenſu, ridere Homerum, Virgiliumque, cum fabuloſa eorum de inferis una ſerie legit. Rideri queunt pleraque poetica, ſine illo furore lecta, quo non indocta pectora carmen afficit: nec poſſet non inſanus videri poeta, ſi fictionibus omnibus & figuris ſervatis in propoſitiones logicas reſecaretur.

Hoc tamen uno diſtant ab Hebræis Græci, quod hi duplicem fabulam, de ſubterranea mortuorum ſede, deque beatorum inſulis conjungunt, habentque ante Orcum Stygia flumina: contra illi utramque ſejungunt, & ultra mare ingens, mortuis enavigandum, non infera regna, ſed inſulas habent, ſive beatas piorum, ſive ſteriles, ardentique ſole uſtas, impiorum exſilia.

(24) Egregie monitum, & ad rem Hebraicam aptiſſime. Habet enim Palæſtina & vicina Arabia ingentes cavernas, Cimmeriis etiam celebriores, in quibus magni olim populi habitarunt, ipſique adeo Phœnices, qui teſte Herodoto ex Idumæa in Palæſtinam migrarunt. Quod argumentum uberius tractavi, & חרום *Troglodytas* Idumææ, quibus connubiis conjunctus Eſavus eſt, Cananitas fuiſſe, ipſo Moſe teſte, quem alii Herodoto non intellectum opponunt, perficere ſtudui, in *commentatione de Troglodytis Seiritis, & Themudæis*, quam anno 1756. ſocietati Regiæ Scientiarum recitavi. Monui inter alia, quod huc transferre liceat, inter gigantes numeratos Anacæos, בני ענק, non Anaci cujuſdam poſteros, ſed ex etymo Arabico *filios ſpecuum*, id vero eſt, habitatores ſpecuum, ſeu Troglodytas dictos videri. Jam notemus gigantum & umbrarum apud Hebræos tanquam cognationem. Nempe cum a celebriore aliqua gigantum gente omnes in univerſum gigantes רפאים dicerentur, accidit, ut idem nomen & in inferis umbriſque hæſerit: forte (alia certe apta etymologia non ſuppetit) quod deleta Troglodytarum & Anacæorum gente, cavernæ ab illis olim habitatæ Ditis aliqua domus haberi cœperunt, prorſus ut apud Homerum Virgiliumque Cimmeriorum receſſus. Circa ipſum etiam illud Abrahami in caverna ſepulcrum, filii Anac, ſeu Troglodytæ a Moſe memorantur.

(25) Commemorandæ hoc loco & illæ imagines videntur, quas a vitiis hominum petitas ad res non turpes ſolum, ſed & laudabiles & honeſtiſſimas Hebræi transferunt: quo in genere multo frequentius & audacius noſtris poetis ebrietatis & impurorum amorum pleniore pictura uti ſolent. Jam enim, quod & noſtri audent, gladium ſanguine ebrium ferocius & impotentius debacchari canunt, Deuter. XXXII. 42. Jeſ. XXXIV. 5. *6.* jam civili ſanguine, novam ſitim provocaturo, cives, hoſtili victores, inebriari fingunt Jeſ. XXXXIX. *26.* LXIII. *6.* ipſumque adeo Deum bellatori ebrio pulcherrime comparant, Pſal. LXXVIII. *65.* jam terram ipſam moventem ebrio nutanti, Jeſ. XXIV. 20. Nunquam tamen audacius hac utuntur ſimilitudine, ejuſque picturam tanquam abſolvunt, quam in majoris ſtultitiæ, aut miſeriæ, quæ de ſtatu mentis & conſilii deturbat, deſcriptione. Exempli loco expendi merentur, Jeſ. XXVIII. 1. 7. 8. 11. LI. 17. 23. In altero loco, inſaniam Judæorum in explicanda lege deſcripturus, concilio ebriorum antiſtites hujus ſapientiæ poeta comparat, ipſam etiam ebriorum battologiam & inanem repetitionem earundem ſententiarum, imitatus, fingenſque, Deum, quo acerbius ebrietati eorum illudat, ignota illis lingua reſpondere. In capite LI. Sionem, (eccleſiam Chriſtianam, ut puto, a Romanis imperatoribus vexatam ac prope funditus everſam) ſub imagine feminæ venuſtioris formæ proponit, a marito repudiatæ. Hanc fingit a malevolis & petulantibus ad ſummum uſque ſtuporem inebriari, cogi ut interiora etiam poculi lambat, ne quid pereat vini, mortuæ deinde quam vivæ ſimiliorem in platea relinqui, proculcandam ab omnibus, filios etiam, a quibus & domum duci & aqua recreari debeat, ebrios in platea jacere.

Sic ergo jacentem, sed jam surrecturam, jam ornandam alloquitur:

Evigila, evigila, surge Hierosolyma,
Quæ bibisti ex manu Jehovæ poculum ejus æstuans,
Quæ interiora poculi inebriantis bibisti, exsuxisti.
Nemo illam aqua recreabat ex omnibus filiis quos pepererat:
Nemo manu ducebat, ex omnibus filiis, quos educaverat:
Hæc tibi duo evenere: quis tibi indoluit? -- --
Filii tui mentis expertes jacebant in omnibus plateis, ut oryx irretitus.
Pleni æstu Jehovæ, ira Dei tui.

Addit deinde vocem hostium, qui *cadaveri ejus* dixerint: *effunditor humi, ut transeamus: substerne pro terra tergum tuum, utque plateam transituris.* Turpiora etiam ludibria fingere ausus Habacucus, c. II. 15. 16. imitator plerumque Jesaiæ, sed ita, ut novus & suus esse videatur. Gentes a Babyloniis victas inebriatis comparat, eadem passis, quæ ab Attalo Pausanias, mero solutus, & Attali primum, deinde & convivarum libidini subjectus. (Verba sunt Justini l. IX. c. 6.).

Væ bibere cogenti alios,
Ingurgitanti ad ebrietatem,
Ut intuearis pudenda illorum.
Satiatus es honestorum ludibrio:
Bibe & tu, & admitte præputium, (i. e. constuprator)
Transeat ad te poculum dextra Jehovæ,
Et vomitus turpis, pro gloria tua.

Nempe, quod secundum est, turpissimos amores plene, & vivide, & propriis verbis describere, lectorisque animum fastidio turpitudinum & horrore adficere solent, cum a re Venerea similitudines petunt; quod plerumque accidit in accusanda vana idolorum religione. Hanc enim prosa etiam oratione adulterio comparant: at poetæ cum in hanc imaginem incidunt, omni lupanaris horrore fœdam & abominabilem tabulam implent: in quo ut in aliis fœdis picturis, ipse quem inde persentiscimus horror pulcritudinis est & artis. Omnia ergo illuc congerunt quæ de prostibulo vilissimo, frontis ferreæ, furentisque uteri dici possunt, ut: in alto monte, aut in foro, meretricem præmortui pudoris lectum sibi sternere, solito latiorem, nempe ut plures in eo amasii, alter alteri successuri, cubare turpissime possint; ubicunque locum videat in quo jacere queat, nihil nisi de concubitu cogitare vel in publico admittendo, multo aromate perfusam ipsam appetere mares, explorare in his pudendorum modum, majora semper desiderantem, nec unquam satiatam; ad imagines juvenum pulcrorum in parietibus expressas, obstupescere, ingemiscere, admirari horum juvenum scorta, suamque illis felicitatem invidere; jam furentis Veneris errore ligno & lapidi constuprandum admovere corpus, jam quos in pariete viderat missis in dissitas regiones legatis in amplexus suos solicitare, nec ob formæ solum elegantiam, sed quod audiat, caballorum illos & asinorum in concubitu similes esse, feminisque multitudine satiare languentem desiderio meretricem posse. Nec verbis pudor aut modus, sed leguntur exquisite turpia, non illa quidem solicitatura lectorem, sed horrore eum perstrictura. Exempli loco esse possunt *Jes.* LVII. 7. 8. 9. *Jerem.* II. Ezech. XVI. XXIII. multo etiam in Hebraicis tetriora quam in versionibus. Meum non est, illa explicare: ut tamen a linguæ Hebraicæ secundum lexica & commentarios peritis intelligi possit, quo digitum intendam, verba plerisque non intellecta quid mihi significare videantur monebo. אמל *Ezech.* XVI. 30. Arabibus est, *spe & desiderio coqui*. נדן *vagina*, quam omnibus gratis dedisse meretrix dicitur v. 33. ipsum illud membrum, quo peccant meretrices, turpiuscule dicitur. Meretrix שלטת v. 30. ex Arabismo est clamans & impudens meretrix, non nutu, sed publico in plateis clamore viros solicitans, quales in magnis urbibus nonnunquam inveniuntur. עשה *Ez* XXIII. 3. proprie ex Arabismo est, *tegere*, deinde & ad rem Veneream transfertur. עגב, eodem Arabismo indice, non tam est amare, quam obstupescere: unde intelligetur, quomodo obstupescere & admirari pellices Ægyptiorum, quas rivales minime amabunt, dici possint Israeliticæ meretrices *Ez.* XXIII. 20. In exsiliis etiam gentium, satisque imperiorum describendis, jam exsules fœminas turpiter nudant poetæ Hebræi, jam rempublicam fœminæ comparant prostitutæ, omniumque oculis expositæ. *Jes.* XXIII. 10. XLVII. 2. 3. &c.

Hac licentia nihil magis abhorret a nostri carminis pudore, nec ferrent nostræ aures poetam, vernaculo sermone tam proprie turpia canentem, scenamque horrendam ipsis adeo oculis subjicientem. Ne in amatorio quidem carmine deceret, tam nude ea spectanda præberi, quæ quo tectiora sunt, eo plus gratiæ & illecebrarum habent: nec Germanici carminis ejusmodi, quale est canticum canticorum, autor aut esse, aut haberi velim. Non moribus fraudi esse illam dicendi licentiam arbitror: certe non magis, quam apud nos nudatos feminarum vultus, & apud gentes quasdam feras, totum pene corpus nudum: Occallescunt enim ut oculi ita aures, diuturna consuetudine: libidine etiam plus accenditur male velando, quam prorsus nudando. At placere non posset poeta, rusticus haberetur, & de fæce plebis, qui apud nos res Venereas, quales sunt, ea oratione exponeret: nec nocere putaretur, sed facere non decentia. Non ergo, si nobis hac parte displicent Hebræorum poetæ, damnandi, nec morum præceptis objurgandi, sed tenendum, aliud apud alios decorum esse: nec magis dedecere poetam in Oriente, omnes lupanaris horrores promere, & soli tanquam ostendere, quam nostros, si idem in homicidio, aliave vi injusta audeant. Caussa autem subesse hæc videtur. Apud nos libera utriusque sexus colloquia & consuetudo faciunt, ut in omni sermone cavendum sit, ne quid audiatur, quod virginum ruborem provocare possit: quarum aures lædere non tam lasciviæ est, quam rusticitatis. Cui pudori, in utriusque sexus cœtibus necessario, ita a teneris adsuescimus, ut viri etiam cum viris colloquentes virgines videri Orientalibus possimus; orationem autem metro adstrictam, quæ omnium maxime comta & ornata est, prorsus virginalis deceat verecundia. Hæc in Oriente alia sunt omnia. Viri viris consuescunt, nec cum fœminis colloquuntur familiarius, nisi uxores eorum sint, ancillæ aut meretrices: fœminæ porro cum fœminis, ne in vestibus quidem domi pudoris aliquem modum servantes, sed, ut ait Shawius, in sua gynæconitide Silenorum satis similes. Hinc major verborum licentia: Arabesque, teste Arvioso (T. III. c. 11. p. 195.) non pudet, quidquam rei naturalis proprio verbo indicare. In libris Arabum; eadem stili libertas: & carmina, licet nonnunquam boni pictoris arte aliquid celent, ut investigetur curiosius, multa tamen dicere audent, de multis gloriari, quæ nostri poetæ furtim prodita solis lectorum suspicionibus permitterent.

PRÆ-

PRÆLECTIO OCTAVA:

DE IMAGINIBUS EX REBUS SACRIS.

DE imaginibus poeticis, quæ Hebræis vatibus maxime frequentantur; eo præcipue consilio, Academici, instituta nobis est disputatio, ut facilius ab isto errore cavere possemus, qui eorum scripta tanto rerum temporumque intervallo legentibus solet illudere; cum quæ apud ipsos Hebræos vel maxime clara vereque magnifica erant, ea jam nobis vel obscura vel etiam sordida nonnunquam videantur. Quod si in rerum naturalium & communis vitæ imaginibus, (de quibus proxime disserui,) ea adhibenda erat cautio, in eis profecto quæ a rebus sacris desumuntur, multo etiam magis erit necessaria: nam quæ ab universæ naturæ specie, vel communis vitæ consuetudine, Hebræi depromserunt, eorum etsi multa essent ipsis propria, pleraque tamen sibi juxta cum cæteris hominibus familiaria habuerunt; quæ vero ex patriis religionibus ac cæremoniis transtulerunt, ea plane sua erant, quorum nec usus, neque etiam cognitio multum cum reliquis mortalibus communicaretur. Quam ob causam cum hic locus, quem jam tractamus, multa & magna præ cæteris hujusmodi incommoda & offensiones habere videatur, erit ut opinor operæ pretium eum diligenter excutere; ut poesi Hebrææ sua jam aliquantum in ea parte constet majestas, qua olim vel maxime videtur eminuisse.

Latissime patebat Hebræorum religio; ea continebatur non tantum Dei cultus, sed reip. etiam administratio, sanctiones legum, judiciorum consuetudines, ac omnis fere vitæ civilis & quotidianæ ratio. Vix quidquam apud eos profanum, & ab sacris omnino remotum: quæ cæteris hominibus minimo in honore & æstimatione feruntur, apud eos divinis legibus erant sancita, arctissimamque habebant cum rebus gravissimis & sacratissimis cæremoniis necessitudinem. Hæc sunt in causa, primum quod in poesi Hebræa plurimæ occurrunt a rebus sacris traductæ metaphoræ; deinde quod in earum multis diligenti opus erit observatione, ne is ipse, quem cum sacris habent, nexus & conjunctio penitus lateat. Id si fiat, si quæ divina sunt pro communibus habeamus, si sancta & augusta in vulgaribus sordidisque numeremus; incredibile est, quantum de verborum pondere deque sensuum vi & majestate detrahetur. Etenim nihil in rerum natura æque comparatum est ad sublimitatem, ac conceptus ex Adyto depromti; ita animum humanum subita percellit admiratio, cum ei obversatur augusta religionis species; ita nos in his rebus

> —— *quædam divina voluptas*
> *Percipit, atque horror.*

Accedit itaque, Hebrææ poeseos majestatem ex eo etiam plurimum jam imminui, non modo quod sæpe nos fugiat imaginum cum sacris connexio, sed quod cum ea vel maxime apparet, apud nos tamen vix ullam partem obtineat ejus vis atque impetus, quo Hebræorum animos penitus invasit perculitque. Universa rituum Hebraicorum comprehensio grandis quædam est & multiplex allegoria, cujus ad meditationem & observantiam omnis diligentia, omnis animorum attentio iis, quibus ea sacra colebantur, dies noctesque erat dirigenda. In eo itaque opere & studio boni omnes & cordati mentem habebant defixam; hoc erat eorum negotium, hoc otium; in his omnes eorum spes opesque erant sitæ; in his omnes curæ cogitationesque evigilabant, summaque cum sanctitate & reverentia versabantur. Magna præterea his rebus accessit dignitas ex ipso sacrorum splendore & magnificentia; cujus incredibilis vis erat apud eorum animos, quorum oculis perpetuo obversarentur: in his inerat tanta majestatis species, præsertim post extructum Salomonis templum, quantam, etsi omnem eorum rationem in ipsorum monumentis accuratissime descriptam habemus, minime tamen possumus cogitando consequi. Quæ itaque in hac parte Hebræi vates apud suos præcipue vim habere summeque pollere experti sunt, ea sæpe apud nos jacent sordentque; cum quæ illi maximi faciebant quibusque unice studebant, ex eis nos multa vel parum æstimamus, vel minus intelligimus.

Horum quæ dixi exempla quædam subnectam, vel locos potius quosdam, unde bona exemplorum copia peti possit.

Plurimum occupantur Hebræorum leges in rebus mundis immundisque discriminandis; in rebus turpibus, pollutis, nefastis

fastis amovendis expiandisque; quibus cæremoniis, quasi involucris & velis quibusdam, sensus gravissimos sanctissimosque obtendi, eo ipso satis liqueret, si non aliunde esset aperte & explicate traditum. In his locum habent morbi quidam, atque infirmitates corporis, habitusque etiam in se quidem plane ἀδιάφοροι: hæc occurrenti fortasse levia videntur, exploranti magna apparent. Quapropter minime est mirandum vates sacros hasce imagines in exponendis rebus gravissimis adhibere: cum vel * mentis humanæ depravatæ penitus & contaminatæ labem denudant, vel ** corruptos suorum mores exprobrant, vel *** virginis Sionis filiæ spoliatæ ac nudatæ miseram, abjectam, & contemtissimam sortem lamentantur: quæ si in se spectantur plane deformes atque odiosæ habendæ sunt; si ad veram originem & ad sua sacra referuntur, nec pondere carebunt, neque etiam dignitate. Ex hoc videntur esse genere, vel hujus saltem generis analogiam servare, ea quæ vates regius, qui in divinis carminibus personam sua ipsius longe augustiorem plerumque sustinet, miseriarum affectuumque ardentissimorum plenissima effundit; cum **** omnibus se plagis pestibusque profligatum & confectum queritur, gravissimoque peccatorum onere penitus depressum, cui humana natura omnino sit impar ferendo. Quibus in locis, quæsiverunt nonnulli, Hebrææ poeseos genium vix satis attente perpendentes, quonam morbi genere vates tum laboraret; haud minus absurde, ut mihi quidem videtur, ac si quæstionem intulissent de ejus fluminis situ & nomine, in quo idem esset submersus, cum magnis aquarum fluctibus se obrutum diceret.

Porro ut multa sunt in hoc genere, in quibus vates sacri simili defensione egere videntur, ita sunt fortasse plura, quæ etsi in se satis pulchra sunt & elegantia; multo tamen elatiora apparebunt, si ex iis sacris unde duxerunt originem illustrantur, & tanquam tabulæ bene pictæ in bono lumine collocantur. Quam in rem exempla abunde depromi possunt ex uno loco, ex pretiosa nimirum & magnifica vestium sacerdotalium supellectile Hebræorum sacerdotum, ac præsertim pontificis maximi, solennibus vestimentis induti, is erat ornatus, ea magnificentia, ita ad decorem & gloriam, ***** ut Moses loquitur, compo-

* *Is.* I. XIV. 6.
** *Is.* I. 5. 6. 16. *Ezek.* XXXVI. 17.
*** *Thren.* I. 8. 9. 17. & II. 2.
**** Vid. *Ps.* XXXVIII.
***** *Exod.* XXVIII. 2.

sita species, ut apud eos, quorum in animis cum tanto splendore conjuncta erat sanctitatis opinio, nihil omnino augustius cogitari potuerit. Hac itaque imagine utuntur Hebræi in signanda notione eximii decoris, aut perfecta supremæ majestatis forma exprimenda. Hanc ipsam egregie imprimis exhibuit, & clarissime illuminavit elegantissimus Isaias: * Ecclesiæ instauratæ exultationem & gloriam suo more, hoc est magnificentissime, describens, inducit eam salutis vestibus ornatam, & justitiæ indutam chlamyde, cum sponso deinde ad nuptias ornato confert, cui comparationi incredibilem majestatem intulit, una voce יכהן, metaphora ex sacerdotis insignibus aperte petita, quam lingua Latina nullo modo exprimi aut adumbrari posse arbitror. Enimvero nihil aliud sanctius & augustius cogitatione adsequi potuerunt vates sacri, quo immensam Dei ipsius majestatem, quantum humano conceptui fas erat, digne exprimerent; inducunt itaque Jehovam *indutum gloria* **, *magnificentia vestium*, *accinctum* *** *robore*; vocibus utentes in sacerdotum ornatu & ministerio solennibus.

Atque hæc quidem satis forsan in aperto & propatulo esse videantur: sunt autem in hoc genere, ni fallor, multa quorum magis recondita & elegantia. In hymno perfectissimo, quo cum numinis ubique præsentis immensitas, tum divini opificis in humano corpore fabricando admirabilis solertia celebratur, utitur vates insigni metaphora ducta ex subtilissimo operis Phrygionici artificio:

אשר עשיתי בסתר
רקמתי בתחתיות ארץ

Cum formatus essem in occulto,
Acupictus essem in penetrabilibus terræ. ****

Hanc qui animadvertit, (vix autem is omnino videbit, qui tantum consulit versiones,) simulque cogitat mirificam humani corporis compositionem; venarum, arteriarum, fibrarum, membranarum variam implicationem, totiusque fabricæ *non enarrabile textum*; is aptissime quidem translationis pulchritudinem & venustatem continuo intelliget: ejusdem vero vim omnem & dignitatem parum assequetur, nisi id quoque attendat, acupingendi artificium apud Hebræos dicatum Sanctuario, usumque hujus operis pro-

* *Isai.* LXI. 10.
** *Is.* XCIII. 1.
*** *Ps.* LXV. 7.
**** *Ps.* CXXXIX. 15.

proprium & singularem ex legis divinæ præscripto adhibitum fuisse * in quadam vestis sacerdotalis parte, & in portarum tabernaculi aulæis; ita ut existimetur vates divini artificis solertiam cum eo præcipue humanæ artis specimine contulisse, cujus esset summa ex religione dignitas, tamque exquisita operis elegantia **, ut illud sacræ etiam literæ divino instinctui tribuere videantur. (26)

Unum præterea locum indicabo, qui multa, ni fallor, hujus rei insignia in se exempla continet. Notissimum est carmen, omniumque admiratione celebratum, quo Dei in universo hoc mundo adornando consilium & sapientia laudatur; Psalmorum numeratur centesimus quartus: magnificum est in primis exordium, quo depingitur Dei majestas, quatenus eam ex rerum naturæ admirabili constitutione investigare animoque complecti possumus. Quo in loco cum imaginibus translatis uti plerumque necesse esset, eas potissimum adhibuit vates, quæ Hebræis augustissimæ tantoque argumento dignissimæ haberi possent: nam omnes, ut mihi quidem videtur, ex tabernaculo sunt desumtæ. Locus ipse ad verbum exprimendus est, breviterque explicandus.

Dei magnitudinem primo vocibus propriis exponit; deinde translatis utitur:

הוד והדר לבשת

Majestatem & gloriam induisti:

לבשת, vox in sacerdotum amictu solennis (27).

עטה אור כשלמה

Operiens se lumine tamquam vestimento:

Designatur sub eadem notione manifestum divinæ præsentiæ symbolum, lux in Adyto conspicua (28); & ab hoc exemplo singulari ad ineffabilem Dei gloriam generatim & universe exprimendam imago educitur.

נוטה שמים כיריעה

Extendens cœlos tanquam cortinam:

יריעה, ipsum vocabulum quo tabernaculi aulæa illa, quibus superne & circumquaque integebatur, semper appellantur (29). Huc allusum esse viderunt septuaginta interpretes, cum reddiderint ὡσεὶ δέῤῥιν *; unde vulgatus, *sicut pellem*.

המקרה במים עליותיו

Contignans in aquis sua cœnacula.

Exprimit vates mirabilem aeris naturam, ex variis fluxisque elementis in unam continuam stabilemque seriem apte & ornate constructam, per metaphoram petitam ex singulari tabernaculi compage; quod ex pluribus partibus diversis, & ubi opus erat facile separandis, constans, perpetua omnium inter se junctura & contignatione continebatur (30). Pergit vates.

השם עבים רכובו
המהלך על כנפי רוח

Faciens nubes currum suum;
Incedens super alas venti:

Expresserat prius imaginem divinæ majestatis, qualis in adyto residebat, per involucrum quoddam splendidissimæ lucis conspicienda: eandem nunc designat ex eo quod exhibebat sui spectaculo, quum una cum arca se moveret, nubi circumfusæ insidens, & superne per aerem vecta (31). Illa divinæ præsentiæ sedes etiam ab historicis sacris quasi proprio nomine המרכבה **, hoc est, currus vocatur.

עשה מלאכיו רוחות
משרתיו אש להט

Faciens, ut venti sint angeli sui,
Ut ignis ardens sit sibi ministrorum loco:

Describuntur elementa in exequendis Dei mandatis promta & expedita, quasi angeli, aut ministri tabernaculo (32) deservientes: משרתיו, vox in sacro ministerio usitatissima.

יסד ארץ על מכוניה

Fundavit terram super bases suas:

Hoc quoque ex eodem aperte petitum. Addit vates,

בל תמוט עולם ועד

Ne dilabatur in ævum & seculum:

hoc est, *per tempus occulto Dei consilio constitutum*. Ut erat eadem in hac parte utrius-

* *Exod.* XXVIII. 39. XXVI. 36. XXVII. 16. Confer *Ezek.* XVI. 10. 13. 18.
** Vid. *Exod.* XXXV. 30.—35.

* Confer *Exod.* XXVI. 7. &c. apud LXX. *Intt.*
** 1. *Paralip.* XXVIII. 18.

utriusque conditio, ita vicissim sanctuarii stabilitas iisdem pœne verbis cum terræ firmitate alibi * comparatur (33).

Subtilius hæc forsan minutiusque exposui, Academici, quam aut hujus loci consuetudo, aut mei consilii ratio fert: verum ita faciendum erat, ut quod vellem satis intelligeretur; utque appareret, vix quidem fieri posse, ut ulla interpretatio germanos sacrorum vatum sensus plane representet, tenuemque eam quæ plerumque obtinet imaginum cum Hebræorum rebus connexionem ullo modo exprimat. Pendet hoc ex ipsis vocabulis, & persæpe ex consuetudine quadam ac veluti familiaritate quam certæ voces cum certis rebus contraxerunt; quamque semper tegit, frequenter discendit interpretatio. Hoc itaque non est ab ullius vel accuratissimæ versionis fide postulandum; multo minus de poesi sacrorum carminum interprete, seu potius imitatrice, sperandum, quandam in ea multi non sine laude versati sunt. Ipsi sunt fontes adeundi, qui proprium etiam ac suum quendam saporem habent, cum nullis inde deductis rivulis communicandum (34).

* *Ps.* LXXVIII. 69.

NOTÆ EDITORIS.

(26) Hic ego quidem non video, quid ad corporis humani inenarrabile textum faciat acupictura in vestibus sacerdotis, aulæisque tabernaculi. Nec enim illa ars sacris propria, sed latissime ejus usus apud Hebræos patuit: nec quidquam ex sacris lucis aut decoris accipit, quod maxime mirificum habet poeta: *in penetralibus terræ*.

(27) Vereor, ut pleræque allusiones ad res sacras, quas in hoc psalmo invenire sibi visus est noster, locum tueri possint. Induuntur quidem sacerdotes, ut alii: sed nec verbum לבש *indui* illis proprium, sed commune omnibus: nec Deus in imagine sanctuarii ad cœlum translata sacerdoti bene comparabitur, sanctuarii ministro.

(28) Nescio, cuinam hanc lucem in adyto visam crediderit noster. Judæi quidem, qui multa de Schechina habent, testes esse nequeunt hujus spectaculi, quod multis ante se natos seculis disparuisse, nec in templo secundo visum esse, ipsi fatentur: quis enim illis verisimilitudinum legibus adsuetus, quas & boni logici tradunt, & historici sequuntur, in re tam antiqua tam audiat novos tam mendaces testes, maxime si ipsi fateantur, non se ex libris habere, quæ tradant, sed ex narrationibus majorum, quas eundo crescere nemo ignorat. Nec hos credo sequutum nostrum, sed locum Levit. XVI. 2. quem tamen non de Schechina miraculosa intelligendum esse, sed de nube suffimenti, sedem Dei obumbrante, ne vel vacua sedes mortalibus oculis usurparetur, ex v. 13. ejusdem capitis ante hos quinque annos Clarissimus Thalemannus docuit; *nubem super area fœderis Judaicum figmentum videri* disputans: (Lipsiæ 1752.) cui tamen non eo usque assentior, ut cum eo credam, nunquam, ne inaugurationis quidem die, nubem diviniorem Cherubis incubuisse. Nisi ergo sufficiat phrasis psalmi, Deum fulgentissimum semper ipsamque lucem habitum esse, malim eam repetere ex creationis historia, primoque Dei opere, quo se spectandum mortalibus dedit. Favent meæ conjecturæ, quæ statim de creatione cœli terræque divinus vates subnectit. Sensus erit: *ipse quidem tanquam velo involutus lates: at hoc tuum velum, quod solum spectandum nobis dedisti, lux est, prima omnium ex antiqua illa nocte erumpens, fulgentioremque lucem & accedi nesciam obvelans*.

(29) Non video, cur tabernaculo potius Mosaico, quam cuivis tentorio augustiori, cui & sua erant aulæa, cœlum his verbis comparetur.

(30) Nimis hoc late patet: quod si valet, eodem jure omnibus ædificiis, utpote quorum est, contignari, quin rebus compositis omnibus, comparari aeris naturam dixeris. Mihi certum est, ad tabernaculum conventus hic non alludi, quippe cui nullum erat עליה, cœnaculum: sed ad domos Hebræorum, supra quas cænaculum, a reliquis ædibus secretum, & secessibus destinatum, eminebat, dilucide a Shawio descriptum. Sic & Deo sua sunt cœnacula, sui secreti a mortalibus secessus, aqua, glacie, nubibus, grandine, contabulata. Arabibus etiam supremum cœlum, sedes beatorum, tanquam propria poetis voce غرفة *cœnaculum* dicitur. Vide Sur. XXXIV. 36.

(31) Alluditur potius ad volucrem Dei tonantis currum, tonantesque equos, quorum imago Cherubi in arca fœderis erant. Sed de hac fabulosa imagine vide, quæ prælectioni nonæ subjiciam.

(32) Neque hic tabernaculo quidquam debetur. *Ministri* sunt, qui supra angeli. Reliqua egregie dicta. Non enim de angelis loquitur vates, sed de ventis & fulminibus, imperata facientibus.

(33) Exilis profecto imago, si terræ stabilitas comparetur tabernaculi portatilis, illoque tempore vetustate jam laborantis, æternitati: magnum contra, & vate dignum, tabernaculum terræ æternum fundatæ comparare. Mihi quidem, etsi nihil tabernaculi Levitici animo oberret, hæ tamen sententiæ & imagines perpulcræ videntur: *luce tanquam pallio amictus eras, cum primum ex æterna tua solitudine prodires, teque creatis mentibus præberes spectandum. Cœlum tibi pro tentorio est: cœlum pro secreto a mortalibus cœnaculo, aqua & grandine contignato. Nubium tonante curru veheris, portato ventorum alis. Turbines tibi pro nuntiis, fulmina pro ministris adstant*. Quæ si possem carmine ita exprimere, ut Lowtho datum esse solet, Lowtho etiam judici probarem. Sed hoc Dea negat, Latinique carminis per X. annos neglectus.

(34) Exempla quædam metaphoræ ex sacris petitæ nostro negavi: non tam ab omni abhorreo poetarum commercio, ut rem ipsam negem. Exemplo vel unicus suffecerit Psalmus LI. & ex sequente LII. versus decimus. Alluditur ibi ad morem, in atrio tentorii arbores plantandi, ipsumque ostium amica umbra refrigerandi. Nisi tamen fallor, quotidiano sacrorum usu & adspectu ad has metaphoras sensus populi quodammodo occalluerant, nec poetis illæ tam videbantur grandisonæ, tam erant in deliciis, ut nostro. Ex omnibus quidem quarum mihi in mentem venit, nulla satis admirabilis, audax, divina: sed forte memoria non suggerit ex hoc genere præstantissima & audacissima, aut idem mihi accidit, quod caveri jubet autor, ut ignotæ rei & nunquam oculis visæ imagine minus afficiar.

Gravissimas nonnunquam metaphoras & plurimum habentes elegantiæ, superstitiosorum hominum erroribus deberi video. Quibus qui utitur poeta, nullius propterea erroris accusandus est. Nec enim est poetæ, in imaginibus illud verum sequi, quod philosophi vident; sed totam orationem sensibus & phantasiæ accommodans, nec tam animo, quam oculis, auribusque omnia præsentia sistere studens, sensuum aliquod & phantasiæ verum exprimit. Sed hæc dudum ab aliis disputata mitto, satis habens, uno aut altero exemplo ostendisse, non aliam hac parte Hebraici carminis rationem ac nostri esse. Multus in Oriente præstigiarum, & anilis timor, multa de incantationibus narrantur, per aures intrantibus: contra utrasque frequens amuletorum usus. Serpentes etiam incantari credunt,

sed

ſed obturatis auribus cavere, ne carmine magico audito nocendi facultas ſibi pereat. Ad quam opinionem ſine dubio alluditur Pſ. LVIII. 5. 6. Elegantior etiam ſimilitudo, ſed ab eodem errore petita, ineſt in verbis Salomonis Proverb. XXV. 12. *annulus aureus & ornatus argenteus*, *prudens objurgator eſt auri audienti*. Sententia eſt, qui objurgantem audiat, a multis, in quæ incidere potuiſſet, periculis, immunem fore: quam ut elegantius dicat Salomon, comparat admonitiones inauribus, quæ plerumque amuleta erant, & cuſtodire aures credebantur, ne verbum malum intrare poſſet. Simillime Jeſaias, ſed male intellectus, donatuſque ſententia aut frigida, aut frigide dicta, nec Jeſaiæ ore digna, verborumque inſolitis prorſus anomaliis, c. XXVI. 16. *cuſtodia a præſtigiis tua eſt illis correptio*. Nempe לחש præſtigias denotare omnes ſciunt: צקון autem ex Æthiopico verbo צקן *munire*, *circumſepire*, illuſtrare jam auſus eſt Joh. Henr. Michaelis, niſi quod aliam ex verbis ſententiam exſculpſit.

PRÆLECTIO NONA:

DE IMAGINIBUS EX HITORIA SACRA.

Cum quatuor propoſita eſſent imaginum genera quæ in poeſin Hebræam per metaphoram inducerentur, poſtremum jam reſtat tractandum earum, quæ ex rebus geſtis in ſacra hiſtoria inſignioribus petuntur. Cujus generis ut aliquantum a ſuperioribus diſſimilis eſt ratio, ita de eo paulum diverſa diſquiſitionis via utendum. Nam quæ de illis hactenus diſputata ſunt, eo fere ſpectarunt, ut rerum, conſuetudinum, opinionum, ſenſuumque Hebraicorum ratione habita, ad intimas earum elegantias faciliorem nobis aditum parare poſſemus; perpenſiſque adjunctorum omnium momentis, vim cujuſque & pondus rectius æſtimare; quas eis nebulas offudit vetuſtas, quantum licet, diſpellere; ſuamque obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, horridis nitorem, humilibus dignitatem aſſerere. In his vero, de quibus nunc agimus, nihil fere occurret, quod aliquam habeat obſcuritatem aut offenſionem; nihil quod admodum ſollicita explicatione, aut omnino ulla defenſione egere videatur; perſpicua, clara, atque ſublimia imprimis omnia apparebunt: ſuo hæc lumine etiamnum illuſtrat ſacra hiſtoria, neque multo minus clare jam nobis, quam ipſis olim Hebræis, conſpicienda exhibet. Hoc quidem intereſt, quod Hebræis gentiles fere atque domeſticæ erant harum rerum imagines, adeoque in permovendis atque delectandis eorum animis vim ſuam eamque longe maximam obtinuerunt; ac permultum ſæpe in eo erat momenti, quod locus ipſe, quod eadem veluti ſcena, quod certa quædam veſtigia, atque expreſſa tot miraculorum ſigna, iis ante oculos obverſabantur: contra vero eadem apud nos, quantumvis celebrata, ſummoque in honore habita, ipſa tamen locorum temporumque longinquitate multum jam refrixerunt.

Harum autem tranſlationum ratio vel maxime digna eſt obſervatione, atque eſt quidem hujuſmodi. In deſcribendis ornandiſque factis geſtiſque illuſtribus, rebuſque mirabiliter eventuris, ſolent Hebræi vates uti imaginibus rerum prius geſtarum, quæ in ſuæ gentis hiſtoria præcipuum aliquem locum habent; atque ita coloribus plane alienis, ſed aliquantum ſimilibus, præteritis futura, antiquis nova, notiſſimis minus nota, depingere atque illuminare. Quod cum ſibi proprium habeant ſacra poemata, neque quantum video cum ulla alia poeſi commune, uberiore paulo exemplorum copia partem hanc illuſtrandam duxi: igitur communes quidam ſacræ hiſtoriæ loci, præcipui ſaltem ſi non omnes, ſuo ordine recenſendi ſunt, unde hujuſmodi imagines depromuntur; ſimulque earum figurata poteſtas notanda, eaque accommodationis ratio & conſtantia, quæ & in cæteris ſæpe jam obſervata eſt, & in his clare elucebit.

Primum eſt in hoc genere chaos & creatio, unde ipſa exordium ducit ſacra hiſtoria. Ex his deſumtæ imagines conſtanter transferuntur ad inſignes rerumpublicarum in utramque partem mutationes, ad everſionem vel inſtaurationem regnorum atque nationum. Poeſi Propheticæ hoc maxime familiare eſt, ac tum præcipue cum audaciſſime inſurgit. Si regno Judæo inferendum a Chaldæis excidium præcinit, vel etiam hoſtibus Iſraelis internecionem minatur, iiſdem plane coloribus omnia depingit, ac ſi univerſa rerum natura in priſtinum chaos eſſet dilapſura. Ita Jeremias in viſione illa ſublimi, & ſane pluſquam poetica, in qua ei ante oculos obverſabatur Judææ impendens deſolatio: *

ראיתי את הארץ והנה תהו ובהו
ואל השמים ואין אורם :
ראיתי ההרים והנה רעשים
וכל

* *Jer.* IV. 23.—26

וכל הגבעות התקלקלו :
ראיתי והנה אין האדם
וכל עוף השמים נדדו :
ראיתי והנה הכרמל המדבר
וכל עריו נתצו
מפני יהוה ומפני חרון אפו :

Aspexi terram, ecce autem informis est & vacua;
Et ad cœlos, nec lucent amplius!
Aspexi montes, ecce autem intremiscunt,
Omnesque colles inter se raptim concutiuntur!
Aspexi, & ecce nullus est homo,
Volucresque cœli omnes evanuerunt!
Aspexi, & ecce Carmelum desertum,
Et omnes ejus urbes dirutas!
A vultu Jehovæ, & ab æstu iræ ejus flagrantis. (35)

Et in simili argumento mirifice Isaias: *

ונטה עליה קו תהו ואבני בהו

Et extendet super eam lineam vastitatis & perpendiculum vacui.

Uterque non modo in animo habuit chaos Mosaicum, sed ipsa etiam divini historici verba expressit. (36) Eadem hæc multis aliis insuper adjunctis Prophetæ augent cumulantque: **

שמש וירח קדרו
וכוכבים אספו נגהם
ויהוה מציון ישאג
ומירושלם יתן קולו
ורעשו שמים וארץ

Nigrescent sol & luna;
Retrahentque splendorem suum stellæ
Et ex Sione rugiet Jehova,
Et ex Hierosolymis edet vocem;
Et commovebuntur cœli & tellus. (37)

ונמקו כל צבא השמים ***
ונגלו כספר השמים
וכל צבאם יבול
כנבל עלה מגפן
וכנבלת מתאנה

Et contabescet omnis cœlorum exercitus;
Cœli etiam ipsi instar schedulæ convolventur:
Et omnis eorum exercitus decidet,
Sicut cassa de vite folia,
Utque marcida ex arbore sua ficus.

* *Isai.* XXXIV. 11.
** *Joel.* III. 15. 16.
*** *Isai.* XXXIV. 4.

Contra autem cum prædicitur rerum Israeliticarum instauratio: *

ואנכי יהוה אלהיך
רגע הים ויהמו גליו
יהוה צבאות שמו :
ואשים דברי בפיך
ובצל ידי כסיתיך :
לנטע שמים וליסד ארץ
ולאמר לציון עמי אתה :

At Ego Jehova sum Deus tuus,
Qui subito tranquillat mare, cum fremunt fluctus ejus;
Nomen illi Jehovæ exercituum:
Indidi verba mea ori tuo,
Et sub umbra manus meæ te protexi:
Ut plantem (39) *cœlos, ut fundem terram,*
Utque dicam Sioni, meus tu es populus.

כי נחם יהוה ציון **
נחם כל חרבתיה :
וישם מדברה כעדן
וערבתה כגן יהוה :
ששון ושמחה ימצא בה
תודה וקול זמרה :

Nam solatur Jehova Sionem,
Solatur omnes ejus vastitates:
Et reddet deserta ejus Edeni similia,
Et solitudinem ejus ut Paradisum Jehovæ:
Et reperietur in ea gaudium;
Gratiarum actio, & cantionum sonitus.

Priori ex duobus hisce modo memoratis vicina ac finitima est imago diluvii; atque in iisdem rebus exprimendis fere locum habet. Itaque ut sæpe describitur terræ sanctæ vastatio, quasi instauraretur pristinum chaos, ita nonnunquam idem eventus exponitur petitis ex universali illo diluvio metaphoris: ***

הנה יהוה בוקק הארץ ובולקה
ועוה פניה והפיץ ישביה :
כי ארבות ממרום נפתחו
וירעשו מוסדי ארץ :
רעה התרעעה הארץ
פור התפוררה ארץ
מוט התמוטטה ארץ :
נוע

* *Isai.* LI. 15. 16. רגע, *subito tranquillans*: vulgo redditur, *findens*, *dividens*, *disrumpens*; cum in hoc loco, tum in parallelis, *Jer.* XXXI. 35. *Job.* XXVI. 12. Sed hanc vocem nihil ejusmodi unquam significare arbitror. Notat *momentaneum* quiddam; & cessationem etiam motus, sive quietem *subitam*; ut cum volucris super arbore *sidit*. Vide *Isai.* XXXIV. 14. Et recte LXX. *Intt.* loco *Jobi* citato reddiderunt, κατέπαυσε. Consule *Concordantias*. (38)
** *Isai.* LI. 3.
*** *Isai.* XXIV. 1. 18. 19. 20.

נוע תנוע ארץ כשכור
והתנודדה כמלונה:

Ecce Jehova evacuat terram, eamque exhaurit;
Et invertit faciem ejus, & dispergit incolas. ———
Nam aperiuntur ex alto Cataractæ,
Et fundamenta terræ concutiuntur.
Confringendo confringit se tellus;
Disrumpendo disrumpit se tellus;
Commovendo penitus commovetur tellus;
Nutando nutat tellus, sicut ebrius;
Et e loco suo vacillat, ut nocturnum tugurium.

Grandia sunt hæc, & quibus mens humana vix concipere potest majora: nihil tamen est in hoc genere sublimius, quam quod ex Sodomorum excidio, qui locus est proximus, desumitur, & ad exprimenda pœnas impiis divinitus irrogatas transfertur. *

ימטר על רשעים פחים
אש וגפרית ורוח זלעפות מנת כוסם

Depluet super impios prunas ardentes;
Ignem & sulphur, & ventum turbinum (41)*: hoc iis poculum exhauriendum est.*

כי יום נקם ליהוה **
שנת שלומים לריב ציון:
ונהפכו נחליה לזפת
ועפרה לגפרית
והיתה ארצה לזפת בערה:
לילה ויומם לא תכבה
לעולם יעלה עשנה:
מדור לדור תחרב
לנצח נצחים אין עבר בה:

Nam agitur dies ultionis Jehovæ;
Annus pœnarum sumendarum Sionis vindici:
Et vertentur torrentes ejus in picem,
Et pulvis ejus in sulphur;
Et terra ejus in ardentem picem redigetur:
Noctes diesque inextincta ardebit;
Fumus ejus in æternum ascendet:
In perpetuas ætates jacebit deserta;
Per infinita sæcula nemo eam peragrabit. (42)

Exitus Israelitarum ex Ægypto, ut multis magnificisque descriptionibus præbet materiam, ita in plures eventus, quorum haud dissimilis est ratio, per translationem solet accommodari. Num promittit Deus populo suo auxilium, libertatem, salutem, gratiam? ultro se se offert vatis animo ἐξοδος, divisum mare, submersi hostes, deserta tuto peragrata, fontesque ex rupibus erumpentes. *

כה אמר יהוה
הנותן בים דרך
ובמים עזים נתיבה:
המוציא רכב וסוס חיל ועזוז
יחדו ישכבו בל יקומו
דעכו כפשתה כבו:
אל תזכרו ראשנות
וקדמניות אל תתבננו:
הנני עשה חדשה
עתה תצמח הלוא תדעוה:
אף אשים במדבר דרך
בישימון נהרות:

Ita edicit Jehova;
Qui præbet per æquor viam,
Et per aquas validas semitam:
Qui educit currum & equum, exercitum & robur;
Simul jacebunt, nunquam consurgent,
Oppressi sunt, ut stupa extincti:
Ne recolite priora,
Et antiqua ne considerate:
Ecce ego novum quiddam sum facturus;
Jamjam orietur; nonne illud cognosceris?
Præstabo etiam in solitudine viam;
In deserto flumina.

Ecce vobis alterum ejusdem poetæ divini vaticinium, de liberatione a captivitate item Babylonica sensu primo etsi non præcipuo accipiendum; cujus in exordio eadem illa apertius inducuntur, sed insigni prosopopœia, quaque nihil potest esse sublimius: **

עורי עורי לבשי עז זרוע יהוה

עורי

* *Psal.* XI. 6. פחים, *prunas ardentes*, ανθρακας, uti reddit *Vet. Interp.* apud *Chrysost.* in loc. Intelligi videntur globi ignis, vel quas Bolidas vocat Plinius *H. N.* 11. 26. vel simpliciter fulmina: confer *Psal.* XVIII. 13. 14. *Josephus*, de excidio Sodomorum ὁ Θεος ενσκηπτει βελος εις την πολιν. *Antiq.* I. 11. *Philo* de eodem: κεραυνοι ρυεντες εξ ουρανου. *De Vit. Mos.* 11. Hoc certe multo melius congruit cum sequentibus quam *laquei*: & constat Analogia. Radix enim פוח, quanquam sæpius significat *illaqueare*, æque tamen notat *sufflare*, *esufflare*, ignem nimirum. *Ezek.* XXI. 31. באש עברתי אפיח עליך *In igne iracundiæ meæ super te insufflabo*. De Ammonitis loquitur quasi in fornacem iræ divinæ injectis: confer cap. XXII. 21. ubi eædem ipse occurrunt voces, nisi quod usurpatur verbum cognatum & in hoc sensu synonymum נפח; unde מפח, *follis fabrilis*: *Jer.* VI. 29. In eodem sensu occurrit verbum פוח, *Prov.* XXIX. 8. אנשי לצון יפיחו קריה, *Derisores* inflammabunt *urbem*: Ita LXX. *Intt. Symmachus*, *Syrus*; & recte, ut, liquet ex membro Antitheto: וחכמים ישיבו אף, *Sed sapientes evertent iram*. Ex hac notione radicis פוח recte deducitur פח, *pruna exsufflata*; & פיח (*Exod.* IX. 8.) *Favilla*, quæ flatu in ignem excitari possit. (40)

** *Isai.* XXXIV. 8. 9. 10.

* *Isai.* XLIII. 16.—19.

** *Isai.* LI. 9. 10.

עורי כימי קדם דרות עולמים:
הלוא את היא המחצבת רהב מחללת תנין
הלוא את היא המחרבה ים מי תהום רבה
השמה מעמקי ים דרך לעבר גאולים:

Expergiſcere, expergiſcere, inde robur, o lacerte Jehovæ!
Expergiſcere, ut priſcis diebus, ætatibus antiquis!
Annon tu ille es, qui excidiſti ſuperbum, vulneraſti crocodilum?
Annon tu ille es, qui exſiccaſti pelagus, aquas Abyſſi (43) *magnæ?*
Qui maris profunda reddidiſti pervia, ut redemti tranſirent?

Ejuſdem eſt cum ſuperioribus generis, is quem ex his locis communibus poſtremum afferam, Dei in montem Sinam deſcenſus. Ubi deſcribitur adventus Dei ad exercendum judicium, ad liberandos pios, ad excidendos hoſtes, vel potentia divina quocunque modo ſeſe exhibens; ex auguſto illo horribilique Sinæ apparatu * ſcena inſtruitur. His nihil frequentius, nihil grandius; unum modo alterumque exemplum vobis proponam: **

כי הנה יהוה יצא ממקמו
וירד ודרך על במותי ארץ:
ונמסו ההרים תחתיו
והעמקים יתבקעו:
כדונג מפני אש
כמים מגרים במורד:

Ecce autem Jehova e loco ſuo prodit;
Et deſcendit, & ſuper terræ faſtigia graditur.
Et ſubter illum liqueſcunt montes,
Et valles ſeſe diſcindunt:
Inſtar ceræ ante ignem,
Inſtar aquarum per declive præcipitantium.

*** ותגעש ותרעש הארץ
ומוסדי הרים ירגזו
ויתגעשו כי חרה לו:
עלה עשן באפו
ואש מפיו תאכל
גחלים בערו ממנו:
ויט שמים וירד
וערפל תחת רגליו:
וירכב על כרוב ויעוף
וידא על כנפי רוח:
ישת חשך סתרו סביבותיו
סכתו חשכת מים עבי שחקים:
מנגה נגדו עביו עברו
ברד וגחלי אש:
וירעם בשמים יהוה
יתן יתן קולו
ברד וגחלי אש:
וישלח חציו ויפיצם
וברקים רב ויהמם: (44)

Tum concuſſa eſt & intremuit tellus;
Et fundamenta montium commoventur;
Vehementer conquaſſantur; nam ira illius exæſtuat.
Aſcendit fumus in ejus nares;
It e faucibus ejus ignis edax;
Exeunt ab eo ardentes prunæ.
Inclinat cœlos, & deſcendit;
Sub pedibus ejus caligo denſa:
Et inequitat Cherubo, & volat;
Et fertur ſuper alis venti.
Facit tenebras penetrale ſuum circum undique;
Tabernaculum ſibi tenebras aquarum, denſa nubium.
A fulgore præſentiæ ejus nubes diſcutiuntur,
Emicat grando prunæque candentes.
Tum intonat e cœlo Jehova,
Et altiſſimus edit vocem ſuam,
Cum grandine pruniſque candentibus:
Et telis ſuis hoſtes diſſipat,
Et crebris fulguribus attonitos agit.

Hæc quanquam & ſoluta oratione & totidem fere verbis expreſſa reddidi, ſatis tamen vel inde apparere opinor imaginum ipſarum vim, magnitudinem, & ſublimitatem: quæ in his etiam, in quibus ad aliena accommodantur, grandius quiddam habent, quam cum proprie ſuoque in loco, quantumvis magnifice, deſcribuntur: nam ad ipſam idearum magnificentiam accedit etiam in diverſis rebus alicujus inter ſe ſimilitudinis contemplatio, quæ delectationem parit, & habet admirationem.

Obſervandum autem eſt, cum ex his imaginibus quædam eam inter ſe habeant ſimilitudinem, ut ad rem unam eandemque apte accomodari poſſint, ſæpe fieri, ut earum plures ad augendam eventus alicujus magnitudinem in unum conferantur, interque ſe miſceantur. Cujus rei exemplum eſt in ode illa Davidis ἐυχαριϛικῇ ob devictos hoſtes, modo citata *. Nam cum deſcriberetur Dei vindicis ira & majeſtas ſub imaginibus ex monte Sina petitis, uti audiſtis modo; jam in proxime ſequentibus imago ſumitur a diviſione maris rubri & fluvii Jordanis **:

ויראו אפיקי מים
ויגלו מוסדות תבא
כגערתך

* Vide *Exod.* XIX. 16. 18. *Deut.* IV. 11. 12.
** *Micah.* I. 3. 4.
*** *Pſ.* XVIII. 8. — 15.

* Vide etiam *Iſai.* XXXIV. per totum; & quæ de eo loco infra dicentur, *Præl.* XX.
** *Pſ.* XVIII. 16.

מגערתך יהוה
מנשמת רוח אפך

Tum apparebant alvei aquarum;
Retegebantur orbis fundamenta:
Ab increpatione tua, o Jehova;
Ab halitu spiritus iræ tuæ. (45)

Liquet vero ad poesin propheticam præcipue comparatum esse hoc translationis genus, cum ex modo allatis exemplis, tum ex perspecta rei ipsius ratione. Etenim vaticinia semper comitatur aliqua obscuritas; non quidem ea quæ dictionem conturbatam reddat, & stylo caliginem offundat; sed quæ in eo maxime posita est, quod consulto premitur aliqua futuri pars, & tantum ostenditur modo, quantum recludi fas est. Igitur utcunque clare nonnunquam ipse eventus signatur, modus tamen atque adjuncta quibusdam involucris fere integuntur: cui rei egregie inserviunt communes hujusmodi imagines; quibus acerrime in animo imprimi & signari possunt ea quæ amplificari oportet, universæ nimirum rei vis, splendor, magnitudo, atrocitas; simulque celari ea quæ celanda sunt, ordo, modus, circumstantiæ, singulæ denique ac minutiores eventus partes (46). Nec minus inde apparet, hoc genus poesi profanæ haud facile competere; cujus nimirum nec historia neque etiam fabulæ ullam satis dignam hujusmodi imaginum copiam præbent, neque tractationem & usum materiæ ratio multum postulat.

Est quidem isthæc translationis species propheticæ rationi adeo, uti dixi, accommodata, ut poesin exteram, cum hac in parte versetur, non omnino fugerit. Nam in edendis vaticiniis Virgilium semel iterumque in hunc morem incidisse comperimus *.

* *Virg. Æn.* VI. 88. *Eclog.* IV. 34.

Non simois tibi, nec Xanthus, nec
Dorica castra
Defuerint: alius Latio jam partus
Achilles.
Natus & ipse Dea.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ
vehat Argo
Delectos heroas; erunt etiam altera
bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles:

nisi hunc locum ex anni magni completione, & doctrina ἀποκαταστάσεως proprie interpretemur. Hoc tamen interest, quod apud vates exteros exemplum aliquando aliquod inveniamus, quod ad hoc genus referri possit, translationis a re aliqua aut persona ad aliam aliquam rem aut personam singularem factæ; non ut exinde generalis quædam & communis imago conficiatur, quæ ad cætera omnia ejusdem generis, sive etiam ad notionem universalem & infinitam designandam, quasi lege quadam constanter & perpetuo traduci soleat.

Hæc autem omnia habui pro metaphoris, cum ad allegoriam verius pleraque referri possent: verum nihil intererat ad id quod volui explicandum. Multa certe eorum quæ hic protuli ad sublimiorem eam sacræ allegoriæ speciem pertinent, quæ in vera etiam minimeque adumbrata materia longe ultra proximam primoque occurrentem sententiam prospicit, & vulgaris argumenti veluti cortice interiorem & diviniorem sensum includit. Verum de ea mox erit dicendum; nam sacræ poeseos allegoriam tractaturus, necesse habeo eam partem quantumvis difficilem & obscuram attingere, in qua maxime posita est multorum ex carminibus sacris sublimitas (47).

NOTÆ EDITORIS.

(35) Vix crediderim, in his antiquum chaos describi, in quibus expressam potius imaginem gravissimæ tempestatis, cum terræ motu conjunctæ, videre mihi videor. De illa nocte, quæ ante lucem primitivam omnia involvit, Ægyptiis etiam pro Deo culta, & Athor dicta, cogitare potius ausim ad illa Jobi, in quibus optat, natalem suum nunquam illuxisse: Job. III. 4. 5.

Dies ille sit caligo:
Non spectet illum Deus,
Nec illucescat ei Aurora.
Reposcant illum sibi tenebræ & umbra mortis,
Habitet super illo nubes.

Est sine dubio ipso rei horrore pulchra imago, & qua nostri forte poetæ, post Miltonum, frequentius & audacius usi sunt, quam Hebræi.

(36) Verbis multo latius patentibus uterque uti poterat, licet chaos Mosis animo ejus non oberraret. תהו, a تهي inania omnia & vacua indicat, multoque frequentior ejus usus in desertis, aut vastatis urbibus, quam in confusa illa elementorum congerie, quam chaos dixere. Vide *Ps.* CVII. 40. *Deut.* XXXII. 11. *Jes.* XXIV. 10. *Job.* XII. 24.

(37) In hoc etiam carmine, eoque quod sequitur, non chaos agnosco, sed horrendæ tempestatis imaginem.

(38) Totum hoc conjecturarum genus in lingua, cujus tam pauca monumenta supersunt, incertum; & sine reliquis linguis Orientalibus parum explorati de significationibus verborum Hebraicorum statui potest:

cujus nostræ sententiæ rationes reddimus in *dijudicatione viarum, quibus ad intelligendam Hebraicam linguam, dudum mortuam, contenditur*, (Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet, die ausgestorbene Hebraische Sprache zu verstehen) §. VII. VIII. IX. X. XI. Non negamus *tranquillandi* significatum aptari locis plerisque posse in quibus רגע occurrit; sed possunt æquæ bene & alii: accidere etiam potest, ut non una omnibus in locis verbi sit significatio. Quid רגע significet, eodem in l. §. XXXVI. p. 214. 217. ex lingua Arabica indicavimus, inter illas significationes loca, quibus in Hebraicis occurrit, dispertientes. Est nempe 1) plerumque aut *reducere* aut *redire*, ut *Jer.* XXXI. 2. XLVII. 6. *Ps.* XXXV. 20. 2) *in patriam redire*, *domi esse*, atque hinc, 3) *votorum fieri compotem*, *beatum esse*: *Deut.* XXVIII. 65. *Jes.* XXVIII. 12. *Jerem.* VI. 16. *Jes.* XXXIV. 14. Ad quæ ibi uberius dicta & lectores reliquos remittere liceat, & vero virum doctum, qui in *bibliotheca elegantioris eruditionis* (Bibliothek der schönen Wissenschaften und der freien Künste) pag. 140. significationem, quam verbo in relationibus de libris novis, Arabia facem præferente dedimus, coactam & a natura abhorrentum statuit: aliter forte judicaturum, nisi linguam Arabicam ab Hebræa aliam ac diversam sumeret. Quem nobis opponit locum, Jobi XXVI. 12. 13. tractavimus in *commentatione de crebris allusionibus ad res Ægyptias in libro Jobi* §. XIV. Quæ cum nondum typis descripta sit, proditura quippe in commentariis Societ. Scient. Goettingensis, id unum sed sine argumentis excerpimus: de vicibus Nili, inundantis & deserentis Ægyptum loqui videri Jobum, Nilum autem sæpissime, & proprio pene nomine, Ægyptiis, Arabibus, Hebræis mare dici. *Robore suo*, inquit Jobus, *redire facit mare, & prudentia sua percutit Rahab*, i. e. sterilem illam Ægypti partem, quæ Nilo non mergitur, Rahab geographis dictam, tanquam anathemate ferit. Quam autem incertum sit sine linguis Orientalibus sola conjectura ex filo orationis petita de vocum Hebraicarum significationibus judicare, ipso illo viro docto teste probare possumus, qui p. 139. de Lowthi prælectionibus referens, *ita*, inquit, *Lowthus exponit. Apta explicatio: licet fateamur, oppositam etiam vim, verbo tributam, aptam esse:* Hoc si est, quid ex solo contextu habebimus certi? Nobis quidem Jesaias ad historiam sacram alludere videtur, non autem ad creationem universi, sed ad trajectum maris Erythræi, hæcque esse verborum sententia: *qui reduco mare, ut fremant fluctus ejus*, i. e. *qui spumantes & sonantes maris Erythræi undas reduco, ut horribili cum strepitu obruant Ægyptios*.

(39) *Plantare cœlum* quid sit, non satis assequor: certe ita insolens est locutio, ut Jesaiæ injuriam fieri non crediturus videatur optimus harum rerum arbiter, Lowthus, si pro consueta interpretatione substituamus: *adfigens cœlum*. Astris nempe, tanquam paxillis adfixum, aulæum, cœlum videri potest: quod sensuum judicium eleganter Virgilius sequens, dixit:

Axem humeris torquet, stellis ardentibus aptum.

Æn. IV. 482. VI. 797. נטע est, *figere*, *infigere*, usurpaturque etiam de paxillis, *Cohel.* XII. 11. deinde infigere surculos, dicitur, id vero est, plantare. Ad creationem autem cœli terræque alludi, ne hoc quidem loco certum est: possit enim pacatior ecclesiæ status tranquillitati comparari, quæ gravioribus procellis & terræ motibus succedit, cœlum ruiturum, terramque trementem, tanquam fulciente firmiusque adfigente Deo. Conf. *Ps.* LX. 3. forte & LXXV. 4.

(40) Forte de פחים paulo aliter sensisset autor, si Arabicæ phrasis meminisset, fulmina laqueos dicentis. Longi enim fulminum tractus, a cœlo ad terram pertinentes, eminus visi laqueos quodammodo referunt, Arabibusque inde in prosa etiam, mediocrique carmine, سلاسل vocantur. Haud scio, an & Chaldaicum, שׁביבא די נורא, *Dan.* III. 22. VII. 9. ex etymo funem igneum denotet. Recte, ergo licet magis ad verbum, quam ad suæ linguæ ingenium, LXX. & Syrus פחים laqueos verterunt: qui autem ἄνθρακας reddidit anonymus Græcus, cum פחם contulisse, & ם pro radicis litera habuisse videtur. A פוח aut כפח verecundia vocalium, a quibus nunquam sine necessitate recedo, derivare nolim: Patach enim sub פ in syllaba simplice positum, indicio est literam Chet ex analogia grammatica geminandam fuisse, nisi ut gutturalis Dages respueret. פח vero funis, ex פחח contractum esse, argumento est Arabicum فخ, pluraliter فخاخ. Præfero etiam notum aliunde vocabulum, eximiam hic sententiam fundens, ignoto & novo, quod sola conjectura ex verbo seu radice producitur. Verto ergo, *longos fulminum tractus super impios depluet*. Videor mihi aliquid hujusmodi in nostrorum poetarum monumentis legisse, cujus in memoriam redire non possim. Interrogatus a me illustris Gesnerus, non illa quidem, quæ nescio ubi legi tamen respondit: *nihil jam succurrit, quod huc conveniat, nisi forte illud, quod* μάσιγα *de fulmine usurpat Homerus Il. N.* 812. *& Lycophron* 436. *ac* 740. ἱμάσσειν *de percussione fulminis Homerus Il. B.* 782. ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ. *Schol.* ἱμάσσῃ, μαστίξῃ, ὅ ἐστι κεραυνοῖς πλήττῃ.

(41) Eximiam imaginem, ex natura petitam, prætermisit noster. Ventus Zilgaphoth pestilens Eurus est, Orientalibus notissimus, qui Julio & Augusto mensibus nonnunquam per octavam horæ partem spirans, obvia quævis necat: de quo, quis est diligentior Orientis explorator, qui non stupenda retulerit. سموم illum vocant Arabes, finguntque eorum poetæ, venenatum hunc ventum impios in suppliciorum æternorum loco pro aura vitali hausturos. Verum vidisse Syrum interpretem arbitrer, qui *ventum plagæ* (ܪܘܚܐ ܕܥܣܘܣܐ) vertit. Nec abludit derivatio, seu potius compositio, ex زعف, *æstuante veneno adflavit*, ذلع *interemit*.

(42) Eximie apto & lectissimo exemplo usus noster. Quod enim supra monuerat, imagines aliquas apud Orientales certis rebus tanquam proprias fieri, quibus deinde audacius utantur poetæ, id vero maxime in Sodomorum excidio usu venit, cui gravissimas terrarum calamitates & devastationes, licet non per omnia similes, soluta etiam oratione comparare solent. Exemplum præbeat Moses, salis etiam, & sulphuris, & incendii subterranei, in describenda Palæstinæ vastitate mentionem faciens, quæ omnia translata modo a Sodomis sunt, neque proprie accipi in belli calamitate possunt. *Videbunt*, inquit *Deut.* XXIX. 2. *calamitatem terræ*, *salem*, *& sulphur*, *omnemque terram exustam*, *quæ non conseminatur*, *nec virescit*, *nec propullulans in illa herbæ*, *similem eversis Sodomis & Gomorrhæ*. Nihil hic salis mentione mirabilius, nec intellectus Moses multis interpretibus, ut ei consulant, fingentibus, bitumen salem vocari. Hoc vero omne ex aspectu vallium mari mortuo circumjectorum intelligi facile potuisset. His enim, Libani nivibus per Jordanem auctum verno tempore innatat mare mortuum, unum omnium salsissimum: easque, recedens paulo post, sale convestit. (Vide Pocokii itinerum commentarios, Vol. II. P. I. pag. 36. *Ezech.* XLVII. 11.) Quo maris dono licet in sua commoda utantur accolæ, facit tamen copia, ut non magnus illarum vallium fructus habeatur: cumque illa valle, exustis olim urbibus vicina, nihil sterilius in omni Palæstina sit, indicium sterilitatis salem habere cœptum est, & urbes etiam vastatas sale conserere, & steriles agros salsuginosos vocare: *Jer.* XVII. 6. *Ps.* CVII. 34. *Job* XXXIX. 6. *Jud.* IX. 45. Quod enim ad hæc loca habent interpretes, salem terræ sterilitatem inducere, si de sale communi, ut volunt, accipiatur, magnam prodit rerum obviarum ignorationem, jure castigatam a doctissimo Altmanno §. XVII. excitationis de sale terræ: (in meletem. philologico-exegeticis T. I. p. 47. 51) quamquam hac parte sine dubio errat, quod mari mortuo salem veri nominis, contra veterum & recentiorum fidem negat, cujus tanta illi copia est, ut gravitas ejus aquæ communi collata sit ut 5. ad 4.

Hanc Mosis in soluta oratione audaciam qui cogitaverit, imaginem vastitatis a Jesaia informatam, non ad vivum resecabit. Sufficiet illi, quæ nunc est, horrenda Idumææ vastitas, nec quia ardentes rivos summum-

mumque perpetuum, (qui & ipse erumpere identidem ex mari mortuo solet) in illa non videt, statim cum Judæis, Christianis multis, eoque, quem plerique in Jesaia sequuntur. Vitringa, aliam quæret in Italia Idumæam. Qui quidem error, alios plures trahens, exemplo esse potest, quam infeliciter, frigido pectore nimisque sani ad poemata Hebræorum accedentes, in eorum interpretatione versentur, audacissima carmina ita lecturi, ut solutam, & mediocrem, & exsanguem orationem: atque quid non jucunditatis solum, sed & utilitatis habeat de poesi Hebræorum suscepta tractatio. Confer etiam similem vastatæ Idumææ descriptionem apud Jeremiam, Jesaiæ in toto illo capite imitatorem, c. XLIX. 18.

(43) Malim: *maris*. Nos ubi abyssum legimus, infinitæ aut magnæ profunditatis voraginem cogitamus, adeoque alia omnia quam quæ sunt in mari rubro, brevia plurima habente, nec temere majorem IX. cubitis altitudinem. תהום simpliciter mare est, ab هوم *fluctuavit*, nec aliter primo, quo occurrit, loco accipitur, ubi terræ antiqua facies ita describitur: *caligo erat super facie maris:* id est, toti adhuc orbi superstagnabat aqua, cui immenso & sine litoribus mari spissa incubabat caligo.

(44) Supra (n. 22) ostendi, de eximio me carmine, quo majus diviniusque nullum in psalmis Davidis legitur, hic acturum, ubi Lowtho placuit ejus versionem inserere. quamquam totam imaginem ex natura petitam existimo, non ex historia. Lata quidem inter tonitrua lex est, sed sæpius tonuit: neque hic ulla latæ legis mentio, nihil quod illi procellæ privum fuerit, sed Deus sistitur in procella auxilio veniens Davidi, qui finis non fuit adventus ad montem Sinai. Describitur autem gravior tempestas, non qualis est intelligiturque a naturæ peritis, sed qualis poetis esse videtur; unde nec percipi satis pulcritudo imaginis potest, nisi fictio nostris auribus nova explicetur.

Stygia ergo ad flumina, de quibus in appendice prælectionis agam, inque umbrarum vicinia constitutus Davides Deum invocaverat. Audit in sancto suo & sublimi templo preces ex Acherontiis sedibus fusas: venit, sed ut decet summum Deum, curru tonante vectus. Intremiscit pondere terra, v. 8. & fundamenta montium, ut fieri ad graviora tonitrua solet, commoventur. Vere

Sub pedibus mugire solum, & juga cœpta moveri
Silvarum —— —— ——
Adventante Deo.

Sæpe victor hoc carmine Dei laudes celebravit rex poeta: mutans subinde, ut in suo, & ornatiora reddens, ac secum ipse tanquam certans. Quod ergo initio posuerat, *intremuerunt fundamenta montium*, mutatum deinde reposuit, *intremuerunt fundamenta cœli:* 2. Sam. XXII. 8. Sunt autem fundamenta cœli, extrema terræ, ubi cœlum sive circulo prospectum definienti, ὁρίζοντα dicunt, sive summis montium jugis incumbere videtur. Sic suus est Latinis

cœlifer Atlas,
Axem humero torquens stellis ardentibus aptum:

& Alexandrini interpretes Hebraicum מקצה השמים (*ab extremis cœli*) Jes. XIII. 5. verterunt, ἀπ' ἄκρου ΤΩΝ ΘΕΜΕΛΙΩΝ τοῦ οὐρανοῦ, *ab extremis cœli Fundamentis*. Utriusque locutionis eadem sententia, nisi quod majus est, si ipsius cœli fundamenta, si cœliferum Atlantem, tonitruum fragore intremuisse, quam si montes dicas. V. 9. Montes, gravi procella instante, fumare solent, jam toti nebula tecti, jam fumi tanquam columnas erigentes: quod vallium planitierumque incolis fortasse ignotum, sciunt, qui altiores montes, ut Hercynium nostrum, imbrium & tonitruum prænuntios viderunt. Has ergo nebulas fumo ex irati Dei naso erumpenti comparat vates: fulmina ipsa scintillis, ardentis ab ore ab absistentibus. V. 10. Appropinquante jam procella, ima magis petere, atque in terram subsidere nubes incipiunt, ipsum autem cœlum, grandinis & pluviæ nimium onus ægre ferens, ruere.

Ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti sata læta, boumque labores
Diruit.

Nostro præsens in nube Deus, Tartareasque sedes petens, ipsum inclinare cœlum dicitur, nimbos pedibus substratos habens. V. 11. Esse suos Hæbræis equos tonantes, Cherubos, alibi exposui, (in Tomo I. commentariorum Societatis Regiæ Scient. Goettingensis p. 157. 184.) hisergo Deum vehi ait vates: sed idem mox fabulam physice explicat; alis illum ventorum ferri. V. 12. Caliginosos deinde fulguratori Deo nubis recessus dat latibulum, ut Mantuanus:

Ipse pater media nimborum in nocte, corusca
Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit:

ut noster, nescio jam quis, sed numeros & verba memini:

So wie der Donnergott, indem sein zorn erwacht,
Um seinen heitern Thron die Schreckensvolle Nacht
Der dichten Wolcken zieht, die ihn verhullen mussen,
Wenn er die Pfeile scharft, und in den finsternissen
Den lichten Bliz gebiert.

שחקים ima nubium esse, a calcando dicta, quod illa ut pavimentum currus volueris calcare Deus videatur, in historia vitri (§. XI. p. 95.) monui: his ergo impositæ ac conglomeratæ nubes עבי שחקים dicuntur. V. 13. 14. 15. Audax, nostrisque auribus insolens, & tamen proxima veritati physica, Dei tonantis pedibus mare glaciale pro pavimento substernit: (ipsas nempe nubes, quas nivales & glaciales vapores habere ex grandine colligitur.) Hoc ergo vitreum, seu glaciale mare, quod Ezechiel vidisse se memorat I. 22. inque historia vitri §. XI. ex moribus Orientalium illustravimus, Zephyro & fulminibus liquescere, inque imbres resolvi fingunt. Addunt & nubibus inclusum ignem, fulminum materiam, quo intima spissæ noctis luceant: cui circumjectas nubes

radiis ardentes lucis & auro

נגה, id vero est, Auroram seu resplendescentiam inclusi ignis vocant. Ez. I. 27. (Cur autem נגה Auroram vertam, rationes reddam in criticis, quas paro curis, ad Habacuci III. 4.: legant interea, quorum interest, Jes. LX. 3. Prov. IV. 18. conferantque verbum Arabicum & Syriacum; hoc quidem Luc. VI. 11.) Inclusi ergo ignis æstu nubes, mirum in modum ex contrariis elementis, grandine & prunis fulmineis, compositas, liquescere & exundare videt poeta, quo & v. 15. pertinet, modo teneamus, quod Schultensius in Originibus Hebraicis docuit, פוץ proprio esse, *diffluere*, המם *liquefacere*. Scio, mihi hoc ante aliquot annos in similis argumenti tractatione monenti, S. V. Barkey aliam, quæ magis ipsi probabatur, opposuisse interpretationem versus 15.: *diffluere, seu diffugere fecit hostes, -- & tabefecit* i. e. *vulneravit eos telis*. Judicium lectorum esto: placet tamen mihi adhuc olim dicta sententia, quia non hostium, sed nubium, ex grandine, earumque exundantium proxime præcesserat mentio. Addit v. 17. ventorum descriptionem; sed qui irati Dei flatus ac spiritus videntur esse. His nudati alvei fluminum mariumque conspiciuntur, apparentque in imo mari promontoria, solidi orbis fundamenta: quod pulchrius etiam videtur esse, quam Virgilii illud

His unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit.

Tandem ex nube manum ad humilia umbrarum emittit, Davidemque, Stygia jam natantem cymba, recipit, inque tonante curru collocat, tutum futurum ab hostibus. Quæ utinam Latino carmine eloqui possem! Verum id post X. annorum desuetudinem non audeo, nec tam sum inverecundus, ut Lowthi carminibus meum attexam. Soluta ergo oratione interpretari sufficiat:

Concussa est & intremuit tellus,
Et fundamenta cœli commota sunt,
Conquassabanturque, quia ira ejus exæstuabat,
Ascendit fumus in naribus ejus,
Ignis ab ore absistit vorans,
Exeunt ab eo ardentes prunæ.
Inclinat cœlum, & descendit,
Et nimbus est sub pedibus ejus
Equo tonante vehitur volatque,
Et fertur alis venti.
Caliginem ponit latibulum suum;
Circa se tabernaculum suum;
Tenebras aquarum, nubes conglomeratas
Aurora circa ipsum exundant nubes,
Grando prunæque igneæ.
Intonat in cœlo Jehova;
Altissimus dat tonitru suum,
Grandinem, prunasque candentes.
Jaculatus sagittas diffluere fecit illas:
Fulminibus litigans liquefecit eas.
Tum apparuerunt aquorum alvei,
Retectaque sunt orbis fundamenta,
Ab increpatione tua, Jehova,
Ab halitu spiritus nasi tui.

Sunt & alia in describendis tempestatibus Orientalibus propria. Tremorem, de quo dixi, montium, supra omnem modum dicendo augent. Quam verum, quam non poetæ, sed pene testis & historici, Virgilianum illud

quo maxima motu
Terra tremit

collatum Jesaiano: *utinam rumpas cœlum, descendas, montesque coram te cæspitent, ut igne fomitibus excepto bulliens exsultat aqua*: c. LXIII. 19. LXIV. 1. In nube autem corruque tonante auxilio suis venire, Deo toties tribuitur, ut pene proprium fiat. In hunc currum recipi Davidem audivimus. Plus audet Ezechiel. Et equos tonantes plausu trituque pedum fulmina elicere, ubi per cœlum ruunt, fingit, & præpotentem regem, quem calamitatis instar pervasisse alias terras Latini dicerent, ipsi fulguratoris currui jungit: cap. XXVIII. 14. *Cherubus eras, inque sancto Dei monte fuisti, ambulastique inter lapides ignivomos*: sed deinde v. 18. *exire jussi ignem ex te; hic te consumsit; cineremque te sparsi super terram*. Magnifica imago, & cui nihil simile tentatum a nostris legere memini.

Quam nostri poetæ plerumque negligunt horrendam picturam nocturnæ caliginis, eo spissius offusæ oculis, quo magis lucido fulmine contracti & excœcati erant, ea mirifice utuntur Orientales, interpretibus tamen, quos vidi, non intellecti. Sic Jesaias, c. V. 30. *fulminat in terram! Et ecce tenebræ: angustia! lux! Caligat*. Quo in loco ex Schultensii Originibus fumo, נבט esse, fulminare; reliqua mihi magnus philologus non assequutus videtur. Ac quid hac horribilius fingi imagine potest, mortalis, sublatis ad cœlum oculis Deum exsecrantis, erumpente inter ipsa maledicta fulmine, & infernali aliqua post illud nocte ingruente. Habet! Jes. VIII. 21. 22. *transibit per terram sæva omnia passus & timidus*: (i. e. sæviora adhuc timens. رعب Arabibus est, *timere*, quod magis hujus loci videtur esse, quam *esuriens*) *cumque trepidabit, irascetur, & maledicet regi Deoque suo, sursumque oculos tollet. Versus terram fulminabit. Angustia! tenebræ! obumbratio mali, & caligo palpabilis*. Forte non assequutus essem imaginem satis obviam, nisi interpretem ejus habuissem Muhammedem, qui ea aliam in rem utitur. Apostatas, qui olim, (sic vult,) contra Dei decretum humanis viribus crediderant, comparat homini sub nube ambulanti, fulmine, tonitru & morte plena, qui dum fulgurat, luce fulminis videt omnia & ambulat, at ingruente caligine attonitus cæcusque consistit, vix certus, auditumne & visum fulmen sibi & fragor reliquerit. Sur. II. 16.--19.

Sunt in his picturæ, novæ nobis, sed veræ, grandes, pulcræ, dignæ quas imitemur. Si qua parte nostri poetæ ex lectione Orientalium proficere cupiunt, has tentent, suasque faciant, tempestatum descriptiones. Nec mirum: ipsa enim natura ibi terrarum truculentior, nec quidquam Arabicis procellis comparandum. De Psalmo XXIX. prudens nihil dixi, servans quæ animo inerrabant paginæ 271. editionis Oxoniensis.

(45) Hæc quidem a transitu maris Erythræi non petita esse, cujus recessu retegi orbis fundamenta non poterant, sed a graviore procella, mari magno incumbente, ex supra dictis intelligetur.

(46) Notissimum hujus licentiæ exemplum Elias, a Malachia pro severo morum castigatore positus. Nullus tamen hac parte Hebraicus poeta audaciam æquat Apocalypseos, libri, græcis quidem verbis scripti, sed sententiis, colore, spiritu denique, Hebraico. Huic alia Ægyptus, Sodoma, Hierosolyma, Babylon, novus denique Gogus & Magogus, ad Ezechielici imaginem effictus. Tentari simile quid & a Jesaia volunt: nec obstrepere ausim, si de capite LXIII. solo id dicatur, ubi ignotus novusque hostis a propheta, vivis omnia coloribus pingente, noto Edomi nomine insignitur. Sæpe tamen id fieri non existimo, nec cum illis facere audeo, qui tanquam aliquam mysticam geographiam pepererunt. Insolentius etiam quid tentare videtur apocalypsis, nec nominibus solum, sed & numeris historiæ antiquæ uti. Vix mihi persuadeo, chronologica esse, quæ de tribus annis & dimidio, de XLII. mensibus, de 1260. diebus habet: sed suspicor, miserrima tempora describi, illis similia, quæ per totidem menses vivente Elia fuerunt. Chronologica, quæ hic multi quærunt, ex libro etiam omnium obscurissimo disciplinæ omnium obscurissimæ lucem se daturos professi, multum abesse a vaticiniorum ingenio videntur. Sunt prophetiæ fere eædem in imaginibus informandis leges, quæ poematis: valde autem frigebit poeta, si nimis sanus numeris rem accurate prosequatur, exponatque, quo die pugnatum sit, quot ceciderint in acie, & quæ alia sunt ejusdem generis. Pictores, poetæ & prophetæ valde cognati: horum visionibus explicandis si quis leges hermeneuticas condere velit, multa a pictoribus & poetis discere potest. A quibus artibus alienissimi homines, & omnino barbari, si ad vaticinia explicanda accedant, non mirum est, omnia eos proprie accipere, ac tum demum sibi sapere videri, quando figmenta & monstra procudunt chiliastica. Memini, qui id agens gloriaretur, a se primo intellecta prophetarum & Joannis vaticinia, se primum eos equuleo detraxisse.

(47) Non tempero mihi, quin capitis XXXI. Jeremiæ mentionem faciam, in quo perpetua fere ad historiam Jacobi allusio dominatur. Josepho jus primogenituræ dederat Jacobus. 1. Paral. V. 1. hinc de Ephraimitis ex Assyrio exsilio reducendis, nec jam inferiore loco, quam Judæi, habendi: *Ephraim est primogenitus meus*: v. 9. Rahela, filiorum cupidissima, cumque gemitu ex partu mortua, v. 15. ex sepulcro exsistere fingitur, nec jam se, sed filios plorare, quod perierint. At illi reduces ab exsilio filios, dolorumque & laboris mercedem promittit Deus, verbis quidem ex ore Leæ raptis: v. 16. Genes. XXX. 18. Quamquam hæ partim sunt allusiones potius, quam imagines.

EPIMETRON EDITORIS
DE IMAGINIBUS EX FABULA POETICA.

MIrum eſt, eam imaginum partem intactam a noſtro relinqui, quæ maxime in omni poeſi dominatur, petitarum a fabulis poeticis. Nulla eſt ſuſpicio, fabulas indignas poemate ſacro viſas eſſe viro, ad Muſarum ſecreta admiſſo, & probe intelligenti, quanto intervallo a mendacio ſejunctæ ſint. Fabulas enim qui confingit, non vult dicta proprio ſenſu accipi credique, riſurus etiam, ſi quis tam vecors eſſet: ſed delectat & ornat, illudque verum, quod proprie enuntiatum ſola mente arriperemus, ſenſibus etiam objicit, tale deſcribens, quale illud ſolis ſenſibus opinionibuſque vulgi facem præferentibus, ſine philoſophiæ ope, informaturi eramus.

Non animus mihi eſt, de toto fabulæ poeticæ genere diſputandi, ſed in exemplis oſtendendi, quomodo ea Hebræi utantur: in quo illud maxime inexſpectatum, & præter plerumque opinionem accidit, quod fabulæ Hebraicæ Græcarum Latinarumque ſimillimæ, nec raro eædem ſunt. Non ergo ſingularia poematis Hebraici hic diſcemus, ſed majorem ejus, quam ſperari poterat, cum Græco Latinoque convenientiam: quæ ipſa multis fraudi fuit, ad ea, tanquam nova & proprie dicta, ſtupentibus & adhæreſcentibus, quæ in Græco Latinoque carmine ne opera quidem data male interpretari potuiſſent. Mirus videri hic tantus concentus poſſet: natura enim cum eadem ſit, imagineſque ab illa petitæ ſui apud diverſiſſimos populos ſimiles, & fabulæ licentia infinita habet divergia, nec contingere ſolet, ut idem plures fingant, niſi ex communi fonte fabula profluxerit. Hunc autem communem fontem indicare, non difficile videtur, Ægyptum. Ex hac ſuas imagines fabulaſque Homerum, alioſque poetas Græcos tranſtuliſſe, priſcis jam obſervatum eſt, Herodoto maxime & Heliodoro: nec mirum, idem Hebræos feciſſe, Ægypti per duo ſecula alumnos. Antiquiſſimum Hebraicum carmen, Jobi nomen præferens, imaginibus Ægyptiis abundat, fabulis etiam: ſed de illo jam non dicam, quia duplici commentatione, Societati Scientiarum recitata, *de Jobo Ægyptio* egi, *ſeu de crebris alluſionibus ad res Ægyptias in libro Jobi*.

Initium ab eo faciam, quod neminem non daturum ſpero. Nihil apud noſtros vulgatius fabula, de ſole mari immerſo, nocturno ibidem hoſpitio excepto, amoribuſque etiam per noctem indulgente. Sed & eadem Hebræorum poetis nota, tamque familiaris, ut ne a vulgari quidem proſæ orationis uſu abhorreat, quo ſolem occidentem *intrare*, (בוא) lunam *hoſpitio excipi* (האסף) dicunt. Audaciora & poetica ſunt illa pſalmi XIX, quibus naturæ de Deo præconium tanquam nullibi non terrarum audiendum deſcribitur. v. 5. *6*:

Orbis & extremus patulis vocem auribus haurit,
Quibus locis ſoli domum
Condidit omnipotens
Egreditur ſponſo ſimilis, lectoque cubili
Exſultat, & dulcem ad thorum
Itque reditque viam.

Nec abludit Atlantici maris deſcriptio, noſtro pag. 148. non ſatis intellecta, Pſ. CXXXIX, *9*.

Si alas Auroræ attollerem,
Quieſceremque in extremo mari:
Etiam ibi manus tua me duceret,
Prehenderetque dextera tua.

Alas Auroræ attollere, eſt, iiſdem, quibus Aurora, alis, aut æque citis, avolare, Oceanique ultima petere, ubi & Aurora condi, Tithonique inire cubile fertur. Aliquid tamen inter fabulas Græcorum & Orientalium diſcriminis. His enim ſol currit, Aurora alas habet: illi, Perſarum forte morem imitati, equos ſoli & currum dederunt; quod poetas facere Hebræos non memini, licet in cultu ſolis etiam equorum illi ſacrorum mentio fiat *. Mari tinguntur Græci Latinique ſoles: Arabici fonte ferventis aquæ ſeu thermis, quem fontem nimis credulus Muhammedes ab Alexandro Magno viſum narrat: c. XVIII, 84. dignus ob turpem errorem, qui ab interpretibus ſuis, turpius etiam erraturis, male explicaretur. Hi enim pro fonte ferventis aquæ, (عين جبئة) ridicule ſubſtituerunt fontem luti nigri.

Volucrem Jovi currum & tonantes equos Græci Latinique dederunt, invitante ſoni ſimilitudine, quæ currui agitato cum tonitru intercedit. Idem & Hebræi

* 2. *Reg.* XXIII. 11.

bræi audent, quorum Cherubi, ipsissimi sunt equi tonantes: quod quidem hic jam sumo ex commentatione de hoc argumento * ante quinque annos edita. Erant multa, quæ addi illi commentationi possent, confirmatura sententiam & illustratura: sed id ab hoc loco alienum, ubi id modo agitur, ut poematis Hebraici ornamenta & decus exponam. Id quidem jam intelligetur, quam grandisonum ac vere poeticum sit illud, quod pene ut sententia cassum negligitur, toties apud prophetas obvium, יהוה צבאות יושב בכרובים *Jehova, Deus exercituum* (id vero est, Deorum: exercitus enim cœli sunt angeli & sidera, pro Diis in Oriente culta, a quibus & eorum cultores Sabii صابيون dicti) *sedens in Cherubis*: quod forte nostris auribus magis probabitur, si Platonis verbis Græce reddas: *ὁ μέγας θεῶν ἡγεμὼν, ὁ τὸ πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων*. Jam non inanis nominum compilator, sed poeta videbitur, qui psalmum *99*. ita exorsus est, vates:

> *Jehova rex factus est, contremiscunt gentes:*
> *Sedet in Cherubis, nutat terra:*

id vero est, intonuit, ut terra fragore nutet, seu, interprete Horatio:

> *Jehova per cœlum tonantes*
> *Egit equos, volucremque currum:*
> *Quo bruta tellus, & vaga flumina,*
> *Quo Styx, & invisi horrida Tænari*
> *Sedes, Atlanteusque finis*
> *Concutitur.*

Major psalmi LXVIII. audacia, glomeratis undique, inque Chorebum coactis nubibus, millies millenos equos tonantes tribuentis: v. 10. ac nova psalmi LXV. elegantia, cui, quocunque invehitur Deus, cœlum ruere pinguedine videtur: v. 12. De aliis locis, ut Ps. XVIII, 10. CIV. 3. 4. Habac. III. 8. aut egi, aut alia occasione agam. Hic indicasse sufficit. Est autem in hac fictione pulcherrimum, quod ipsa pene natura ad illam delabimur: unde nec remotissimis a Græcia Palæstinaque gentibus ignota est. In Svecia quidem audio, rusticos vulgo etiam, ubi tonat, dicere, *bonum senem curru invehi*, (*God-Gubben aker*) atque in majore fragore, *rotam boni patris frangi, clavumque excidere*: (*God-Far har forlorat en Spik utur sitt hjul.*) Nescio autem, an nemo magnificentius & illustrius hac imagine usus sit, Miltono; quem legens, quis non stupet, ubi post rem ab angelis male gestam filio suo Deus currum tonantem concedit, quo vectus certam per totum agmen hostium stragem edit. Displicet illi comparatus, alius, nescio jam quis, ejusdem gentis poeta, qui angelum nubi tonanti moderatorem imposuit: quod nec Christianum, nec Orientale, nec Græcum, nec Romanum, nec sensuum judicio, majus quid in tanto terrore suspicantium, ita aptum, ut contra omnium pene populorum sententiam, fulmen soli summo Deo tribuentium, confingi debuerit. Sunt etiam ex nostris, qui orientalia poemata imitari tentantes, partim sui ingenii magnitudini, partim rei novitati, alii etiam nostri temporis imperitiæ & tumori, acceptum referre debent, quod placuerunt, non imitationi ex qua pene quidquid habent vitiosum est. Ac mirum profecto foret, si res aliter accidisset: ut enim sunt literarum Orientalium multum infra mediocritatem periti vel eruditissimi eorum, ita nec noverant, quos imitari decreverant, nisi ex versionibus satis mediocribus. Hi autem infelicissime in imagine Cheruborum versari solent, qua eo delectantur impensius, quo minus norunt, qui Cherubi sint, ac tum demum Eoo sibi igne caluisse videntur, cum alienissimo identidem loco suos attexentes Cherubos Seraphosque, Orientalium rerum imperitos ignoto sono obtundunt, peritis etiam stomachum movent.

Alia est celebratissima de tempore aureo fabula, quam ita pene per omnia Græcis Latinisque similem habent Hebræi, ut manifestum sit, ex communi eam fonte ad utrosque dimanasse. Exemplo sint tria Jesaiæ vaticinia, in quibus regnum Messiæ iisdem fere coloribus describit, quibus Virgilius in Ecloga IV. felicitatem Romæ sub Augusto: cap. II. XI. LXV. LXVI. Fingit nempe, pacatiores jam populos non belli fortunæ lites suas commissuros, sed judicio Dei experturos: bella ergo eo usque desitura, ut ne armorum quidem usum populi discant, armaque in falces & vomeres conflentur, c. II, 4: virus serpentibus *, feritatem belluis demtum iri, ut pardi & hœdi

* In tomo I. commentariorum Societatis regiæ Scientiarum Goettingensis, pag. 157. - 184.

* Virgil. Ecl. IV. 21. 23.

> *nec magnos metuent armenta leones.*
> *Occidet & serpens, & fallax herba veneni*
> *Occidet.*

Nempe ante Jovem non venenati serpentes:

> *Ille malum virus serpentibus addidit atris*
> *Prædarique lupos jussit, pontumque moveri.*

Georg. I. 129. 130.

hœdi in eodem loco recubent, adultuſque leo gregalis ſit vituli, lupus agni, parvo puero paſtore, cumque omnia animalia iracundiora & ſæviora ſoleant eſſe, quando fœtus defendendos natura illis credidit, bos tamen & urſus eodem in loco fœtus deponant: victum etiam mutaturas belluas; carnivorum enim leonem, palea, qua triturantes boves veſci ſolent *, contentum fore, ſerpentes pulvere, quem lambere videntur, nec vivi quidquam attingere auſuros **: puerum cum aſpide luſurum, parvulamque manum verſus baſiliſcos porrecturum: c. XI, 6-9. LXV, 25. cœlum quoque aliud fore, alium ſolem illuſtriorem & indulgentiorem; aliam lunam, terram denique, ea pulchritudine & temperie, ut hujus cœli & terræ deſiderium neminem ſubiturum ſit: c. LXV, 17. 18. XXX, 26. lactis itura, mellis, vini flumina *Joel.* IV, 18: Incredibilem longævitatem, qualis ſub aurea illa mundi primordia fuit, mortalibus redituram, indeque eventurum, ut diu lugubre carmen, fletuſque, & triſtis illa tibia non audiantur: nec temere eventurum, ut puer ante centeſimum annum (centenarii enim, in illa longævitate, pueri habentur) fato fungatur; malus autem, ſi centum annos natus cita morte abripiatur, manifeſtum fore irati numinis indicium: nec fore amplius, ut arbores ſerant alteri ſeculo profuturas, ſed ſibi plantaturos vineas, ſibi ſtructuros ædes, vivo adhuc & ſuperſtite architecto collapſuras: arborum ergo ætati, æſculo, quæ ut nunc res ſunt,

> *Multa virum volvens durando ſecula*
> *vincit*,

aut terebintho, æqualem futuram ætatem hominum ***: eaſdem ædes atavos, proavos, patres, filios, nepotes, pronepotes, abnepotes, conjuncturas, nec in ſpem brevis fructus ac voluptatis liberos ſuſceptum iri: *Jeſ.* LXV, 20-23. cultui etiam divino priſcam redituram ſimplicitatem, templorum, ſacrificiorum *, thuris inſciam, qualem fuiſſe fingunt,

> *Ante etiam ſceptrum Dictæi regis &*
> *ante*
> *Impia quam cæſis gens eſt epulata ju-*
> *vencis*,

iterumque pro patricidio habitum iri, bovem, laboris ſocium, mactare: cœlum ergo pro ſolo Dei templo, thura, hoſtias, molam etiam falſam (מנחה) pro inquinamentis altarium, habitum iri, c. LXVI, 1-3. quibus qui utatur, ut idololatram Deo pœnas daturum: v. 4. 5. LXV, 4. 11. 12.

Non tam indoctos lectores mihi aut fingo aut expeto, aut opus habeant, doceri, eandem apud profanos fabulam aureæ ætatis informari, niſi quod hi & agriculturam Saturnio ſuo regno negant, quod non facere Hebræos vidimus. Pueris illa nota ſunt. Et tamen mirum eſt, quid hic tentent plerique, (omnes, pene dixiſſem) interpretes: id nempe, quod ſi quis in ecloga IV. Virgilii faceret; hi ipſi viri riſum tenere non poſſent. Alii enim myſtice omnia, ut ænigma aliquod, non ut pulchram picturam a poeta propoſitam, nimis diligenter exponunt: multa quærentes ac diſputantes, qui ſint ſerpentes myſtici, qui leones, (tyranni nempe) qui lupi (hæretici, credo) qui urſi, boves, vaccæ, hœdi, agni: jam de pace ſpirituali cogitant, longævitatem etiam myſtice, (oblitus ſum, quomodo, ac tædet relegere) interpretantes: alii contra proprie omnia accipiunt; qui ſi Judæi ſunt, objectant nobis perpetua in Europa bella, quæ tamen tempore Meſſiæ deſitura cecinerit Jeſaias, ſin chriſtiani, regno millennario hanc longævitatem hominum incredibilemque inter mortales felicitatem ſperant, hac mercede, ut a theologis ſecus ſentientibus invidioſo chiliaſtarum nomine notentur. Mirari autem ſubit, qui verum non videant viri, quod pueri in Vir-

* *Et leo, ut bos, comedes paleam.* *Jeſ.* XI. 7. Sententia valde mediocris, ſi ex noſtris moribus explices, lucidiſſima, ſi ex Hebraicis. תבן *paleam* recte verterunt veteres: eſt tamen palea Hebræorum a noſtra quodammodo diverſa. تبن Arabibus *ſtramen* eſt, *triturando diſſectum*, quod granorum non omnino inops eſſe ſolet: delicatior bovis triturantis cibus, quo libere eum veſci voluit Moſes: *Deut.* XXV. 4.

** Carnivoros ſerpentes eſſe, ideoque illis venenum a natura datum, ut necare prædam poſſint, non ignorant naturæ periti. Humi tamen repentes veſci pulvere Hebræis dicuntur, prorſus ut Latinis, qui humi procidunt. Sic *Virgil.* Æn. XI. 414.

> *Procubuit moriens, & humum ſimul ore momordit.*
> v. 669.
> *Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam*
> *Mandit humum.*

Hinc fingere auſi poetæ, cibum ſerpentibus pulverem fore.

*** Maxime ex arboribus longævæ æquant circiter vitam hominum, qualis ante diluvium fuit. De quercu vide Celſium l. I. Hierob. p. 69. 70. Diverſa illarum pro cœli terræque ingenio ætas. Multo citius ſeneſcere in America memini Kalmium referre in itinerum commentariis. Apud nos poſſe decimum ſeculum vivendo attingere, tertio adultas, quinto ſeneſcere incipientes, ex rei peritis compertum habeo. Terebinthi, Palæſtinæ familiariſſimæ, admodum vivaces ſunt: de quibus, aliiſque longævis arboribus, confer omnino Celſii hierobotan. P. I. pag. 45.-51.

* Totum hoc fabuloſum eſt; hiſtoria enim Moſaica jam in Adami familia ſacrificia & incruenta & cruenta memorat. At hæc aliis gentibus recentiora, quam ſunt, viſa, fabulæ ornandæ adhibebantur.

Virgilio viderant: atque cur simillimum Jesaiæ carmen aliter, operosiusque explicent, quam Virgilii eclogam quartam? idque ii etiam faciant, qui multo plus audaciæ in poetis Hebræis, quam in Græcis & Latinis agnoscere sibi videntur, semperque figurarum orientalium crepant insolentiam. Ferretne enim lector Virgilii, non omnino iratis Musis natus, si quis totam illam eclogam proprie accipiens, somniaret, credidisse Virgilium, illo tempore, quo in cunis adhuc vagiret Salonius, serpentibus herbisque noxiis vacuam jam terram fore, ut pro cunabulo esse puero posset, cum hæc scriberet,

> *Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,*
> *Occidet & serpens, & fallax herba veneni*
> *Occidet;*

aut incultis sentibus uvam nascituram? cessurum mari vectorem? non rastros passuram humum? & quæ ejus generis plura sunt? At quis risum teneret, si hæc vitaturus interpres, inquireret, quæ sint capellæ v. 21. (provinciæ forte Romanæ) qui leones, v. 22. (Germani & Parthi) quæ armenta, (legiones Romanæ) qui serpens, quæ herba venenata v. 24. (mali cives, novique belli semina, prætextu libertatis grata) quæ in sentibus uvæ v. 29. (virtutes, quibus mali ad frugem redeuntes studebunt.) Equidem hic mihi maxime intelligere videor, quanta interpreti sacrarum literarum in poesi sit utilitas: vix enim dubitandum, quin Popius, Jesaiana hæc pulcherrimo carmina imitatus, plus in illis veri viderit, quam qui vastæ molis commentariis prophetam obruerunt. Describitur nempe felicitas regni Messiæ, quantam cogitatione assequi maximam possis, utque omnia supra modum fausta animo concipias, aureæ ætati comparatur, in qua ornanda omnes suas opes fabula profudit: sanctior præterea Dei cultus, impedimentis ceremoniarum Leviticarum exsolutus, æquiratis præcepta late per orbem cum veri numinis religione sparsa, moresque gentium mansuescentes.

Pergo ad beatorum insulas, & flumina inferorum: de quibus cum plenius dicere animus sit, veniam a lectoribus petere, opus habeo, quibus pro deliciis poeticis commentationem pene aliquam ex antiquitate offero, grammaticus potius, poetarumque interpres, quam sacro adflatu perculsus poetarum auditor. Concedant mihi, hic aliquando effundere, quæ de argumento, ad poesin unice spectante, colligi, eorumque ope difficillima codicis Hebraici loca illustrare: quam si veniam nimiæ diligentiæ, explicata fabula poetica, quam apud Hebræos nemo sperasset, illustratisque eximiis Jobi carminibus, redimere non possum, omittant in legendo, quæ minus delectationis habent Lowthianis.

Ac de beatorum quidem insulis, Græcorum fabula nobilitatis, dicere animus non est, postquam hoc argumentum Illustris noster Gesnerus *, ita tractavit, ut aut compilandus mihi sit, aut tota hæc disputatio prætermittenda. Ad Celtas illa dimanavit, quibus Britannicæ quædam insulæ sedes beatorum habebantur, suique erant portitores umbrarum, a tributis etiam immunes. Sed & hoc prætermitto, a Simone Pelloutier tractatum **: id unum monens, Celticas has fabulas, deque animis humanis post mortem sententias, Pythagoreas, id vero est, Ægyptias toto colore & habitu esse, neque a Scythis arcessendas videri, quibuscum atque cum Germanis nulla Celtis Gallisve cognatio, nec generis nec linguæ. Quod quidem post Schoepflinum, atque edita vocabularia antiquæ linguæ Gallicæ ***, non opus est novis argumentis confirmari.

His ergo missis, primo moneo, originem fabulæ Ægypto referendam videri. De Essenis quidem, domicilio plerumque, philosophia, sententiis, disciplina, Ægyptiis magis quam Judæis, Josephus narrat ****, *Græcis eos hac parte simillimos, ostendere bonis alteram ultra Oceanum vitam, locumque imbribus, nivibus, æstu liberum, quem lenis ab Oceano spirans Zephyrus recreet: eodemque modo videri sibi Græcos viris fortibus beatorum insulas destinasse*. Eadem apud Indos fabula, quorum Bramanes tota philosophis, & moribus Ægyptii sunt: nisi quod hoc addunt, flumina, ignis, tenebrarum, lactis, & aquæ, trajicienda piis esse *****. Nec du-

* In *programmate de Elisio, & insulis beatorum*, (1755.) multoque uberius & ornatius, in *geographicis, de insulis beatorum*, quæ hoc ipso anno (1757) Societati Regiæ Scientiarum recitavit: quæ utinam non diu in scrinis ejus lateant!

** Histoire des Celtes, Livre III. chap. XVIII. §. 9.

*** Vide Göttingische Anzeigen von Gelehrten Sachen, 1756. p. 387. seqq. 1050. seqq.

**** L. II. de B. J. c. VIII. §. 11. καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς (ψυχαῖς) ὁμοδοξοῦντες παισὶν Ἑλλήνων, ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ Ὠκεανὸν δίαιταν ἀποκεῖσθαι, καὶ χῶρον, οὔτε ὄμβροις, οὔτε νιφετοῖς, οὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ' ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πραῢς ἀεὶ ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει. --- Δοκοῦσι δέ μοι κατὰ τὴν αὐτὴν ἔννοιαν Ἕλληνες, τοῖς τε ἀνδρείοις αὐτῶν, οὓς Ἥρωας καὶ ἡμιθέους καλοῦσι, τὰς μακάρων νήσους ἀνατεθεικέναι.

***** Vide *Jo. Lucæ Niecamp historiam missionis in India Orientali* P. I. cap. X. §. 15.

dubito, quin fabulæ, Græcis, Gallis, Indis, communi, natales in ea Ægypto ſint, quæ opinionibus, ſuperſtitionibus, hieroglyphicisque ſuis imaginibus, utriusque orbis populos tanquam aliquo ſuo colore infecit, cultiſſima olim, omnisque ſapientiæ & artium habita metropolis. In moribus enim, ſepultura, religionibus Ægyptiorum, ita tanquam pellucet ubivis mortuorum trans flumina aut maria ſedes, ut facile veram patriam fabulæ agnoſcas, in tot colonias dimiſſæ. Buto quidem, mortuorum Dea, in Buticis paludibus templum habuit, natantibus inſulis ſuperſtructum: de quo templo loca veterum collegit Jablonskius, non a me repetenda, ipſaque de Dea ita copioſe diſputavit, ut, licet ipſe neget, inferorum numen eſſe, larga tamen manu afferat, quæ pro hac ſententia, mihi veriſimiliore viſa, dici poſſunt*. Eidem genti conſuetus in ſepultura ritus Charonti Græcorum & Latinorum originem ſine dubio dedit, ipſis id Græcis fatentibus: die enim ſepulturæ ſtatuto, indicatoque nomine mortui, qui lacum trajecturus erat, conveniebant ad lacum judices, in quo navigium præſto erat, cujus gubernator lingua Ægyptia Charon dicebatur. Antequam navigio imponeretur mortuus, poteſtas omnibus erat, illud accuſandi. Quodſi accuſator aut nullus exſiſteret, aut refelleretur, cimbæ impoſitum cadaver, lacu trajecto, ad ſepulcrales agros devehebatur **. Regum etiam ſepulcra, pyramidum molibus incluſa, inſulis ſita fuiſſe, quas arte fecerant intromiſſa Nili aqua, teſtis eſt Herodotus *.

Hos ergo inter educatus Moſes, hieroglyphicaque eorum diſciplina, cui tantum debet Græca mythologia, initiatus, nonne ad fabulam de inſulis beatorum alludere videtur, cum in eximio carmine, quod inter pſalmos nonageſimum locum obtinet, & hæc habet v. 10:

> *fugientes* ** *noſtri anni ærumna ſunt dolorque:*
> *trajicit* *** *feſtine, & avolamus.*

Ubi *avolare*, niſi fallor, eſt vela dare. Cum enim ſimillima ſint, volatus, & navigatio, alis ille, hæc velis utens: a poetis atque etiam a fabularum conditoribus alterum pro altero poni ſolent. Sic eum, qui Creta in Italiam navigavit, Icarum volaſſe fabula narrabat, quam cum alluſione ad veritatem narrans Virgilius, reique, ut geſta erat, imagine, novitatis gratiam habitura, conveſtiens, & *remigium alarum* dixit, & illud,

> *Inſuetum per iter gelidas Enavit ad Arctos.*

Eſt & alius Moſis locus, quem contra omnium interpretum conſenſum ſolus Paulus ita intellexit, ut, *trans mare*, idem ſit atque, *in ſepulcro*, *campiſve Elyſiis*. Nempe, non jam poeta, ſed orator, Moſes, de futura aliqua cordis circumciſione **** loquens, cujus umbra modo & imago in circumciſione carnis erat, novumque hoc præceptum a facilitate & intelligen-

* In Pantheo Ægypti, l. III. c. IV. toto: de templo quidem §. 3. agit, & §. 7. ex lingua Coptica confirmat illud Heſychii, *Butos* Ægyptiis dici loca in quibus mortui reconduntur.

** Diodorus Siculus l. I. c. 92. pag. 82. 83. (al. 58.) Niſi fallor, ejuſmodi cimba feralis proprie תבה dicebatur, aut Hebræis aut Ægyptiis. Navigii genus fuiſſe, & vero Ægyptii ac Nilotici, non dubito. Arca certe eſſe non poteſt, in qua Noachus navigavit, תבה perpetuo dicta, (Geneſ. VI. 14. &c.) quod, qui navigium vidit, facile concedet: nec arcæ quadratæ, Nilo innatanti, credi puer potuiſſet, Exod. II. 3. quippe quæ volveretur, nec poſſet in aqua conſiſtere. Niloticum autem Ægyptiumque navigium eſſe ſuſpicor, tum, quia in frequenti ſatis navigiorum per ſacrum codicem mentione nomen, תבה, ſi ab hiſtoria diluvii diſceſſeris, (cujus tempore nulli adhuc Ægyptii, Judæi, Græci) nuſpiam occurrit, niſi de navicula papyracea, cui concreditus Moſes Nilo innatavit; tum quod eo in loco Græci, aliter in hiſtoria diluvii reddentes, Hebraicum nomen retinuerunt, Græcumque fecerunt; quod & facere alias in rebus Ægyptiis ſolent, Græca civitate nomina Ægyptia donantes. Nec obſtat meæ conjecturæ, quod ingens Noachi navis a Moſe תבה dicitur: quod indicari videtur non magnitudo, ſed genus ac ſtructura navigii, Niloticis navibus ſimillimi. Hoc vero navigiorum genere in devehendis mortuis maxime uſos Ægyptios, nominis indicio deprehendere mihi videor: eſt enim תבה Arabice تَبُوة *feralis arca*. In quibus, ſi qua incerta ſunt, id tamen negari nequit, תבה navigium eſſe, neutiquam ciſtam ſeu arcam. Cur autem LXX. in hiſtoria diluvii κιβωτὸν verterint, jam diſputare non vacat.

* l. II. c. 124. τὰς ἐποιέετο θήκας ἑωυτῷ ἐν νήσῳ, διώρυχα τοῦ Νείλου εἰσαγαγών. Vide & Pocokii deſcriptionem Ægypti, p. 44. ſumma.

** רהב quod alii ex conjectura, loco Jeſ. XXX. 7. parum concinente, ſuperbiam interpretantur, *fugam* annorum reddidi, a رهب *timere*, proprie, *fugere*. Ex hac ſignificatione accepta & alia loca codicis Hebraici lucebunt, ut, cum de Ægyptiis, obſeſſæ Samariæ opem ferre non audentibus, alludens ad nomen Ægypti proprium Jeſaias, c. XXX. 7. *Rahab*, ſeu, *timidi illi ſunt ſedendo*: aut c. LX. 5. *tunc cohorreſcet & pavebit cor tuum*.

*** נח Arabibus eſt trajicere, unde &, qui in Africam trajecerunt Æthiopes, ſuæ linguæ nomine *Guz* dicuntur. Trajicit autem feſtinans Stygia cimba. Trajiciendi vim in verbo jam intellexit Salomon Iſaacides, monens, Num. XI. 31. hoc ſignificatu occurrere. Forte & נח מבטן Pſ. LXXI. 6. proprie eſt, *transfretare ex utero*, pro, *naſcendi ſortem dare*. Græcis certe ſtatus ante nativitatem, non minus quam poſt mortem, ᾅδης: formarique in utero Hebræis eſt, *formari in imis terræ* Pſ. CXXXIX. 15. Poſſent ergo & qui naſcuntur dici, *trajicere inferorum flumina*. Diſquirant alii, alludaturne ita ad fabulam aut philoſophema de migratione animarum, quod poeta facere ſalva veritate poteſt, licet reverti mortuorum animas in nova corpora non credat.

**** Deut. XXX. 6.

ligendi & obſequendi commendans, *lex*, inquit *, *quam tibi nunc præcipio*, *nec myſtica* ** *nimis eſt*, *nec extra tuam poteſtatem poſita. Nam in cœlo eſt*, *ut dicere opus ſit: quis aſcendet nobis in cœlum*, *accipietque & promulgabit eam nobis*, *ut faciamus? Nec ultra mare eſt*, *ut dicendum ſit: quis mare trajiciet nobis*, *accipietque & promulgabit eam nobis*, *ut faciamus*. Ad hæc ergo verba divus Paulus reliquis interpretibus omnibus aut imperitior aut doctior *ἢ τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον τοῦτ᾽ ἔστι, χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν*: Rom. 10. 7. Vix excuſari potuit interpretibus Paulus, in maris mentione a Moſe facta de ſepulcro & inferis cogitans; quamquam leniter cum illo, ut cum apoſtolo, agere ſtatuerant. Fuit etiam, fateor, illud tempus, quo & ego de Pauli interpretatione excuſanda & approbanda mihimet ipſi laborarem: neque vero negabam auditoribus meis, æſtuare me, ac cupere, ut curatius aliquando diſpicientes, meliora meis invenirent. Ingenuo enim doctore dignum judicio, non modo non fucum facere diſcendi avidis, ſed & ultro fateri, quæ ignoret, atque ubi partis eruditorum opibus aliquid addi poſſe ſuſpicetur: idque ad inveniendam veritatem, ut ſua natura aptum proximumque eſt, ita tunc viam mihi monſtravit. Monebat enim aliquis ex auditoribus, cujus nomen hic honoris cauſſa legi vellim, *Ipſenius*, Holſatus, *cogitari forte de ritu Ægyptiorum poſſe*, *qui mortuos trans ſtagnum ſepeliverint*, *unde Charontis cimbam natam aliqui ſuſpicentur*. Quod ut ſemel audivi, ita arripui, meumque feci, ut mirarer, & non antea animum ſubiiſſe, & quemquam de alio mari cogitare, quam de illo, ultra quod beatorum inſulæ ſunt, potuiſſe. Moſesne enim mare intellexerit, ſive mediterraneum, ultra quod gentes habitabant, ejus tempore ab omni ingenii & ſapientiæ cultu alieniſſime, a quibus legis myſticæ arcanos ſenſus nemo petat? ſive Oceanum, ultra quem mortales degere illa ætate incertum, ac ſi qui illi habitarent, barbari habebantur? Cælone, in quod aſcendendum ſit, ad myſteria ceremoniarum explicanda, opponat regiones tranſmarinas? ac non potius inferorum ſedem, ipſo cœlo non minus a nobis ſejunctam? At hæc & facillima intellectu, & graviſſima ſententia: *præceptum*, *quod nunc vobis inculco*, *de unico Deo agnoſcendo & amando*, (*quæ animi eſt circumciſio*) *diſſimillimum eſt meorum reliquorum*, *quibus arcani ſenſus ſubſunt*, *non initiatis impervii*. *Non opus eſt*, *ut aliquis ex cœlo doctor deſcendat*, *vobiſque mentem ejus ac finem ediſſerat: non ut trans mare ad beatorum inſulas quis eat* *, *atque a mortuis diſcat*, *quid obſcurum ſibi velit præceptum*. *Facilia omnia & expedita ſunt*, *nec manibus*, *ut meæ de ceremoniis leges*, *ſed ſolo ore & corde perficienda*.

Sed iſta oratoris ſunt. Ad poetas redeamus quorum hæc propria eſt licentia. Sic ergo Jobus, cujus carmen brevi ante exitum ex Ægypto, conſignatum mihi videtur, c. VIIII. 25. 26.

> *Dies mei velociores ſunt curſore*,
> *Fugiunt*, *non viſa voluptate*:
> *Tranſeunt cum navibus papyraceis*,
> *Ut aquila irruit ſuper eſcam*.

Fateor, hæc dici potuiſſe, etiamſi nullæ ſint beatorum inſulæ, quamquam magis lucent, ſi hæc fabula animo obverſetur: ſed audiamus, quid illis reponat Sophar, clarius jam ad ſedes umbrarum ultra Oceanum alludens, c. XI. 16. 17. 18. *ſi ad frugem redieris*,

> *Oblivisceris ærumnæ*,
> *Aut recordaberis ejus*, *ut aquæ*, *quæ effluxit*:
>
> *Et poſt meridiem* ** *ſurget felicius ævum* ***
> *Avolabis* ****, *mane erit* *****.

Con-

* v. 11. 12. 13.

** Vide Beurtheilung der Mittel, die ausgeſtorbene Hebräiſche Sprache zu erklären, §. 42. p. 244.

* Illuſtrandæ locutioni adſcribo, quæ alia omnia tractans, nec de Moſe cogitans, habet Pelloutier, pag. 349. hiſtoriæ Celticæ, l. III. c. 18. §. 9. Poſtquam enim narraſſet, Britanniam olim Gallis beatorum umbrarumque inſulam viſam eſſe, addit: *Il ne faut pas etre ſurpris après cela*, *que les Druides publiaſſent*, *que leur doctrine avoit ete apportee de ce pais la*. *C' etoit lui aſſurer une origine Celeſte & divine*. Rem ſi ſpectes forte erravit, ſi ex Britannia doctrinam petebant Druidæ, Hiberniam facientes beatorum inſulam. Phraſin tamen Moſaicam ex hoc ipſo errore luce perfundere liceat.

** i. e. poſt æſtum malorum.

*** خلد eſt *felicius ævum*, *virens ſenectus*, ipſa denique *immortalitas*. Verbi frequentiſſimus in Corano uſus, in æternitate voluptatum paradiſi deſcribenda. Pro immortalitatis notione, quæ maxime hujus loci eſt, adſcribere liceat claſſicum dictum Corani, c. XXI. 8. ubi Deus, Arabibus, urgentibus prophetam ut miracula edat, reſpondere fingitur: *non miſimus ante te ad illos*, *niſi meros homines*, --- *nec fecimus illos tali corpore*, *ut cibo carere poſſent*, *neque fuerunt* (خالدين) *immortales*: ibidemque v. 35. *nec dedimus hominibus ante te* (الخلد) *immortalitatem*. *Tunc cum mortuus fuerit*, *adverſarii tui erunt* (الخالدون) *immortales?*

**** i. e. vela dabis. Vide ſupra ſcripta de Pſal. XC. 10.

***** Conſuetum poetis Hebræorum, mortis tempus nocti, reſurrectionem Auroræ & illuceſcenti diei comparare. Vide Pſ. XXXXVIIII. 13. 15.

Confides, quia spes est:
Effodies * *sepulcrum, & placide cubabis.*

Hæc si adhuc dubitabilia videri possunt, superest locus multo illustrior, ubi præcipitem ex hac vita malorum fugam, ita abreptorum ex medio felicitatis cursu, ut mori se & pœnas dare, sentiant, describit Jobus, c. XXIV. 18. 21.

Celerrime vehitur aqua:
Ager ejus in terra, maledictus est.
Non vertit se in viam ad vineas;
Ariditas & æstus niveas illi furantur aquas;
Peccavit inferis!

i. e. *celerrime cimba vehuntur Acherontia, ac tum demum portio eorum in terra feræ maledictioni subjecta est. Non vero in beatos hortos illis ingressus datur: non vertent se ad vineas, seu nobiliores* ** *hortos. Ariditas & æstus suffurantur illis aquas nivis frigidas,* (imaginem agnoscas felicitatis æternæ, in qua describenda Coranus oblivisci non solet rivorum hortos perfluentium) *inferis peccarunt, nec satis in hac vita suppliciorum sustinere possunt, manibus etiam pœnas daturi. Uterus ejus obliviscetur, nec filios pariendo memoriam ejus propagabit:* (nati ejus aut nulli erunt, aut improles morientur.) *consuescit ei vermis: per posteros non commemorabitur, sed frangetur, ut arbor, injustitia. Sterilis fœminæ maritus est, & improlis: viduæque ejus nemo bene faciet.*

Ipsa inferorum flumina Hebræis non ignota fuisse, inque Psalmo XVIII. memorari sub nomine *fluviorum Belial* crediderim. Belialem hic Satanam interpretari non licet, cujus in ditionem venturum se non sperabat David, si vel in illo præsentissimo mortis periculo, quod v. 4. 5. 6. describit, succubuisset. Est potius בליעל a בלי *non*, & יעל (وعل) *altus fuit, minime altus*, unde viri Belial sunt vilissimi genere aut animo homines: fluvii autem Belial, flumina inferiorum. Placentne jam hæc poetica?

Malis * *insaniens Deum invoco;*
Salvor ab hostibus.
Virtutem excusserant ** *animo laquei mortis*
Ad flumina inferorum cohorrui:
Undæ *** *Tartareæ circumdederant me,*
Positæque ante me lethi tendiculæ.

His malis oppressus, Stygia jam natans cimba, Deum invocat. Audit. Venit, præsentissimus in tempestate, qualem supra n. 44. descripsimus, ingruit, tandemque, mirabile dictu, Tartareas etiam ad sedes manum porrigens v. 17.

recipit me
Extrahit me ex aquis multis.

Quo fabulæ usu, quis ex poetis Græcis aut Latinis pulcrius quid habet aut magnificentius.

* חפר *fodere*, notum est. Eo securius de sepulcro accepi, quod sepulcrum ab hoc ipso verbo ܚܦܪ dicitur.

** Vineæ a nobilitate Hebræis dicuntur.

* הולל proprie lunaticum dicunt Hebræi, ab هلال *luna*, hocque ab הלל lucere: deinde insanum quemvis, maxime, quem mali magnitudo de statu mentis & rationis dejecit. *Job.* XII. 17. *Choel.* VII. 7.

** Confer أف, cujus vis in pusillanimitate turpi & contemta est. Undique laqueis & tendiculis mortis, quas virtute & prudentia vitare non posse videbatur, cinctus, fatetur, magnitudinem animi labefactatam sibi esse, seque ad adspectum Stygii fluminis intremuisse.

*** Ita est in loco parallelo, 2. *Sam.* XXII. 5.

PRÆLECTIO DECIMA:

DE ALLEGORIA.

Altera pars τοῦ משל, sive dictionis figuratæ, est allegoria, aliud verbis, aliud sensu ostendens: cujus in sacra poesi notare possumus tres formas. Prima est ea, quæ a rhetoribus vulgo tractatur, continuatio metaphoræ. *Cum fluxerunt, inquit Cicero* *, *plures continuæ translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Græci appellant ἀλληγορίαν; nomine recte, genere melius ille* (*Aristotelem dicit*) *qui ista omnia translationes vocat*. Vix igitur operæ pretium duco huic allegoriæ speciei multum immorari, cum neque superius a simplici metaphora omnino sejunxerim; quæ enim protuli metaphorarum exempla pleraque fortasse ex hoc sunt genere: una utriusque est ratio, ne-

* *Orator.*

neque ſane facile eſſet ſuis utramque limitibus circumſcribere, & ubi hæc deſinit, illa incipit, deſinire.

Non autem alienum erit ab hoc loco paucis notare peculiarem uſum cognatarum figurarum metaphoræ, allegoriæ, & comparationis, in quo ſibi indulgent vates Hebræi, ac præcipue in poeſi prophetica. Cum enim, quamcunque materiem adornandam ſuſcipiant, eam ſumma imaginum copia & varietate illuſtrent, tum porro ipſas imagines non una ratione formaque inter ſe temperant & conciliant. Simplici translatione raro contenti, ſæpe in allegoriam excurrunt, ſæpe apertam comparationem immiſcent: ſimilitudinem nonnunquam ſubſequitur allegoria, nonnunquam prævenit: huc accedit crebra imaginum, nec minus temporum & perſonarum mutatio; perque omnia in verbis ſenſibuſque ſua quædam vis atque audacia, nullis mancipata legibus, liberumque Hebrææ poeſeos genium unice ſpirans.

גור אריה יהודה *

Juda eſt Catulus Leonis:

Metaphora hæc protinus in allegoriam educitur, cum perſonæ mutatione:

מטרף בני עלית

Ex præda, mi fili, aſcendiſti;

(in montana nimirum luſtra:) in proximis perſona iterum mutatur, gradatim augetur imago, & comparationi repetitæ immiſcetur translatio:

כרע רבץ כאריה
וכלביא מי יקימנו

Incurvat ſe, recumbit, ut Leo;
Et ut Leæna; quis eum excitabit;

Similis ferme eſt ratio inſignis vaticinii, quo evangelii recens editi copioſiſſima veluti fœtura luculenter prædicitur; ubi aliquam ſane obſcuritatem fecit metaphora comparationi admiſta, & vocis repetendæ ellipſis: **

מרחם משחר לך טל ילדתך

Præ utero Auroræ tibi ros prolis tuæ?

hoc eſt, *Præ rore, qui ex utero Auroræ prodit, ros tibi erit prolis tuæ; copioſior nimirum & numeroſior.* * Quo in loco quæ interpretationum portenta peperit Hebræis idiomatis ignoratio!

Verum eſt quidem hujuſce allegoriæ forma quædam magis perfecta & legitima, quam idcirco prætermittere non licet; cum metaphora continuatur longius, cum univerſum argumentum, totumque orationis ambitum occupat. Eximium in hoc genere exemplum præbet notiſſima illa Salomonis allegoria **, qua ſenectutis effigiem mirifice adumbravit. Exprimuntur ingraveſcentis ætatis incommoda, animi debilitatio, ſenſuum torpor, corporis imbecillitas, imaginibus variis a natura & vita communi petitis, docte ſane & eleganter, ſed valde obſcure: hoc enim enigmate pro more ſapientium Orientalium lectorum ſuorum acumen explorare voluit Salomo. Itaque plurimum exercuit doctorum ingenia; quorum multi varie quidem, ſed erudite & acute, locum explicaverunt.

Eſt autem apud Iſajam, cum imagininibus vix minus elegans, tum forma etiam & tractandi ratione, ut ſimplicior & conſtantior, ita juſtior & abſolutior allegoria

* *Gen.* XLIX. 9.
** *Pſ.* CX. 3.

* Hunc eſſe iſtius loci ſenſum nonnulli ex recentioribus interpretibus tandem viderunt; nemo autem, quod ſciam, rationem conſtructionis plane explicatam hactenus dedit. Conabor itaque efficere, ne de loci graviſſimi, atque, ut mihi videtur, clariſſimi certiſſima interpretatione poſthac dubitetur. Præcipua difficultas verſatur in voce מרחם, ex ambiguitate particulæ מ & ellipſi vocis טל: quam penitus exemptum iri exiſtimo, ſi expenſa fuerint quæ ſequuntur exempla, quorum plane eadem eſt forma & ratio. *Pſ.* IV. 8.

נתתה שמחה בלבי
מעת דגנם ותירושם רבו

Excitaſti gaudium in corde meo,
Præ tempore quo frumentum & muſtum eorum aucta ſunt:

hoc eſt: *Præ gaudio ejus temporis.* *Iſai.* X. 10.

ופסיליהם מירושלם ומשמרון

Quamvis ſimulachra eorum præ Hieroſolymis & Samaria:

hoc eſt, *Præſtent ſimulachris Hieroſolymorum & Samariæ.* *Job.* XXXV. 2. צדקי מאל, *Juſtitia mea præ Deo:* id eſt, *juſtitia mea major eſt quam juſtitia Dei:* (Confer XXXII. 2. & XL. 8.) Similiter מרחם idem eſt ac מטל רחם. Ejuſdem vocis טל multo durior eſt ellipſis, *Pſ.* CXXXIII. 3. Roris autem imago ſignificat fœcunditatem, multitudinem, copiam fœcundantem; (confer *Mich.* V. 7.) *numeroſa tibi naſcetur ſoboles, & numeroſam tibi ſobolem porro propagabit.* ילדותך, *Juventus tua:* id eſt, juvenes tui; abſtractum pro concreto; ut שיבה canities, pro homine cano, *Lev.* XIX. 32. שבי captivitas, pro captivo, *Iſai.* XLIX. 24. Atque ita accepit Chaldæus interpres, יתבון לרוחצן תולדתך. *Sedebunt confidenter proſapiæ tuæ.*

** *Eccleſ.* XII. 2. — 6. De hoc loco conſule præ cæteris omnibus eruditum commentarium Doctiſſimi Medici *Johannis Smith*, ſuperiore ſæculo editum. Vide etiam quæ de eodem ingenioſe nuper tentavit Vir Clariſſimus *Richardus Mead*, Medicorum hujus ſeculi Princeps, in opere cui titulus *Medira Sacra*. (48)

ria*: eam idcirco vobis integram exhibebo. Divinorum judiciorum consilia & modos edocet Propheta: Deum in castigandis improbis diversimode, sed summa cum sapientia agere; *judicium, uti prius dixerat* **, *exigere ad amussim, & justitiam ad perpendiculum*, temporum, hominum, rerum, discrimina, omnia severitatis & lenitatis momenta, exquisitissime expendere. Hæc involvit allegoria continua, exemplo ducto ab agricultura & tritura; cujus imaginis ad hoc argumentum illustrandum veluti consecratæ usum & rationem ante explicavi, ut istæc jam ulterius exponere nihil necesse sit.

הזאינו ושמעו קולי
הקשיבו ושמעו אמרתי:
ההל היום יחרש החרש לזרע
יפתח וישדד אדמתו:
הלא אם שוה פניה
והפיץ קצח וכמן יזרק
ושם חטה שורה
ושערה נסמן ובסמת גבלתו
ויסרו למשפט אלהיו יורנו:
כי לא בחרוץ יודש קצח
ואופן עגלה על כמן יוסב
כי במטה יחבט קצח
וכמן בשבט לחם יורק: ***
כי לא לנצח ארש ידושנו
והמם גלגל עגלתו
ופרשיו לא ידקנו:
גם זאת מעם יהוה צבאות יצאה
הפלא עצה הגדיל תושיה:

Aures advertite, atque audite vocem meam;
Attendite & auscultate sermoni meo:
Num omni tempore arat arator ad serendum;
Proscindit & offringit terram suam?
Nonne cum complanavit ejus superficiem,
Tum spargit nigellam, aut disjicit cuminum,
Et mandat far certa mensura,
Et hordeo signatum est & zeæ spatium suum?
Nam perfecte cum instituit, Deus ejus ipsum erudit,
Neque vero tribulo trituratur nigella,
Nec rota plostelli super cuminum circumagitur;
Sed virga excutitur nigella,
Et cuminum baculo; far autem tritura exteritur.
Nec tamen hoc perpetuo perget triturare;
Aut agitabit rota plostelli sui;
Neque ungulis suis semper exteret.
Etiam hoc a Jehova exercituum provenit:
Mirabilem se præstat consilio, magnificum sapientia.

* *Isai.* XXVIII. 23. --- 29.
** Ibid. 17.
*** לחם יורק] Hæc cum præcedentibus conjunxi, sublata distinctione Masoretica; in quo sequor LXX. *Intt.* quanquam illi quidem a sensu longe abierunt: suspicor etiam ו excidisse ante לחם. Rationes mea satis explicabit versio. לחם autem pro frumento sumitur, ut *Eccles.* XI. 1. שלח לחמך על פני המים, *Mitte panem tuum juxta aquas*, hoc est, fac sementem tritici tui in locis irriguis: vide etiam *Ps.* CIV. 14. (49.)

Alterum genus est allegoriæ, quod parabolam proprie & restrictiore sensu appellare possumus: similitudinem nimirum, qua continetur narratio rei fictæ, cujus ad aliquam veritatem accomodatio vel apponitur, vel saltem innuitur. Hoc genus αινος vel απολογος vocabant Græci; Latini fabulas: in quo genere plurimum celebrantur Phrygii illius sapientis scripta, sive quæ in illius imitationem alii literis mandaverunt. Neque hunc docendi morem usurpare dedignatus est Salvator noster; dubium, sapientia & gravitate, an suavitate, elegantia, & εναργεια majore. Cujus cum in hoc genere sermones nuncupantur parabolæ, ex latiore significatione in hunc sensum plerumque reductum est vocabulum. Hanc in poesi præcipue Prophetica multum frequentant vates sacri, ac præ cæteris omnibus Ezekiel. Quo de genere ut certius tutiusque judicare possimus, exponendæ sunt parabolæ poeticæ primariæ aliquæ proprietates; sic enim facilius de singulis statuemus, si prius viderimus quæ esse debeant omnibus communia.

Ea erit parabolæ prima commendatio, si fiat ex imagine nota aptaque, cujusque aperta atque usu definita est significatio: hoc enim prope necessario consequetur perspicuitas, virtus in omni allegoria præcipua. Quod si ad hanc normam sacrorum vatum parabolas exigimus, vix quidquam advertemus, quod in hac parte requiri possit. Ejusmodi enim imaginibus plerumque utuntur, quarum in sua poesi per metaphoram ac comparationem frequens est usus & similis accomodatio. Quid potest esse in hoc genere accuratius quam vinea * mendax, quam vitis ** inutilis ignique tradita, per quam plus semel adumbratur ingratus Dei populus? Quid *** leænæ catuli in foveam incidentes, quibus quam apposite designantur captivi Judææ principes?

* *Isai.* V. 1. --- 7.
** *Ezek.* XV. & XIX. 10. --- 14.
*** *Ezek.* XIX. 1. --- 9.

cipes? Quid * Cedrus illa Libani recta, procera, florentissima, nubibus inserens cacumen, sed excisa tandem & derelicta; regis Ægyptii gloriam & occasum quasi tabula depictum exhibens? Unum præterea adjiciam exemplum, (vix autem ulla est quæ non merito hic adduci posset) ejus nimirum, qua Dei in populum suum amor, atque hujus contra in Deum pietas, petitis ex sancto conjugii fœdere coloribus exprimitur. Quem imaginem binis parabolis multa cum libertate prosecutus est ** Ezekiel, neque fere quisquam est ex vatibus sacris, qui non eandem sæpius attigerit: adeo ut nullius sit notior vel usu magis recepta significatio, neque cuiquam mirum videri debeat, Salomonem in elegantissimo suo cantico argumentum longe sanctissimum iis potissimum lineamentis designasse, atque iisdem coloribus pinxisse.

Nec vero satis est notam aptamque esse imaginem; elegans etiam, & in se venusta sit, oportet; cum sit parabolæ poeticæ finis, non modo rem aliquam propositam efficacius explicare, sed & ornatiorem interdum & splendidiorem efficere. Quæ a rebus naturalibus ducuntur imagines cæteris omnibus in hoc genere præstant; suam enim venustatem habebit omnis fere accurate expressa naturæ effigies. In his itaque ut maxime versantur sacrorum vatum parabolæ, ita eas plerumque commendat materiæ elegantia. Si quæ sunt diversi generis, quæque minus forsan honestæ & decoræ haberi poterint, videndum, annon ejusmodi sint, quarum jam apud nos periit ea dignitas & gratia, qua apud suos minime caruisse censendæ sunt. Igitur si cui minus placebit apud Ezekielem Aheni *** ferventis suamque in se spumam versantis species, meminerit vatem sacerdotem hoc ex suis sacris duxisse, minime veritum, ne id deforme aut humile unquam haberi posset, quod cum sacrosancto templi ministerio esset conjunctum.

* *Ezek.* XXXI. Multum debet hæc parabola Meibomio, qui primus exterminavit *Assyrium* illum omnes ejus rationes valde turbantem. Nam אשור non est vertendum *Assyrius*, qui locum hic habere nullo modo potest; sed *recta*, *procera*, estque epithetum Cedri: ea est enim hujus vocis notio, ut apud *Isai.* I. 17. אשרו חמוץ, *erigite* oppressum. Vid. *Meibom. Specim. Nov. Interp. Bibl.* III. 9. Est autem אשור, & תאשור species etiam arboris, sic dicta, ut videtur, a rectitudine & proceritate; eamque Cedri speciem esse, ait *Kimchi*; (uti etiam reddunt LXX. *Intt. Isai.* LX. 13.) & Cedrorum præstantissimam, *Talmud.* Itaque hic forsan cum Cedro jungitur quasi definitivum attributum, quo notatur Cedri species celsissima & pulcherrima. (50.) Nota etiam, LXX. *Intt.* recte reddidisse בין עבתים, per *εις μεσον των νεφελων*.

** *Ezek.* XVI. & XXIII.

*** Cap. XXIV. 3. &c.

Pertinet etiam vel plurimum ad elegantiam parabolæ non modo ut apta & venusta sit ipsa quæ adhibetur imago, sed ut omnes ejus partes quoque & adjuncta perspicua sint & proposito conducant. Minime quidem est necessarium, ut in omni parabola per omnia accurate constet similitudinis ratio; hoc interdum concinnitatis cujusdam nimis minutæ potius esset: verum cum pleniorem expositionem rei propositæ natura patitur vel etiam postulat, cumque per omnia adjuncta recte procedit, ultro occurrens, non ex abdito eruta, similitudo: quin exinde præcipua oriatur venustas, dubitari non potest. Cujus generis perfecta exempla non desiderabit, qui parabolas supra laudatas attente perpenderit: quo etiam nomine imprimis laudanda est notissima Nathanis * parabola, prosaice quidem scripta; uti & illa ** Jothami omnium antiquissima, ad formam poeticam propius accedens (51).

His denique subjicienda est quasi lex quædam parabolæ; nimirum, ut per omnia sibi constet neque arcessitis propria admista habeat. In quo multum differt a prima allegoriæ specie; quæ a simplici metaphora paulatim progrediens non semper continue excludit proprium. Proposito in utroque genere exemplo, & res ipsa, & hujusce discriminis ratio, clarius apparebit.

Populum Israeliticum sub imagine vitis describens, quisquis is fuerit, Psaltes ***, metaphoram prolixe continuavit, & per plura adjuncta felicissime deduxit. Inter plurimas autem elegantias quibus abundat hæc allegoria, non minimam habet gratiam ea verecundia, qua cum in ingressu tum in exitu utitur; a propriis in translata paulatim illapsa, nec minus leniter ex translatis in propria per gradus quosdam se recipiens.

גפן ממצרים תסיע
תגרש גוים ותטעה
פנית לפניה

Ex Ægypto eduxisti vitem;
Ejecisti gentes eamque plantasti:
Ante faciem ejus preparasti locum —

Tum quæ sequuntur minus caute arcessita: quibus quum indulsit paulum, quam eleganter recedit!

אלהים צבאות שוב נא
הבט משמים וראה
ופקד

** 2. *Sam.* XII. 1. — 4.

*** *Jud.* IX. 7. — 15.

* *Ps.* LXXX. 8. — 17.

וּפקד נפן זארת:
וכנה אשר נטעה ימינך
ועל בן אמצתה לך:
שרפה באש כסוחה
מגערת פניך יאבדו:
תהי ידך על איש ימינך
על בן ארם אמצת לך:

Revertere, o Deus exercituum;
De cœlo deſpice & intuere,
Et vitis hujus curam ſuſcipe:
Et germinis quod tua plantavit dextera, (52)
Et ſobolis quam tibi confirmaſti.
Igni comburitur penituſque ſucciditur;
Per vultus tui increpationem pereunt.
Sit manus tua ſuper virum dextræ tuæ; (53)
Super ſobolem illam hominis quam tibi confirmaſti.

Videtis, Academici, quantum in hac prima allegoriæ ſpecie immiſcere liceat translatis propria, quantumque id quod licet deceat; cum hoc modo facilior gratiorque fit ab alteris ad altera deflexio, ſimulque oblique, nec nimis aperta explicatione, lux jucundius infertur. Verum plane aliter ſe res habet cum eadem imago alterius generis allegoriæ, ſive parabolæ, formam induit; qualem eam exornavit Iſaias *. Nullus hic propriis vel etiam ambiguis locus; omnes verborum colores arceſſiti, omnia pigmenta ex eadem λῃκυθῳ petita. Itaque quæ prior ille proprie expreſſit, (*ejectionem dico gentium, præparationem loci, tum exitum ab increpatione Dei,*) ea apud hunc per translationem ſolummodo efferuntur: *Vineam ſuam Deus collectis lapidibus expurgat; fallenti autem fidem ei ſepem diruit, vaſtamque eam reddit, edicitque nubibus ne in eam demittant imbres.* Quod illic ſuam habuit gratiam, hic abſurdum plane eſſet & incongruum. Enimvero alius continuatæ metaphoræ, alius parabolæ plerumque eſt finis: illius eſt, rem aliquam magnificentius exornare, clarius illuminare, & eminentius exprimere, ut vel primum oculorum obtutum feriat & percellat; hujus autem, veritatem ab aſpectu paulum retrahere, idque quod in ea perſæpe eſt nimis ſeverum velare, ut clam ſe inſinuet, & vim ſuam quaſi furtim obtineat. Quanquam eſt quidem genus parabolæ, cui unice propoſita eſt rei ſubjectæ exornatio; qualis eſt inſignis illa priuſque laudata apud Ezekielem * cedrus Libani; qua nulla eſt, ſi ipſam imaginem ſpectemus, aptior aut venuſtior; ſi lineamenta & colores, nulla elegantior; in quam tamen vates propria ** quædam admiſit mediis translatis permiſta; an quod hujuſce parabolæ ratio ita ferat, an ex ipſius fervido ingenio, ſtyli accuratioris leges minus interdum attendente, vix auſim ſtatuere.

* Cap. V. 1.—7.

* Cap. XXXI.
** Vid. v. 11. 14. 15. 16. 17.

NOTÆ EDITORIS.

(48) Mea qualiſcunque ſententia quæ ſit, diſci ex paraphraſi poetica hujus libri, vernaculo idiomate edita, adjectiſque notis, poterit.

(49) Locis citatis vis nulla probandi ineſt. De loco Salomonis ſententiam dixi in notis paraphraſi poeticæ ſubjectis. Pertinet ad navigationem & commercia. *Pſ.* CIV. לחם non panis eſt, non triticum, ſed *cibus*.

(50) In alieniſſima jam verſatur diſciplina noſter, periculoſa philologis: nominibus pro autoritatibus utens, quorum haberi ratio nulla poterat.

Primo enim ארז non eſſe videtur, quæ noſtro tempore cedrus Libani dicitur, formoſiſſima arbor, inque Libano ſparſim ac raro naſcens, ſed pinus, totum pæne Libanum conveſtiens. Tractavit id argumentum utriuſque, & philologiæ Orientalis, & botanices, antiſtes, Celſius, in Parte I. hierobotanici, inde a pagina 106. Oppoſuit ei admodum nuper *hiſtoriam cedrorum Libani Chriſtophorus Jacobus Trew*, in qua & cedrum Libani curate deſcripſit, & expoſuit cur eam putet Hebraice ארז dici. Nobis vero certaminis arbitris, (quamquam id nobis non ſumimus) vicerit Celſius. Vide Gottingiſche Gel. Anzeigen 1757. pag. 1169. ſeqq.

האשור buxum potius quam cedri ſpeciem exiſtimem, eodem doctore uſus, *Celſio*, l. II. p. 153. ſeqq. Kimchii autoritas in botanicis, quæ cum grammaticis, Judaicis maxime, nec novit nec curat, nulla eſt. Id tamen facile concedo, אשור *Ezech.* XXXI. 2. non Aſſyrium ſignificare, ſed aut arboris genus, aut pinuum proceritatem & pulcritudinem: quamquam nec *Jeſ.* I. 17. huc advocaverim. Sed hæc explicare meum jam non eſt. Neque animus eſt, ſemper emendare, ubi in Hebraicis vertendis lapſum noſtrum cenſeo, modo id decori poematum non officiat.

(51) Videtur mihi hic, ut ſæpe, poeſis cum oratorum facultate, a qua multis modis diverſa eſt, neſcio quo fato, confundi. Rudimenta hic potius facundiæ popularis, priſcumque & horridum, ut ait Livius, dicendi morem, intelligere mihi videor: eodemque ſenſu mecum affectum iri credo, ſi qui Livii l. II. c. 32. relegere non dedignentur. Nempe ex primis artibus eſſe ſolet, ipſo noſtro arbitro, poeſis, eademque diu ante Jothamum fuerat multo perfectior: at ſerius nata facultas oratoria in prima adhuc infantia erat, qua & pleraſque artes in Græcia vetuſtiores fuiſſe, Cicero monuit. (in Bruto, c. 7.)

(52) Quid? ſi ita:

Tege id quod plantavit manus tua,
Et filium, quem tibi confirmaſti.
Igne comburitur, everritur &c.

Nempe facilior eſt conſtructio, ſi כנה verbum ſit imperativum, cum He paragogico, exponaturque ex كن *texit*. Sic enim, pro גנן dicunt Arabes. Filius Dei forte rex eſt, ut *Pſ.* LXXXII. 6. LXXXVIIII. 27. 28. *Regem firmare* quid ſit, melius intelligent lectores, quam, ſobolem. כסח, utcunque ſcribatur, كسح

&

& كشح, Arabibus eſt, *everrere*, quo ſignificatu & *Jeſ.* V. 25. occurrit. Dicitur autem iiſdem Arabibus & ventus terram *everrere*, arenas attollens & ſubjecta illis nudans. Sententia ergo eſt, digne jam poeta dicta, vitem combuſtam eſſe, cineremque a rapidis ventis ſparſum.

(53) i. e. *virum fœdere tibi junctum*. Jurabant Orientales per dextram. Sic Muhammedi Gabriel, *Sur.* XXXXVIII. 10. *qui tibi jurant fidem, Deo jurant: manus Dei eſt ſupra manum ipſorum*. Hinc & Arabibus ימין eſt *jusjurandum*. Vide quoque *Hermanni van der Hardt* diſſ. de *Eliezero per carpum manus jurante*, qui hunc jurandi ritum *Geneſ.* XXIV. 2. ſeqq. vidit.

PRÆLECTIO UNDECIMA:

DE ALLEGORIA MYSTICA.

TErtium eſt genus allegoriæ, quod item in poeſi Prophetica multum obtinet, cum iiſdem verbis duplex ſententia ſubjicitur; ſive cum una eademque oratio, diſpari ſenſu accepta, plures ſimul eventus, disjunctos tempore, natura diſſimiles, deſignat. Senſum literalem & myſticum vocant. Locus in theologia graviſſimus (54), cum ſacra poetica arcte conjunctus, & eatenus nobis, ſed breviter, exponendus.

In Hebræorum ſacris res, loca, tempora, officia, cæteraque hujuſmodi, duplicem quaſi perſonam ſuſtinent, unam propriam, alteram allegoricam; adeoque in eorum ſcriptis ita tractari poſſunt, ut vel hujus, vel illius ſolummodo, vel etiam ut ſimul utriuſque ratio habeatur. Exempli gratia; de Davide, de Salomone, de Hieroſolymis, ita poteſt inſtitui ſermo, ut ſimpliciter intelligantur vel urbs ipſa ejuſque reges, vel ea quæ in ſacra Judaicæ religionis allegoria per urbem regeſque illos ſignificantur; vel etiam ut utramque partem ſimul reſpiciat & complectatur ſcriptoris animus, ita ut quæ alteram exprimunt ſenſu aperto, proprio, hiſtorico accepta, alteram ſenſu recondito, interiore ac prophetico adumbrent.

Ex his Judaicæ religionis elementis hujuſce generis allegoriæ, quam myſticam libet appellare, origo unice petenda videtur; ex his ejuſdem explicatio quærenda. Quænam autem ſit ejus ratio, quæ præcipuæ proprietates, ita fortaſſe commodius explicabitur, ſi oſtendero, quas habeat a proxime tractatis duabus allegoriæ formis diſſimilitudines.

Primum hoc intereſt, quod in illis prioribus allegoriæ formis liberum eſt quovis uti genere imaginum: nihil eſt in univerſa rerum natura, nihil quod animus vel ſenſu percipit, vel cogitatione comminiſcitur, quin per continuatam metaphoram, aut etiam parabolam, ad res alias illuſtrandas aliquo modo accommodari poſſit. Contra vero tertium hoc genus in Hebræorum ſolummodo ſacris aptam & convenientem ſibi materiem invenit; neque locum habet, niſi in iis, quæ cum Judaicis religionibus arcte conjuncta ſunt, quæque iiſdem ſunt contraria atque ex adverſo oppoſita. Nimirum, Iſraeli, Sioni, Hieroſolymis, in ſenſu allegorico pariter ac proprio opponitur Aſſyrius, Babylon, Ægyptus, Idumæa: & ſimiliter in cæteris ejuſdem generis. Ita illa communem habent cum cæteris figuris naturam, & in poetica ſunt publici juris; hoc fundamentum habet in ipſa Judaicæ religionis natura poſitum, *adeoque in nullam omnino præterquam ſacram Hebræorum poeſin competit*. Huc etiam accedit, *quod hanc allegoriæ rationem quaſi ſibi propriam vendicat ſpiritus ille vere divinus* (55), qui poeſi interprete uti non dedignatur; utpote enuntiandis rerum futurarum ſignificationibus, & ſacratiſſimis myſteriis adumbrandis, præcipue accommodatam. Ita ut ſiquidem poſſet aliquo modo in argumento vulgari ac profano adhiberi, a proprio tamen fine detorta, ac veluti a ſua natura divulſa, vim ſuam atque elegantiam plane deſideraret.

Eſt etiam illud diſcrimen vel præcipuum, quod in illis alteris allegoriæ formis imago proxima nullam habet per ſe veritatem; ea ſolum in imagine remotiore ineſt, quæ eo veluti integumento, tenui quidem & pellucente, obtenditur: in hoc autem genere de quo nunc agimus, utrique æque competit veritas, utraque ſuum eventum ſortitur; quæ proxima offertur imago eſt quidem remotioris alicujus, non fucata adumbratio, ſed ſolida & expreſſa quædam effigies; & quanquam alienam perſonam ſuſtinet, non tamen deponit ſuam. Nimirum in metaphora & parabola leo, aquila, cedrus, in ſe ſolum ſpectata vita omni & ſpiritu plane carent; ſed quæ de Davide, aut Salomone, aut Hieroſolymis, per ſublimiorem allegoriam eduntur, ea ſive proprie ſumas, ſive ex analogia ſacrorum Hebræorum myſtice interpreteris, utrique par-

parti & seorsum & pariter sua constabit veritas.

Tantum a superioribus hoc genus allegoriæ differt materia, sive ratione imaginum quas inducit: habet etiam in tractatione, ac modo inducendi, aliquam differentiam. Exposui supra, quæ continuatæ metaphoræ concederetur licentia, cum translatis propria, hoc est, imaginem remotiorem cum proxima, admiscendi, cujus tamen usu penitus interdictum esset parabolæ. Verum allegoriæ mysticæ leges ullas hac in parte constituere & perquam difficile (56) esset, & fortasse etiam temerarium. Etenim plane diverse, atque alias alio modo, sua impertit consilia cœlestis ille Spiritus (57), vatum animos, prout ipsi lubet, instinctu suo movens incitansque; nunc clariora rerum futurarum indicia liberius ac prolixius aperit, nunc obscuras quasdam significationes identidem, ac parce aliquando, injicit. Itaque magna est varietas in usu ac tractatione allegoriæ mysticæ; in modis quibus disponuntur imagines inter se mutuo congruentes, quibusque earum altera alteri substernitur. Interdum sic apparet atque eminet imago proxima, tantumque in vocibus & dictione dominatur, ut ægre patiatur interlucere remotiorem: contra interdum, idque multo frequentius, tam perspicue tantoque verborum splendore effulget remotior, ut proximam suo lumine pene obruat & extinguat (58). Alias perpetua & æquabili quadam luce, & satis aperte, intento quidem oculo, sese conspiciendam exhibet imago præcipua; alias nec opinantem præstringit, & subitis atque improvisis quibusdam coruscationibus, quasi e nubibus fulgur, erumpit. Is certe modus ex omnibus quotquot sunt maximam habet elegantiam & pulchritudinem, quam nos in præsenti disputatione potissimum quærimus, cum per totum poema geminæ imagines, pariter conspicuæ, ac quasi parallelæ consociantur, sibi invicem aperte respondentes, seseque mutuo illustrantes. Cujus virtutis, cum sit in se magna, & hujus etiam generis propria, non verebor, quanquam in materia subobscura, unum atque alterum exemplum, quod nullam potest habere dubitationem, vobis commendare; quodque simul universam allegoriæ mysticæ naturam jam traditam, adhuc clarius, nisi fallor, explicabit.

Psalmi secundi argumentum est, David frustra adversantibus inimicis Dei decreto in regno confirmatus. Duplex est persona Davidis, propria & allegorica. Si carmen hoc perlegentes primo in propria Davidis persona oculos defigimus, sententia apparet satis & per se perspicua, & sacræ historiæ luce abunde illustrata: per totum quidem verbis ardentior, figuris elatior, & semel atque iterum ita exaggerata est dictio, ac si consulto nos moneret majus quiddam ac sublimius intus inclusum latere, atque ultro etiam in argumenti penetralia aditum aperiret. Quod si ea secuti indicia ad interiorem jam partem animum intendimus, & ad personam Davidis allegoricam eadem accomodamus, major rerum ordo protinus exsurgit, nec modo sublimior & augustior, sed clarior etiam emergit sensus. Si quæ prius audaciora videbantur, si quæ paullo elatiora quam proximæ materiæ conditio ferret; ea jam apparent imprimis apta, expressa, dilucida, & ad potioris argumenti dignitatem præclare comparata (59). Postquam hoc modo duas hasce argumenti partes seorsum & singulas attente perpendimus, easdem intueamur tandem conjunctas. Hoc in situ jam elucebit elegantissimi carminis venustas omnis & sublimitas: licebit perspicere duarum imaginum, & magnam inter se distantiam, & perpetuam tamen conspirationem & consensum, & quasi inter cognatas oris ac lineamentorum omnium miram similitudinem; utriusque analogiam accurate servari; utrique suam veritatem competere, ita ut quæ ex altera expressa est, ipsa tamen archetypa videri possit; dictioni novam lucem pariter inferri, ac sensibus elationem & pondus accedere, dum ab humilioribus ad sublimiora, ab humanis ad divina facili gradatione ascendunt, donec præcipua argumenti pars & in clarissimo lumine collocetur, & summum altitudinis gradum obtineat.

Quæ de hoc psalmo hactenus observata sunt, transferri possunt omnia in Psalmum etiam septuagesimum secundum, qui in simili argumento eodem modo versatur. Inscribi potest, inauguratio Salomonis. Eadem plane est allegoriæ ratio; stylus aliquantum dispar pro ratione materiæ, cum in illo victoriæ splendor illustretur, in hoc pacis & felicitatis placida exprimatur effigies: hic itaque lenior ac temperatior paulo adhibetur elocutio, sententiis ornatior, crebior imaginibus, non quidem illis audacibus personarum fictionibus frequentata, sed lætis potius ac jucundis coloribus, & ex rerum naturalium amœnitate petitis, depicta. Quo exemplo intelligi potest, styli parabolici naturam, eo quod hujusmodi imaginum magnam varietatem amat, hujusce allegoriæ tractationi egregie esse ac-

commodatam: ut enim hæ imagines ad rerum divinarum seu spiritualium pariter atque humanarum notiones signandas, servata in utrisque certa quadam analogia, adhiberi solent, ita facile præbent locum isti ambiguitati, quæ in hoc genere aliquatenus est necessaria; ut quasi versicolor & simul translucida fiat oratio, in utramque partem anceps, in neutra obscura; utramque allegoriæ sententiam suo complexu comprehendens, & distincte clareque ad alterutram referenda.

Verum de hoc genere non est fas sperare, qui in nonnullis magna subsit obscuritas, quæ non solum ipsam rei naturam consequitur, sed & suam etiam habet utilitatem. Etenim allegoria mystica, eo ipso quod sit aliquantum obscura, ita congruit cum prophetica ratione, ut propriam & quasi legitimam formam præbere videatur, qua rerum futurarum prædictiones commodissime enuntiari possint. Nimirum eventus sic describit plane ut convenit vaticinationibus, recondite, involute, ac latenter; universam eorum naturam, & generales habitus, & extrema solummodo lineamenta adumbrans; ad singulas partes, & minuta rerum adjuncta, parce ac raro descendens. Quod si nonnunquam circumstantiam aliquam notabilem signate exprimat*, id videtur facere duas ob causas; primo, ut, quod ejus rei fere consequens est, subitam atque insignem quandam caliginem proximæ imagini inducendo, excitet lectorem, & ad remotiorem sensum investigandum remittat: deinde, ut appareant atque extent expressæ atque eminentes quædam notæ, quæ post eventum de fide oraculi omnem dubitationem tollant, ejusque veritatem ac divinitatem clare asserant, planeque confirment.

Equidem in vaticiniis contra fit ac in cæteris omnibus sacræ poeseos partibus; illa tum sunt maxime obscura, cum primum sunt edita; quæque aliis tenebras inducit, illis infert lucem, vetustas. Adeoque ista obscuritas, quæ in hoc genere ab initio insederat, aliqua ex parte jam tollitur: multa sunt, quæ explicavit ipse rei eventus, certissimus oraculorum interpres; multa, quibus divinus ille spiritus, ea quæ primum induxerat involucra dignatus est detrahere; plerisque aliquam lucem intulit ejusdem sacratissimis institutionibus clarius illustrata religionum Judaicarum ratio. Ita fit, ut, quæ pars sacræ poeseos & singularem quandam naturam & maximam in se difficultatem habet, ad eam tamen cognoscendam & perspiciendam meliore jam conditione accedamus, iis subsidiis & adminiculis instructi, quibus plane caruerunt veteres Hebræi, quæque ne ipsis quidem vatibus Dei internuntiis concessa sunt.

* Vide *Ps.* XXII. 16. 17. 18. & LXIX. 21.

NOTÆ EDITORIS.

(54) Mihi quidem totus suspectus, atque ab aliis etiam solicitatus. Argumenti tamen, quod tractamus, copia non patitur, ut in istam disputationem descendam.

(55) Laudo autorem, quod hoc pro acumine suo vidit, ac pro candore solito non dissimulavit. Mihi vero perquam suspecta sunt, quæ soli omnino sacro Hebræorum carmini propria dicuntur: quæ ut admittam, suasque privas codici sacro leges hermeneuticas condi patiar, ab hermeneuticis legibus reliquarum linguarum omnium abhorrentes, singulari & insolita opus erit vi argumentorum; quam in stabiliendo duplici eorundem verborum sensu vix mediocrem adhiberi video, sed pleraque consuetudine interpretum, sententiisque tralatitiis niti.

(56) Et hoc suspicionis plenum.

(57) Illæ metaphoræ & parabolæ, quarum leges esse fatebatur Lowthus, eidem debentur Spiritui cœlesti, quem non dedecet, his pulcri legibus adstringi.

(58) Alterutrum autem ubi contingit, quonam sciri argumento potest, alteram quoque sententiam, quæ lumine majore pene obtegitur & exstinguitur, a scriptore sacro intendi? Si, quod omnino reor, clarissima Messiæ imago in Psalmo CX. proponitur, quid est, quod jubeat, eum quodammodo ad Davidem trahi, cui nec sacerdotio fungi contigit, nec sedere ad dextram Dei, id vero est in adyto, ad dextram arcæ fœderis, licuisset? Contra si in Psalmo XVIII. tam dominatur victoriarum Davidis descriptio, ut ægre interluceat alia sententia: cur in illo Messias quæritur?

(59) Hoc ergo si ita est, si ob Pauli autoritatem dubitari nequit, quin de Christo, ejusque resurrectione & regno, Psalmus agat: quid est, quod suadeat eum & de Davide accipere? Non nego, Davidis victorias, majore verbis audacia data, ejusmodi carmine celebrari potuisse; aliorumque insuper, de quibus nemo hic cogitare sustinet, regum Hierosolymitanorum: at meminerimus, orationem non ad eos omnes pertinere, de quibus simile quid dici posset, sed ad illum unum, de quo agitur; qui si hic Christus est, dimittamus Davidem.

PRÆLECTIO DUODECIMA:

DE COMPARATIONE.

De comparatione, quam ex præcipuis poeseos Hebrææ figuris tertiam posui, eo differam consilio, ut & universa ejus natura, & propria apud Hebræos vis & ratio, aliquatenus illustretur.

Tres potissimum ob causas utimur comparationibus: etenim aut illustrandis, aut amplificandis rebus inserviunt, aut ad varietatem & delectationem referuntur.

Primum sane repertæ sunt comparationes ad inferendam rebus lucem, earumque imagines clarius & eminentius exprimendas: quod ita fiet maxime, si res, quæ similitudinis gratia aliunde assumitur, sit nota, perspicua, familiaris, cumque ea re cui componitur accurate congruat. Quo in genere minime est necesse, ut sit excelsa, grandis, venusta, splendida: satis eam commendabit ipsa proprietas, & similitudinis species aperta, & in oculos incurrens, & ad rem clare explicandam nata. Itaque licuit Homero Achivorum exercitus multitudinem, ardorem, aviditatemque pugnandi, comparatione * ducta a muscis circum mulctra volitantibus depingere; Virgilio ** Tyriorum in urbe condenda varie occupatorum diligentiam cum Apum laboribus conferre, sine ulla epicæ dignitatis iminutione.

Cum multa sunt, quæ in hanc rem adduci possunt ex sacris vatibus, unum tamen atque alterum tantum exemplum proferam, quibus nihil vel sensu, vel verbis, demissius & vulgarius, nihil tamen ad rem exprimendam fortius & significantius, concipi potest. Assyriæ regem inducit Isaias de victoriis suis insolenter gloriantem *** :

ותמצא כקן ידי לחיל העמים
ובאסף ביצים עזבות
כל הארץ אני אספתי
ולא היה נדד כנף
ופצה פה ומצפצף

Nacta est manus hæc tanquam nidum
populorum copias:
Et ut colliguntur ova derelicta,
Ita omnes ego terras collegi;
Neque erat qui alam motitaret,
Aut qui aperto ore pipiret.

Et in argumento simili Nahumus *.

כל מבצריך תאנים עם בכורים
אם ינועו ונפלו על פי אוכל

Omnes munitiones tuæ erunt ut ficus
præmaturis fructibus;
Si concutientur, cadent illico in os
devorantis (60).

Alterius generis comparatio, cujus finis præcipuus est materiæ subjectæ amplificatio, contrariam plane rationem habet; etenim postulat imprimis ejus natura, ut imago quæ rei alicujus augendæ & tollendæ causa inducitur, sit excelsa grandis, venusta, splendida, eamque ob causam non nimium trita & vulgaris; neque vero necesse est ut per omnia accurate constet similitudinis ratio. Ita Virgilius mirifice extulit Apum suarum labores ducta comparatione a Cyclopum officina fulmina fabricantium; Æneæ sui decorem, majestatem, & robur egregie expressit, nunc eum ** Apollini in Cynthi jugis choros instauranti conferens, nunc *** Atho, Eryci, Appennino, montibus exæquans. Ita Homerus ****, in quo eum secutus est ***** Virgilius, heroas duos in bellum irruentes Marti filioque ejus Terrori, e Thracia ad Ephyros Phlegyasque accedentibus, comparat. Quod si quisquam queratur, priora illa dignitate carere, posteriora hæc obscuritatem potius quam lucem rebus inferre, cum res in se satis notæ cum minus notis, vel cum valde etiam discrepantibus, comparentur; reputet iis modo secum, poetas in diversis hisce comparationibus plane diversa habuisse consilia; illic evidentiæ studuisse, ut rem ipsam mens clare conciperet, totamque sub uno aspectu complecteretur; hic granditati, ut intelligeret ejus magnitudinem vix concipi posse: ac fatebitur protinus utrique comparationis generi, suo in loco suam non deesse vel proprietatem vel elegantiam.

Nihil

* *Il.* II. 469.
** *Æn.* I. 432.
*** *Isai.* X. 14.

* *Nahum.* III. 12.
** *Æn.* IV. 143.
*** *Æn.* XII. 701. Hæc autem vide accurate & scienter explicata a Viro Doctissimo *Josepho Spence* in opere erudito juxta atque eleganti cui titulus *Polymetis*, pag. 87. & 248.
**** *Il.* XIII. 298.
***** *Æn.* XII. 331.

Nihil habent Hebræi quod respondet fictis istiusmodi fabulis, in quas perpetuo se recipiunt poetæ Græci & Latini ubi amplificatione opus est; nec immerito, cum uberem aptamque huic rei materiem præberent, ita vetustate aut religione consecratæ, ut dignitate non carerent, usu ac consuetudine adeo pervulgatæ, ut omnium cognitioni facile paterent. Itaque vates sacri hoc in genere utuntur imaginibus a natura plurimum ductis; ac tam eleganter quidem tantaque cum audacia, ut exterorum commenta minime desideremus. Ad exprimendam rerum prosperarum ac status florentissimi imaginem, a palma * aut cedro comparatio petitur; si majestatis aut decoris forma exornanda est **, Libanus ipse aut Carmelus ante oculos proponitur. Nonnunquam a suis sacris depromunt imaginem, sancta & augusta quadam venustate spectabilem. Utroque modo psaltes *** egregie extulit jucunditatem felicitatemque fraternæ concordiæ; quem locum eleganter expressit Buchananus:

Ut aura suavis balsami, quum funditur
Aronis in sacrum caput,
Et imbre læto proluens barbam & sinus
Limbum pererrat aureum:
Ut Ros, tenella gemmulis argenteis
Pingens Sionis gramina;
Aut verna dulci inebrians uligine
Hermonis intonsi juga.

Audiamus autem Isaiam, quem ut in rebus explicandis proprietate, ita in augendis sublimitate, nemo superaverit ****:

הוי המון עמים רבים
כהמות ימים יהמיון
ושאון לאמים
כשאון מים כבירים ישאון:
לאמים כשאון מים רבים ישאון
וגער בו ונס ממרחק
ורדף כמץ הרים לפני רוח
וכגלגל לפני סופה:

O tumultum populorum multorum!
Instar tumultus marium tumultuantur:
O fremitum nationum!
Instar fremitus aquarum immanium confremunt:
Populi instar fremitus aquarum multarum confremunt:
Sed illo increpante procul fugient;
Et agentur, ut stipula montium vento correpta,
Utque gluma rotata turbine.

Mediam quandam inter duo hæc priora naturam habet tertium comparationis genus, cui solummodo propositum est, novas variasque imagines præcipuæ materiæ admiscendo, fastidio occurrere ac quærere delectationem. Nam neque ad humiliora illa multum descendit, neque horum altitudinem unice sectatur; sed amœna potius amat, florida, elegantia, & in omni naturæ varietate & copia versatur. In materia tam late diffusa infinitum plane esset omnia congerere, quæ particulatim animadverti possent; unum tantum in genere adnotabo, quod etsi in prioribus duabus aliquando locum habere possit, intelligendum tamen est ad ultimam hanc comparationis speciem explicandam præcipue pertinere.

Duæ sunt operationes plane inter se contrariæ, quibus multum occupatur mens humana; nimirum in rerum imaginibus tum conjungendis inter se, tum distinguendis. Nam in contemplandis innumeris illis rerum formis, quæ ei obversantur, illud primum occurrit, alias esse quæ inter se multum congruunt, alias quam plurimas quæ plane discrepant. Quæ in universa sua natura sunt similes inter se, eas ita contemplatur, ut quærat, num in aliqua parte sint diversæ, qua eas quasi nota quadam secernat & internoscat; contra quæ sunt in summa diversæ, de iis quærit an in adjunctis aliquid habeant commune, quo veluti vinculo connectantur: illud, ut melius caveat ab errore; hoc, ut cum magnam habeat in se repositam rerum copiam, facilius ea depromere possit, quæ opus sunt, cum ad usum tum ad delectationem: quorum alterum est judicii, alterum ingenii *. Porro ut in eo spectatur judicii subtilitas, si in rebus quoad summam valde similibus particularis aliqua discrepantia clare demonstretur; ita ea est ingenii & acuminis laus si quæ in universo genere multum differunt, eorum tamen in adjunctis notabilis aliqua expromatur similitudo **: Igitur in his comparationibus quæ ad ornatum & delectationem referuntur, id vere statui posse videtur, eas suum finem tum maxime adse-

* *Ps.* XCII. 12. *Num.* XXIV. 6. *Hosea* XIV. 5. 6. 7. *Amos* II. 9.
** Vid. supra citata *Prælect.* VI.
*** *Ps.* CXXXIII. 2. 3.
**** *Isai.* XVII. 12. 13.

* Vid. *Lock. de Intell. Humano. Lib. II. c.* 11. §. 2.
** Τοις δ' ονομασιν [αστειον γιγνεται] εαν εχῃ μεταφοραν· και ταυτην μητ' αλλοτριαν· χαλεπον γαρ συνιδειν· μηδ' επιπολαιον· ουδεν γαρ ποιει πασχειν. *Arist. Rhet.* III. 10. Δει δε μεταφερειν, καθαπερ ειρηται προτερον, απο οικειων και μη φανερων· οιον και εν φιλοσοφια, το ομοιον και εν πολυ διεχουσι θεωρειν, ευστοχου. Ibid. c. 11.

adſequi, cum imago inducitur non modo elegans & jucunda, ſed ejuſmodi etiam, quæ a re cui componitur toto quidem genere ſit plane diverſa & diſſimilis, in uno autem vel pluribus adjunctis cum eadem apte conveniat.

Quid velim melius fortaſſe intelligetur exemplo propoſito. Eſt apud Virgilium comparatio * Aheni ebullientis ex Homero deſumta: ponamus ſane in utroque poeta æque elegantes eſſe verſus ipſos & rei deſcriptionem; comparationum vero, ut diſpar eſt ratio, ita minime par eſt pulchritudo & gratia. Confert Homerus aquas Xanthi amnis, Vulcano ignem ſuum immittente, in ipſo alveo penitus effervescentes; Virgilius Turni animum, injecta ei Alectus furiali tæda, vehementi affectu concitatum; cum aquis igne ſuppoſito in aheno ebullientibus. Alter componit inter ſe res naturæ plane ſimilis, ſeu potius ejuſdem, in adjunctis tantum diverſas; alter contra res genere quidem valde diverſas, in adjunctis autem apte congruentes: adeoque Latini poetæ comparatio nova eſt, varia, jucunda, admirabilis; contra Græci, quanquam forſan in ejus loci argumento clarius explicando vim ſuam habeat, omni certe varietatis gratia & ornatus ſplendore penitus caret.

Idem illud quod jam dixi in cauſa eſt, cur ex omnibus omnium poetarum comparationibus nihil fortaſſe reperiri poſſit æque ingenioſum, aut pulchrum, atque in ſuo genere abſolutum, ac ejuſdem Virgilii comparatio quæ ſequitur**:

Quæ Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æſtu;
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat:
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen aenis
Sole repercuſſum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia pervolitat late loca, jamque ſub auras
Erigitur, ſummique ferit laquearia tecti.

Hanc ſumſit ex Apollonio Rhodio***,

Πυκνα δε οι κραδιη ϛηθεων εντοσθεν εθυεν.
Ηελιυ ως τις τε δομοις ενιπαλλεται αιγλη
Υδατος εξανιυσα, το δη νεον ηε λεβητι
Ηε πυ εν γαυλω κεχυται· η δ' ενθα και ενθα
Ωκειη ϛροφαλιγγι τινασσεται αϊσσυσα.
Ως δε και εν ϛηθεσσι κεαρ ελελιζετο κυρης.

Eſt quidem illud νεον ad rem exprimendam prope neceſſarium, vel valde certe opportunum: hoc uno excepto, cætera omnia Virgilius, ut ſolet, multo reddidit meliora multoque elegantiora, quod autem maximum eſt, qua in parte ipſa ſimilitudinis ratio, & comparationis veluti cardo vertitur, in ea autorem ſuum longe ſuperavit.

Hanc igitur quod attinet comparationis ſpeciem, cujus finis eſt ornatus & varietas, quæque in poeſi potiſſimum dominatur, in eo ſita eſt virtus ejus præcipua, ut inferatur imago toto genere diverſa, in adjunctis apte conveniens. Eidem adjacent duo imprimis vitia, in quæ nonnunquam incurritur: unum, cum res comparantur inter ſe nimium diſſimiles, idque maxime in adjunctis; alterum nec levius fortaſſe, nec minus frequens, etſi non tam ſæpe notatum, cum nimis arcta cognatione & ſimilitudine in generali rerum inter ſe collatarum natura peccatur. Illic abſurda eſt & portentoſa, hic jacet frigetque comparatio.

Poſſet hic locus multis e ſacra poeſi exemplis illuſtrari: unum alterumque proferam ex Iſaia: primum ex hiſtorica narratione conjurationis Syrorum & Iſraelitarum in regnum Judæ *: *Eo (inquit) nuntio audito, commovebatur cor regis & cor populi, ut commoventur ſylvæ arbores vento increbreſcente.* Alterum præbebit exemplum comparatio poetica, eaque plenior fuſiorque quam Hebræorum conſuetudo plerumque fert; quæque valde accuratam etiam ανταποδοσιν habet. Confertur divina gratia (61) ejuſque effectus cum imbribus fœcundantibus terram, cujus imaginis in ea ſignificatione conſtans eſt uſus **.

כי כאשר ירד הגשם
והשלג מן השמים
ושמה לא ישוב
כי אם הרוה את הארץ
והולידה והצמיחה
ונתן זרע לזרע ולחם לאכל:
כן יהיה דברי אשר יצא מפי
לא ישוב אלי ריקם
כי אם עשה את אשר חפצתי
והצליח אשר שלחתיו:

Nam

* *Æn.* III. 462. *Il.* XXI. 362.
** *Æneid.* VIII. 18.
*** *Argon.* III. 754.

* *Iſai.* VII. 2.
** *Iſai.* LV. 10. 11.

Nam sicut descendit Pluvia,
Et nix de cœlo:
Atque illuc non revertitur,
Donec irrigaverit tellurem,
Eamque fœcundaverit, & fecerit germinare;
Ut det semen serenti & panem comedenti:
Tale erit verbum quod ex ore meo prodit;
Non ad me revertetur irritum,
Quin effecerit quodcunque volui,
Et feliciter transegerit quod ei mandavi.

Plura atque etiam venustiora qui volet, petat ex Cantico Salomonis, in quo multa sunt in hoc genere valde * elegantia: non tamen est dissimulandum alia ibidem nec pauciora esse, quæ ** ob vitium dissimilitudinis modo memoratum in graves reprehensiones inciderunt. Videndum autem, ne id nostro vitio fiat, non vatis, cum res ipsæ unde petuntur comparationes sint vetustate jam admodum obscuræ, vel etiam penitus ignotæ; nec temere vituperanda sunt quæ parum intelligimus.

Verum tria hæc comparationum genera, quæ perspicuitatis tantum causa secundum præcipuos earum fines distribuere libuit, non sunt ita inter se diversa, quin simul stare possint, varieque inter se misceri. Atque id fortasse ex omnibus absolutissimum est comparationis genus in quo trium permista est virtus; quod cum rem explicat simul & auget, tum ipsius imaginis diversitate, adjunctorum vero similitudine & varietate, distinguit orationem; habetque evidentiam & elationem quadam suavitate & jucunditate conditam. Cujus exemplum vix alibi perfectius inveniri potest, quam in eo Jobi *** loco, ubi is amicos malæ fidei insimulans, quod ea misericordiæ & caritatis solatia sibi in adversis petenti denegarent, quæ in rebus ejus secundis minimeque indigenti adeo prolixe venditaverant, confert eos cum torrentibus, qui hibernis imbribus aucti ac tumentes magnam & perpetuam aquarum copiam paulisper ostentant; sed primo æstivi solis ardore icti subito exarescunt, & viatores per Arabiæ deserta errantes sitique confectos perfide destituunt.

Hactenus de comparationibus in genere, deque earum fine & materia: restat ut modus & forma singularis, qua eas Hebræi plerumque adornant, paucis indicetur.

Vates Hebræi multo omnium frequentissime comparationibus utuntur; sed copiam earum brevitate compensant. In uno aliquo adjuncto plerumque vertitur similitudo; id simpliciter explicant, cætera quæ sunt a proposito aliena, rarius inferentes. Itaque prope singularis est exempli hæc quæ sequitur comparatio, cui præter necessaria accedit adjunctorum auctarium quoddam ac veluti πάρεργον: *

יהיו כחציר גגות
שקדמת שלף יבש:
שלא מלא כפו קוצר
וחצני מעמר:
ולא אמרו העברים
ברכת יהוה אלוכם
ברכנו אתכם בשם יהוה:

Erunt sicut herba tectorum,
Quæ priusquam effloresceat exaruit:
Qua non implet manum suam messor,
Neque sinum suum qui manipulos colligit:
Nec dicunt transeuntes,
*Benedictio ** Jehovæ vobis adsit;*
Benedicimus vobis in nomine Jehovæ.

Longe, inquam, diversus est plerumque in hac re Hebræorum usus: nonnunquam una voce, sæpissime una brevi sententia sive enuntiatione, integra absolvitur comparatio. Hoc oritur ex natura styli sententiosi, qui in poesi Hebræa perpetuo dominatur: ejus, ut supra exposui, ea ratio est, ut orationem solutam & profluentem coerceat & constringat, crebramque pressam & acutam reddat. Quibus itaque in locis cæteri poetæ sunt fere copiosi, fusi, uberes; in iis Hebræi sunt potius breves, densi, incitati; non æquabili tractu ducentes orationem, sed veluti geminatis ictibus contorquentes. Adeoque comparationes etiam peculiari quodam modo plerumque adornant; etenim non tam solent singulas seorsum per plura adjuncta plene varieque deducere, quam plures parallelas aut cognatas, unamquamque breviter simpliciterque enuntiantes, simul congerere. Confert Moses vim cœlestem divini carminis, quod Dei jussu pronuntiat, cum pluviis herbas irrigantibus. Quæ poeta aliquis e Græcis aut Latinis in unam comparationem, paulo fortasse latius diffusam & aliqua va-

* Vide *Cant.* IV. 1. ---- 5. quæ posthac exponentur *Præl.* XXXI.
** Vide *Cant.* VII. 2. 4.
*** *Job.* VI. 15. ---- 20.

* *Ps.* CXXIX. 6. --- 8. vide etiam *Ps.* CXXXIII. 3.
** Formula solennis in hoc negotio usitata. Vid. *Ruth.* II. 4.

varietate distinctam, conclusisset, ille concidit distribuitque in duo comparationum paria *.

יערף כמטר לקחי
תזל כטל אמרתי:
כשערים עלי דשא
וכרביבים עלי עשב:

Destillabit, ut pluvia, doctrina mea;
Fluet, ut ros, mea oratio:
Ut imbres tenuissimi in herbas;
Ut densæ guttulæ in gramina.

Eadem forma utitur psaltes in sequentibus **.

אלהי שיתמו כגלגל
כקש לפני רוח:
כאש תבער יער
וכלהבה תלהט הרים:
כן תרדפם בסערך
ובסופתך תבהלם:

Fac, Deus mi, ut sint instar glumæ rotatæ,
Instar stipulæ correptæ vento:
Ut saltum comburit ignis,
Ut montes incendit flamma;
Sic tu illos tua tempestate persequere,
Tuoque turbine consternatos age.

Multo quidem usitatissima est apud Hebræos hæc comparationis forma, non tamen sola: est enim ubi comparationem latius explicant; ac tum sententiarum distributioni æque consulunt, non ipsam imaginem, sed adjuncta geminantes, & singula binis sententiis parallelis exponentes: quod fecit Moses in comparatione superiorem illam proxime sequente, qua Dei sollicitam de populo suo curam, & paterni amoris affectum, cum Aquilæ φιλοςοργια pulcherrime confert: *

כנשר יעיר קני
על גוזליו ירחף:
יפרש כנפיו יקחהו
ישאהו על אברתו:

Ut Aquila excitat identidem nidum suum;
Super pullos suos sese motitat (63)
Expandit pennas, assumit eos;
Gestat eos super alam suam.

Et hac quoque in parte elegantissime Jobus in comparatione torrentis supra laudata, quam idcirco integram corollarii loco adjiciam: **

אחי בגדו כמו נחל
כאפיק נחלים יעברו:
הקדרים מני קרח
עלימו יתעלם שלג:
בעת יזרבו נצמתו
בחמו נדעכו ממקומם:
ילפתו ארחות דרכם
יעלו בתהו ויאבדו:
הביטו ארחות תמא
הליכות שבא קוו למו:
בשו כי בטח
באו עדיה ויחפרו:

Fratres mei perfide egerunt sicut torrens,
Ut decursus torrentium illico transierunt:
Qui turbidi ruunt a glacie;
In quos resoluta absconditur (64) *nix:*
Quo tempore æstu afficiuntur, pereunt (65);
Cum calescit, exscinduntur e loco suo:
Declinant catervæ de via sua;
Ascendunt in deserta & intereunt:
Respectant eos catervæ Themææ;
Turmæ Sabææ spem in eos intendunt:
Pudet illas fiduciæ suæ;
Perveniunt illuc, & erubescunt.

* *Deut.* XXXII. 2.
** *Ps.* LXXXIII. 14.--- 16. Inter hæc duo comparationum paria ea intercedit cognatio connexioque, ut efficeretur una simplexque comparatio, nisi sententiosa versuum distributio rem alio ordine formaque dispsosuisset. In editis locis extruebantur arcæ, ut tritico excusso jactatoque ventus glumam paleamque auferret: has ita ablatas igne comburebant. Vide *Isai.* V. 24. *Matth.* III. 12. *Hammond.* in loc. יער autem pro quovis loco edito & inculto sumitur, ut liquet ex *Mic.* III. 12. (62)

* *Deut.* XXXII. 11.
** *Job.* VI. 15. — 20.

NOTÆ EDITORIS.

(60) Amplificantis hoc est, non illustrantis. Castella cito capi, ex mera narratione, sine omni hac comparatione intellige: at inest hyperbole quædam in comparatione, usitata Hebræis, similisque illi, qua breviter & per metaphoram David hostes, deditionem facientes, *defluere ut marcida poma*, *vel folia* dixit *Ps.* XVIII. 46.

Barbari autumnitate sua decidunt,
Et exeunt ex castellis suis.

Id vero est; victi ad me cives, expugnatorumque castellorum præsidia, certatim confluunt.

Quot folia in silvis primæ sub frigora brumæ
Lapsa fluunt, queis jam vigor & sua vita recessit.

(61)

(61) Non parum decedit decori poetico, ſententia prophetæ non recte intellecta. Nec enim de gratia, quam theologorum ſcholæ dicunt, tot poſt Auguſtinum controverſiis iriſque celebrata, nec de virtute evangelii ad emendandos hominum animos, ſed de verbi prophetici certo implemento loquitur. Conſuetum Hebræis, verbum Dei, propheticum maxime, imbri cœleſti comparare, *Deuteron.* XXXII. 2. *Ezech.* XXI. 2. *Mich.* II. 6. *Job.* XXIX. 22. 23. Certum ergo & inevitabile oraculorum divinorum complementum deſcripturi, fingunt, hoc imbre terram impraegnari ac fœcundari, ut res prædicta ſuo tempore ex illa propullulet. Cecinerat Jeſaias, ut toto illo longiore, inde a capite XL., vaticinio, ita hoc ipſo in capite, v. 3. 4. 5. æternum Dei cum Iſraelitis fœdus, impletam illis perpetuam ac ſtabilem gratiam Davidi juratam, regem nempe æternum atque immortalem, in ejus ſolio ſeſſurum: hunc doctorem quoque & regem fore gentium barbararum, ignotaſque gentes imperio ſuo ſubjecturum. Hæc ſi cui nimia magnitudine incredibilia videantur, jubet eum cogitare, Dei conſilia humanis immenſum altiora eſſe: plana illi, quæ nobis ardua. Addit, certum conſtare oraculis divinis, quantumvis mirabilibus, implementum: nivi aut pluviæ ſimile verbum Dei propheticum eſſe; quæ ut ad cœlum non redeat, niſi juſſa fecerit, rigaverit, fœcundaverit, ac parere fecerit terram, cibumque eſurientibus, ac novum ſemen agricolis largita ſit; ſic & verbum propheticum imperata, id eſt, prædicta perfecturum. Ita intelligo comparationem, cum ob nexum præcedentium & ſequentium, (v. 12. 13.) tum quod recepta ac tralatitia ſententia ne veram quidem ſundit ſententiam. Affirmaritne enim theologus, aut qui omnino prædicationi evangelii interſuit, nunquam hanc cœleſtem pluviam ſine fructu deſcendere? ſemper perficere, quæ volebat Deus? Dici id non poteſt, niſi ab his, qui ſtatuunt, nolle Deum quorundam hominum emendationem, neque eo fine illis dediſſe evangelium ut meliores fiant, ſed verbo ſuo virtutem, illorum converſioni neceſſariam, ſubtraxiſſe. Ita ſæpe ignorantia imaginum poeticarum, ac nimium ſtudium, ea in ſacris literis inveniendi, de quibus frequentiſſime in ſcholis diſputatur, hæreticos facit eos, qui hoc nomen maxime exhorreſcunt.

Simillimum noſtro habemus aliud Jeſaiæ carmen, ſed brevius, metaphoram vel allegoriam potius habens, non comparationem, c. XXXXV. 8.

> *Rumpimini cœli deſuper.*
> *Nubila fluant veritate.*
> *Pandat ſe terra, fœcundent eam victoriis,*
> *Veritaſque cum illis propullulet.*

In quorum verborum explicatione ſi quis hæret, ſciat צדק & Arabibus veritatem eſſe, & vero Jeſaiæ frequentiſſime, (c. XXXXI. 26. &c.) ישע autem, ישועה & תשועה pene propriam vim in victoriis habere. Confer 2. *Reg.* V. 1. 1. *Sam.* XIV. 45. *Jeſ.* XIX. 20. *Obad.* 21. &c.

(62) Fallitur noſter, nec comparationis magnitudinem perſpexit. יער nunquam area eſt, ne Michaæ quidem, qui ſilveſcere potius montem templi videt: noſtro autem loco, illo indice parallelismo utriuſque membri, quem infra explicabit noſter, utque eximium interpretationis adjumentum laudabit, montes intelliguntur, ſilvis obſiti. Silvarum incendiis, ſed aut raris aut inauditis in Anglia, nihil terribilius, maxime vento incendia ſpargente. Lege Virgilium, *Georg.* II. 305. 311. *Æneid.* II. 304. 305. Eſt ergo duplex comparatio, hæc illa major & auguſtior.

(63) Melius, *incubat*, ex Syriaſmo. Motitare, conjecturis interpretum debetur.

(64) Etiam hoc conjecturale eſt, non philologicum. Arabibus غلم eſt *furere, cum impetu ruere*, adhibeturque tanquam proprie de *furore Venereo*, unde & Hebræi forte puerum prima pubertate עלם, puellam עלמה dixerunt. Lucebit verſus Jobi, ſi vertas: *cum furens in illos nix fertur*: majus ei decus, ſi ad Ægyptiam alludatur imaginem, fluvium innatantem ac fœcundantem marito, terram uxori comparantem. Videatur Jablonskii Pantheon, ubi de Offride & Iſide agit.

(65) Mallem: *alio tempore æſtuant, alio ſilent:* ex Arabico زرب *æſtuare*, unde eſt زرجبة, *Euripus*. Schultenſio adſtipulari non poſſum, contra eas leges, quas ipſe in linguæ Hebraicæ explicatione veriſſimas tulit, זרב conferenti cum ضرب (צרב) *percutere*. צמת etiam duce Arabiſmo expoſui *ſilere*, a qua ſignificatione & altera, exſcindendi, ſeu ad ſilentium mortis redigendi, orta eſt. Proprie accipi videtur *Pſ.* CI. 5. *delatores ſilere jubeo*.

PRÆLECTIO DECIMATERTIA:

DE PROSOPOPŒIA.

Ex iis dictionis figuratæ partibus, quas, ut ad notionem משל maxime accommodatas, tractandas propoſui, ultima jam reſtat proſopopœia. Ejus figuræ duo ſunt genera: unum, cum rebus vel fictis, vel ratione ac ſenſu carentibus, actio ac perſona datur; alterum, cum veræ perſonæ probabilis oratio tribuitur. Prius illud plane eſt ſpecies quædam metaphoræ, eaque omnium longe audaciſſima, ac periculo quidem proxima. Opportune itaque illata recteque uſurpata vim habet multo maximam; nuſquam autem majorem quam plerumque apud Hebræos vates, quibus tamen nulli eam frequentius aut liberius uſurpant.

Ac primum quidem, ut de perſonis fictis agamus, hoc habent cum cæteris ſcriptoribus commune, ut notionem generalem & abſtractam ſæpe perſona induant, atque agentem & loquentem etiam veluti in ſcenam producant: qua in re ut cultiſſimos elegantia & decore facile exæquant, ita graviſſimos ſublimitate longe antecedunt. Quid aptius atque venuſtius, quid grandius etiam & excelſius fingi poteſt, quam ea ſapientiæ perſona, quæ a Salomone toties inducitur? non modo humanæ vitæ dux, artium indagatrix, honorum, divitiarum, veræque felicitatis largitrix, ſed æterna, immortalis, creatoris omnipotentis alumna, & divinorum conſiliorum particeps.*

בהכינו

* *Prov.* VIII. 27. – 31.

בהכינו שמים שם אני
בחקו חוג על פני תהום:
באמצו שחקים ממעל
בעזוז עינות תהום:
בשומו לים חקו
ומים לא יעברו פיו
בחוקו מוסדי ארץ:
ואהיה אצלו אמון
ואהיה שעשועים יום יום
משחקת לפניו בכל עת:
משחקת בתבל ארצו
ושעשעי את בני אדם

Cum Jehova cœlos ornaret, ego adfui:
Cum ſuper faciem abyſſi circulum deſcriberet:
Cum ſuperne firmaret æthera;
Cum ſtabiliret abyſſi fontes:
Cum mari decretum ſuum ederet,
Ne aquæ tranſirent præſcriptum limitem;
Cum deſignaret telluris fundamenta:
Tum aderam illi alumna,
Et eram quotidianæ deliciæ;
Coram illo ludebam jugiter:
Ludebam in orbe terrarum ejus,
Et deliciæ meæ cum filiis hominum.

Quid illa apud Pſaltem divinorum attributorum proſopopœia? juſta quidem, elegans, ſplendida, ſi ex proprio tantum atque apertiore pſalmi argumento interpretemur, de reſtitutione populi Judæi a captivitate Babylonica: quod ſi ad diviniorem illum ſenſum referamus, qui ſub ea imagine non obſcure adumbratur, ſupra modum grandis atque excelſa, pleniſſima myſterii & ſublimitatis: *

חסד ואמת נפגשו
צרק ושלום נשקו:

Miſericordia & veritas ſibi invicem occurrunt;
Juſtitia & pax ſe mutuo oſculantur.

Multæ ſunt præterea hujuſmodi imagines præclare formatæ, ipſaque fictionis audacia magnam vim habentes. Talis eſt apud Habaccucum ** peſtis Jehovam vindicem præcedens: apud Jobum *** mors & perditio de ſapientia affirmantes, illam ad aures ſuas tantum fando perveniſſe: apud Iſaiam denique, ne plura proferam, illa horrenda **** Orci effigies, ingluviem ſuam dilatantis, atque os avidum in immenſum diducentis.

Eſt etiam in hoc genere alia quædam claſſis perſonarum, in ſe quidem elegantiſſima, quam item nobis commendat, & quodammodo familiarem reddit, notiſſimum linguæ Hebrææ idioma, cui videtur debere originem; quo rei locive ſubjectum, adjunctum, accidens, effectus, et ſi quid ſimile eſt, ejuſdem filius appellatur. Hinc apud vates Hebræos gentes, regiones, populi, muliebri habitu induti toties in ſcenam prodeunt. * *Deſcendit ſedetque in pulvere mollis illa & delicata virgo, illa gentium domina, filia Babylonis.*

** *Lugea, ſedetque ſola humi, virgo Sionis filia:*
Flet nocte ſemper inquies, ſemper genis madentibus;
Manuſque tendit ſupplices, nec invenit ſolatia.

Niſi illuc reſpiciamus, duriora videri poſſint *filii* *** *arcus*, *filii* **** *pharetræ*, pro ſagittis; & inſignis illa apud Jobum perſona, acerbiſſimum lethi genus exhibens † *mortis primogenitus*. (66)

Nec minus eleganter rebus inanimis, quam abſtractis notionibus, perſonam tribuit dictio parabolica. Vates ſacri, juſta indignatione contra ingratum Dei populum commoti, †† *cœlos ac terram obteſtantur*, *totique rerum naturæ ſilentium indicunt*: ††† *apud montes cauſam orant*, *& audiunt colles eorum vocem*. Omnia apud illos vita, ſpiritu, affectibus animantur.

†††† ישמחו השמים ותגל הארץ
ויאמרו בגוים יהוה מלך:
ירעם הים ומלואו
תבל וישבי בה:
נהרות ימחאו כף
יחד הרים ירננו:
לפני יהוה כי בא
כי בא לשפט הארץ:

Lætentur cœli, & exultet terra,
Et edicant per gentes, Jehova regnat.
Fremitum edat mare, & quod eo continetur;
Orbis, & ejus incolæ:
Palmas ſuas complodant fluvii;
Certatim montes in cantum prorumpant:
Coram Jehova, nam advenit,
Nam advenit judicatum terram.

דואר

* *Pſ.* LXXXV. 11.
** *Hab.* III. 5.
*** *Job.* XXVIII. 22.
**** *Iſai.* V. 14.

* *Iſai.* XLVII. 1. &c.
** *Thren.* I. 1. &c.
*** *Job.* XLI. 19.
**** *Thren.* III. 13.
† *Job.* XVIII. 13.
†† *Deut.* XXXII. 1. *Iſai.* I. 2.
††† *Micah.* VI. 1.
†††† 1. *Paral.* XVI. 31. *Pſ.* XCVIII. 7. 8. XCVI. 13.

* ראוך מים אלהים
ראוך מים יחילו:
נתן תהום קולו
רום ידיהו נשא:

Viderunt te aquæ, o Deus;
Viderunt te aquæ, dolore correptæ sunt (67)!
Vocem suam edidit abyssus:
Manus suas sublime extulit.

Quod etiam audent feliciter, quanquam periculosius, in iis quoque quæ in ordine & œconomia rerum naturalium, quibus vitam & sensum quendam facilius concedimus, locum non habent. In quo admirabilis est ex multis ille Jeremiæ dialogismus **:

הוי חרב ליהוה עד אנה לא תשקטי
האספי אל תערך הרגעי ודמי:
איך תשקטי ויהוה צוה לה
אל אשקלון ואל חוף הים שם יעדה:

Eheu! o ensis Jehovæ, quousque non quiesces?
Recipe te in vaginam, subsiste, & sile.
Quomodo quiesceret, cum Jehova ei mandata dederit,
Ad Ascalonem & ad oram maritimam, illuc ei condixit?

Alterum est genus prosopopoeiæ, cum veræ personæ probabilis oratio tribuitur. Ut prius illud novitate, varietate, audacia ad gratiam & admirationem comparatum est; ita hoc ipsa veritate specie summam habet evidentiam, auctoritatem, & pondus.

Plane infinitus essem, si omnia vellem percensere, quæ hic occurrunt in sacris carminibus notanda: crebros, elegantes, faciles, acres, improvisos, præcipites in personam transitus; personarum vim, gravitatem, atrocitatem; in primis Dei ipsius orationes divinissimas, tantaque majestate dignissimas; sermones idoneos & personæ congruentes; fictionis credibilitatem, imitationis evidentiam, ac rei ipsius claram repræsentationem. Itaque unum in hoc genere ultimo sufficiat exemplum, quo nullum usquam inveniri potest perfectius, matris Siseræ ἀποκαραδοκια ex nobilissimo Deboræ cantico ***.

Primo maternæ sollicitudinis, animique inter spem metumque dubii, clarissimam imaginem & gestus ejus & verba exprimunt:

* *Ps.* LXXVII. 17. *Habac.* III. 10.
** *Jer.* XLVII. 6. 7.
*** *Jud.* V. 28. --- 30.

בער החלון נשקפה ותיבב
אם סיסרא בער האשנב
מדוע בשש רכבו לבוא
מדוע אחרו פעמי מרכבותיו:

Per fenestram prospexit, & clamavit;
Mater Siseræ, per cancellos;
Cur pudet currum ejus venire?
Cur morantur quadrigarum ejus incessus?

Protinus moræ impatiens comitum suarum solatia prævenit, animo jam elatior, & in muliebrem levitatem & jactantiam cito effusa;

quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria:

חכמות שרותיה תענינה
אף היא תשיב אמריה לה:
הלא ימצאו יחלקו שלל

Sapientes primariæ ejus fœminæ certatim ei respondent;
Imo ipsa sibi suos sermones illico reddit: (68)
Annon jam assequentur, divident prædam? —

Videamus autem quam consoni sunt personæ loquentis singuli conceptus, singulæ voces. Non stragem hostium recenset, non numerum captorum, non virtutem & facta victoris; sed, ut quæ

Fœmineo prædæ & spoliorum arderet amore,

ea potius omnia, quæ levem vanissimæ mulierculæ animum capere possent, ancillas, aurum; vestem: nec recenset modo, sed omnia iterat, accumulat, auget; spolia ipsa manibus suis jam videtur versare, ita singulis eorum partibus contemplandis hæret & immoratur.

הלא ימצאו יחלקו שלל
רחם רחמתים לראש גבר:
שלל צבעים לסיסרא
שלל צבעים רקמה
צבע רקמתים * לצוארי שלל:

Annon jam assequentur, divident prædam?
Ancillam, imo duas unicuique ancillas?
Præ-

* לצוארי שלל, *Spolium ornandis cervicibus*; est forma constructa pro absoluta. Vide *Mic.* VI. 16. *Thren.* III. 14. & 66. quæ eodem modo expedienda sunt. Qui plura velit adeat *Buxtorf. Thes. Gram* II. 4. qui tamen ibidem hanc phrasin aliter accepit.

Prædam verficolorem, acupictam;
Coloratam, utrinque acupictam, collo exuvium?

Accedit ad cumulandam hujuſce loci pulchritudinem, in ſententiarum poetica conformatione mira concinnitas; in dictione magna vis, nitor, accuratio; in repetitionibus ſumma elegantia; in ipſa repetitionum redundantia ſumma brevitas: poſtremo ſpei muliebris graviſſima fruſtratio, per ſubitam atque inſperatam illam apoſtrophen,

כן יאבדו כל אויביך יהוה

Sic pereant omnes inimici tui, o Jehova!

tacite inſinuata, eo ipſo ſilentio plenius fortiuſque exprimitur, quam ullis verborum coloribus depingi potuit.

Verum qui hujuſce figuræ univerſam vim & virtutem, ac præcipuum in oda Hebræa ſplendorem intelligere velit, adeat is ſcriptorem longe diviniſſimum Iſaiam. Ibi inveniet in breve carmen concluſa omnia perſonarum exempla, omnes ſublimitatis fontes derivatos. Locum ipſum præcipuaſque ejus virtutes non pigebit brevi enarratione indicare. *

Vates, poſtquam Judæis liberationem a dura illa ſervitute Babylonica & reditum in patriam prædixit, protinus ipſos inducit canentes carmen quoddam triumphale in occaſum regis Babylonii (*69*), refertur ſplendidiſſimis imaginibus, & perpetuis proſopopœiis, iiſque pulcherrimis, continuatum. Carmini exordium facit ſubita Judæorum exclamatio, gaudium ipſorum & admirationem ob inſperatas rerum vices & interitum tyranni exprimens. Ipſa tellus cum incolis ſuis triumphat; Abietes & cedri Libani, quibus imaginibus ſtylus parabolicus ſæpe adumbrat reges & principes gentium, exultant gaudio, & fractam immaniſſimi hoſtis potentiam convitiis inſectantur:

נחה שקטה כל הארץ פצחו רנה
גם ברושים שמחו לך ארזי לבנון
מאז שכבת לא יעלה הכרת עלינו:

Quieſcit, tranquilla eſt tota tellus, erumpunt in cantum:
Etiam abietes lætantur propter te, cedri Libani,
Ex quo jacuiſti, non aſcendit in nos vaſtator.

* *Iſai.* XIV. 4. — 27.

Sequitur orei, ſive infernæ regionis, audaciſſima proſopopœia: excitat ille incolas ſuos, principum manes & defunctorum regum umbras: protinus omnes de ſoliis ſurgunt, & regi Babylonio venienti obviam procedunt; inſultant ei & illudunt, & ex ejus calamitate ſuæ ſorti quærunt ſolatia:

גם אתה חלית כמונו אלינו נמשלת
הורד שאול גאונך המית נבליך
תחתיך יצע רמה ומכסיך תולעה:

Tune etiam debilitatus es, ut nos? noſtri ſimilis factus es?
Demiſſa eſt ad orcum ſuperbia tua, ſtrepitus cithararum tuarum?
Subter te ſternitur vermis, tegumentum tuum lumbricus?

Iterum Judæis ſermo tribuitur: exclamatione ad morem funebrium lamentorum conformata, quam fere rationem univerſa hujus carminis conſtructio ſequitur, inſignem ejus occaſum pulcherrime exaggerant:

איך נפלת משמים הילל בן שחר
נגדעת לארץ חולש על גוים:

Quomodo decidiſti de cœlo, o Lucifer, fili Auroræ!
Deturbatus es in terram, qui ſubegiſti gentes!

Ipſum deinde fingunt loquentem, & inſana potentiæ ſuæ jactatione ſupra modum gloriantem, unde mirifice amplificatur ruinæ ejus atrocitas. Nec hoc ſatis; nova protinus efficitur perſona: inducuntur, qui ejectum regis Babylonii cadaver inveniunt; attentius eum propriuſque contemplantur, ac vix demum agnoſcunt:

הזה האיש מרגיז הארץ מרעיש ממלכות
שם תבל כמדבר ועריו הרס:

Hiccine vir ille, qui tremefecit terram, commovit regna?
Qui orbem redegit in ſolitudinem, urbeſque ejus diruit?

Exprobrant ei communem ſepulturæ uſum ob ſævitiam & crudelitatem merito denegatum, & nomen ejus, ſtirpem & poſteros execrantur. Scenam claudit Dei ipſius graviſſima oratio, regi Babylonio, poſteriſque ejus, ubique ipſi perpetuam exciſionem interminantis, & conſiliorum ſuorum immutabilitatem ſolennis jurisjurandi ſacramento confirmantis.

Quæ imagines, quam variæ, quam denſæ, quam ſublimes, quanta vi, qui-

bus verbis, figuris, sententiis, elatæ, in unum locum coacervantur! Judæos, cedros Libani, defunctorum regum umbras, regem Babylonium, eosque qui in cadaver ejus incidunt, ipsum postremo Jehovam, loquentes audimus, & partes suas pene quasi in dramate agentes intuemur. Continuatur actio quædam perpetua, seu potius diversarum actionum varia ac multiplex series contexitur: virtus in oda sublimiori vel præcipua, quæque, uno ex omnibus vetustatis monumentis pulcherrimo ac plane singulari exemplo, in hoc Isaiæ poemate perfecte exhibetur. Crebræ sunt personæ, nec tamen confusæ; audaces, nec tamen duræ: viget per totum spiritus liber, excelsus, vereque divinus; neque deest quidquam ad summam hujusce odæ sublimitatem absoluta pulchritudine cumulandam: cui, ut plane dicam quod sentio, nihil habet Græca aut Romana poesis simile aut secundum.

NOTÆ EDITORIS.

(*66*) Adde omnino *fulminis fratrem*, gladium, *Ezech.* XXI. 20. qui paucis antea versibus, (v. 15.) *gladius* dicebatur *filii Dei*, *lignum omne spernens*. Sic noster poeta:

> Ein neuer Prometheus bestielt den Gimmel wider /
> icht Blis aus Stral und Staub / und schafft dem
> Donner Bruder.

(*67*) Melius, *tremuerunt*, quod & auribus poeticis sonantius est. Vide quæ scripsi pag. 117. in fine notæ 22.

(*68*) Nisi forte verti debet, *& ipsa* (mater Sisseræ) *respondet illi*, feminæ sapienti, se solanti. Est nempe in versu 30. elegans colloquii muliebris imitatio, matre Sisseræ amplius aliquid semper sperante, quam virgines ejus promiserant, earumque voces, tanquam nimis timida corrigente. Virgines interrogant: *nonne invenient* --: interpellat mater: *divident spolium?* quod plus moræ habet. Illæ: *puellam uterum gestantem pro viro*: hæc: *immo binas puellas, gravidas*. Illæ: *prædam versicolorem Siseræ*: quæ: *immo prædam versicolorem acupictam, versicolorem, utrimque acupictam, pro collo captorum equorum*.

(*69*) Nempe & hoc proprium ac privum est poetis Hebræorum, ut medio carmini aliud intexant sonantius jam & majus carmen, cui collata reliqua oratio pene prosa videtur; fingantque epinicium, aut epicedium, pro more gentis a poetis mulieribusve canendum. *Jes.* XXVI. 1. seqq. XXVII. 2. 3. 4. 5. *Jerem.* IX. 16.-20. *Ezech.* XXX. 2. seqq. Cujus prosopœpeiæ mira vis est, tum quia magis videmur nobis in rem præsentem venire, ipsisque jam victoriis aut malis interesse, epinicia ista aut epicedia audientes: tum quod admirabilius quid ac divinius persentiscimus, cum reliqui carminis sensu jam adfecti majus aliud auribus haurimus. Quo in genere pro more suo novus est, illisque, quos imitatur, audacior *Habacucus*, c. II. 6. seqq. carmen ludicrum & acerbe lætum componens, pro Babyloni gentes, duram antea expertæ servitutem, insultabunt. Dignum illud, quod hic legeretur: sed servare ejus explicationem liceat collegio critico in Habacucum, propediem edendo.

PRÆLECTIO DECIMAQUARTA:

DE SUBLIMI GENERE;

A C

DE SUBLIMITATE DICTIONIS.

CUm in figurato dicendi genere quæ maxime observatu digna, & ad notandum peculiarem usum & propriam Hebrææ poeseos indolem præcipue idonea videbantur, superioribus prælectionibus satis fuse mihi videor exposuisse; cæteris quæ in poetica vel in oratione soluta fere communia sunt omissis, transeo ad sublimitatem sacrorum vatum, multis quidem exemplis, prout res tulit, jam antea illustratam, suo nunc loco distinctius tractandam: hunc enim statui tertium Hebræorum styli poetici charactera. Is continetur in altera illa notione τȣ משל, qua potestatem denotat ac principatum, quaque nonnunquam, cum de stylo agitur, id præcipue videtur significare, quod eminet atque excellit, quod pollet ac dominatur in oratione. Ea sane vis huic voci subjicitur iis in locis, ubi dicitur aliquis שאת משלו, *extollere parabolam suam*, hoc est, sententiam grandem & elatam edere. Exemplo sit nobis is ipse locus, ubi primum occurrit isthæc loquendi formula. Hoc itaque modo Balaamus parabolam suam effert: *

* *Num.* XXIII. 7. — 10.

מן

מן ארם ינחני בלק
מלך מואב מהררי קדם:
לכה ארה לי יעקב
ולכה זעמה ישראל:
מה אקב לא קבה אל
ומה אזעם לא זעם יהוה:
כי מראש צרים אראנו
ומגבעות אשורנו:
הן עם לבדד ישכון
ובגוים לא יתחשב:
מי מנה עפר יעקב
ומספר את רבע ישראל:
תמות נפשי מות ישרים
ותהי אחריתי כמהו:

Ex Aramæa me arcessivit Balacus;
Rex Moabitarum ex montibus Orientis:
Veni, execrare mihi Jacobum;
Et veni, detestare Israelem.
Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus?
Aut quomodo detestabor, quem non detestatus est Jehova?
Nam e vertice rupium eum aspiciam,
Et ex collibus eum contemplabor;
En populum qui seorsum habitabit,
Neque sese gentibus annumerabit!
Quis percensuit pulverem Jacobi?
Aut numerum vel quartæ partis Israelis?
Moriatur anima mea morte Justorum;
Et sit exitus meus illius instar!

Quanam igitur de causa fieri dicamus, quod hæc vatis oratio משל appelletur? Est quidem parallelis sententiis, paribusque membrorum intervallis accuratissime demensa; neque hujusce distributionis elegantiam multum obruit aut obscuravit interpretatio: quod genus inter proverbia & gnomas, quæ משלים vocantur, numerari, ob eandem periodorum conformationem, cum forte nihil habeat adagii aut præcepti simile, supra statuimus. Verum qui hunc ipsum locum, vel cæteros qui eadem inducuntur loquendi formula, attente considerabit, quorum omnium eximia quædam est vel figurarum atque imaginum varietas, vel dictionis ac sensuum elatio, vel etiam utrumque; is facile sibi persuadebit majus quiddam oportere intelligi, quam sententiosæ concinnitatis commendationem. Quod si eundem ex altera parte spectamus, nihil ibi inveniemus figuratum, in nostro quidem sensu, ac quatenus משל id denotat: nihil plane subest mysticum, nihil allegoricum, nullæ imagines, nulla comparatio, in versiculis quatuordecim una tantum metaphora: adeoque ita non potest accipi, quasi ostenderetur hic locus ex genere esse parabolico proprie dicto. (70)

Restat itaque ut intelligamus ea voce hic præcipue denotari egregios illos sensus, excelsum spiritum, illud denique εναργες ϗ ενθυσιαστικον, quo vatis responsum animatur. Quo exemplo exponere volui quibus inductus rationibus crederem, voci משל, cum ex vi tum etiam ex usu suo, subesse notionem sublimitatis; stylumque poeticum apud Hebræos id ipsum suo nomine ac titulo profiteri, quo aliarum gentium poesi re & veritate longe antecellit.

Sublimitatem autem hic intelligo sensu latissimo sumptam; non eam modo quæ res grandes magnifico imaginum & verborum apparatu effert; sed illam quæcunque sit orationis vim, quæ mentem ferit & percellit, quæ movet affectus, quæ rerum imagines clare & eminenter exprimit; nihil pensi habens, simplici an ornata, exquisita an vulgari dictione utatur: in quo Longinum sequor, gravissimum in hoc argumento & intelligendi & dicendi autorem.

Sublimitas vel in dictione vel in sensibus posita est. Oritur quidem plerumque ex utraque parte simul sumpta, cum altera alteri auxilio est, & inter utramque intercedit vis & ponderis amica quædam communicatio & societas: quod tamen non impedit, quo minus alterutram seorsum commode satis tractare possimus. Primum itaque videamus, quid habeat dictio poetica apud Hebræos, tum in se spectata, tum cum soluta oratione collata, quo mereatur nomen ex sublimitate impositum.

Habet poesis, quacunque utatur lingua, proprium quoddam ac suum dictionis genus, acre, grandiloquum, sonans, verbis amplum & exaggeratum, compositione exquisitum factumque, toto denique habitu & colore a vulgari consuetudine abhorrens, & persæpe etiam veluti cum libera quadam indignatione perrumpens claustra, quibus communis sermo continetur. Loquitur ratio remisse, temperate, leniter; res ordinate disponit, aperte signat, distincte explicat; studet imprimis perspicuitati, ne quid confusum, ne quid obscurum, ne quid involutum relinquatur. Affectionibus vero nihil horum admodum curæ est: turbide confluunt, intus luctantur, conceptus; ex iis vehementiores temere, qua licet, erumpunt; quod vividum, ardens, incitatum, non quærunt, sed arripiunt: ut verbo dicam, mero sermone utitur ratio, affectus loquuntur poetice. Animus, quocunque concitetur affectu, in eo, unde concitatur, penitus inhæret defixus; id laborat eloqui: nec satis habet rem, nude ac

pla-

plane qualis est, exprimere; sed ita qualem ipse concepit, splendide puta, vel luctuose, vel exsultanter, vel atrociter. Etenim affectiones sua vi ac natura feruntur in amplificationem; omnia in animo mirabiliter augent & exaggerant, eaque sublate, magnifice, atque eminenter gestiunt exprimere: quod duobus potissimum modis assequuntur; partim splendidis imaginibus aliunde arcessitis rem ipsam illustrando; partim in elocutionem novas atque mirabiles quasdam dicendi formas inducendo, quæ magnam vim habent, eo unice quod præsentem animi habitum & figuram aliquo modo imitentur atque effingant. Hinc illa schemata de quibus tam multa rhetores, id arti tribuentes, quod unum omnium vel maxime est naturæ:

> * *Format enim natura prius nos intus ad omnem*
> *Fortunarum habitum: juvat, aut impellit ad iram,*
> *Aut ad humum mœrore gravi deducit & angit;*
> *Post effert animi motus interprete lingua.*

Quod in universa poeseos natura obtinet, id in Hebræorum poesi vel præcipue locum habere facile constabit. Ac primum quidem, quantum in transferendis atque accommodandis imaginibus valeat, quantumque exinde nitorem, majestatem, elationem, derivarit, jam antea vidimus. In dictione etiam, quam vim habeat ad ornatum & dignitatem dialectus poetica, qua frequenter utitur, nec non artificiosa sententiarum distributio, quæ cum metrica ratione, quanquam penitus jam deperdita, apparet tamen arcta quadam necessitudine fuisse conjuncta, prius observatum est. Videndum itaque si quæ restant alia, quæ in Hebræorum elocutione poetica multum pollent, eamque a soluta oratione secernunt & discriminant.

Nihil vulgari Hebræorum sermone simplicius & inornatius concipi potest: nuda, recta, sana, atque sincera sunt omnia; voces nec exquisitæ, nec lectæ; periodorum nulla cura, ac ne cogitatio quidem: ipse vocum ordo plerumque constans est, & sui similis: præit verbum, subjicitur nomen agentem denotans, sequuntur cætera: res ipsæ singulis enunciationibus singulæ exponuntur, adjuncta seorsum subjunguntur, sine ulla inter se partium implicatione aut impedimento; & quod vel præcipuum est, unius fere particulæ ope ab initio ad finem perpetua quadam serie aliud ex alio nectitur, ita ut nihil dissipatum, aut abruptum, aut turbatum appareat. Tota denique oratio cernitur eo ordine disposita, eaque partium continuatione colligata, ut plane æquabilem ipsius scriptoris habitum demonstret, animique sedati & tranquilli imaginem quandam exhibeat. In poesi vero Hebræa, plerumque ex aliqua parte, in omnibns nonnunquam, plane aliter se res habet. Præcipitatur liber spiritus, cui nec vacat nec lubet tam minutis ac frigidis curis invigilare: sæpe non tam vestit oratione & exornat conceptus, quam plane detegit ac nudat; ut quasi velo detracto omnes animi status motusque, subitos impulsus, celeresque impetus, & multiplices flexiones, palam intueri videamur.

Qui de his certior fieri velit, non dubito quin sibi ipse facile probaturus sit ita rem habere, modo faciat periculum. Sumat in manus librum Jobi; prooemium historicum perlegat; tum procedat ad metrica, & primam Jobi orationem diligenter evolvat. Fatebitur jam credo id sibi accidisse, ut, cum ventum esset ad carmina, in aliam pene linguam se repente delatum putaret; & multo sibi majorem visam esse styli utriusque inter se dissimilitudinem, quam si a Livii lectione ad Virgilium accederet, aut etiam ab Herodoto ad Homerum transiret, aut denique Xenophonte deposito in Chorum aliquem Sophoclis aut Æschyli subito incideret. Neque sane immerito; nam cum hic locus imitetur vehementissimum πάθος, quo nihil ardentius atque incitatius quisquam poetarum unquam tentavit, non modo sensuum atque imaginum admirabilis est vis, pulchritudo, sublimitas, sed & is etiam est universæ dictionis character, tam vividi verborum colores, tam crebra rerum coacervatio, tam densa continensque frequentatio sententiarum, tam animosa & affectibus plena tota construtionis forma, ut nihil habeat poesis ipsa magis poeticum. Horum pleraque apertiora sunt quam ut diligentem lectorem possint fallere: sunt quidem nonnulla, ad structuræ formam præcipue spectantia, quorum subtilior quædam est ratio; fit etiam interdum, ut quæ magnam vim habent, & facile animo concipi possunt, eadem tamen difficiles habeant explicatus; dum contemplaris, satis clara forsan apparent, si manibus contectes, sæpe videntur evanescere. Cum vero ad rem nostram præcipue pertinet, vestra, Academici, fretus indulgentia, tentabo si quod harum elegantiarum specimen possim exhibere.

* *Hor. Art. Poet.* v. 108. &c.

Primum iraque advertat lector, quam violenter erumpit jamdudum inæstuans præcordiis diuque compressus Jobi dolor:*

יאבד יום אולד בו
והלילה אמר הרה גבר:

Pereat dies, nasciturus eram in eo;
(i. e. quo nasciturus eram)
Et nox (quæ) dixit, conceptus est vir.

Attendat primi versiculi concisam & præcipitem structuram; tum vero in sequente audacem illam figuram & constructionem adhuc præruptiorem (71). Reputet modo secum, an tam acris & contorta locutio in ulla soluta oratione aliquo modo ferri potuisset; aut etiam in versu, nisi subesset eamque sustentaret παθος gravissimum. Et tamen agnoscet, credo, valde perspicuam esse hujusce periodi sententiam; imo vero tantam habere evidentiam, ut si plenior & explicatior efficeretur, eo minus apte clareque mentem atque affectum loquentis exprimeret. Opportune accidit, ut id experiri possimus; est enim apud Jeremiam locus huic similis ac plane geminus, ita ut videri possit exhoc ipso exscriptus. Idem est sensus, nec voces multum dissimiles; sed Jeremias structuræ ellipses supplevit, locutionem Jobi præfractiorem complanavit, & breve distichon dilatavit in duo paria versuum longiusculorum, quibus ille multum utitur.**

ארור היום אשר ילדתי בו
יום אשר ילדתני אמי אל יהי ברוך:
ארור האיש אשר בשר את אבי
לאמר ילד לך בן זכר שמח שמחהו:

Maledictus sit dies ille in quo natus sum!
Dies quo peperit me mater mea sit nefastus!
Maledictus sit vir ille qui nuntiavit patri meo,
Dicens, natus est tibi filius mas, magno cum gaudio affecit.

Ita fit ut Jeremiæ imprecatio plus habeat querimoniæ quam indignationis; lenior est, remissior, flebilior, ad miserationem concitandam præcipue comparata, in quo affectu vates ille plurimum pollet (72): cum Jobus non tam misericordiam moveat, quam incutiat terrorem.

Sed progrediamur paulum; & ut omittamus, quæ satis manifesta sunt, sententias densas, parum inter se connexas, vi atque impetu quodam ex ardenti pectore erumpentes; verba grandia & magnifica quæ præcipiti facundia devolvit indignatio; quorum hic habemus quatuor * intra bis totidem versiculorum spatium, quæ videntur omnino esse poetica; sane ex his vocibus duæ in poeticis passim extans & alibi nusquam, reliquæ sunt adhuc insolentiores: his, inquam, ne immoremur, quid sibi vult ea non jam ut prius decurtata brevitas, sed redundantis orationis!**

הלילה ההוא יקחהו אפל

Nox illa — occupet illam caligo.

In hoc etiam vehementis affectus animique perturbati indicium est. Erat ei nimirum in animo primum sententiam tali forma efferre,***

הלילה ההוא יהי אפל

Nox illa sit caligo!

sed cum jam ingressus esset, id subito arripuit quod animosius & intensius videbatur. Quod nescio an possim melius illustrare, quam si adducam Horatii locum, ubi poetæ indignanti plane similis excidit ανακολουθια.****

Ille & — nefasto te posuit die
Quicunque primum & sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem opprobriumque pagi —
Illum & parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, & penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Cholcha,
Et quicquid usquam concipitur nefas
Tractavit.

Nam proculdubio ita exorsus est poeta ac si sententiam suam hac forma esset explicaturus: *Ille & parentis sui fregit cervicem, & sparsit penetralia cruore hospitis, ille venena tractavit, quicunque te posuit, arbos!* — sed verborum ordinem & rationem constructionis penitus ei ex animo excussit iracundia & stomachus. Quod si hic nobis præsto esset officiosus aliquis Grammaticus, ut est genus hominum diligens, & interdum plus satis curiosum; & poetæ etiam, laboranti & impedito, subsi-

* *Job.* III. 3.
** *Jer.* XX. 14. 15.

* Vers. 4. 5. 7. תופע, צלמות, כמרירי, גמריור.
** Vers. 6.
*** Vide v. 4.
**** *Lib.* II. *Ode* XIII.

ſubſidio veniens, loco ſuam integritatem ſcilicet & nitorem reſtitutum iret; periret protinus exordii pulcherrimi decor, omnis ille impetus atque ardor plane frigeſceret & reſtingueretur.

Sed ad Jobum redeamus: *

הנה הלילה ההוא יהי גלמוד

Ecce! nox iſta ſit deſolata!

videtur formam quandam atque imaginem iſtius noctis ante oculos poſitam coram intueri, eamque quaſi digito demonſtrare, דלתי בטני, ** *oſtia ventris mei*, pro דלתי בטן אמי, *oſtia ventris meæ*, eſt quidem ellipſis facile ſupplenda, ſed quam nemo animo tranquillo ac ſui compos hoc modo periclitari vellet. Ne longior ſim, unum præterea proferam locum, ſub finem hujuſce orationis. ***

למה יתן לעמל אור
וחיים למרי נפש:
המחכים למות ואיננו
ויחפרהו ממטמונים:
השמחים אלי גיל
ישישו כי ימצאו קבר:
לגבר אשר דרכו נסתרה
ויסך אלוה בעדו:
כי לפני לחמי אנחתי תבא
ויתכו כמים שאגתי:

Quianam dabit ærumnoſo lucem,
Et vitam amaris animæ?
Qui avide expectant mortem, & nulla eſt:
Eamque effoderent præ theſauris abditis:
Qui lætantur uſque ad exultationem,
Triumpharent gaudio ſi invenirent ſepulchrum: —
Viro, cujus via e conſpectu Dei remota eſt,
Et cui aditum ad ſe præcluſit Deus?
Nam cibum meum perpetuo præveniunt mea ſuſpiria,
Et pariter cum potu effunduntur rugitus mei.

Admirabilis eſt tuta hujuſce loci compoſitio ſingula attingamus breviter. *Quianam dabit ærumnoſo lucem?* Quis autem dabit? nimirum Deus, quem in animo habuit, ſed haud advertit, nullam de illo in præcedentibus factam eſſe mentionem. De miſeris generatim atque univerſe videtur loqui; ſed ea præcipiti quadam argumentatione ad ſe ſubito transfert, *Nam cibum meum præveniunt mea ſuſpiria*; unde patet omnia hactenus dicta ſpeciatim de ſeipſo eſſe intelligenda. De ſingularibus tranſit ad pluralia, & contra iterum; interpoſita tamen prius inſigni amplificatione, qua deſiderium mortis exprimit, cujus eſt vis & audacia plane ſingularis; tum denique ſententiam priorem, quam abſolviſſe videbatur, ex improviſo arreptam reſumit & continuat. Ex quibus omnibus ſatis, opinor, patet, æſtum & perturbationem loquentis non magis felici quadam ſenſuum atque imaginum audacia, ac verborum etiam pondere, quam ipſo totius orationis habitu geſtuque exprimi.

Quod in hoc loco inſigni demonſtrare hactenus conatus ſum, id in univerſa Hebræorum poeſi, habita rerum & materiæ ratione, præcipue obtinere exiſtimo; nimirum, illam uti charactere quodam dictionis admodum actuoſo atque ardenti, & ad notandos animorum motus nato. Hinc eſt quod plurimis ſcateat dicendi formis, quas ipſorum proſa oratio plane reformidat, quæque nonnunquam videntur dure atque inſolenter, ne dicam barbare, ſonare; quas tamen ſuam habere vim & rationem, cum id nos vel maxime latet, & licet & æquum eſt ſuſpicari. Porro autem erit fortaſſe operæ pretium in hujuſmodi aliis nonnullis periculum ſaltem facere, ſi quid expediri poterit.

* III. v. 7.
** v. 10.
*** v. 20. — 24.

NOTÆ EDITORIS.

(70) Quid משל ſignificet, ſupra expoſui; neque hanc auctoris argumentationem mihi oppoſuerit, qui ſciat, vocabulorum uſum latius multo patere, quam etymon & proprietatem. Ita facile accidere potuit, ut omne poema, etiam in quo figurati nihil eſt, a figurata oratione diceretur, quia figuris maxime poemata diſtingui & ornari ſolent.

(71) Nimis auget noſter emphaſes & audacias carminis, inſolentia putans, quæ nobis non ſolita ſunt. De temporum, quam dicunt, enallage, alius erit agendi locus ad ſequentem prælectionem. Ellipſis pronominis אשר aſperi nihil habet: vix quidquam ea Arabibus frequentius, quibus mollities hæc exiſtimatur & elegantia orationis, neque Hebræis eſt inuſitata. Quod ſi linguas Orientales non ex Latina æſtimaſſet noſter, atque adeo ſi hæc Anglice reddidiſſet, aſperitatem poeticæ conſtructionis admiraturus non erat. Ipſis quippe Anglis ſolitum, pronomen relativum (*which*) omittere. Brevitate tamen majorem fieri orationem facile largior.

(72) Egregie & veriſſime obſervatum. Jobi eſt tragica illa & regia triſtitia, dicam, an deſperatio: Jeremiæ flebiles elegi, miſericordiam provocantes, nec lacrymis major luctus. Quod ut toto orationis colore

facile

facile agnoſcent poetico ſenſu non deſtituti : ita magis tamen lucet, & exotericis etiam explicari poteſt, ubi in eandem uterque imaginem incidit. Repetant, quæſo, lectores, iterumque deguſtent comparationem amicorum Jobi cum rivo perfido, cujus verſionem noſter pag. 112. 113. dedit : ejuſque hauſtu ac tanquam ſpiritu pleni, ad elegantes, lugubres, ſed exiles accedant Jeremiæ elegos, c. XV. 18.

Quare eſt dolor meus perpetuus,
Et vulnus meum intractabile,
Refugiens medelam!
Factus es mihi, ut fons deficiens,
Ut aquæ non fidæ!

Verſionem, in nonnullis novam, ne gratis ſumere videar, moneo, primo, אנש proprie mollitiem ſignificare, ex Arabico أذث : mollia autem vulnera eſſe, adeo ægra ac dolorifica, ut manum medicam non admittant : deinde, non opus eſſe, ut אכזב injurie in Deum ac ruſtice, *mendacem* ſimpliciter vertamus, ſed fontis mendacis, ſeu æſtate deficientis, ſignificatum vocabulo commode tribui poſſe, noſtro loco aptiſſimum. Confer enim phraſin *Jeſ.* LVIII. 11. Atque haud ſcio, an a fonte aut rivo, hibernis imbribus aucto, ſed per æſtatem deficiente, Ecdippæ urbi, אכזיב Hebraice, nomen ductum ſit, idemque illi acciderit, quod permultis urbibus, ut a ſitu, loci ingenio, rivo, fonte, monte, nomen ſortiantur.

PRÆLECTIO DECIMAQUINTA:

DE SUBLIMITATE DICTIONIS.

UT in lingua Hebræa poetici characteris ſublimitas cum ſolutæ orationis ſimplicitate collata evidentius appareret, ad Jobum lectorem remiſi, facile animadverſurum in prooemio hiſtorico & metris proxime ſequentibus, ut rerum ita etiam dictionis magnam diſcrepantiam : Quod ſi eo in loco plane inique inſtituta videatur comparatio, ubi etſi pars utraque pariter vel metrice vel mero ſermone fuiſſet ſcripta, tamen magnam ſtyli diverſitatem neceſſario poſtulaviſſet diverſa materiæ ratio, age alicubi idem experiamur, ubi eadem materia & ſoluta oratione tractatur & poetice inſuper exornatur. Cujus rei egregium exemplum præbebit liber Deuteronomii, in quo Moſes & oratoris & poetæ munus ſuſtinet. Primo quidem graviſſima oratione * Iſraelitas ad pacti fœderis obſervantiam præmii ampliſſimis propoſitis hortatur, & ab ejuſdem violatione pœnarum maximarum interminatione deterret : quæ ut altius inſiderent penituſque infixa inhærerent in eorum animis, idem deinde argumentum, ex Dei ipſius mandato, carmine ** plane divino exornat. Quibus in locis omnino cernitur, ſi quid uſquam habent Hebræi in diverſis generibus vehemens, grande, magnificum; quantumque vel in proſa eloquentia vel in poeſi pollent : atque ita quidem, ut ſimul videre poſſimus, quid inter utramque interſit, in ſenſibus, in imaginibus, in materiæ diſpoſitione, in habitu denique & colore dictionis. Qui itaque propriam indolem ac genium elocutionis poeticæ apud Hebræos penitus perſpectam habere velit, hos locos diligenter inter ſe conferat; videat quantum intereſt inter genus illud orationis grande quidem, vehemens, exaggeratum, ſed ſimul ordinatum, fuſum, tractumque, & in illo impetu & violentia æquabiliter tamen profluens; & has poeſeos acres, incitatas, & vibrantes ſententias, ſenſibus elatas, verbis ardentes, compoſitione novas, conſtructione varias; dum vatis animus huc illuc identidem ſeſe proripit, neque uſquam in uno loco ſituque conſiſtit. Quorum pleraque ejuſmodi ſunt, ut multo facilius meliuſque diligens lector uſu & obſervatione percipere & notare poſſit, quam quiſquam aut explicata intelligere, aut intellecta explicare. Eſt quidem unum atque alterum in hoc inſigni carmine animadvertendum, quod, cum ex eo ſit genere, cujus in poeſi Hebræa frequens eſt uſus, magna ſæpe vis, ac nonnunquam perdifficilis ratio, attentiorem paulo diſquiſitionem poſtulare videtur.

Ac primum quidem quod, ſumto ex hoc poemate exemplo, in univerſum notari velim, eſt ſubita ac frequens perſonarum mutatio, idque in allocutionibus; nam de variis perſonarum inductionibus jam antea ſatis tractatum eſt. Sub ipſo carminis exordio Moſes veritatem & juſtitiam in omnibus Dei conſiliis factiſque ſanctiſſime ſervatam prædicat; unde arrepta occaſione in populi ingrati perfidiam & flagitia ex improviſo invehitur; primum quaſi in abſentes, *

שחת לו לא בניו מומם

Corrupit illi filios, non jam ſuos,
ipſorum pravitas;

tum ipſos ſtatim alloquitur;

דור

* *Deut.* Cap. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII.
** *Deut.* XXXII.

* *Verſ.* 5. 6.

דור עקש ופתלתל:
הליהוה תגמלו זאת
עם נבל ולא חכם:
הלוא הוא אביך קנך
הוא עשך ויכננך:

Genus perversum & distortum!
Hoccine ergo Jehovæ rependetis,
Natio stulta atque insipiens?
Nonne ipse pater est tuus & redemptor tuus,
Ipse te fecit & formavit?

Postea deservescente paulum indignatione, & re altius repetita, Dei erga Israelitas indulgentiam & affectum plusquam paternum, ex quo eos in propriam sibi gentem elegerat, perpetuo testatum pulcherrime amplificat; atque hæc omnia iterum averso ab Israelitis sermone: exinde mirabiliter exaggerat ingrati atque impii populi, seu potius pecudis, stuporem & immanitatem; & quo impetu jam iterum erumpit vatis indignatio, quæso, advertite: *

וישמן ישרון ויבעט
שמנת עבית כשית
ויטש אלוה עשהו
וינבל צור ישעתו:

At saginatus est Jeshurun & recalcitravit;
Saginatus fuisti, incrassatus, adipe obducto coopertus!
Et deseruit Deum creatorem suum,
Et rupem salutis suæ vilipendit.

In una brevi sententia ex abrupto ad Israelitas conversa, & ab iisdem denuo aversa oratio, admirabilem vim habet; fervida est, vehemens, aculeata, plenissima odii & indignationis. Digna sane est, quæ cum hoc Mosis loco conferatur illa Virgilii, quanquam minus ardens, imprimis tamen ingeniosa apostrophe, qua proditori suum crimen exprobrat, simulque a rege crudelitatis invidiam amovet: **

Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ
Distulerant: at tu dictis, Albane, maneres,
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per sylvam, & sparsi rorabant sanguine vepres.

Possem ulterius procedere, & ejusdem rei exempla, plura quidem ex hoc ipso carmine proferre, aliunde innumera congerere, quorum varia est vis & ratio: verum hæc sufficiunt ad demonstrandum magnam sæpe in hoc genere vim inesse, in vehementioribus affectibus exprimendis, & in notandis subitis illis motibus & incitatissimis animi conversionibus, sese huc illuc paulo momento impellentis, & in varias partes rapientis. Qui autem in Hebræis carminibus diligenter versabitur, is facile animadvertet, multo plura hujusmodi, ac perpetuo fere, occurrere, quam quæ ullo modo ferre posset vel Græca, vel Romana, vel nostra denique poesis: ex his multa esse quorum difficilior est ratio, quorum consilium & vis, si singulatim ea expendimus, ægre explicari aut etiam percipi potest. Quod etsi omnino verum est, non tamen idcirco existimandum est protinus, ea ipsa, quæ maxime obscura sunt, absurda esse, nullamque in universo genere vim & effectum obtinere, in distinguenda dictione, in sustentando spiritu poetico, in formando illo charactere, qui quantumcunque a nostra consuetudine abhorret, est tamen in suo genere probandus. Attendenda est poeseos Hebrææ propria indoles; libera est, animosa, plena fervoris & audaciæ: poeticam quasi proprium quendam sermonem esse quo affectus loquuntur, existimant Orientales; adeoque in eo sermone si omnia recte & ordinate exprimantur, si ad certas regulas anxie & subtiliter omnia expendantur, id demum fore longe ineptissimum, omnique Solœcismo multo absurdius.

Alterum est, quod ut in hoc poemate ita in omni fere Hebræorum poesi observari potest: temporum nimirum ratio a vulgari consuetudine sæpius mutata. Hujus rei plerumque finis est evidentia, sive in narrationibus vel descriptionibus illustrior rerum repræsentatio. Itaque omnibus linguis, cum in poesi tum etiam in oratione soluta, familiaris est eventuum sive præteritorum sive futurorum in præsenti tempore enunciatio: quo fit ut quæ verbis explicantur ea quodammodo cernere videamur; nec tam retro respicere, aut in futurum providere, quam ante oculos posita coram intueri. Sed in hoc genere linguæ Hebrææ peculiaris quædam est ratio. Nam Hebræorum verba nullam habent formam qua tempus præsens imperfectum, sive actio jam instans, proprie exponi potest; id fit per participium solummodo, vel *per verbum substantivum* (73) *subintellectum* quorum neutrum in hujusmodi locis usu multum obtinuit, aut semper commode admitti potest.

* Vers. 15.
** Æn. VIII. 642.

poteſt. Alio itaque modo eundem finem conſequuntur; nam evidentiæ gratia futura ſæpe exponunt in temporis præteriti, ſeu potius præſentis perfecti, forma, quaſi jam peracta ſint & eventum ſuum habuerint; contra præterita in futuro enunciant, quaſi jam agenda inſtarent & ad eventum feſtinarent. Ac prioris quidem conſtructionis, nimirum ubi futura in præteriti temporis forma exponuntur, & ratio & effectus exemplo propoſito facile ſentietur (74).

Moſes cœleſti mentis inſtinctu proſpiciens nefariam illam divini cultus derelictionem, in quam mox conjuratura erat perfida Iſraelitarum natio, ita eorum crimina inſectatur, quaſi ſe præſente & inſpectante jam antea commiſſa:

שחת לו לא בניו מומם

Corrupit illi filios, non jam ſuos,
ipſorum pravitas:

ita loquitur quaſi ipſe teſtis eſſet eorum impietatis, & nefandis illis ſacris, quibus religionem a ſe divinitus inſtitutam aliquando violaturi erant, interfuiſſet. Qua anticipatione nihil poteſt eſſe efficacius ad res clare & evidenter demonſtrandas, & pene ſub aſpectum ſubjiciendas: adeoque in poeſi prophetica ſæpiſſime locum habet (75). In hoc ut in cæteris admirabilis eſt Iſaias: attendite modo quam clare expoſuit iter Senacharibi adverſus Hieroſolymam, variaſque exercitus ſtationes, utque rerum gerendarum prædictioni eam evidentiam & lucem intulit vates, quam in geſtarum narratione vix conſequi potuiſſet Hiſtoricus. *

בא על עית עבר במגרון
למכמש יפקיד כליו:
עברו מעברה גבע מלון לנו
חרדה הרמה גבעת שאול נסה:
צהלי קולך בת גלים
הקשיבי לישה עניה ענתות:
נדדה מדמנה ישבי הגבים העיזו:
עוד היום בנב לעמד
ינפף ידו הר בית ציון גבעת ירושלם:

Venit Aiatham; tranſiit per Migronem;
Michmaſæ commiſit impedimenta ſua:
Superarunt tranſitum; Geba illis manſio;
Trepidavit Rama; Gibea Sauli fugit:
Ede ejulatum, o filia Gallimorum;
Attende Laiſam verſus, o afflicta
Anathotha!
Migravit Madmena; Gebimenſes conſugerunt.
Adhuc hodie Nobæ ei ſubſiſtendum
eſt;
Agitabit manum in montem filiæ Sionis, collem Hieroſolymæ.

Ita denuntiatur a Joele, & quaſi jam immiſſa deſcribitur peſtis Locuſtarum: *

כי גוי עלה על ארצי
עצום ואין מספר:
שם גפני לשמה
ותאנתי לקצפה:
חשף חשפה והשליך
הלבינו שריגיה:
שדד שדה אבלה אדמה

Nam invaſit terram meam natio;
Robuſta atque innumerabilis:
Vitem meam deſolatam reddidit,
Et ficum meam decorticavit:
Penitus nudavit eam, & abjicit;
Dealbati ſunt ejus palmites.
Vaſtatus eſt ager, luxit terra: —

De eventu futuro loquitur: nam eandem devaſtationem, quam hic depinxit vates evidentiæ cauſa quaſi jam illatam, in ſequentibus ** ſub alia imagine quaſi poſtmodum inferendam, niſi populum flagitiorum pœniteret, interminatur. Hac itaque ex parte Hebrææ linguæ idem fere eſt uſus ac cæterarum: quæ alii ſcriptores evidentiæ gratia, quanquam futura, in tempore præſenti imperfecto exponunt, ea Hebræi in præſenti perfecto efferunt: quod ad claram rei repræſentationem pariter valet.

Ex altera autem parte multum ſane ab aliorum conſuetudine videntur abhorrere; nimirum cum præterita in temporis futuri forma enunciant: atque ea res magnam habet difficultatem. Si adeamus interpretes, ii nodum non modo non expediunt, verum etiam diſſimulant; temporum rationem quantum poſſunt ad rem de qua agitur accommodantes, & ex ſuo ſenſu potius quam ex grammaticæ legibus

* *Iſai.* X. 28. — 32. Commate 29. pro לנו legendum exiſtimo למו cum *Paraph. Chald.* Quomodo cæteri plerique legerint, haud ſatis liquet: perinde eſt ad ſenſum; ad phraſeos elegantiam haud parum, opinor, intereſt. Commate 30. עניה ענתות, alludit Epithetum ad ſignificationem nominis; tanquam ſi diceret,

Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Quod ea de cauſa noto, ut ſi quis intelligere velit, quantum ament Prophetæ, & in primis Iſaias, hujuſmodi elegantias, conſulat locos ſequentes: *Iſai.* V. 7. XIII. 6. XXIV. 17. XXVII. 7. XXXIII. 1. LVII. 6. LXI. 3. LXV. 11. 12. *Jer.* LI. 2. *Ezek.* VII. 6. *Hoſ.* IX. 15. *Amos* V. 5. *Mich.* I. 10. — 15. *Zeph.* II. 4. vid. etiam *Gen.* IX. 27. XLIX. 8. 16. 19. (76)

* *Joel.* I. 6. 7. 10. &c.
** *Joel.* II.

bus, aut ex ullis certis principiis, expromentes. Si grammaticos consulamus, nihilo proficimus magis: rem quidem notant, sed nec explicant, neque tamen suam ignorantiam profitentur; Græco enim vocabulo nobis fucum faciunt, nescio quam temporum enallagen semper in promtu habentes, qua, ne nihil dicant, occurrant quærentibus; quasi scilicet temere & sine ulla ratione aut causa fieret mutatio; quo nihil absurdius aut insulsius concipi potest (77). Quin hujusmodi omnia suam vim habeant & proprietatem, dubitari omnino nequit; quod ex his multa obscura jam sint & impedita, in tanta linguæ Hebrææ vetustate minime est mirandum: quibus tamen ipsis aliqua fortasse lux nonnunquam induceretur; si diligenter attenderemus, quonam esset scriptor mentis habitu situque cum ea ederet, quas apud animum suum rerum imagines tum conciperes. Est apud Mosen in eadem illa ode hujusce constructionis insigne exemplum. Postquam mentionem fecit divini decreti quo Israelitæ in proprium Dei populum electi sunt, pergit exponere quo eos amore & caritate, inde ab eo tempore, cum ab Ægypto eos liberaret, amplexus esset Deus, in solitudine pasceret, per deserta manu duceret, ac veluti in sinu portaret; quæ omnia quamquam manifeste præterita, tamen in futuri temporis forma efferuntur.*

ימצאהו בארץ מדבר
ובתהו ילל ישמן:
יסבבנהו יבוננהו
יצרנהו כאישון עינו:

Inveniet (78) *eum in terra deserta*,
Et in vasta ejulanti solitudine;
Circumdabit eum, edocebit eum;
Custodiet eum tanquam pupillam oculi sui.

Quod anne ex eo explicari possit, quod Moses sese fingit in re præsenti interesse, cum Deus populum suum a reliquis gentibus jam segregaret, atque inde tanquam ex specula quadam contemplari, quid ex eo consilio tum esset continuo consecuturum? Ita sane nonnullis in locis se res habere videtur; ut in Psalmo illo historico Asaphi nomine inscripto plus semel. Postquam populi perfidiam & delicta in ipso pene egressu ex Ægyptiaca servitute commissa exposuit vates, clementiam Dei & Israelitarum denuo repetita flagitia animo quasi prævenit; & veluti mox futura prædicit.**

והוא רחום יכפר עון ולא ישחית
והרכה להשיב אפו
ולא יעיר כל חמתו:
במה ימרוהו במדבר
יעציבוהו בישימון:

Ille tamen misericors condonabit iniquitatem, nec perdet;
Sæpius avertet iram suam,
Neque excitabit omnem suam indignationem. —
Quomodo jam irritabunt eum in deserto,
Discruciabunt in solitudine!

Hujus etiam constructionis admodum elegans exemplum præbet psalmi centesimi quarti tota dispositio: vates enim Dei magnitudinem & sapientiam prædicans ex rerum naturæ constitutione ac conservatione, opera creatoris, facta ipsa ac decreta, quasi illi jam primum omnia ordinanti ipse adesset, in præsenti tempore enunciat; eorundem autem consequentia, variosque usus, & causas quas vocant finales veluti ea inde a principio prospiciens in posterum, in futuro exponit.

Quanquam autem hæc atque hujusmodi alia eo modo quo dixi satis commode explicari posse videantur, restant tamen adhuc quam plurima quæ eodem referri nequeunt, & in quibus non tam respiciendus est situs ille atque habitus animi quem sibi nonnunquam inducit scriptor, quam linguæ ipsius propria quædam natura atque indoles. Nam Hebræi videntur sæpenumero ita usurpare futuri temporis formam, ut non tam ipsius loquentis habeat rationem, quam rei de qua is proxime loquutus est: quæ itaque actio alteri actioni connexa est & consequens, vel quæ seipsam consequitur, iterata nimirum aut coutinuata; quod quis facit & pergit facere; quod frequenter assidue, certatim, sedulo facit; id efferunt quasi futurum. Quam ob causam formam hanc grammatici עתיד appellant; quasi dicas, promtam, expeditam, imminentem (79). Cujus rei exempla posset proferre haud pauca ex locis alias ob causas antehac laudatis: ut * ex elegantissima prosopopœia matris Siseræ; ex ** allegoria vitis ex Ægypto eductæ; ex *** comparatione petita ab Aquilæ paterna pietate & solicitudine in hoc ipso Mosis cantico: quorum omnium vim sentiet credo attentus lector, sed haud facile exprimet diligentissimus interpres. Quod

* *Deut.* XXXII. 10.
** *Ps.* LXXVIII. 38. 40.

* *Jud.* V. 29.
** *Ps.* LXXX. 9. 12. 14.
*** *Deut.* XXXII. 11.

Quod ſi ita uti dixi ſe res habet; ſi hujuſmodi inſolentior conſtructio, vel ex ſubito aliquo motu loquentis, novoque animi ſitu inducto provenit, vel aliam aliquam vim peculiarem habeat ſecum conjunctam, ex rei ratione aut ex linguæ ingenio quærendam; vix fieri poteſt quin multo frequentius in poetica dictione quam in vulgari ſermone occurrat, cum ſit ad poeſeos naturam, ad mobilitatem, & varietatem, & ad impetum exprimendum valde accomodata; a temperatione & lenitate ſolutæ orationis, uno atque eodem tenore plerumque profluentis, paulo alienior. Adeoque qui in Hebræorum poeſi diligenter verſabitur, ſeſeque exercebit in percipiendo ac diſtinguendo ſtyli charactere, vix quicquam inveniet, ſi ſententiarum conformationem excipiamus, quod eum a mero ſermone evidentius diſcriminat. Quanquam enim hoc genus non ita abhorret a proſa oratione, ut non unum atque alterum inde exemplum aliquando liceat depromere, tamen ejuſdem frequentior ac liberior uſus pro certa poeticæ dictionis nota merito ni fallor haberi poteſt.

Hæc autem atque alia hujuſmodi quantam vim habeant in diſtinguenda Hebræorum dictione poetica, & in conſervanda elocutionis ſublimitate & ſplendore, & pauculis exemplis prorſus demonſtrari aut percipi poſſe minime eſt exiſtimandum: neque vero id ut efficeretur in me ſuſcepti: erat ſolummodo conſilium, unum atque alterum ex iis notare, quæ hoc curriculum ineuntibus occurſura erant, quæque aliquam cognitionem & curam viderentur poſtulatura. Univerſæ formæ comprehenſio, & coloris poetici perfecta cognitio, nec præceptiunculis contineri, nec via & arte tradi poteſt: uſum & exercitationem cum aliqua judicandi ſolertia conjunctam deſiderat.

NOTÆ EDITORIS.

(73) Potius, *per pronomen ſubintellectum*. היה non magis præſentis temporis eſt, quam aliud ullum verbum, neque apud Orientales ſubintelligitur, quantumvis hoc tralatitium ſit pleriſque, ex Latina lingua Hebræam æſtimantibus. Contra pronomina perſonalia ſunt Orientalibus loco verbi ſubſtantivi omnis temporis, maxime præſentis: quod Arabice aut Syriace ſcienti ignotum eſſe non poteſt, quibus in linguis multo etiam eſt frequentius, quam in Hebraica.

(74) In his, quæ de temporum forma grammatica diſputat noſter, nimis argutus ſit emphaſium captator: multo ſenſurus aliter, ſi de grammatica Hebraica non ex Latina, ſed ex Arabica, judicaſſet. Quod cum ſecus faciant plerique, atque ita fere agunt, ac ſi grammatica Latina ejuſque leges, quibus a pueris imbuti ſunt, univerſales omnium linguarum eſſent: in utramque partem peccatum eſt, aliis ſuam ubivis crepantibus temporum enallagen, in iſto ſono omnia jam ineſſe, eoque rationem rei contineri arbitrantibus: aliis nimis operoſe rationem expiſcantibus futuri Hebraici pro præterito Latino, præteriti Hebraici pro futuro Latino poſiti. Quo in genere Lowtho multo etiam laborioſior eſt, qui anno 1748. *de analogia temporum Hebraicæ linguæ*, annoque 1751. *obſervationes philologicas in libros Moſis, quibus analogia temporum illuſtratur*, majore fortaſſis diligentia quam linguarum orientalium peritia ſcripſit, *Wilhelmus Koolhaas*.

Equidem ſi ad antiquiſſimæ linguæ uſum redire placeat, haud ſcio an affirmare auſim, omni temporis indicio ac nota aliquando linguam Orientalem caruiſſe; quæque nunc præterita & futura dicuntur, duo fuiſſe aoriſta, ad perſonas numeroſque indicandos inflexa. Ipſe ille defectus præſentis temporis, nulla flexione verbi notati, meam ſuſpicionem quodammodo confirmat: accedit origo & compoſitio præteriti Hebræorum, qua a præſente periphraſtico non differt. Ut enim præſens periphraſticum ex participio & pronomine perſonali faciunt Hebræi, quæ duo in unam vocem Syris coaleſcunt (vide patris mei *Syriaſmum* l. II. c. I. §. 8. p. 37.) ſemel Hebræis, *Ezech.* VIII. 16.: ita & præteritum tempus Hebræorum ex primitiva verbi forma cum iiſdem pronominibus perſonalibus colliqueſcente exſtitit.

Sed quod majus eſt, futurum, quod dicitur, apud Arabes poſt particulas negativas omnis omnino temporis, ipſiſſimuſque eſt aoriſtus Græcorum, pro earum diverſitate ut præſens, præteritum, aut futurum interpretandum. Quod ut eorum in gratiam, qui inſcitia linguæ Arabicæ laborem inutilem ſuſcipiunt, in exemplo ponam Hebraicis literis ſcripto, (Arabica enim qui didicerunt, aut uſu ſciunt, aut tirones ex Erpenii grammatica pag. 52.) לם אפעל eſt, *non feci*: לא אפעל *non facio*: לן אפעל *non faciam*: ליש אפעל utrumque, *non facio*, &, *non faciam*: cui ſimillimum eſt in ipſa Hebraica lingua, quod vulgo monent grammatici, futurum poſt טרם in præteritum tranſire. Omitto alia plura, ut futurum Arabum & præſens & futurum complecti, niſi præpoſita particula س vel سوف, ad veri futuri ſignificationem reſtringatur: inſervire autem formando præterito imperfecto, ſi præmittatur, كان *fuit*, ita ut, *fuit interficiet*, ſit, *interficiebat*: quem ad modum & Hebræos pro הוי יקטל, *accidit ut interficeret*, per craſin dixiſſe opinor, ויקטל *interficiebat*.

Ut ergo aoriſtum nemo Græcis negat, nec incredibile cuiquam videtur, una eos forma tempora omnia complecti potuiſſe: ita & ſuum patiamur habere Arabes Hebræoſque aoriſtum primum & ſecundum, nec ad modum eos linguæ, & multo recentioris, & alieniſſimæ, Latinæ, exigamus. Quod ſi tractu temporis accidit, ut alterum aoriſtum plerumque præterito, alterum futuro tempori deſtinarent: meminerimus, & Græcos aoriſto plerumque pro præterito uti, ſalva ipſi prima & latius patente ſignificatione, nec miremur, Hebræis etiam liberum manſiſſe, utroque tempore ἀορίστως uti. Quo in uſu ineſt aliquis archaiſmus, poetis, antiqua amantibus, gratior.

Ita non ægre carebimus nimis artificioſa temporum explicatione, ab uſu reliquarum Orientis linguarum abhorrente, cujus exempla noſter propoſuit. Harum autem linguarum niſi peritus ſis, neceſſe eſt, in emortua Hebraica, cujus vix umbra in paucis monumentis ſupereſt, ſemper te adhærere: atque aut crebras identidem anomalias fingere, aut perpetuas admirari emphaſes, quæ nimis crebræ ac ſpiſſæ oneraturæ erant orationem, non ornaturæ. Nec tamen omnia damno, quæ ſcripſit noſter, quod ſequens obſervatio teſtatum faciet. Hoc etiam fateor, poſtquam hic aoriſtus λόγος pro futuro cœpit eſſe, aliquos uſus ejus futuri apud Orientales invaluiſſe, noſtris incognitos. Sic futurum Hebræi ponunt de re quæ ſemper fit, aut quæ ſolet fieri debetve: *Geneſ.* XXXIV. 7. Arabum etiam illa

con-

constructio nova nobis, grataque Lowtho esse possit, quam in exemplo ponam ex fabula Locmanni quarta petito: *leo cui sol molestus erat* دحل الي بعض المغاير يتظلل بها *ingressus est in foveam quandam umbram captabit in ea* (i. e. umbram captaturus in ea) *eumque recubuisset, stellio* اتي اليه يمشي علي ظهره *venit ad illum, incedet in tergo ejus*. Verum in plurimis harum constructionum nihil pendet ex propria aliqua vi futuri, sed omnia ab ellipsi particulæ ان , *UT*, Arabibus consueta: *ingressus est, ut umbram captaret*: -- *venit, ut incederet* &c.

(75) His contradicere existimari nolim. Neque uno enallages nomine hæc tueri solent grammatici, sed præterita prophetica dicere. Poterant &, præsentia prophetica, quia præsentis temporis, quo Hebræi carent, vicem præteritum præstat. Utcunque autem vocare libuerit, hoc sive præsens sive præteritum propheticum, ne nostræ quidem aures in vernaculo poemate, si quis tentet, refugerint. Nempe futuris poetæ interesse sibi videntur, ita de illis dicentes, ac si oculis ea præsentia cernerent. Sic ille apud Britannos sublimis, sed atrox morum insectator, (*Manners*, titulus carmini:)

> *Wrapd into Thoughts lo I Britannia see*
> *Rising superiour o'er the subject Sea:*
> *And her bay pendants spread their silken Wings*
> *Big with the Fate of Empires and Kings* &c.

Sic Sibylla Virgilii, simile quid, sed timidiuscule, tentantis,

> *in regna* Lavini
> *Dardanidæ venient*:

occupato nomine, ut monent interpretes, eademque:

> *bella, horrida bella,*
> *Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.*

Lege & *Æn.* VI. 773. 776. Insuetum tamen ipsi, nostrisque, nec sine aliqua excusatione audaciæ tentatum, quod Hebræis quotidianum: neque id mirum, cum prophetis abundarint Hebræi, nos illis careamus. Quamquam & satis audaces esse solent diviniores aliqui odarum de vitæ æternæ felicitate autores, futurum seculum ut jam præsens, resurrectionem mortuorum ut jam peractam canentes, quo fortius animos afficiant.

(76) Lectu digna est, quæ anno 1737. Halæ prodiit, Patris mei *de paronomasia sacra* dissertatio, multis & illustribus hujus figuræ exemplis cupidos ditatura. Dissimulandum tamen haud est, ipsum hunc, quem laudat noster, ornatum opus habere, ut nostris auribus excusetur, quibus puerilis videri potest. In his enim linguis, quas cum lacte materno hausimus, exiguus ac pene nullus est honor paronomasiæ, quam & in Latinis rhetores aliqui & grammatici damnarunt, justo severiores visi Patri meo, in paragrapho II. laudatæ dissertationis. Argumentis quidem hæc lis eo deduci vix potest, ut liqueat: sensu potius & gustu aliquo exploranda. Quem si talem sequor, quali adficior, displicere mihi totum pene paronomasiæ genus in sublimiore oratione, maxime in carmine, fateor. Alius erit aliorum sensus, neque de gustu disputaverim: meum tamen exponam ac penitius, quantum fieri potest describam, ut periti judicare possint, utrum sit nimis fastidiosus, an cum eo congruat, quo linguæ nostræ non præceptores & grammatici, (horum enim in gustu minor autoritas) sed autores classici, poetæ diviniora spirantes, eorumque perpetua lectione formari, adficiuntur.

In quotidiano ergo & comto sermone, maxime si jocus accedat liberalis, non adspernari me sentio paronomasias, modo acuminis quid subsit, nec sint nimis tritæ: si qui tamen crebrius illis utantur, ut ingenii inde laudem videantur sperare, nescio quo commoveor fastidio ac satietate. Neque id committere solent, nisi aut elegantibus literis parum exculti, aut quibus ingenium defuit, aut quibus vita scholastica, perpetuam inter optimorum autorum lectionem, pulcritudinis tamen illum sensum hebetavit, semper judicantibus semper admirantibus pulcra, imitantibus, adfectantibus, raro gustantibus. Experientia enim constat, nimia multos copia aut attentione tanquam occallescere, solamque artem retinere, amisso sensu. In epistolis familiaribus, in sermone continuo, sed in quo ornatus non spectatur, qualis est docentium, idem fere valet, quod de colloquiis quotidianis dixi.

Alia jam est orationum dignitas apud nos & severitas, sacrarum maxime; in quibus puerilis artis, aut plebejæ facundiæ dissonantia aures mihi perstringi sentio, paronomasia immista, nisi prorsus illa singularis sit, videaturque inscio oratori, certe pulcritudinem ejus nec intelligenti nec admiranti, excidisse. Video quidem insignem ejus vim in lædendis aliis esse posse, si gravis orator, alias his lusibus uti non solitus, eorum, in quorum mores invehitur, nomen proprium paronomasia notet, videaturque id non consilio facere, sed affectu. Consilium enim si subesse animadvertatur, ut in celebrato illo, doch besser ists ich schweige/ aut si aliquoties id fecerit, plebejus mihi jam, aut nimis artifex, aut, quo invidiosius nihil, conviciator esse videtur. Et tamen hanc ipsam gravem paronomasiam, nomen hostis vulnerantem, diuturnumque ei ac forte nunquam delebile dedecus aspergentem, timeam potius ac reformidem, quam admirer. Cum enim in omni nomine facile ejusmodi quid in promtu sit, parum æquitatis habens, omnibusque timenda dicacitas potius videtur, quam eloquentia: accedente miseratione nostræ sortis, si quis simile quid in nostro nomine tentare vellet, in invidiam vertitur. Quo in genere Romanos, apud quos major linguæ licentia, parcior quam apud nos manuum, non forte dedecuit, quod nostrum oratorem, sacrum præsertim, minime deceret: certe, quas in Verrem habet Cicero paronomasias, Verrem in luto volutatum, & everriculum provinciæ, in comto oratore toleraturi non videmur. Quamquam illi ipsi Siculorum in Verrem paronomasia, harum simillima, frigida potius quam ridicula visa est: l. 1. in C. Verr. c. 46. Librorum eadem, quæ orationum, ratio, de quibus speciatim non dico.

Carminis contra sublimitas haud scio an nunquam apud nos hunc ornatum admittat, plebejis poetis relinquendum. Virgilii illud

> *Discolor unde auri per ramos aura refulsit*,

quod ad paronomasiam referunt, est fortasse rarior ac pene obsoleta, sed propria vocis significatio, cujus prima vis in aureo vel igneo colore fuisse videtur. Sit autem paronomasia, probarique hoc nomine Latinis potuerit: Romana poesi verecundior nostra erit, similemque lusum repudiabit. Ne dixerim quidem, ferrine possit, quod probabilis paronomasiæ exemplum, de sacrificante & sacrificulo, in luco arenoso, erica abundante, ad altare mactandis, menti inerrat tanquam ex somnio, a me fictum? an alienum?

> und du/ du schlachte beide
> Den Alten am Altar/ den Leiden in der Leide.

Defendi si potest, a concitatiore affectu petenda defensio erit, cui tale quid conceditur, aut a necessitate, quod vitari non potuisse videatur, sitque felicis licentiæ poeticæ similius, quam artis. Forte & hac caussa iniquiores sumus paronomasiis, quod omnes versus extremis syllabis alii versui consonantes, suam jam habent legitimam paronomasiam, pedum versuumque justam mensuram definientem, in qua ob syllabarum ancipitium multitudinem laborari posset: unde mirum non est, alias nobis paronomasias, ipsa copia, sordere.

Sic ergo a pueritia, non a magistris, quorum minor in animi sensibus formandis vis est, sed ab autoribus classicis linguæ vernaculæ instituti & adsuefacti, frequentiores Hebraici carminis paronomasias admirari non possumus: continuatam autem per aliquot versus figuram, qualis in capite primo Michae occurrit, ne in oratione quidem, ac vix in sermone quotidiano & familiari, non stomachaturi videmur. Statim enim apparet, artis esse, non fortunæ illum syllabarum idem sonantium concursum, artis autem nimis facilis, quam ut ab ejus ostentatione laus peti

debeat. In hoc enim uno loco XIII. paronomaſias invenio: ac forte plures noſcebantur vivente lingua, neque multis dum etymis lapſu temporum obliteratis. Quod ne verbis auxiſſe videar, enumerabo ſingulas, eaſque, quæ opus habebunt, breviter illuſtrabo. 1.) v. 10. in גת alludit propheta ad תגידו, *indicate*. 2.) in בית עפרה *domo pulveris* ad עפר התפלשי *humiliator in pulvere*. 3.) in שפיר, ad duplicem, quæ tentari poſſet, nominis etymologiam: primo a שפר (سفر) *proficiſci*: deinde 4.) *a pulcritudine*: unde habet: *tranſi habitatrix Saphiræ nuda & pudibunda*. 5.) in צאנן ad וצא *egredi*. 6.) in בית האצל ſive ad צל *umbram*, deinde hoſpitium, ſive ad אצל (أصل) *veſperi venire, divertere*. *Luctus*, inquit, *Betheſelæ negabit vobis manſionem*. 7.) v. 12. in מרות ad ſignificationem appellativam *amarorum*, ſeu *malorum*. 8.) in ירושלם ad ירד שער *deſcendit ad portam*. 9.) v. 13. in לכיש ad ſignificationem verbi unde nomen ducitur, לכש (لكث) quod Arabibus eſt, *jumentum onerare*. 10.) v. 14. in מורשת גת, ad ſignificationem appellativam, ex qua eſt, *torcular hereditarium*: cui opponitur, *omni in hanc urbem juri renuntiandum Iſraelitis fore*. 11.) in אכזיב, ad nominis etymon, אכזב *mendax*, maxime, *fons mendax*: (vide notam 73.) *Ædes*, inquit, *Ecdippæ fons mendax erunt regibus Judæ*: i. e. ædes Ecdippæ, quibus multum delectari ſolebant reges Judæ, ſuo in loco quærent, ſed non magis invenient, quam fontem æſtate exſiccatum. Elegans ſententia, & vivide imaginem deſideratæ funditusque deletæ urbis exprimens: cui comparari poſſis aliam imaginem, *Pſ.* XXXVII. 35. 36. *Job.* XX. 7. 8. 9. ſed quæ tot obruta paronomaſiis noſtris jam auribus minus placet. 12.) v. 15. in מרשה *poſſeſſione* vel *occupatione*, cui urbi novum minatur יורש occupantem. 13.) in עדלם ad עד *uſque ad*, *ad*, *juxta*, aliudque verbum, forte ظلم pro quo & dicitur دلم (דלם) *nigreſcere*. *Juxta Adullam occidet gloria Iſraelis*: vel etiam ad عدل *æquum*, *juſtum*: *ad æquitatem deprimetur gloria Iſraelis*.

Hæc quidem, quæ noſtris auribus diſplicent, non opus eſt ut a ſumma laudemus elegantia, noſtro nobis ſenſu refragante, guſtumque noſtrum parere cogamus legibus Orientalium: ad ſublimitatem autem orationis, a qua longiſſime abeſt mediocris & plebejus ornatus, referre nullo modo poſſumus. Neque vero vituperare, proque nævis Hebraici carminis habere debebimus. Quaſi vero nihil humile & plebejum placere poſſit, omniſque atque unica laus in ſublimitate ſit!

Meminerimus ante omnia, varia gentium de pulcritudine judicia eſſe; de illa etiam, quæ oculis cernitur, vultus, corporiſque, quanto magis de hac, quæ ſolo animi ſenſu percipitur. Noſtrorum in mentem nobis veniat ὁμοιοτελεύτων, (rhythmos plerique improprie dicunt) quæ ipſa ex genere paronomaſiarum ſunt, licet a reliquis paronomaſiis omnibus, uſu, frequentia, vi, longe diverſiſſima. Hæc ergo in vernaculo carmine mihi certe, aliiſque pluribus, placent: diſplicent in latinis, nec Leonino carmine quidquam levius aut puerilius illi crediderim videri potuiſſe Virgilio, qui ſemel atque iterum Leoninos, ſed in quorum conſonantia ſingulare acumen aut vis eſt, conſilio & arte compoſuiſſe videtur. Nempe in Latino carmine ὁμοιοτελεύτου utilitas nulla eſt, ſed ars modo; artificii autem nimia copia faſtidium creat: contra in Germanicis carminibus, & antiquitatis defenſionem habens, nec tam artem oſtentans quam verſibus dimetiendis inſerviens ultimarum ſyllabarum conſonantia, non repudiatur.

Cauſſam jam ſupra indicavi, cur toti reliquo paronomaſiarum generi paulo iniquiores, quam par eſt, aures noſtræ eſſe ſoleant. Neque id feci, Hebræos laudaturus, inque illorum partes iturus: ſed mediam quodammodo inter utroſque, talemque me gerere, velim, qualis futurus eram, ſolam naturam ducem ſequens, neque ſive noſtris ſive illorum opinionibus imbutus. Ut ergo non paulo ſeveriores, ita Hebræos gravius etiam peccantes, nimis deditos minuto artificio, libere fatear. Boni tamen poetæ, & qui probari vellet, erat, ſuæ gentis conſuetudinem & ſenſum ſequi: quod & in corpore ornando facimus, cujus in cultu ſi ſolam naturam paucæ fœminæ ſequi vellent, conſuetudinem ſuæ gentis contemnentes, diſpliciture videntur. Conſuetudinis certe ea vis eſt, ut turpia etiam & ingrata adſpectu, gratiam aliquam habeant: placeantque quibuſdam gentibus, ut exemplo utar, mulieres florum figuris expreſſis manus vultumque variantes, flavedinem cuti inducentes, atque etiam faciem coloribus non humanis pingentes. Quanto ergo magis conſuetudo opinioque populi eo pertinebit, ut res non turpis, ſed minutulam artem habens, nimiuſque etiam ornatus, placeat & requiratur?

Fuit præterea aliquid in poeſi Hebræorum, quod majorem paronomaſiæ licentiam jure ſuo daret, quippe quam ſermo quotidianus minus, quam liber ſcriptus, aſpernatur. Atqui & inter mulierum ſaltantium choros adolevit poeſis Orientalis: & carmina rarius ſcribebantur, recitabantur cantabanturque frequentius, memoriæ potius quam chartis commiſſa. De Arabum poeſi id notum Pocokii lectoribus.

Tandem & magna diverſitas eſt ſublimis carminis a mediocri: orationis, Romæ Athenisque habitæ, & qua pagi incolas tenere ac movere animus eſt. Humiliora non dedecet paronomaſia: utilis, ubi cum plebe agimus, magis reconditam pulcritudinem non ſentiente. Hanc ſi obvio aliquo ornamenti genere oblectamus, utrumque aſſequimur, & ut excitata ex veterno attentius nos audiat, & ut audita, hoc tanquam aculeo infixa, animo diutius hæreant. Potuit ergo Michae, oppidis Judææ futura canenti, licere, quod in Moſis carminibus, aut in Jeſaia, probaturi non fuiſſent auditores. Antequam de hoc argumento perorem, laudare lubet Erpenium, qui in præfatione duplici centuriæ proverbiorum Arabicorum, præmiſſa, (Lugd. Batav. 1614.) monuit, plus Arabes Latinis delectari paronomaſia, nec Latinis auribus probari poſſe, quæ Arabicas arrectas teneant.

(77) Hos non omni parte defendo grammaticos. Docere debuiſſent, quod futurum tempus vocamus, vere aoriſtum eſſe, futuro proprie ſic dicto carere Hebræos.

(78) Hic quidem ſufficit, quod de aoriſto dixi. De Hebrææ linguæ reliquiis judicari omnino non poteſt ſine perpetuo uſu reliquarum linguarum Orientalium.

(79) Certum quidem eſt, aliiſque jam obſervatum, id quod fieri aut ſolet aut debet, Hebræos frequentius futuro tempore dicere. At denominatio עתיד huc non facit, in qua *paratum* idem eſt, quod *futurum*, tanquam diceres, quod ut fiat jam antea præparatum eſt. Etyma vocum grammaticis propriarum nimis conſectari non debemus, neque ex illis exſculpere, de quibus grammatici nunquam cogitarunt.

PRÆ-

PRÆLECTIO DECIMASEXTA:

DE SUBLIMITATE CONCEPTUUM.

QUÆ in ſenſibus unice poſita eſt ſublimitas, nulla dictionis habita ratione, (ea enim ſpecies quam ad dictionem retulimus, utpote cum qua arctiori quadam neceſſitudine conjuncta eſt, ultimo quidem ad ſenſus etiam plerumque referri poſſet; quæ autem ſublimitas proprie eſt ſenſuum,) ea oritur, vel ex inſita quadam animi elatione, & felici audacia in formandis conceptibus; vel ex violento impetu mentis vehementioribus affectibus commotæ: quorum alterum vocat Longinus το περι τας νοησεις αδρεπηβολον; alterum το σφοδρον και ενθυσιαστικον παθος appellat. Utrumque ita in hoc argumento uſurpamus, atque ita ſacris vatibus tribuimus, ut nihil derogemus divini Spiritus afflatui: etſi ſuam interea vim propriæ cujuſque ſcriptoris naturæ atque ingenio concedamus. Neque enim inſtinctu divino ita concitatur vatis animus, ut protinus obruatur hominis indoles: attolluntur & eriguntur, non extinguuntur aut occultantur naturalis ingenii facultates; & quanquam Moſis, Davidis, & Iſaiæ ſcripta ſemper ſpirent quiddam tam excelſum tamque cœleſte, ut plane videantur divinitus edita, nihilo tamen minus in iis Moſem, Davidem, & Iſaiam ſemper agnoſcimus.

Quæ ex priore illo genere oritur ſublimitas, nimirum ex audaci ſpiritu & animi elatione ſive ingenita ſive etiam divinitus infuſa, ea tribus in rebus præcipue cernitur: primo in excelſis magniſque rebus concipiendis; tum in delectu adjunctorum, quorum pondere & magnitudine earum deſcriptionibus vis & elatio accedit; poſtremo in imaginum ſplendore & magnificentia, quibus eædem cum ſuis adjunctis illuſtrantur. Quibus omnibus vates Hebræi unice eminent & excellunt. Rerum ipſarum & conceptuum magnitudinem quod attinet, non modo cæteros omnes ſcriptores poſt ſe relinquunt, ſed & cancellos etiam humano ingenio circumſcriptos longe tranſcendunt. Dei magnitudo, potentia, juſtitia, immenſitas, divinorum factorum & conſiliorum infinita ſapientia, argumenta ſunt, in quibus & perpetuo & ſemper digne verſatur, in quibus plane triumphat Hebræorum poeſis. Reputemus modo quanto intervallo ab iis diſtant, cum in his rebus verſentur poetæ exteri; quam longe infra materiæ dignitatem cadunt excelſiſſima quidem, ſed humana, ingenia; & Hebrææ poeſeos non modo ſingularem ſublimitatem agnoſcemus, verum etiam adorabimus divinitatem. Neque vero ſolum in rebus & conceptibus, in quibus verſatur poeſis ſacra, ea ineſt magnitudo, quæ quomodocunque explicata ſuam haberet vim & dignitatem, ſed & valde admirabilis eſt etiam modus, quo conceptus menti ingeruntur, rerumque deſcriptiones adornantur; ſive adjunctorum delectum ſpectemus, ex quibus ad rerum magnitudinem cumulus quidam accedit; ſive imaginum amplitudinem, quibus ea quæ ab ſenſibus noſtris ſunt remotiſſima ita explicantur, ut quamquam humanitus adumbratæ, ſuam tamen divinitatem retineant. Et quoniam vatum ſacrorum ſublimitas ſatis magna copia exemplorum diverſi generis antehac illuſtrata eſt, ſufficiat in illorum acceſſionem pauca hic apponere, quæ pertinent ad ea quæ jam dixi illuſtranda; ex eis nimirum locis petita, in quibus divina majeſtas exprimitur.

Ac primum quidem Dei Creatoris potentia in rerum univerſitate condenda qua magnificentia exponitur! Quo ſane in loco religio eſt præterire toties laudatum illud ſacri hiſtorici, in quo rei & conceptus magnitudinem (nihil autem majus mens humana poteſt concipere) commendat brevitas & ſimplicitas dictionis: * ויאמר אלהים יהי אור ויהי אור *Dixit Deus, eſto lux, & fuit lux.* Quantum addideris verbis, tantum de ſublimitate detraxeris: nam potentiam divinam non aperte declaratam animus protinus colligit & melius ex effectu; rei magnitudine multo magis perculſus eo quod ex ſe ipſe eam concepiſſe videatur. Id ipſum poetice exprimunt vates, nec minori cum vi & magnificentia. Excitantur res omnes creatæ ad celebrandas Dei laudes: **

יהללו את שם יהוה
כי הוא צוה ונבראו:

Laudent nomen Jehovæ;
Nam ille juſſit, & creatæ ſunt.

Et

* *Gen.* I. 3.
** *Pſ.* CXLVIII. 5.

Et alio in loco: *

כי הוא אמר ויהי
הוא צוה ויעמד:

Nam ille dixit, & fuit;
Ille jussit, & constitit.

Idem argumentum sæpe explicant latius, additis compluribus adjunctis, variisque imaginibus inductis ad illustrandam descriptionem: quæ an faciant pro rei magnitudine & dignitate, & sine imminutione sublimitatis, ex uno alteroque exemplo de pluribus aliis facite conjecturam. **

איפה היית ביסדי ארץ
הגד אם ידעת בינה:
מי שם ממדיה כי תדע
או מי נטה עליה קו:
על מה אדניה הטבעו
או מי ירה אבן פנתה:
ברן יחד כוכבי בקר
ויריעו כל בני אלהים:
ויסך בדלתים ים
בגיחו מרחם יצא:
בשומי ענן לבשו
וערפל חתלתו:
ואשבר עליו חקי
ואשים בריח ודלתים:
ואמר עד פה תבוא ולא תסיף
ופא ישית בגאון גליך:

Ubinam fuisti cum fundarem terram?
Indica, si intelligentia polles.
Quis disposuit mensuras ejus, quandoquidem nosti;
Aut quis super eam extendit lineam?
Quonam demersæ incumbunt bases ejus;
Aut quis posuit lapidem ejus angularem?
Quum simul ovarent stellæ matutinæ;
Unaque clangerent omnes filii Dei.
Et foribus occlusit mare?
Cum erumperet, ex utero exiret:
Cum involverem illud indumento nubis,
Et fascia densæ caliginis:
Et diffringerem illi decretum alveum,
Poneremque repagula & valvas:
Diceremque, huc usque veni, nec progreditor;
Et hic obstaculum esto tuorum fluctuum superbiæ.

מי מדד בשעלו מים ***
ושמים בזרת תכן
וכל בשלש עפר הארץ:
ושקל בפלס הרים
וגבעות במאזנים:

שאו מרום עיניכם
וראו מי ברא אלה:
המוציא במספר צבאם
וכלם בשם יקרא
מרב אונים ואמיץ כח איש לא נעדר:

Quis mensus est pugillo suo aquas;
Et cœlos palmo aptavit;
Et comprehendit triente pulverem terræ?
Et ponderavit trutina montes,
Et colles bilance (80)?
Attollite in sublime vestros oculos,
Et contemplamini quis creavit ista:
Qui educit numero exercitum eorum,
Eaque omnia nominatim appellat;
Præ magnitudine virium & robore potentiæ, ne unum deest.

Videtis, Academici, potentiam ac sapientiam divinam in rerum naturæ constitutione & gubernatione testatam, opera ipsa ac facta Creatoris, magnam præbere adjunctorum & imaginum copiam, quæ valde grandia sunt nec argumento indigna. Verum aliter se res habet, quando agitur de attributis Dei in se spectatis, generatim & abstracte, sine ulla particulari inductione aut amplificatione operationum & effectuum exinde profluentium. Hic penitus absorbetur mens humana, planeque obruitur, veluti in profundam quandam voraginem demersa, & frustra conatur aliquid apprehendere, quo sese expedire & extrahere possit. Sed ex rei difficultate æstimamus ejus magnitudinem; dumque animus laborat id complecti quod ejus angustiæ non capiunt, is ipse labor atque irriti conatus incredibilem quandam granditatem exprimunt. Quam ob causam valde sublimis est sequens locus, cum ad immensam rei magnitudinem summo nisu contendere videatur, quanquam eam assequi non possit; iis imaginibus utens, quæ minime quidem sunt ei adequatæ, quibus tamen majus nihil universa natura suppeditavit: *

יהוה בשמים חסדך
אמונתך עד שחקים:
צדקתך כהררי אל
משפטיך תהום רבה:

O Jehova, ad cœlos pertingit benignitas tua;
Veritas tua, usque ad nubes:
Justitia tua instar montium validorum;
Judicia tua Abyssus magna!

Verum in hoc genere nihil est majus, quam cum per continuam negationem de-

* *Ps.* XXXIII. 9.
** *Job.* XXXVIII. 4. —— 11.
*** *Isai.* XL. 12. & 26.

* *Ps.* XXXVI. 6. 7.

descriptio instituitur; cum fit congeries maximarum altissimarumque imaginum, quæ cum re, de qua agitur, comparatæ, valde impares longeque inferiores reperiuntur: hoc modo quaquaversum extenduntur, tandemque omnino tolluntur limites; animus deducitur paulatim in infinitudinem, atque ingenti admiratione & jucundo quodam horrore percellitur, cum primum sese in illa immensitate expatiari persenserit (81). Multa sunt in sacris carminibus hujus rei exempla, quorum unum atque alterum cætera etiam vobis in mentem reducent, *

החקר אלוה תמצא
אם עד תכלית שדי תמצא:
גבהי שמים מה תפעל
עמקה משאול מה תדע:
ארכה מארץ מדה
ורחבה מני ים:

Numquid Dei intima pervestigabis?
An invenies etiam perfectionem omnipotentis?
Altitudines cœlorum! quid ages?
Orco profundior; quid cognosces?
Mensura ejus terra longior,
Et latior est mari.

** אנה אלך מרוחך
ואנה מפניך אברח
אם אסק שמים שם אתה
ואציעה שאול הנך:
אשא כנפי שחר
אשכנה באחרית ים:
גם שם ידך תנחני
ותאחזני ימינך:

Quo discedam a spiritu tuo;
Et quo a facie tua fugiam?
Si ascendam cœlos, ibi tu;
Et in orco cubem, ecce te!
Attollam alas meas auroram versus;
Habitem in extremitate maris occidui:
Etiam illic manus tua ducet me;
Et apprehendet me dextera tua.

Exprimitur, uti videtis, notio infinitatis; quæ tamen haud facile in animo consignatur: si simpliciter & abstracte nullaque re adjuncta exponitur, fugit intelligentiæ nostræ vim, ac pene elabitur. Confugiunt itaque sacri scriptores ad adjuncta quædam & imagines, quarum ope rei tam tenui & subtili quandam inducant soliditatem, & notionem lubricam ab intellectu ad sensus revocent. Deducunt nos per omnes spatii dimensiones; per longitudinem, latitudinem, altitudinemque; has ipsas non generalibus & confusis vocabulis designant, sed evidenti quadam mensura, eaque maxima, quam aut natura præbet, aut mens nostra recipit. Cum ultra hos limites provehitur animus, non habet quo possit consistere; in omnes partes evagatur, & rerum metas frustra conatus attingere, devenit tandem in infinitatem: ejus species vasta atque informis, cum in animo evidenter imprimitur, quod hoc modo consequuntur sacri scriptores, semper magnam vim habet, & cum horrore quodam conjunctam admirationem.

Convenit etiam vel maxime ad imprimendam imaginem divinæ majestatis & potentiæ acrior illa & vehementior negatio vel affirmatio, quæ fit per confidentiam interrogationis; in quo eam sæpius usurpant sacri vates: *

זאת העצה היעוצה על כל הארץ
וזאת היד הנטויה על כל הגוים:
כי יהוה צבאות יעץ ומי יפר
וידו הנטויה ומי ישיבנה:

Hoc est decretum de omni terra consilium,
Et hæc est manus extensa in omnes gentes:
Nam Jehova exercituum decrevit, & quis irritum faciet?
Et ipsius est manus quæ extenditur, & quis eam avertet?

** ההוא אמר ולא יעשה
ודבר ולא יקימנה:

An ille dixit, & non faciet?
An locutus est, & non effectum dabit?

Nec minorem vim habet simulata concessio & ironia ipsi Deo attributa; in quo admirabilis est ille Jobi locus: ***

עדה נא גאון וגבה
והוד והדר תלבש:
הפץ עברות אפך
וראה כל גאה והשפילהו:
ראה כל גאה הכניעהו
והדך רשעים תחתם:
טמנם בעפר יחד
פניהם

* *Job.* XI. 7. — 9.
** *Ps.* CXXXIX. 7. — 10. Mihi non satisfacit commatis noni vulgo jam recepta interpretatio; quasi exprimeretur motus continuus ab oriente in occidentem, ejusque motus velocitas cum radiorum solis velocitate compararetur. Videntur mihi hujusce distichi, plane sicut prioris, duo membra inter se opponi, non esse alterum alteri consequens; transitum duplicem exprimi, unum ad orientem, ad occidentem alterum; fugæ denique longinquitatem, non celeritatem motus, amplificari. Ita *Theodoret.* in loc. Ορθρον τας ανατολας εκαλεσε, δυσμας δε της θαλαττης τα εσχατα· τῳ γαρ υψει και τῳ βαθει το μηκος και το πλατος προσεθηκε, διδασκων το της θειας φυσεως απεριγραφον. In voce כנפו est ו Pronomen affixum: sic LXX. *Syr. Vulg.* (82)

* *Is.* XIV. 26. 27.
** *Num.* XXIII. 19.
*** *Job.* XL. 10. — 14.

פניהם חבוש בטמון:
וגם אני אודך
כי תושיע לך ימינך:

Orna te, age, magnificentia & celsitudine;
Et indue majestatem & gloriam:
Effunde quaquaversum æstus iræ tuæ;
Et aspectu tuo omnem elatum deprime,
Aspice omnem elatum, prosterne eum;
Et contere impios in vestigio suo:
Obrue eos in pulvere pariter;
Involve eorum vultus & in obscurum demerge.
Tum etiam ego tibi confitebor;
Cum tibi salutem præstiterit dextera tua.

Divina omnipotentia & humana infirmitas, inter se collatæ invicem augentur: portentosa illa absurditas, quæ in rerum maxime inæqualium comparatione apparet, clarissime demonstrat illam inæqualitatem, easque plane infinito intervallo disjungit.

Cum vero vates sacri semper de Deo humanitus loquuntur; humanas actiones, humanos affectus, humana etiam membra illi tribuentes; qui fieri potest, ut omnino existimentur divinam majestatem unquam digne expressisse, ac non potius, quantum in ipsis fuit imminuisse ac violasse videantur? Nonne id de illis etiam verum erit, quod Homero merito vitio vertit Longinus; nimirum illum Deos suos homines fecisse, vel etiam infra humanam sortem depressisse? --- Verum longe aliter se res habet. Homerus cæterique vanissimis opinionibus ducti ea de diis suis prodiderunt, quæ utcunque absurda atque impia in sensu proprio accepta, vix tamen, ac ne vix quidem, possunt allegorice intelligi: contra vates sacri naturam divinam sub humanis imaginibus adumbrant, eo quod illud necessario postulet humanæ mentis imbecillitas; eoque modo, ut quæ a rebus humanis ad Deum transferuntur, nunquam proprie accipi possint. Semper remittitur intellectus ab umbra ad veritatem; neque in nuda hæret imagine, sed protinus quærit & investigat id quod in divina natura ei imagini est analogum; grandius quiddam & excelsius quam quod possit plane concipere aut apprehendere, sed quod animum metu quodam & admiratione percellit. Atque hoc, ni fallor, rei cujusdam satis notabilis rationem aliquantum reconditam explicabit; nimirum, cur ex iis rerum imaginibus, quæ ad Deum transferuntur, illæ potissimum, quæ in sensu proprio acceptæ ab ejus natura alienissimæ ejusque majestate indignissimæ viderentur, tamen in metaphora aut comparatione longe maximam habent sublimitatem. Verbi gratia, quæ a corpore & membris humanis ducuntur, plerumque grandius quiddam habent & magnificentius, quam quæ transferuntur ab affectibus aut intellectu; quæque a brutis animalibus sumuntur, sæpe sublimitate exsuperant ea quæ petuntur ab hominis natura. Ea enim est mentis nostræ ignorantia & cæcitas in divinæ naturæ contemplatione, ut ejus notionem simplicem & puram nullo modo possimus attingere: semper admiscemus humani aliquid, crassiora quidem corporis adjuncta facile secernimus, sed ægre separamus animæ rationalis, aut aliquas etiam sensitivæ, facultates. Hinc fit, ut sæpe in iis imaginibus, quæ a præstantiori hominis parte ad Deum transferuntur, acquiescamus, quasi ei proprie tribuerentur; contra eas, quæ remotius petitæ & alienius attributæ videntur, ultro aspernatur ac respuit cogitatio nostra, & dum continuo consectatur τὸ ἀνάλογον, semper ad aliquid admodum grande & magnificum, quanquam obscurum, consurgit. Videamus annon ita se res habeat in sequentibus: cum psaltes hominis ob injuriam insperato acceptam commoti perturbationem ad Deum transfert, ea imago nihil in se habere videtur insigniter admirabile aut excelsum: *

שמע אלהים ויתעבר
וימאס מאד בישראל:

Audivit Deus, & ira exarsit;
Et Israelem cum summo fastidio rejecit.

Sed cum paulo post eadem res imaginibus multo crassioribus & audacius translatis adumbratur, nihil facile potest esse sublimius: **

ויקץ בישן אדני
כגבור מתרונן מיין:

Tum expergefactus est Dominus veluti ex somno;
Tanquam Athleta præ vino in clamorem erumpens.

Eadem in sequentibus etiam videtur esse ratio, ubi ex leonis rugitu, ex rusticarum operarum clamore, & ex ferarum immanissimarum rabie, imago ducitur: ***

* *Ps.* LXXVIII. 59.
** *Ps.* LXXVIII. 65.
*** *Jer.* XXV. 30.

יהוה ממרום ישאג
וממעון קדשו יתן קולו:
שאג ישאג על נוהו
הידד כדרכים יענה:

Ex alto rugiet Jehova:
Et ex sacrosancto habitaculo edet vocem:
Horrendum rugiet adversus sedem suam;
Edet celeusma sicut calcantes uvas.

* ואהי להם כמו שחל
כנמר על דרך אשור:
אפגשם כדב שכול
ואקרע סגור לבם:

Et ero illis instar leonis;
Sicut pardus juxta viam insidiabor:
Occurram illis ut ursa orbata,
Et discerpam eorum præcordia.

* *Hos.* XIII. 7. 8.

Cum imagines in se spectatæ crassum quiddam & plane absonum spirent, tantaque materia quam maxime indignum, eo citius inde abripitur animus, & ad rei ipsius magnitudinem contemplandam subito transit.

NOTÆ EDITORIS.

(80) Non hujus loci sunt, quæ Jesaias versu 12. habet. Nec enim potentiam Dei, creationemque rerum omnium describit, sed hanc promit sententiam: non magis nos mortali ingenio consilia Dei, quæque prædicturus jam sit, assequi & investigare posse, quam aquam omnem pugillis, cœlum palmo metiri &c.

(81) Caussa deinde etiam aliis verbis a nostro indicata subest: quod infinitum sola mente, quæ tota tranquillitatis est, concipere, magisque quid non sit, intelligere, quam quantum sit videre possumus: nec sensibus illud percipimus, quibus vivide affectis admiratio, quæ ipsa perturbationis est, exsistere solet. Quare hic vel potissimæ partes poetæ sunt, qui infinita ita carmine convestit, aliisque maximis, quæ in sensus incidunt, comparat, ut non placida mente, nil admirante nil stupente, eorum magnitudinem intelligamus, sed tanquam oculis subjectam cernamus. Sic si noster æternitatis præco cecinisset, *nullas quantumvis magni temporis rationes ad æternitatem esse*, aut, *non alias quam 1. ad 0.* vera dixisset, sed non admirabilia: nullam sensibus objecisset magnitudinem, ad quam stuperemus. At quo sensu afficimur, cum ille:

> Unendlichkeit! wer misset dich?
> Bey dir sind Welten Tag, und Menschen Augenblicke.
> Vielleicht die tausendste der Sonnen walzt jetzt sich,
> Und tausend bleiben noch zurucke: &c.

Succurrunt hæc scribenti simillima Mosis Davidisque carmina, quæ paucis illustrare, eorumque pulcritudinem ac majestatem lectoribus spectandam præbere liceat. Sic ergo Moses, *Ps.* XC. 1. 6.

> *Domine, auxilium fuisti nobis, per plures hominum ætates.*
> *Antequam montes nascerentur,*
> *Partuque intremuisset tellus,*
> *Aque seculo in seculum, tu es, Deus!*
> *Reducis mortales in pulverem,*
> *Dicisque: redite, soboles Adami:*
> *Mille enim anni tibi videntur hesternus dies elapsus,*
> *Aut trihorium nocturnum.*
> *Congelare facis illos, somnus fiunt:*
> *Mane sunt, ut gramen germinans,*
> *Ut mane florens & germinans,*
> *Quod vesperi ussit sol, & arescit.*

Nihil majorem stabilitatis & æternitatis speciem oculis nostris objicit, quam montium juga, illas habentium vetustatis notas, ut nisi historia sacra vetaret, ultra sex annorum millia eorum terræque ipsius natales quæri, quantumvis magnam illis antiquitatem facile concessuri videamur. At hos terra tamen recentiores esse, & aliquando ex ea prorupisse, innuit vates, utrisque autem multo antiquiorem Deum. In quo id etiam sublime est, novoque mirabilium genere mentem perstringit, quod in medio carmine aut verissimum, aut certe verisimillimum de origine montium φιλοσοφούμενον admiscet naturæ peritissimus poeta: quo sublimi nostri temporis poetas sæpe feliciter uti videmus. Cum enim suapte natura omnis terra plana futura fuisse videatur, ipseque Moses tradat, initio illam universam mari tectam æquabilem habuisse superficiem, (*Genes.* I. 2.) ipsa nobis natura subindicat, quomodo ex hoc æquabili orbe tanti prodire supraque aquam emergere terrarum tractus, tanti denique ex his ipsis exsistere montes, montiumque juga potuerint. In terræ enim motibus nonnunquam accidit, ut igne subterraneo novæ insulæ ex fundo maris prorumpant: eandemque originem altissimorum montium haud pauci produnt, (physicis non ignota loquor) dum adhuc ignivomi sunt, aut majorum memoria fuerunt. Ipsi illi Peruviani, quibus altiores habere orbis terrarum nullos videtur, ignem vomunt aut vomuerunt. Verisimile ergo videri possit, omnes non montes solum eodem modo aliquando exstitisse, sed & quidquid est terræ continentis insularumque magno olim igne subterraneo motuque terræ tumescens ex incubante antiquitus Oceano erupisse: unde fit, ut in summis ubique terrarum montibus indicia adhuc inveniant physici, innatantis illis aliquando maris. Quæ quidem indicia non ad diluvium Noachicum referri posse, ita perfecit in commentariis Soc. Scient. Goettingensis, T. III. p. 285. seqq. celeberrimus Hollmannus, ut dubitari amplius nequeat: aliam licet suspicatus caussam, qua factum sit, ut jam ex mari emerserint habitenturque, quæ olim Oceani fundus fuerunt. Hoc ergo φιλοσοφούμενον & carmini intexit, & magnifica metaphora ornat Moses. Fingit terram ex parte tremuisse: magnosque inter tremores & boatus ingentem filiorum & giganteam sobolem, montes, enixam esse. Comparat deinde Dei longævitatem cum nostræ vitæ brevitate. Mille illi nostri anni, multas complexi ætates hominum, unicus sunt, & vero transactus, quem multo nobis breviorem fingimus die instante: nec hoc sufficit; trihorium nocturnum sunt, cujus placido somno transmissi nullam omnino durationem intelligimus. Germanice diceres:

> So wie die Stunde in der Nacht
> Vom tiefsten sanften Schlaaf zum Augenblick emacht,
> So sind dir, Ewiger, tausend Jahre.

In comparatione brevis nostræ vitæ cum flore ante vesperam marcido, non potest non succurrere illud vernaculi poetæ, multo quidem augustius & sublimius (quis enim tam sit iniquus, ut dissimulet, aliqua ex nostris sublimiora esse Hebraicis) sed & multo audacius:

> Der Sterne stille Majestat,

Die

Die uns zum Ziel bevestigt steht /
Eilt vor dir weg / wie Grass an schwulen
Sommertagen;
Wie Rosen / die am Mitrag jung /
Und welck sind vor der Dammerung /
Ist gegen dich der Angelstern und Wagen.

Quod vel ideo commemorandum comparandumque duxi, ut nimiæ audaciæ insolentiæque crimen, Orientalibus poetis nullo habito discrimine objectum, quodammodo diluam. Timidiores nonnunquam illi, ubi nos audaciora miramur. Forte, si siderum interitus immortalitati Dei Moses, aliusve ex Hebræis, conferre voluisset, comparasset illa lumini candelabri sacri, extincto, cum mane deficeret oleum:

Nur durftger Lampen Schein / der an dem
Abend jung /
Verloschet vor der Dammerung /
Ist deinem Zeitlauf der Angelstern und
Wagen.

His quidem illa ob ipsam audaciam pulcriora & sublimiora: verum hoc si concedimus, desinamus istas perpetuas voces, de alio prorsus ingenio Orientalium, ignorantiæ indices, mittere.

Alterum carmen aut ignoti autoris aut Davidis est, *Ps.* CII. 26. 28. Æternitatem Dei non nostra vitæ brevitate, non montium seculis metitur, sed multo jam verius digniusque, duratione cœli, quod æternum & immutabile videri etiam philosopho possit, per multas montium ætates idem & immutabile. Hoc tamen ipsum sanctum & æternum templum vetustate labi intelligit, Deo semper eodem. Cœlo ergo convestiri deum fingit, nec magis illi insolitum, pro cœlo sua jam vetustate laborante multoties aliud creare novum, quam regi, vestem mutare:

Olim terram fundasti,
Opus manuum tuarum cœli sunt
Illi interibunt, tu superereris:
Illi ut vestes deterentur,
Ut amiculum mutabis eos & exsuentur
Tu autem idem: nec anni tui finientur.

Conferamus his vernaculi poetæ illa?

Wie eine Uhr / beseelt durch ein Gewicht /
Eilt eine Sonn' aus Gottes Kraft bewegt.
Ihr Trieb laufft ab / und eine andre schlagt /
Du aber bleibst / und zahlst sie nicht.

Epimetri loco indicare liceat singularem linguæ Hebraicæ in numeris maximis, una voce exprimendis felicitatem. Nostris poetis vix licet ultra centurias aut millia progredi: partim quod majores numeri, ex pluribus vocibus componendi, phantasiam non afficiunt, partim, quod nimiam habere ista curata numeratio diligentiam videtur, fide historici digniorem, quam furore poetico: denique quod ipsa syllabarum multitudine numeri nostri compositi aut offendunt audientes, aut metro inepti sunt. Hebræorum contra poetis majores numeros rotundos vulgaris etiam linguæ usus concessit, ut רבבה, 10,000. אלפי שנאן, *millia duplicationis*, i. e. 1,000,000. & רבותים *myrindes duplicatas*. seu 100,000,000. Quorum numerorum majorum in sublimitate carminis usum disce ex *Ps.* LXVIII. 18. qui locus neque Germanica lingua neque Latina poetice exprimi potest.

(82) Obstat Lowthi explicationi, facitque pro vocalibus Hebraicis; quod indecens est, hominem implumem dicere: *si alas* MEAS *attollerem*. Aliud est: si alas, quales sunt Auroræ, attollerem. Sententiam, quam locus ex punctis Masorethicis intellectus fundit, exposui supra in epimetro prælectionis IX. pag. 184.

PRÆLECTIO DECIMASEPTIMA:

DE SUBLIMITATE AFFECTUUM.

Alterum sublimitatis fontem cum Longino statuimus, commotæ mentis vehementiam, & affectuum impetum: vocat is το σφοδρον και ενθουσιαστικον παθος. Videamus paulum quid sit ille ενθουσιασμος; quam vim habeat in poesi affectuum cum concitatio, tum imitatio; quænam inter affectus & sublimitatem cognatio intercedat.

Dictionem poeticam germanum esse incitatæ mentis effectum, plus semel jam observatum est; ipsam etiam poesin suam habuisse originem, habitum suum, colorem, sonum, gestumque traxisse, ex eo quod patitur animus corpusque; imaginatio, sensus, sermo, vox, spiritus; cum affectus vehementius concitantur. Omnis animæ humanæ affectio, ubi imperiosius dominatur, est brevis quidam furor: cum poeta ita ingenio vel potius imaginatione valet, (ευφαντασιωτον vocant Græci *) ut facile quemvis animæ motum induere, ut alienos affectus in se transferre, eosque apte, vivide, fortiterque pro rei natura exprimere possit, eum furore poetico concitari vulgo dicimus; & cum Aristotele μανικον, cum Platone εκφρονα, ενθεον, και ενθουσιαζοντα, cum Latinis divino spiritu afflatum Deoque plenum, appellare possumus: non quasi *Di ardorem hunc mentibus addant*, sed quod *sua cuique Deus fit dira cupido*. Hanc igitur speciem ενθουσιασμου appellarem naturalem, nisi viderer plane inter se repugnantia conjungere: est certe longe diversus, & altioris quidem originis, verus ille & germanus ενθουσιασμος, eoque nomine unice dignus, quo solummodo Hebræorum poesis sublimior, ac maxime prophetica, incitatur.

Porro ut vehementioribus animæ affectibus originem suam debet poesis, ita in affectibus exprimendis vim suam præcipue exerit, & affectus concitando finem suum optime consequitur.

Imitatione constare dicitur poesis: quicquid humana mens cogitatione complectitur, id omne imitatur; res, loca, imagines vel naturæ vel artis, actiones, mores, affectus: & cum omni imitatione ma-

* *Quintil.* Lib. VI. 2.

magnopere delectatur mens humana, fieri vix potest, quin illam & delectet maxime & percellat ea imitatio, quæ ei suam ipsius imaginem exhibet, omnesque eos impulsus, flexiones, perturbationes, motusque secretos exprimit, quos in se agnoscit sentitque. Commendat imprimis hanc imitationem ipsius rei subtilitas & difficultas: habet magnam admirationem, cum cernimus id effectum dari, quod omnino vix effici posse judicamus. Cæterarum rerum descriptiones accuratas esse & naturæ congruere, memoriæ subsidio ac veluti per medium quoddam, mens tardius intelligit: cum exprimitur affectus aliquis, rem ipsam quasi nude intuetur; ipsa per se conscia est & sui & suorum motuum, nec rem perspicit solum, sed & vel idem vel simile quiddam statim patitur. Hinc fit, quod ea sublimitatis species, quæ ex vehementi affectuum impulsu eorumque imitatione oritur, apud animum humanum multo maximam vim habet: quicquid ei extrinsecus exhibetur, utcunque grande & magnificum, minus eum ut par est commovet, quam quod intus percipit, cujus magnitudinem & impetum & vehementiam ipse apud se persentit.

Utque imitatio affectuum poeseos perfectissimum est opus, ita per eorundem concitationem maxime ad finem suum & effectum producitur. Poetices finis est, prodesse delectando: concitatio autem affectuum, per imitationem facta, est summe & utilis, & jucunda.

Utilis est primis hujusmodi concitatio affectuum, si recte legitimeque fiat; nimirum si ita moveantur affectus, ut ad suum finem dirigantur, ut naturæ consilium & rerum veritatem servent; hoc est, si excitetur mali aversatio, boni amor: quod si aliqui poetæ contra faciunt, ii sua arte pessime abutuntur. Affectiones enim principia sunt atque elementa humanarum actionum; omnes in se sunt bonæ, utiles, honestæ; & cum debite exercentur, non modo recta ducunt, sed stimulant etiam & incendunt ad virtutem. Poeticæ partes sunt, eas incitare, dirigere, moderari, minime autem extinguere; affectuum exercitationem, emendationem, disciplinam profitetur; id quod Aristoteles per παθημάτων κάθαρσιν unice intelligere videtur, quanquam interpretes quidam alio sensum ejus detorserunt.

Ad hoc, eo utilior est istiusmodi effectuum concitatio, quod valde delectet: omnem enim affectuum commotionem, etiam eorum qui cum dolore primitus cognationem habent, cum per imitationem fiat, summa eaque exquisita quædam voluptas semper comitatur: partim ex ipsius imitationis contemplatione orta; partim ex nostræ felicitatis cum aliorum miseriis comparatæ conscientiæ: præcipue vero ex sensu morali. Homini enim generosum quendam spiritum natura indicit, jussitque non se solum respicere, sed aliorum etiam curam & rationem habere, nihil humani a se alienum ducere. Gaudere itaque in aliorum felicitate, dolore etiam in aliorum miseriis, pietatem & benevolentiam amorem amplecti, humanitatem & injustitiam odio & indignatione prosequi, id est, naturæ suæ obtemperare, rectum est, honestum, pulchrum, jucundum.

Multum quidem genere differunt sublime & patheticum, & tamen aliqua necessitudine inter se conjunguntur. Patheticum continet in se affectus quos patimur, & quos concitamus. Exprimuntur aliqui affectus sine sublimitate; est item sublimitas, ubi nulli affectus exprimuntur: sed id neutiquam potest esse sublime, quod nullum affectum concitat. Quæ ex ipsa conceptuum atque imaginum magnitudine oritur sublimitas semper habet admirationem, eamque vel cum gaudio, vel amore, vel odio, vel metu, plerumque conjunctam: id quod satis liquet ex exemplis in eo genere proxime allatis.

Quantum vero in affectibus commovendis & ad suum finem rite dirigendis præstat sacra Hebræorum poesis; quomodo eos in debitis objectis exercet, & veluti in suo quemlibet centro & cardine convertit; admiratione per divinæ majestatis contemplationem animum percellit & incendit; gaudium, spem, amorem, a rerum terrenarum & abjectarum amplexu revulsum, ad summum bonum traducit; odium, metum, dolorem, in levioribus vitæ miserus nimis sedulo occupatum, ad summi mali aversationem excitat: hæc omnia neque hic loci egent explicatione, nec, quamquam cum summa sublimitate plerumque conjuncta, & ad finem suum egregie perducta, proprie ad rem præsentem faciunt. Non enim agitur de sublimitate quatenus concitat affectus; sed de ea ejusdem specie quæ oritur ex vehementi impulsu, ex imitatione sive repræsentatione affectuum.

Atque hic campus plane immensus nobis ostenditur. Quid enim est aliud pars longe maxima poematum sacrorum, quam perpetua diversorum affectuum imitatio? quæ alia materia & argumentum tot carminum, quam admiratio ex divinæ potentiæ & majestatis contemplatione orta; gaudium ex sensu divini favoris prospe-

roque

roque rerum exitu; iracundia & indignatio contra impios Deique osores; dolor ex peccati conscientia, & pœna delictorum divinitus irrogata; ex interminatione divinorum judiciorum terror? Neque horum omnium, aut si qui his finitimi sunt animorum motus, exempla desiderare quisquam potest, qui in libro Jobi, in psalmis, in canticis aut vaticiniis prophetarum, velit periculum facere, vel etiam in aliquam eorum partem, nullo consilio aut delectu habito, forte inciderit. Quocirca exhibenti mihi vobis, Academici, in horum singulis breve aliquod specimen, multo minus erit laborandum, ut idonea atque eximia seligam, quam ut quæ ultro occurrunt, non dico pro rei dignitate, sed sine gravissima sublimitatis imminutione, possim exponere.

Admiratio, ut est effectus semper consequens sublimitatem, ita sæpe etiam sublimitatis est causa efficiens. Concipit sensus magnificos, dictione utitur elata & audaci, sententiis brevibus, concisis, interruptis. *

יהוה מלך ירגזו עמום
ישב כרובים תנוט הארץ:

Jehova regnat; contremiscant populi:
Cherubis insidet; commoveatur tellus.

קול יהוה על המים **
אל הכבוד הרעים
יהוה על מים רבים:
קול יהוה בכח
קול יהוה בהדר:

Vox Jehovæ super aquas;
Deus gloriæ intonat;
Jehova super aquas ingentes.
Vox Jehovæ potens;
Vox Jehovæ plena majestatis.

מי כמכה באלים יהוה ***
מי כמכה נאדר בקדש
נורא תהלת עשה פלא
נטית ימינך תבלעמו ארץ:

Quis tui similis inter Deos Jehova!
Quis tui similis, verendus sanctitate!
Terribilis laudum, faciens mirabilia!
Extendisti dextram, absorbet eos tellus.

Effert se gaudium atque exultat audacius: grandes habet conceptus, splendidas imagines arripit, verba injicit ardentia; nec veretur figuras maxime præcipites & insolentes periclitari. In Mosis, in Deboræ carmine ευχαριστικῳ, quæ sensuum, quæ dictionis & compositionis sublimitas? Quid illa in psalmis toties celebrata universæ naturæ jubilatio quum res omnes creatæ, dum animalibus inanimæ, creatoris laudes certatim efferunt? nonne ipsa poesis triumphare gaudio, lætitia insolescere, & prope bacchari videtur? *

Dicite, regnat Deus omnipotens;
Dicite populis, ipse Jehova
Posuit stabilis mœnia mundi,
Rerum validas torquet habenas.
Cœli exultent; concinat æther;
Resonet cantu conscia tellus;
Resonent sylvæ; resonent montes;
Geminent palmis flumina plausum;
Fremitu læto reboet pontus:
Psallite, clangite, quæque patentes
Colitis terras, quæque profundum.
Advenit, advenit ipse Jehova.
Regat ut populos legibus æquis;
Totum numine temperet orbem.

Nihil autem potest esse magnificentius & grandius quam iracundiæ & indignationis præsertim divinæ repræsentatio, cujus rei insigne exemplum præbet tota Mosis ode prophetica, quæ perpetuo æstu iracundiæ exardescit & inflammatur. Nonnulla antehac in genere paulum diverso exinde protuli; nec omitti debent sequentia: **

כי אשא אל שמים ידי
ואמרתי חי אנכי לעלם:
אם שנותי ברק חרבי
ותאחז במשפט ידי:
אשיב נקם לצרי
ולמשנאי אשלם:
אשכיר חצי מדם
וחרבי תאכל בשר
מדם חלל ושביה
מראש פרעות אויב:

Nam manum meam ad cœlos attollo,
Et dico, ut ego in æternum vivo,
Ita acuam gladii mei fulgur,
Et manus mea arripiet arma judicii;
Hostibus meis ultionem reddam,
Eisque qui me oderunt rependam:
Inebriabo sagittas meas sanguine,
Et gladius meus devorabit carnes;
Sanguine confossorum captorumque,
De capite capillato inimicorum.

Nec in simili materia cautior aut remissior Isaias: ***

כי

* *Ps.* XCIX. 1.
** *Ps.* XXIX. 3. 4.
*** *Exod.* XV. 11. 12.

* *Ps.* XCVI. 10. — 13. & XCVIII. 7. — 9.
** *Deut.* XXXII. 40. — 42.
*** *Isai.* LXIII. 4. — 6.

כי יום נקם בלבי
ושנת גאולי באה;
ואביט ואין עזר
ואשתומם ואין סומך:
ותושע לי זרעי
וחמתי היא סמכתני:
ואבום עמים באפי
ואשכרם בחמתי
ואוריד לארץ נצחם:

Nam dies ultionis in corde meo est,
Et annus quo meos redimam venit:
Et circumspexi, neque erat adjutor:
Et obstupui, neque enim erat sustentator:
Tum mihi salutem præstitit brachium meum,
Et indignatio mea ipsa me sustentavit:
Et conculcavi populos in ira mea,
Et in æstu meo ebrios & attonitos reddidi,
Et cædem eorum derivavi in terram.

Et valde sublimis est illa apud Mosem hostici furoris & minarum imitatio, qua mirifice amplificatur insperata cladis atrocitas: *

אמר אויב ארדף אשיג
אחלק שלל תמלאמו נפשי
אריק חרבי תורישמו ידי
נשפת ברוחך כסמו ים

Dixerat hostis, persequar, adsequar:
Dividam spolia, exsaturabitur anima mea;
Stringam gladium, exscindet eos manus mea:
Spiritu tuo flavisti; operuit eos mare.

Humilis plerumque & abjectus, & a sublimitate paulo alienior est dolor; sed cum excessit modum & in animo penitus dominatur, insurgit audacius, & in rabiem quandam & furorem excandescit. Num se cohibet & comprimit Jeremias, dum Sionis miserias exaggerat? **

דרך קשתו כאויב נצב ימינו כצר
באהל בת ציון שפך כאש חמתו:

Arcum suum hostili more intendit; dextram firmavit velut inimicus;
In tentoria filiæ Sionis iram suam instar ignis effudit.

Sed nihil in hoc genere æquat Jobi dolorem, acrem, vehementem, fervidum, in gravissimis miseriis semper animosum quiddam & excelsum spirantem; nimirum

* *Exod.* XV. 9. 10.
** *Thren.* II. 4.

æstuat ingens
Uno in corde pudor, luctusque, & conscia virtus.

אפו טרף וישטמני *
חרק עלי בשניו
צרי ילטוש עיניו לי:
פערו עלי בפיהם
בחרפה הכו לחיי
יחד עלי יתמלאון:
יסגירני אל אל עויל
ועל ידי רשעים ירטני:
שלו הייתי ויפרפרני
ואחז בערפי ויפצפצני
ויקימני לו למטרה:
יסבו עלי רביו
יפלח כליותי ולא יחמל
ישפך לארץ מררתי:
יפרצני פרץ על פני פרץ
ירץ עלי כגבור:

Ira ejus discerpit me, & hostili odio prosequitur,
Dentibus suis in me infrendit,
Hostis meus acuit contra me oculos suos.
Fauces suas contra me distendunt;
Maxillas meas contumeliose percutiunt;
Pariter super me sese exsaturant.
Constrictum me Deus iniquo tradidit,
Et in manus impiorum me præcipitavit.
Tranquillus eram, & me penitus contrivit;
Et cervice prehensum minutatim diffregit;
Ac me sibi pro scopo constituit.
Corona facta invadunt me jaculatores ejus;
Sulcat renes meos, nec parcit;
Effundit in terram fel meum.
Aliis super alias plagis continuo me profligat;
Impetum facit in me sicut bellator.

Apud eundem qua magnificentia & sublimitate exprimitur mœror & desperatio!

***O si bilance mea libretur calamitas,*
Justaque trutina moles cumulati mali!
Superat iniquo pondere arenas æquoris;
Nec temere inæstuat gemitu erumpens dolor.
Stant penitus imo tela infensi numinis
Defixa latere; morsu lacerant viscera,
Ægrumque lenta tabe spiritum hauriunt;
Deique terrores acie instructa ingruunt.
O cedat utinam supplicis precibus Deus!
Effundat iræ fræna tandem vindici;
Ma-

* *Job.* XVI. 9. — 14.
** *Job.* VI. 2. 3. 4. 8. 9.

Manu soluta, liberoque brachio,
Adigat trisulci vim coruscam fulminis,
Miserumque plaga subito interimat simplici.

Nec minus in terrore vel incutiendo vel exprimendo totum Jobi poema excellit; quod satis intelligi potest vel exemplo jam allato. Hunc vero affectum quasi suum opus propriamque provinciam sibi vindicat poesis prophetica, maximam nempe partem in denunciandis Dei judiciis occupata. Totus fere est in eo πάθει Ezekiel: excellit etiam Isaias, quanquam rerum lætarum & salutis plerumque nuntius; sed Judæorum hostibus hi intentantur terrores. *

הלילו כי קרוב יום יהוה
כשד משדי יבוא:
על כן כל ידים תרפינה
וכל לבב אנוש ימס:
ונבהלו צירים וחבלים יאחזון
כיולדה יחילון
איש אל רעהו יתמהו
פני להבים פניהם:
הנה יום יהוה בא
אכזרי ועברה וחרון אף
לשום הארץ לשמה
וחטאיה ישמיד ממנה:
כי כוכבי השמים וכסיליהם
לא יהלו אורם
חשך השמש בצאתו
וירח לא יגיה אורו:
ופקדתי על תבל רעה
ועל רשעים עונם
והשבתי גאון זדים
וגאות עריצים אשפיל:
אוקיר אנוש מפז
ואדם מכתם אופיר:
על כן שמים ארגיז
ותרעש הארץ ממקומה
בעברת יהוה צבאות
וביום חרון אפו:

Ejulate, nam propinquat dies Jehovæ;
Adveniet, ut ab omnipotente vastitas!
Idcirco omnes manus solventur,
Et omne cor hominis liquescet;
Et consternati angustiis, & cruciatibus correpti,
Instar parturientis dolebunt:
Alter alterum attoniti respicient;
Instar flammarum vultu ardente.
Ecce dies Jehovæ advenit;
Atrocitas, & excandescentia, & æstus iræ:
Ut redigat terram in desolationem,
Et peccatores ejus ex ea exscindat.
Nam stellæ cœlorum, & eorum sidera,
Non emittent lucem suam;
Caligabit sol in ortu suo,
Nec splendorem suum effundet luna.
Et animadvertam in orbis malitiam,
Et in impiorum crimina,
Et comprimam arrogantium fastus.
Et superbiam tyrannorum dejiciam.
Mortalem reddam obryzo pretiosiorem,
Et hominem auro Ophirino.
Propterea cœlos faciam contremiscere,
Et commovebitur tellus e loco suo;
In excandescentia Jehovæ exercituum;
Et in die iræ ejus exardescentis.

Nec in hoc minus eminet Jeremias, etsi lenioribus affectibus magis fortasse idoneus. Exemplo sit visio imminentem Judææ cladem cum mira evidentia & verissimo ἐνθουσιασμῷ exhibens: *

מעי מעי אוחילה קירות לבי
הומה לי לבי לא אחרש
כי קול שופר שמעתי נפשי תרועת מלחמה:
שבר על שבר נקרא כי שדדה כל הארץ
פתאום שדדו אהלי רגע יריעתי:
עד מתי אראה נס אשמעה קול שופר:
ראיתי את הארץ והנא תהו ובהו
ואל השמים ואין אורם:

Viscera mea! viscera mea! præcordia mihi dolent!
Tumultuatur intus cor meum; silere non possum;
Nam vocem buccinæ audivisti, o anima mea; clangorem belli!
Clades super cladem proclamatur, nam devastata est omnis hæc terra:
Subito vastantur tentoria mea, momento mea vela.
Quousque videbo vexillum, audiam clangorem buccinæ! —
Aspexi terram, ecce autem informis est & vacua!
Cœlosque, nec lucent amplius! —

Et quæ sequuntur reliqua. Infinitum esset omnia quæ huc faciunt recensere: & erit fortasse locus de his & similibus plus semel differendi in ea operis instituti parte, quæ de variis poematum Hebræorum generibus agit; quam, vestra Academici, indulgentia in incœpto arduo & difficili prius implorata, proxime sum ingressurus.

* *Isai.* XIII. 1. — 13.

* *Jer.* IV. 19. &c.

ROBERTI LOWTH
DE SACRA POESI HEBRÆORUM
PRÆLECTIONES ACADEMICÆ

Subjicitur Metricæ Harianæ brevis confutatio, & oratio Crewiana.

NOTAS, ET EPIMETRA ADJECIT

JOANNES DAVID MICHAELIS

PARS POSTERIOR.

LECTURIS

S. D.

EDITOR.

PRIMO vestra mihi, lectores, venia exoranda, quod serius quam exspectabatur prodit Tomus II. prælectionum Lowthi. Intercesserunt non tam, quas me accusaturum fortasse suspicamini, turbæ bellicæ, quam laborum aliorum varietas.

Deinde & error indicandus, quem in præfatione Tomi superioris commisi. Narrabatur mihi, Lowthum fato functum esse: idque in præfatione posui, Vobis sine dubio molestum, qui plura a tali viro scripta edi cuperetis. Jam vero lætus comperi, vivere adhuc virum de poesi Hebraica mirifice meritum; ut jam hos inter lectores, quos hic alloquor, fore videatur. Liceat ergo Te nominatim compellare & adfari, insignem lectorem, Lowthe, dumque Tua Tibi nostris typis, descripta reddo, gratias Tibi & meo & multorum meorum civium nomine agere, quod tanto ingenio, acumine, industria, argumentum Te dignissimum tractasti, quod, qui ante Te susceperunt Tibi comparati, ne attigisse quidem videntur. Mea quæ adjeci æqui bonique consule quæso, in quibus, cum Te mortuis adnumerarem, habes quodammodo posteritatis de Te judicium, nihil amicitiæ, nihil adfectibus dantis, nunquam illis adulantis, ad quorum aures adulatorum voces pertinere nequeunt. Dum vivimus, suspectos habemus, qui nostra laudant: ego, si tua magni facio, & mortuum Te putans, & sæpe a Te dissentiens, suspectus Tibi nunquam videri potero. In sententiarum quidem diversitate molliore usurus eram verborum lenocinio, si ipsum Te hæc mea lecturum scivissem, non abruptiore ea brevitate, qua cum mortuis disputare solemus. Quod ut benevole excuses valde peto, nul-

nullius certe vocis mihi conscius, quæ Tibi molesta esse debeat, aut ab humanitate, quam mortuis debemus, nobisque ab aliis post mortem expetimus, sit aliena. Tu vero jam vivus, ac diu nobis servandus, in his meis & lectoris personam suscipe & judicis, certus, nullius mihi lectoris sententiam tanti fore ac Tuam. Nec illi id ægre ferent: quis enim in disputatione de poesi Hebraica Lowtho se comparet?

Iidem, qui hunc librum suis sumtibus Goettingæ publicarunt bibliopolæ, idem facient in Celsii hierobotanico, meis qualibuscunque aucto annotationibus, ac forte, si velint lectores, imaginibus illustrato plantarum rariorum. Pars prima ejus libri prodibit, nisi quod inciderit impedimentum, circa exitum anni sequentis. Dabam Goettingæ d. VIII. Junii MDCCLXI.



PARS TERTIA,

POEMATUM HEBRÆORUM VARIÆ SPECIES

נבואה

SIVE POESIS PROPHETICA.

PRÆLECTIO DECIMAOCTAVA:

PROPHETARUM SCRIPTA PLERAQUE ESSE POETICA.

De poeſeos Hebrææ generali natura, deque attributis ejus communibus, hactenus diſputatum: ſatis quidem fuſe, ſi diſſertationum numerus ſpectetur; ſi argumenti & copia & dignitas, vereor ne breviter nimis, & plus nimio exiliter. Verum non erat conſilium niſi locos inſigniores, & qui ad peculiarem Hebræorum rationem præcipue facerent, attingere; eoſque ipſos delibare potius quam pertractare; nec tam docere, quam ad hæc ſtudia adhortari auditores meos: qui non erunt monendi, ne rei ipſius magnitudinem ex hujuſce operæ, & tractationis tenuitate metiantur; ac ſpeciatim exempla quod attinet ex ſacris vatibus ſæpius prolata, ne in ullius interpretatione, nedum in noſtra, velint acquieſcere: quanquam in hac parte non minimam poſitam fuiſſe diligentiam, libenter profiteor. Quod jam reſtat, univerſum genus poeſeos Hebrææ in in ſuas ſpecies tribuendum eſt, & quid in ſingulis maxime notatu dignum ſit, videndum. Qua in diſtributione non eſt a nobis exigendum, ut ipſos Hebræos ſemper citemus teſtes, utque cujuſque ſpeciei deſcriptionem legitime eſſe conſtitutam illorum autoritate confirmemus, qui in ſubtilibus ejuſmodi rerum partitionibus non multum verſati ſunt: ſatis erit ad rem noſtram, hoc eſt, ad accuratiorem ſacræ poeticæ tractationem, ſi ſingularum proprietates in rei natura poſitas eſſe, cernique vel in argumenti materia, vel in rerum diſpoſitione, vel in ſtyli diverſitate, vel in totius denique poematis forma, demonſtremus.

Poeſi Propheticæ primum locum tribuo: quod genus cernitur in prophetarum vaticiniis, eorum nimirum pleriſque, quibus conſtant libri Prophetici, atque aliis nonnullis, quæ in hiſtoricis ſparſim occurrunt. Ea quin ſint ſtylo vere poetico & in ſuo genere excellenti, nemo opinor dubitat; quam in rem a nobis etiam jam antea allata ſunt multa exempla: numeris autem & metris conſtare non minus quam libros illos poeticos dictos, id quidem non tam facile conceſſum iri video. Negant Judæi *; negat Hieronymus **, Judæorum diligens auditor: poſt quos nihil attinet recentiores memorare, qui partim omnibus Hebræorum ſcriptis metra abjudicant, partim iis ſolum tribuunt, quæ vulgo poetica appellantur, pauciſque inſuper canticis hinc inde diſperſis. Horum autem autoritate nemo ſe protinus obrui patiatur, priuſquam videat, num idonei ſint hujuſce argumenti judices, quidve in hac quæſtione ſit eorum teſtimonio tribuendum.

Judæi, ipſis etiam confitentibus, antiquæ metricæ artem, ejuſque omnem memoriam, a multis retro ſæculis amiſerunt; nimirum inde ab iis temporibus, quibus lingua Hebræa deſiit eſſe vernacula, & in oblivionem abiit ***. Id ſane vero videtur ſimile, Maſoretas illos, quicunque tandem fuerint, qui poſtea ſacra volumina accentibus & vocalibus, prout ea nunc habemus, diſtinxerunt, adeo tenuem & imperfectam habuiſſe in hac re cognitionem, ut metrum a ſoluta oratione non potuerint liquido internoſcere: quippe qui, cum libros alios, Pſalmorum nimirum, Proverbiorum, & Jo-

* *Abarbanel* tres ſtatuit ſpecies Canticorum. Prima eſt Rhythmica, ſive ὁμοιοτελεύτοις conſtans; in uſu apud recentiores Hebræos, qui ab Arabibus eam didicerunt, ſed ſacris ſcriptoribus plane ignota. Secunda, ad melodiam muſicam accommodata, ut modulata voce, vel cum inſtrumentis etiam muſicis, cantetur: qualia ſunt cantica Moſis, Deboræ, Davidis. Tertiam ſpeciem conſtituunt parabolæ; quod genus (inquit ille, valde abſurde ut ſolent Magiſtri,) proprie vocatur שיר. Ex hac autem claſſe excludit parabolas Prophetarum, cum Maimonidis diſtinctione inter prophetiam & ſpiritum ſanctum: (vid. *More Neboc*. II. 45.) ait eas non eſſe cantica, quia non ſunt ex operatione ipſius Prophetæ, ſed ex abſoluta prophetia. *Mantiſſa Diſſert. ad Libr. Coſri* pag. 413.

** Vide *Hieron.* præfat. in Iſaiam.

*** *Non eſt dubium quin (cantica ſacra ſecundæ ſpeciei) habuerint melodias certas, quæ longitudine temporis & captivitatum in oblivionem venerunt. Abarbanel.* ibid. p. 410.

Jobi, ut metricos peculiari quadam ratione accentibus ſuis notaverint, alios tamen non minus certo metris conſtantes, cujuſmodi ſunt Canticum Salomonis & Jeremiæ Treni, pro meris ſermonibus habuerint, & proinde in his vulgarem & proſaicam ſolummodo accetuationem adhibuerint: quorum judicio ſtant omnes Judæi, hoſque idcirco metricos eſſe, & in eodem cenſu cum tribus iſtis ſuperioribus ponendos, negant *. Neque vero in hac parte diſcipulus ſuis præceptoribus peritior fuiſſe exiſtimandus eſt. Quanquam enim Hieronymus de metris Hebraicis multa diſputat, multa de Tetrametris & Hexametris, de Jambicis & Sapphicis memorat, ea tamen omnia non nimium urgenda eſſe res ipſa oſtendit: etenim plane pingui, quod ajunt, Minerva agit, in Hebraicis remotam quandam ſimilitudinem Græcorum metrorum quærens, & craſſis quibuſdam imaginibus rem a ſe ipſo non ſatis intellectam explicans; in quibus etiam ipſe ſibi parum conſtare deprehenditur. Nam Deuteronomii canticum hexametris & pentametris verſibus compoſitum eſſe ait *, Joſephum & Origenem ſecutus; alibi ** vero idem carmen jambico tetrametro ſcriptum eſſe affirmat: ad comprobandam denique ſententiæ ſuæ veritatem eorum teſtimoniis utitur, Philonis nimirum, Joſephi, Origenis, Euſebii ***, quibus metrice Hebræa æque atque ipſi fuit ignota. Pace itaque & Judæorum & Hieronymi liceat nonnulla proponere in contrariam partem, quibus forſan perſpectis non omnino incredibile videri poterit, prophetarum pleraque vaticinia, perinde atque cætera poeſeos Hebrææ monumenta, verſibus eſſe edita numeriſque adſtricta.

Jam vero ad probandum, prophetarum vaticinia eſſe metrica, iiſdem profecto argumentis utendum eſt nobis, quibus conati ſumus evincere, poeſin Hebræam in univerſum aliquo metri genere conſtare: quæ quidem omnia hic locum habent, eo duntaxat excepto, quod ex carminibus alphabeticis petebatur. Ejus vero artificii exempla in poeſi prophetica minime eſſe quærenda, res ipſa docet; cum ſit ab ejus natura vel maxime alienum: eſt enim magis ſtudii & diligentiæ, quam incitationis & motus, ad ſubſidium memoriæ, non ad affectuum impulſus comparatum. Reliqua autem imprimis hic obſervanda occurrunt: dialectus poetica ****, dictio & conſtructio a pedeſtri ſermone abhorrens, cæteraque ejuſmodi, quæ lectori diligenti abunde ſeſe offerent, uno alteroque exemplo explicari non poſſunt; parvi enim momenti fortaſſe videbuntur ſingula, quæ univerſa magnam vim habent. Huc accedit poetica ſententiarum conformatio; quæ cum metrici artificii ſemper, ut mihi quidem videtur, pars quædam præcipua eſſet, nunc certe quæ clare apparet ſola ſit, eam poſtea uberius explicare conabor, ſcriptorum propheticorum ſpeciatim habita ratione: alia quædam jam præmiſſurus, quæ ad opinionem noſtram comprobandam viam munire videntur.

Erant prophetæ a Deo quidem ipſo & electi & ad munus ſuum obeundum abunde inſtructi; ex eorum tamen numero plerumque, qui ab ineunte ætate in convenientem diſciplinam traditi, & ad ſacra miniſteria prius inſtituti fuiſſent. Conſtat ex multis ſacræ hiſtoriæ locis, inde a priſcis reipublicæ Hebrææ temporibus

* Canticum Salomonis poema quidem eſſe agnoſcunt Judæi, non autem vel ſtructuræ ratione vel metri, ſed eo quod ſit parabola: adeoque ad tertiam Canticorum ſpeciem refert *Abarbanel.* ibid. Qua item de cauſa fit, quod cum in nonnullis Codd. MSS. tres libri metrici στιχηρως ſcribantur, eodem tamen modo minime exarentur Threni & Canticum Canticorum. Hoc ſane animadverti in Cod. MS. Bibliothecæ Vaticanæ inter antiquiſſimos merito numerando; eſt enim anni æræ Chriſt. DCCCCLXXIII. Hoc cernitur in tribus Codd. MSS. Bibliothecæ Bodlejanæ, uti me certiorem facit vir in his literis exercitatiſſimus *Benjaminus Kennicott*, cujus eruditum opus criticum propediem expectamus, in quo etiam omnes Codd. MSS. Bibl. Hebr. qui in Academiis noſtris adſervantur, accurate recenſebit. Equidem exiſtimare quiſpiam poſſet, Judæos, cum Cantica quædam, & ſæpe etiam in Codd. MSS. integros Libros Metricos, στιχηρως exaratos exhibuerint, vel ſervaſſe, vel ſervare ſaltem videri voluiſſe, rationem carminis, & veram verſuum diſtributionem. Sed eorum in hac re inſcitiam arguit ipſorum inter ſe diſcordia; parum enim conſentiunt in linearum terminis figendis, neque ullam certam rationem aut legem in hoc negotio ſequuntur. Canticorum diſtributio in στιχους in variis libris impreſſis varia eſt, ut cuivis liquebit editiones inter ſe conferenti. In cantico Moſis *Deut.* XXXII. in quo diſtribuendo libri impreſſi magis conſentiunt quam in cæteris, vix autem diverſitati aut inconſtantiæ locus fuiſſet, modo membrorum ſententiæ ſemper habuiſſent rationem, ipſi tamen Judæorum magiſtri inter ſe diſſident, aliis verſus ſive lineas ſexaginta ſeptem, aliis ſeptuaginta numerantibus. Vide annot. ad Bib. Hebr. Edit. *Michaelis Halæ* 1720. In libris metricis ſimilis eſt trium MSS. Bodl. modo memoratorum diſcordia; quod meo rogatu amiciſſime facta collatione deprehendit idem vir doctiſſimus. Codex MS. inſignis, quem in Bibliotheca regia Dreſdenſi vidi, habet quod in hac parte notari meretur, quodque Judæorum in hac re tota ignorantiam & futilitatem palam facit. Paraphraſis Chaldaica textui per totum immiſcetur, ita ut ſingula legantur commata, primo Hebræum, deinde Chaldæum, & ſic perpetuo alternatim. In libris metricis, qui στιχηρως ſcribuntur, ita confunduntur textus & verſio, ut, cum in στιχων diſtributione nihil aliud ſpectaverit ſcriptor quam linearum æqualitatem, paſſim in una eademque linea occurrant; atque idem στιχος ab Hebræo incipiat, in Chaldæum deſinat; & contra. Codex hic eſt elegantiſſimus, annorum fortaſſe quingentorum. Puncta ſunt a manu recentiore, ut in Vaticano ſupradicto, aliiſque omnibus paulo antiquioribus.

* Præfat. in Chron. Euſebii.
** Epiſt. CLV. ad Paulam Urbicam.
*** Vide *Hieron.* Præfat. in Job.
**** Vide ſupra Annotata *Præl.* III.

ribus fuiſſe quædam prophetarum collegia, in quibus ſemoti ab hominum frequentia prophetici muneris candidati ſtudiis & exercitationibus ſacris vacabant: horum ſingulis præerat vates aliquis ſumma autoritate, & ſancti ſpiritus inſtinctu eximie præditus, univerſi cœtus moderator & præceptor. Quanquam de eorum inſtitutis & diſciplina paucis tantummodo atque obiter mentionem fecit ſacra hiſtoria; nihilominus in eo ſæpe multumque occupatos fuiſſe intelligimus, ut hymnis & carminibus, cum fidium & tibiarum cantu & ſymphonia, Dei laudes celebrarent. Inſignis eſt locus qui in hoc genere primum occurrit: *Saulo jam regi deſignato, & ſolenni unctione juſſu Dei conſecrato, obviam fit, quemadmodum ei prædixerat Samuel, cœtus prophetarum deſcendentium a monte Dei (id loci nomen, in quo ſitum erat ſacrum collegium), & præcedentibus nabliis, tympanis, tibiis, citharisque, vati cinantium: quibus auditis ipſe protinus, cœleſti etiam ſpiritu inſtinctus, una vaticinatur. Idem illi evenit; ejuſque etiam nuntiis Naiotham miſſis ad capiendum Davidem**; qui cum prophetas viderent vaticinantes, & præſidentem choro Samuelem, afflatu divino pariter correpti una vaticinati ſunt. De hujuſce vaticinationis ratione inter autores quantum video nulla eſt diſſenſio: omnes hic intelligunt, Dei laudes ſancti Spiritus inſtinctu carmine cantuque celebratas; Chaldæi interpretis autoritatem ſecuti, vel potius rei ipſius evidentia inducti, quandoquidem etiam eodem plane modo Aſaphus, Heman, Iduthun; in templi miniſterio rei muſicæ præfecti, dicuntur *vaticinati eſſe in citharis, nabliis & cymbalis, cum gratiæ laudeſque Jehove tribuerentur.* *** (83) Quibus exemplis ſatis patet, vocis נביא uſum apud Hebræos eo quidem uſque ambiguum fuiſſe, ut æque deſignaret prophetam, vel poetam, ſive muſicum, divinitus incitatum. His addi etiam poſſunt prophetides, Maria ſoror Aharonis, & Debora, eo titulo, ut videtur, inſignitæ, non ſolum quod per illas Jehova locutus eſſet, ſed ob poeticam etiam & muſicam facultatem; quæ duæ apud antiquos, cum Hebræos tum exteros, ſemper erant conjunctæ. Quid quod Salomo, vel ſaltem parabolarum ejus concinnator atque editor quidam, vocabulum, quod in prophetiæ proprie dictæ ſignificatione ſolenne eſt, bis uſurpavit ad dictionem poeticam deſignandam? Verba enim Aguri & Lemuelis vocat משא *, quod Hieronymus viſionem reddit, ſeniores Χρηματισμον, Chaldæus נביותא: cum tamen is locus nihil in ſe habeat prophetiæ proprie dictæ ſimile, ſed ſit ſententiarum quædam rhapſodia, conſtans verſiculis ad omnem poeticum ornatum compoſitis, & in eo genere imprimis elegantibus (84). Nimirum Hebræi res duas natura inter ſe finitimas, ut ipſi arbitrabantur, unius vocabuli communione connectebant: eademque ambiguitas nominis utravis facultate pollentem exprimentis, ob ſimilem quandam opinionem antiquitus acceptam, in linguis **, Arabica, Græca & Latina obtinuit.

* 1. *Sam.* X. 5. — 10.
** 1. *Sam.* XIX. 20. — 24.
*** 1. *Paral.* XXV. 1. — 3.

Neque vero exiſtimandum eſt, poeticam ſive muſicam in ſocietatem ſolummodo nominis a prophetia benigne receptam fuiſſe: quin etiam accepimus, prophetiam ipſam non dedignatam eſſe, cum muſica re vera habere commercium, ejuſque opem & auxilium petere. Inſigne eſt Eliſæi exemplum, qui duobus regibus Judæ & Iſraelis de rerum exitu ſciſcitantibus Dei reſponſum editurus *** fidicinem ſibi adduci poſtulat; eoque citharam pulſante afflatu divino protinus**** agitatur. Quod ſane plerique ita interpretantur, ut exiſtiment, prophetam ad ſedandam animi ſui perturbationem muſicam adhibuiſſe: in quo ſequuntur opinionem quandam Judæorum recentiorum *****, quæ ipſa non ſatis extra controverſiam poſita eſt; quaſi nimirum omnis vehementiorum affectuum motus ſancto ſpiritui aditum præcluderet, & cum prophetia conſtare non poſſet: cujus tamen operationem cum incitatiſſima animi commotione graviſſimiſque perturbationibus perſæpe conjunctam fuiſſe, multis ipſorum prophetarum ****** teſtimoniis comperimus. Verum utcunque ea ſe res habeat, haud ſcio an verius ſtatui poſſit, iis quæ modo allata ſunt, & hoc ipſo loco, perſpectis, prophetam ipſum voce ceciniſſe ad fidicinem, & vel hymnum aliquem, vel potius oraculum ipſum ad citharæ cantum pronuntiaſſe: a quo ſane non prorſus abhorret hujus reſponſi ſtylus & compoſitio.

Ex quibus omnibus ſatis liquet, veterum Hebræorum ſententia cum poetica pro-

* *Prov.* XXX. 1. XXXI. 1.
** *Muttenabbi*, προφητης, vates. Vid. *Joſephi Medi* Oper. pag. 58. *Tit.* I. 12. *Luc.* I. 67. & *Hammond.* in loc.
*** 2. *Reg.* III. 15.
**** והיה כנגן המנגן ותהי עליו יד יהוה
***** Vide *Maimon. More Neboc.* II. 36. & plures alios citatos a *Joh. Smith.* in *Diſſert. de prophetia*, Cap. VIII.
****** Vid. *Jer.* XXIII. 9. *Ezech.* III. 14. 15. *Dan.* VII. 28. X. 8. *Habac.* III. 2. & 16.

prophetiam arcta quadam societate & cognatione conjunctam fuisse. Utriusque facultatis idem erat nomen; eadem quippe origo, idem autor, Spiritus sanctus. Ii potissimum ad prophetiæ munus exequendum evocabantur, qui prius in sacra poesi multum fuerant versati. Eorundem erat, in usum ecclesiæ & carmina condere, & edere oracula: neque id quidem dubium est, quin magna pars hymnorum sacrorum vaticinia sint proprie dicta; nec quin ex vaticiniis nonnulla re vera sint hymni (85). Cum autem is esset ab initio præcipuus poeticæ finis, uti prius vidimus, ea singularis utilitas, ut dicta sapientium, ad mores vel ad fidem pertinentia, in animis hominum alte imprimeret, & ad posteritatis memoriam commendaret: nemini mirum id videri debet, si prophetia, quæ in eo genere principem locum obtinet maximique est momenti, ejus operam noluerit repudiare, & ministerium ad usus suos præcipue accommodatum aspernari. Cujus etiam rei illustre præbet exemplum Mosis Ode prophetica *, quam Dei jussu & instinctu scripsit, Israelitis discendam & memoriæ mandandam: *Ut sit*, inquit Deus ipse, ** *carmen hoc mihi pro teste adversum Israelitarum populum, cum a me defecerit; hoc in os ejus testimonium dicet; neque enim oblivioni mandabitur, aut ex posterorum ejus ore excidet.*

Porro autem, ut hoc ipsum Mosis carmen in primis clarum est & insigne in prophetico genere monumentum, ita ex altera parte multa sunt vaticinia, quæ in genere poetico præcipue eminent. Superest, ut in hanc rem exempla quædam ex scriptis propheticis depromta vobis proponam. Ac vaticiniorum quidem antiquissimorum, quæ in Mosis historia extant, pleraque jam antea citavi ***, uti quæ clarissimum Hebræi carminis specimen exhiberent: Noachi nimirum vaticinium, Jacobi Patriarchæ benedictiones, Balaami oracula. Quibus omnibus, ac præsertim illis Balaami, haud scio an clariora exempla ex universo sacrorum codicum penu depromi possint; ita sunt omnibus poetici characteris notis eminenter signata, ut qui metra aliqua in Hebræorum poesi agnoscunt, cum iis autem solis in hac quæstione nobis res est, ista cogantur in metricis numerare, si quidem pro sententia sua argumentis propugnare velint. Illis autem Balaami vaticiniis adnumerandum existimo carmen elegantissimum, a Micha Propheta ab inte-

* *Deut.* XXXIII.
** Vide *Deut.* XXXI. 19.—21.
*** Vide supra *Præl.* IV.

ritu vindicatum *: mire congruit cum cæteris ejus monumentis res, dictio, constructio, forma ipsa & character compositionis; plane autem citari videtur **, ut regi Moabitarum consulenti factum a Balaamo responsum:

במה אקדם יהוה
אכף לאלהי מרום:
האקדמנו בעולות
בעגלים בני שנה:
הירצה יהוה באלפי אילים
ברבבות נחלי שמן:
האתן בכורי פשעי
פרי בטני חטאת נפשי:
הגיד לך אדם מה טוב
ומה יהוה דורש ממך:
כי אם עשות משפט ואהבת חסד
והצנע לכת עם אלהיך:

Quanam re instructus comparebo coram Jehova?
Inclinabo me supplex coram Deo altissimo?
Num comparebo coram eo cum holocaustis;
Cum vitulis anniculis?
Num accepta erunt Jehovæ millia arietum:
Dena millia fluentorum olei?
An dabo primogenitum meum hostiam pro peccato meo;
Ventris mei fructum piaculum animæ meæ?
Indicavit tibi, o homo, quid sit bonum,
Et quid Jehova a te exigit?
Nisi ut æquum facias, & pietatem colas,
Et submisse te geras erga Deum tuum.

Quod si ad reliquas sacræ historiæ partes pergamus, exempla non deerunt. Sed prius etiam appellanda nobis est ipsius Mosis cycnea cantio; non dico oden illam propheticam, quæ sæpius id nomen invenit, sed viri divini extremam morientis benedictionem, qua Israeliticarum tribuum fata significantur: ***

יהוה מסיני בא
וזרח משעיר למו:

Jehova ex Sina prodiit;
Et ex Sehire illis exortus est: —

Vaticinium ejusdem plane generis cum illo

* *Mich.* VI. 6.—8.
** Vide *Mich.* VI. 5. & Viri Cl. *Josephi Butler* nuper *Episcopi Dunelmensis*, concionem de Balaamo.
*** *Deut.* XXXIII.

lo Jacobi; in exordio & fine valde sublime; ex omni autem parte prophetici carminis specimen eximium. Porro in eundem cum his censum refero Samuelis ad Saulum responsum, quo ei contumaciam exprobrat, eumque divino decreto regno privari denunciat, quatuor constans versiculorum paribus eleganter compositis:*

החפץ ליהוה בעלות וזבחים
כשמע בקול יהוה:
הנה שמע מזבח טוב
להקשיב מחלב אילים:
כי חטאת קסם מרי
ואון ותרפים הפצר:
יען מאסת את דבר יהוה
וימאסך ממלך:

Num delectatur Jehova holocaustis &
sacrificiis,
Æque ac obsequio voci ejus præstito?
Scito obsequium melius esse sacrificio,
Et obedientiam adipe arietum.
Profecto ut crimen divinationis est rebellio,
Et quasi scelus idololatriæ contumacia.
Quoniam repudiasti mandatum Jehovæ,
Et ipse te repudiavit, ne rex sis.

Aliud ejusdem rei evidens & illustre exemplum præbent Davidis verba novissima *, utcunque difficilis & impedita sit ejus vaticinii, quod dictionem attinet, interpretatio. Satis jam credo erit exemplorum ex libris historicis, si addam Isaiæ de Senacheribo oraculum, regum historiæ insertum **:

בזה לך לעגה לך בתולת בת ציון
אחריך ראש הניעה בת ירושלם:

Contempsit te, subsannavit te, virgo
filia Sionis;
Post te caput movit filia Hierosolymorum —

quod iterum occurrit inter illius prophetæ vaticinia, admonetque, ut ab historicis ad ipsa prophetarum volumina transeam, quæ magnam suppeditabunt exemplorum copiam, quibus ostendi possit, vere poeticam esse vaticiniorum compositionem, unoque opere ipsa poeticæ compositionis ratio plenius illustrari.

* 1. *Sam.* XV. 22. 23. *Vett. Intt.* omnes legisse videntur והקשיב pro להקשיב, & תרפים sine ו præfixo.

* 2. *Sam.* XXIII. 1.—7.
** 2. *Reg.* XIX. 21. — 34. *Isai.* XXXVII. 22.—35.

NOTÆ EDITORIS.

(83) Non satis exploratum est, נבא hoc loco proprie de adflatu divino veri nominis accipi: vix enim verisimile, plures eodem tempore prophetas eandem persensisse divinam vim, quæ eadem universis verba suggereret. Quid? si hic vaticinari simpliciter sit, *modulari carmen*, ut Græcis Latinisque, recte observante nostro, omnes poetæ vates dicuntur. Nempe quia ferventioris animi impetu abripiuntur ac feruntur poetæ & musici, ipsi sibi ab alia majore vi agi videntur: unde hæc locutionis audacia, quæ eos vaticinari, quæ prophetas esse dicit. Res ipsa, quam tractat noster, salva est, sed uno alterove argumento fortasse melius carebit.

(84) משא, quod ex etymo est, *eloquium*, *oraculum*, λόγιον, non magis ad vaticinia de rebus futuris, quam ad omnia Dei eloquia prrtinet, illa etiam quæ salutarem doctrinam morumque præcepta pandunt. Non ergo video, quæ vis insit argumento huic autoris: quidquid enim Lemuel jubente & impellente Deo scribebat, משא erat, si vel carmine non conceptum fuisset. Derivo autem nomen a נשא, *tulit*, *protulit*, *elocutus est*: non, ut faciunt aliqui ex veteribus, a נשא *accepit*. Posset, fateor, oraculum divinum recte ab accipiendo dici, ut sit λῆμμα, (ita LXX. vertere solent) accepta a Deo sententia: verum obstat huic derivationi locus 2. *Reg.* IX. 25. *Proferet* (non, accipiet) *Jehova contra eum eloquium hoc*. Sed hæc obiter: sunt sane minuta, ac pœnitet pene scriptionis.

(85) Nemini hoc mirum videbitur, recordato, pleraque etiam apud Græcos oracula metro adstricta fuisse: unde in Phœbum, malorum versuum plerumque autorem, jocus non inficetus. De Jesaia, non oratore, sed poeta, in præfatione dixi sententiam p. XXI. XXII.

PRÆ-

PRÆLECTIO DECIMANONA:

POESIN PROPHETICAM ESSE SENTENTIOSAM.

POesim Hebræam in religionis famulatu natam & enutritam fuisse, satis constat, cum a principio id præcipue munus illi demandatum esset, ut Dei laudes hymnis celebraret; utque cum musica conjuncta rem divinam sanctiorem quodammodo & augustiorem faceret, piisque colentium affectibus vim quandam efficacem adderet, & ardorem cælestia spirantem. Primævum hunc hymnorum in sacris usum haud parum momenti attulisse, credibile est, ad formandum universum hujusce poeseos charactera, eumque habitum ei inducendum, quem, etsi isti quidem negotio præcipue accomodatum, in cæteris tamen servat. Quod ut luculentius explicari possit, de veterum Hebræorum hymnodia paucula adnotanda sunt.

Quanquam equidem de more rituque carmina canendi apud eos recepto haud multa liquido constent, & de musica sacra ex omni parte valde impedita & obscura sit quæstio, hoc tamen multis exemplis clare confirmatur, usu obtinuisse, ut sacros hymnos sæpe alternis choris invicem cantarent *. Id nonnunquam hoc modo fiebat; nimirum alter chorus hymnum ipsum canebat, altero distichon intercalante, sive id προυσμα esset sive επωδι, certis in locis subinde intercinente. Ita Mosem cum Israelitis oden ad mare rubrum cecinisse accipimus **, *Maria enim prophetis tympanum manu ferebat, eamque sequebantur fœminæ omnes cum tympanis choreas agentes; & Maria respondebat illis*, hoc est, ipsa cum mulieribus virorum choro identidem succinebat,

שירו ליהוה כי גאה גאה
סוס ורכבו רמה בים:

Cantate Jehovæ, quia magnifice sese extulit;
Equum equitemque in mare dejecit.

Quod cernitur etiam in psalmis nonnullis ad hanc formam compositis. Alias vero ita erat instituta cantio, ut ex duobus choris, altero singulis versiculis præcinente, alter perpetuo subjungeret versiculum priori aliquo modo respondentem. Cujus rei exemplum est in noto illo disticho,

הודו ליהוה כי טוב
כי לעולם חסדו:

Celebrate Jehovam, quia bonus;
Quia æterna est ejus benignitas:

quod sacerdotes & Levitas ad præscriptum Davidis alternis choris cecinisse nos docet Ezra *; sicuti etiam colligere licet ex illo Psalmo **, in quo posterior versiculus ab altero choro cantatus perpetuam επωδην facit. Eadem est ratio muliebris cantiunculæ de Saulo & Davide ***: *ludentes enim respondebant*, hoc est, alternis choris carmen amoebæum canebant; alteris enim præcinentibus,

הכה שאול באלפו

Percussit Saulus millia sua,

alteræ subjiciebant,

ודוד ברבבתיו

Et David suas myriadas.

Quomodo Isaias describit ipsos etiam Seraphos canentes το τριταγιον: nempe **** *alter alteri inclamabant*, sive canebant alternis,

קדוש קדוש קדוש יהוה צבאות
מלא כל הארץ כבודו:

Sanctus, sanctus, sanctus, Jehova exercituum?
Plena est gloria ejus universa tellus.

Ex Judaica Ecclesia in Christianam inde a primis sæculis derivatus est mos iste alternis canendi *****: αντιφωνον υμνωδιαν, sive responsoria, vocabant, cum in duos choros divisi psalmum per singulas strophas invicem canebant: cum autem id fiebat per singulos versiculos, altero nempe

* Vide *Nehem.* XII. 31. 38. 40. & titulum *Psal.* LXXXVIII.

** *Exod.* XV. 20. 21. Vide *Philonem* περι γεωργιας, pag. 199. item περι βιυ θεωρητικυ, pag. 902. Edit. Paris. 1640.

* *Ezr.* III. 11.

** *Ps.* CXXXVI.

*** 1. *Sam.* XVIII. 7.

**** *Isa.* VI. 3. Vide quæ de origine αντιφωνων υμνων tradit *Socrat. Hist. Eccl.* VI. 8.

***** *Plin.* Lib. X. Epist. 97. — *quod essent soliti carmen Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.*

pe choro posteriorem distichi partem succinente, id speciatim appellabant τα ακροστιχια sive τα ακροτελευτια υποψαλλειν. *

Quod si is primævus esset hymnos canendi usus, uti sane fuisse credibile est, in eo causam cernimus proximam, cur ejusmodi carmina per strophas æquales, & quidem plerumque disticha, ornate disponerentur; & cur disticha versiculis aliquo modo parallelis constarent. Id cum accomodatum esset ad modulationem musicam in ea poeseos specie, quæ a principio maxime exculta est, simulque cum linguæ indole & ratione numerorum valde congrueret; facile transiit in cæteras species, quæ non erant ad eundem cantionis usum destinatæ, adeoque in universa Hebræorum poesi fere obtinuit: ut id verius de musis Hebræis quam de aliis quibuscunque dici possit, — *Amant alterna Camœnæ*. Quam in rem adnotari etiam potest, verbum ענה, quod proprie significat respondere, usurpari latius de quavis cantione **; vel a præcipua specie ad reliquas translato vocabulo, vel quod apud Hebræos omne fere carmen responsorii quodammodo formam haberet.

Hanc originem, hos progressus habuisse videtur apud Hebræos poetica sententiarum compositio. In poesi prophetica eam obtinere, pariter atque in ode vel didactica, ad quas natura sua maxime est accomodata, cerni potest in iis exemplis vaticiniorum poeticorum antiquissimis, quæ proxime citavi; nec minus in illis reliquis locum habere, quæ in prophetarum voluminibus continentur, superest ut ostendam. Quod ut fiat evidentius, totum hoc genus in suas species distributum exemplis illustrare conabor, primum ex iis libris, qui ab universis habentur poetici, deinde e propheticis consimilia depromens.

Poetica sententiarum compositio maximam partem constat in æqualitate, ac similitudine quadam, sive parallelismo, membrorum cujusque periodi, ita ut in duobus plerumque membris res rebus, verbis verba, quasi demensa & paria respondeant. Quæ res multos quidem gradus habet, multam varietatem, ut alias accuratior & apertior, alias solutior & obscurior fit: ejus autem tres omnino videntur esse species.

Primam constituunt speciem parallela synonyma, cum proposita quacunque sententia, eadem denuo exprimitur aliis verbis idem fere significantibus. Quæ exornatio omnium fortasse frequentissima est, & persæpe magnam habet accurationem & concinnitatem. Exempla passim obvia sunt, neque anxio delectu opus est; quocirca eos potissimum locos adducam, qui alias etiam ob causas sunt omnibus notissimi. *

בצאת ישראל ממצרים
בית יעקב מעם לעז:
היתה יהודה לקדשו
ישראל ממשלותיו:
הים ראה וינס
הירדן יסב לאחור:
ההרים רקדו כאילום
גבעות כבני צאן:
מה לך הים כי תנוס
הירדן חסב לאחור:
ההרים חרקדו כאילים
גבעות כבני צאן:
מלפני ארון חולי ארץ
מלפני אלוה יעקב:
ההפכי הצור אגם מים
חלמיש למעינו מים:

Cum exiret Israel ex Ægypto;
Domus Jacobi e populo barbaro:
Erat illi Judà, in sanctam ditionem:
Israel illius imperium.
Vidit mare, & fugit;
Jordanes conversus est retro:
Montes subsiluerunt, ut arietes;
Colles, ut filii ovium.
Quid tibi, o mare, quod fugeris:
Jordanes, conversus fueris retro:
Montes, subsilueritis ut arietes;
Colles, ut filii ovium?
A conspectu Domini contremisce, tellus;
A conspectu Dei Jacobi!
Qui vertit rupem in stagnum aquarum;
Petram in fontem aquarum.

Nec minus accurate compositus est propheticæ poeseos incessus **.

קומי אורי כי בא אורך
וכבוד יהוה עליך זרח:
כי הנה החשך יכסה ארץ
וערפל לאמים:
ועליך יזרח יהוה
וכבודו עליך יראה:
והלכו גוים לאורך
ומלכים לנגה זרחך:

Surge, effulge, nam venit lux tua;
Et gloria Jehovæ super te oritur.
Ecce enim tenebræ operient terram:
Et densa caligo populos:
Super te autem exorietur Jehova;
Et gloria ejus super te conspicua erit.
Et incedent gentes in luce tua;
Et reges in splendore ortus tui.

Et

* Vide *Bingham. Antiq. Eccl. Christiana* XIV. 1.
** *Exod.* XXXII. 18. *Num.* XXI. 17. *Hos.* II. 15. *Ps.* CXLVII. 7.

* *Ps.* CXIV.
** *Isai.* LX. 1. — 3.

Et illuſtre illud vaticinium de Meſſiæ humilitate & pœnis piacularibus * :

מי האמין לשמעתנו
וזרוע יהוה על מי נגלתה:
ויעל כיונק לפניו
וכשרש מארץ ציה:
לא תאר לו ולא הדר ונראהו
ולא מראה ונחמדהו:
נבזה וחדל אישים
איש מכאבות וידוע חלי:
וכמסתר פנים ממנו
נבזה ולא חשבנהו:
אכן חלינו הוא נשא
ומכאבינו ** סבלם:
ואנחנו חשבנהו נגוע
מכה אלהים ומענה:
והוא מחלל מפשעינו
מדכא מעונותינו:
מוסר שלומנו עליו
ובחברתו נרפא לנו:

Quis credidit prædicationi noſtræ ;
Et brachium Johovæ cuinam patefactum eſt?
Aſcendit enim coram eo ut ſurculus:
Et ut ſtirps e terra ſiticuloſa:
Nulla illi forma, nullus decor, ut aſpiceremus eum ;
Neque erat aſpectus ejus, ut eum cuperemus.
Contemtus, neque amplius inter viros habitus ;
Vir dolorum, & ægritudinem expertus:
Et veluti qui faciem a nobis abſconderet,
Contemtus, neque eum æſtimavimus.
Certe infirmitates noſtras ipſe pertulit ;
Et dolores noſtros ipſe ſuſtinuit:
Nos tamen eum æſtimavimus plaga affectum ;
Percuſſum divinitus, & afflictum.
Ille autem vulneratus eſt propter peccata noſtra ;
Contuſus ob noſtras iniquitates:
Pœna nobis ſalutaris ei imponitur ;
Et per ejus livorem fit noſtra curatio.

Eſt quidem eximius in hoc genere Iſaias, ſed neutiquam ſingularis: apud cæteros etiam exempla abundant. Unum tantum adponam ex Hoſea ; quod habet etiam longe pulcherrimum παθος. *** :

איך אתנך אפרים
אמגנך ישראל:
איך אתנך כאדמה
אשימך כצבאים:
נהפך עלי לבי
יחד נכמרו נחומי:
לא אעשה חרון אפי
לא בשוא לשחת אפרים:
כי אל אנכי ולא איש
בקרבך קדוש * ולא אבוא בעיר:

Quomodo dedam ta, o Ephraim!
Addicam te, o Iſrael!
Quomodo reddam te Admæ ſimilem ;
Faciam te inſtar Zeboimorum!
Intus convertitur cor meum ;
Simul æſtuant viſcera mea pœnitentia.
Non exequar iræ meæ fervorem ;
Non iterum perdam Ephraimum:
Quia Deus ego ſum, & non homo ;
In medio tui ſanctus, quanquam urbes non habito.

Magna eſt in his parallelis ſynonymis formarum varietas, quarum nonnullas non pigebit adnotare. Fit nonnunquam paralleliſmus per iterationem partis alicujus prioris membri ** :

אל נקמות יהוה
אל נקמות הופיע:
עד מתי רשעים יהוה
עד מתי רשעים יעלזו:

Deus ultionum, Jehova ;
Deus ultionum, effulge.
Quouſque impii, o Jehova,
Quouſque impii triumphabunt.

בלחי החמור חמור חמרתים ***
בלחי החמור הכיתי אלף איש:

Maxilla aſini, acervum, acervos duos ;
Maxilla aſini, percuſſi mille viros.

Ita etiam Nahumus in ipſo ingreſſu ſublimis vaticinii **** :

אל קנוא ונקם יהוה
נקם יהוה ובעל חמה:
נקם

* *Iſai.* LIII. 1. ---- 5.
** Quidam codd. in margine notant, inſerendum הוא : id certe exprimunt *Syr.* & *Vulg.* ejuſque vocis repetitio vim habet & elegantiam haud mediocrem.
*** *Hoſ.* XI. 8. 9.

* Vix eſt, in quo magis diſſentiunt interpretes, quam in hoc verſiculo explicando ; præſertim ubi voces ipſæ adeo ſunt notæ, & periodi ratio tam manifeſta. Prope ſolus hic vidit aliquid *Hieronymus*, qui in *Comm. in loc.* ita exponit : *Non ſum unus ex his qui in urbibus habitant ; qui humanis legibus vivunt ; qui crudelitatem arbitrantur juſtitiam*. Hieronymum ſequitur *Caſtellio*. Eſt nimirum in poſteriore membro τὸ לא אבוא בעיר parallelum & ſynonymum τῷ לא איש in priore. Futurum אבוא habet vim frequentativam, (vide *Pſ.* XXII. 3. & 8.) *non ſoleo urbem intrare ; non ſum urbicola*. Eſt etiam in ſingulis membris pulchra inter ſe oppoſitio partium ; *ſum Deus, & non homo* : eſt auxeſis in ſequenti & paulum variatur ratio oppoſitionis ; *ſum Deus tuus, tecum habitans, ſed peculiari modo, extra ordinem, nec more hominum*. Nihil, opinor, clarius, nihil elegantius.
** *Pſ.* XCIV. 1. & 3.
*** *Jud.* XV. 16.
**** *Nah.* I. 2.

נקם יהוה לצריו
ונוטר הוא לאיביו:

Deus zelotes, & ultor Jehova;
Ultor Jehova, & irritabilis:
Ultor Jehova inimicorum ſuorum;
Et injuriæ memor ille in hoſtes ſuos.

Sæpe deeſt aliquid in poſteriore membro, e priore repetendum ad explendam ſententiam *:

שלח מלך ויתירהו
משל עמים ויפתחהו:

Miſit rex, & ſolvit eum;
Dominator populorum, & eum liberavit.

Similiter Iſaias **:

מלכים יראו וקמו
שרים וישתחוו:
למען יהוה אשר נאמן
קדש ישראל ויבחרך:

Reges videbunt, & aſſurgent;
Principes, & adorabunt:
Propter Jehovam, qui fidelis eſt;
Sanctum Iſraelis, & te elegit.

Frequenter totum membrum poſterius parti duntaxat alicui prioris reſpondet ***:

יהוה מלך תגל הארץ
ישמחו איים רבים:

Jehova regnat, exultet tellus;
Lætentur inſulæ plurimæ.

קומי אורי כי בא אורך ****
וכבוד יהוה עליך זרח:

Surge, effulge, nam venit lux tua;
Et gloria Jehovæ ſuper te oritur.

Tricola raro habent ultra duo parallela ſynonyma. Impar membrum vel inchoat periodum, vel plene concludit, & ad reliquorum utrumque ſæpe referri poteſt †:

נשאו נהרות יהוה
נשאו נהרות קולם
ישאו נהרות דכים:
מקולות מים רבים
אדירים משברי ים
אדיר במרום יהוה:

Suſtulerunt fluxus, o Jehova,
Suſtulerunt fluxus vocem ſuam;
Uſque ſuſtulerunt fluctus fremitus ſuos.
Vocibus aquarum multarum,
Magnificis maris fragoribus,
Magnificentior in excelſo Jehova.

לכו ונשובה אל יהוה *
כי הוא טרף וירפאנו
יך ויחבשנו:
יחיינו מימים
ביום השלישי יקמנו
ונחיה לפניו:

Agite, redeamus ad Jehovam;
Nam ipſe laceravit, & ſanabit nos,
Sauciavit, & nos curabit:
Vitæ nos reſtituet poſt biduum,
Die tertio nos ſuſcitabit,
Et in conſpectu ejus vivemus.

In pentacolis, quorum ſimilis fere eſt ratio, medium nonnunquam locum habet membrum impar inter duo diſticha **:

כאשר יהגה האריה
והכפיר על טרפו
אשר יקרא עליו מלא רעים
מקולם לא יחת
ומהמונם לא יענה:

Quemadmodum rugit leo,
Et catulus leonis ſuper prædam ſuam,
In quem cogitur paſtorum turba;
Ad vocem eorum non pavebit,
Neque ad tumultum eorum animum dejiciet.

תרא אשקלון ותירא ***
ועזה ותחיל מאד
ועקרון כי הוביש מבטה
ואבד מלך מעזה
ואשקלון לא תשב:

Videbit Aſcalon, & timebit;
Et Gaza, & vehementer dolebit;
Et Accaron, quoniam puduit expectationis ſuæ:
Et peribit rex de Gaza,
Et Aſcalon non habitabitur.

Tetracola fere conſtant duobus diſtichis; ſed eſt ubi in his peculiare quoddam artificium cernitur in ſententiarum diſtributione ****:

משמים הביט יהוה
ראה את כל בני האדם
ממכון שבתו השגיח
אל כל ישבי הארץ:

De

* *Pſ.* CV. 20.
** *Iſai.* XLIX. 7.
*** *Pſ.* XCVII. 1.
**** *Iſai.* LX. 1.
† *Pſ.* XCIII. 3. 4.

* *Hoſ.* VI. 1. 2.
** *Iſai.* XXXI. 4.
*** *Zach.* IX. 5.
**** *Pſ.* XXXIII. 13. 14.

De cœlo prospicit Jehova,
Cernit omnes filios hominis;
De sede domicilii sui contemplatur,
Omnes incolas telluris.

אשכיר חצי מדם *
וחרבי תאכל בשר
מדם חלל ושביה
מראש פרעות אויב:

Inebriabo sagittas meas sanguine,
Et gladius meus devorabit carnem;
Sanguine confossorum captorumque,
De capite capillato inimici.

In quibus utrisque locis posteriora membra ad priora referenda sunt alternatim. Eleganter etiam Isaias **:

כי בעליך עשיך
יהוה צבאות שמו
וגאלך קדוש ישראל
אלהי כל הארץ יקרא:

Non maritus tibi erit creator tuus;
Nomen illi Jehova exercituum:
Et redemtor tuus sanctus Israelis;
Deus universæ terræ vocabitur.

In quibus alternant sensus: in sequentibus alternat constructionis forma ***.

ותמלא ארצו כסף וזהב
ואין קצה לאצרתיו
ותמלא ארצו סוסים
ואין קצה למרכבתיו:

Et plena est terra ejus argento & auro,
Et nullus est modus ejus thesauris;
Et plena est terra ejus equis,
Et nullus est modus ejus curribus.

Est fortasse singularis exempli hoc Tetracolon ****.

מי כיהוה אלהינו
המגביהי לשבת
המשפילי לראות
בשמים ובארץ:

Quis sicut Jehova Deus noster?
Qui altissime habitat,
Qui humillime respicit,
In cœlis & in terra.

Ubi posterior membrum ad duo priora divisim tribuendum est, ut sit, *qui altissime habitat in cœlis, & humillime respicit quæ sunt in terra.*

Alteram speciem faciunt parallela antitheta, cum opposito contrario res illustratur. Hoc non uno modo fit: nam & sententiæ sententiis, & verba verbis, & singula singulis, & bina binis, & unum uni opponitur: quorum omnium exempla sunt in sequentibus *.

נאמנים פצעי אוהב
ונעתרות נשיקות שונא:
נפש שבעה תבוס נפת
ונפש רעבה כל מר מתוק:
יש מתעשר ואין כל
מתרושש והון רב:
חכם בעיניו איש עשיר
ודל מבין יחקרנו:

Fideles sunt plagæ amantis;
Sed importuna oscula osoris.
Anima satura proculcabit favum;
Sed animæ esurienti omne amarum dulce est.
Est, qui divitem se simulat, cum ei desint omnia;
Qui pauperam se fingit, cum ei divitiæ sint multæ.
Sapiens sibi videtur vir dives;
Sed pauper prudens eum explorabit.

Fit nonnunquam contrapositio partium inter se in eadem sententia, qualis semel in superioribus occurrit; ut in proxime sequente **.

שחורה אני ונאוה בנות ירושלם
כאהלי קדר כיריעות שלמה:

Nigra sum, sed tamen pulchra, o Hierosolymitides;
Sicut tentoria Kedarensium, sicut aulæa Salomonis.

Quod etiam divisim sumendum est, *nigra, ut tentoria Kedarensium; pulchra, ut aulæa Salomonis.* Ut denique in Samsonis enigmate ***:

מהאכל יצא מאכל
ומעז יצא מתוק:

Ex edaci prodiit edulium;
Atque ex acri prodiit dulcedo.

Equidem totum hoc genus potissimum convenit adagiis & dictis acutis; adeoque in parabolis Salomonis præcipue cernitur, quarum vis omnis & elegantia sæpenumero vertitur in hac partium contrapo-

* *Deut.* XXXII. 42.
** *Isai.* LIV. 5.
*** *Isai.* II. 7.
**** *Ps.* CXIII. 5. 6.

* *Prov.* XXVII. 6. 7. XIII. 7. XXVIII. 11.
** *Cant.* I. 5.
*** *Jud.* XIV. 14.

trapositione. Non tamen omnino abhorret a cæteris Hebrææ poeseos partibus, nec reformidavit hanc exornationem Hanna in oda ευχαριςικη; cujus ut formam universam adumbravit, ita hunc etiam locum attigit in hymno suo sanctissima virgo Maria *:

קשת גברים חתים
ונכשלים אזרו חיל:
שבעים בלחם נשכרו
ורעבים חרלו:
עד עקרה ילדה שבעה
ורבת בנים אמללה:
יהוה ממית ומחיה
מוריד שאול ויעל:
יהוה מוריש ומעשיר
משפיל אף מרומם:

Arcus fortium conteruntur;
Et qui lapsi sunt, accinguntur robore:
Saturi ob victum operam suam locant;
Et famelici esurire desinunt:
Etenim sterilis septies peperit;
Et quæ abundarat liberis, orba est.
Jehova neci dat, & vitæ restituit;
Dejicit in orcum, & educit.
Jehova depauperat, & ditat;
Deprimit, idemque evehit.

Parcius quidem isthac utitur sublimior poesis: sed in hac ipsa suavitate minime decedit a sua dignitate Isaias **:

ברגע קטן עזבתיך
וברחמים גדולים אקבצך:
בשצף קצף הסתרתי פני רגע ממך
ובחסד עולם רחמתיך אמר גאלך יהוה:

Pusillo momento dereliqui te;
At miserationibus magnis te colligam:
Momentanea iracundia vultum a te paulisper abdidi;
At sempiterna clementia tui miserebor, & Jehova redemptor tuus.

Tertia species est parallelorum, cum sententiæ invicem respondent, non ejusdem rei iteratione, aut oppositione diversarum, sed sola constructionis forma; in quam itaque referri possunt cætera, quæ in duas priores species non cadunt: parallela synthetica libet appellare. Horum exempla quædam insigniora proferam ***.

תורת יהוה תמימה משיבת נפש
עדות יהוה נאמנה מחכימת פתי:
פקודי יהוה ישרים משמחי לב
מצות יהוה ברה מאירת עינים:

* 1. *Sam.* II. 4.---7. confer *Luc.* I. 52. 53.
** *Isai.* LIV. 7. 8.
*** *Ps.* XIX. 8.--- 11.

יראת יהוה טהורה עומרת לעד
משפטי יהוה אמת צרקו יחרו:
הנחמדים מזהב ומפז רב
ומתוקים מרבש ונפת צופים:

Lex Jehovæ integra est, restituens animam;
Testimonium Jehovæ verax, sapientiam præstans imperio:
Præcepta Jehovæ recta sunt, cor exhilarantia;
Disciplina Jehovæ pura, oculos illuminans:
Reverentia Jehovæ casta est, perpetuo perstans;
Judicia Jehovæ ipsa veritas, justa sunt pariter:
Desiderabiliora sunt auro, & obryzo plurimo;
Et dulciora melle, & favis stillantibus.

Longiusculorum sane versuum genus hoc esse videtur, quorum non desunt multa exempla apud Prophetas *:

איך שבת נגש שבתה מרהבה
שבר יהוה מטה רשעים שבט משלים:
מכה עמים בעברה מכת בלתי סרה
רדה באף גוים מרדף בלי חשך:
נחה שקטה כל הארץ פצחו רנה
גם ברושים שמחו לך ארזי לבנון
מאז שכבת לא יעלה הכרת עלינו:
שאול מתחת רגזה לך לקראת בואך
עורר לך רפאים כל עתודי ארץ
הקים מכסאותם כל מלכי גוים:

Quomodo cessavit oppressor, cessavit auri exactrix!
Fregit Jehova virgam impiorum, sceptrum dominantium.
Qui cædebat populos atrociter, plaga nunquam remissa;
Qui irate dominabatur gentibus, profligatur nullo prohibente.
Quiescit, tranquilla est tota tellus; erumpunt in cantum:
Etiam abietes lætantur de te, cedri Libani;
Ex quo jacuisti, non ascendit in nos excisor.
Orcus propter te commovetur subtus, ut venienti eat obviam;
Excitat tibi defunctos, omnes primores terræ;
Surgere facit de soliis suis omnes reges gentium.

Porro ex hoc genere parallelorum multa sunt Tricola **:

זרמו

* *Isai.* XIV. 4.— 9.
** *Ps.* LXXVII. 11. 19.

זרמו מים עבות
קול נתנו שחקים
אף חצציך יתהלכו:
קול רעמך בגלגל
האירו ברקים תבל
רגזה ותרעש הארץ:

Exundaverunt aquis nubes;
Fragorem edidit æther;
Tum ſagittæ tuæ diſcurrerunt:
Vox tonitrus tui in turbine;
Illuxerunt orbi fulgura;
Commota eſt & intremuit tellus.

אהיה כטל לישראל *
יפרח כשושנה
ויך שרשיו כלבנון:
ילכו יונקותיו
ויהי כזית הודו
וריח לו כלבנון:

Ero ſicut ros Iſraeli;
Germinabit in morem lilii;
Et radices aget inſtar Libani.
Procedent ejus ſurculi;
Eritque decus ejus inſtar oleæ;
Et odor ei, qualis Libano.

Una eſt figura, quam ſæpe uſurpant in hoc genere, quæque videtur eſſe omnino poetica: nimirum cum numerum definitum pro indefinito ponunt, parallelismi præcipue, ut videtur, cauſa. Fit etenim nonnunquam, ut his numeris minus accurate reſpondeant res deinceps enumeratæ **.

בשש צרות יצילך
ובשבע לא יגע בך רע:

In ſex periculis te liberabit;
Et in ſeptem non attinget te malum.

אחת דבר אלהים ***
שתים זו שמעתי:

Semel locutus eſt Deus;
Bis etiam illud audivi.

Notum eſt illud Amoſi aliquoties repetitum ****:

על שלשה פשעי דמשק
ועל ארבעה לא אשיבנו:

Propter tria peccata Damaſci,
Et propter quatuor, eam non reſtituam.

Magna eſt in his parallelis ſyntheticis formarum varietas, & prope infiniti ſimilitudinis gradus: adeo ut nonnunquam admodum ſubtilis ſit parallelismi ratio, magiſque pendeat ab arte quadam & ſolertia ſententiæ membra diſpertiendi, & inciſa fariendi, & ſupplendi inſuper ab una parte quod alteri deeſt, quam ex obvia conſtructionis forma appareat. Hoc quam late pateat, quamque exilem & ſimul difficilem habeat explicationem, uno exemplo intelligi poteſt. Monocolon hoc eſſe videtur, & ſane eſt, ſi nudam ſententiam ſimpliciter ſpectes *.

ואני נסכתי מלכי על ציון הר קדשי:

Ego vero inunxi regem meum in Sione monte meæ ſanctitatis.

Cæterum in medio diſtinguendum eſſe, unumque enuntiatum in duo diſtribuendum, monet univerſa hujuſce Pſalmi compoſitio: quaſi eſſet.

ואני נסכתי מלכי
נסכתיו על ציון הר קדשי:

Ego vero inunxi regem meum;
Inunxi eum in Sione monte meæ ſanctitatis.

Quod & hoc in loco, & ſæpe alias vidiſſe Maſoretæ ** videntur.

In hac peculiari conformatione ſive parallelismo ſententiarum, metricæ Hebrææ artificium magna ex parte contineri exiſtimo: cui inſuper acceſſiſſe credibile eſt, numerorum vel etiam pedum aliquorum obſervationem: ejus vero rei adeo jam obſcura eſt ratio, ut utrum aurium ſolummodo menſura, ac ſpatiorum ſimiliter decurrentium ſono regeretur, an certa aliqua dimenſione, ac legibus accuratius definitis conſtaret, fruſtra omnino jam diſquireremus. Cum autem & hoc, & reliqua etiam metricæ artis ſigna & quaſi veſtigia in plerisque prophetarum ſcriptis, pariter atque in libris poeticis, extant, id ſatis eſſe cauſæ arbitror, cur in horum cenſus illos etiam referam.

Ne autem iſti ſententiarum compoſitioni tantum tribuere videar, quantum hactenus nemo, & opinionem nulla ſatis idonea autoritate commendatam temere amplecti: proponam vobis Azariæ Judæi, non quidem antiqui, ſed valde probati autoris, de hac re ſententiam. Ait

* *Hoſ.* XIV. 6. 7.
** *Job.* V. 19.
*** *Pſ.* LXII. 12.
**** *Amos* I. 3. &c.

* *Pſ.* II. 6.
** Nam vocem מלכי notant accentu diſtinctivo *Athnac*, quo plerumque diſtichorum membra interpungunt. Vide porro, ſi libet, *Pſ.* XVII. 7. XXXII. 3. XXXIII. 14. CII. 8. CXXXVII. 2.

Ait ille, * *Sine dubio esse mensuras & proportiones certas canticorum sacrorum, sed illas non consistere in numero motionum, (hoc est, syllabarum) vel pedum perfectorum aut imperfectorum, juxta formam carminum hodiernorum; sed in numero rerum, & illarum (rerum) partium, subjecti scilicet & prædicati, & quod illa inter se copulat in unaquaque sententia & enuntiatione:* (quæ tamen Azariæ verba sunt cum aliquo temperamento intelligenda, nec ex dialecticorum formulis restrictius interpretanda; pergit enim:) *sic est versus duabus mensuris, seu propositionis partibus, constans; quibus si accedat secundus, fiunt quatuor: alius qui constat ex tribus, quibus si alter accedat, fiunt sex: — non enim tibi sunt numerandæ vel syllabæ vel dictiones, sed sensus.* Exempli gratia: ימינך יהוה *Dextera tua, o Jehovah?* ** ex mente Azariæ sunt duæ mensuræ, sive integræ propositionis partes, item duæ, נאדרי בכח *Magnifica ex virtute*; conjunctæ faciunt tetrametrum: similis est ratio sequentis;

ימינך יהוה תרעץ אויב

Dextra tua, o Jehova, confregit hostem,

Ita in harum propositionum utraque tres sunt mensuræ. ***

* *Mantissa Dissert.* ad librum *Cosri* 2. 418.
** *Exod.* XV. 6.
*** *Deut.* XXXII. 2.

יערף כמטר לקחי תזל כטל אמרתי

Distillabit, ut pluvia, doctrina mea; fluet, ut ros, mea oratio:

adeoque conjunctæ faciunt hexametrum. Equidem nec nihil, neque omnia hæc sunt, quæ hic dicit: nam & multis in locis alio est confugiendum, ubi valde inæqualis est sententiarum distributio, & parum inter se respondent propositionum partes, ut sæpe fit etiam in Psalmis; & ubi vel maxime ordinatæ & compositæ sunt sententiæ, haud facile semper ad illius formulas reduci possunt. Verum etsi non sit illud solum atque unicum in quo tota res vertitur, tamen in eo haud parum inesse momenti ad distinguendos carminum numeros, nemo opinor dubitabit, qui in libris poeticis legendis, atque in his magna propheticorum parte, ad hanc rem paulo diligentius animum attenderit.

Quod si quis totam hanc membrorum atque incisorum observationem, tenuem, ac nugatoriam, operæque plane inutilis esse existimet; reputet is secum, nihil cuiquam majori esse usui ac præsidio ad investigandos scriptoris alicujus sensus, quam ut ejus styli & generalem charactera & peculiares notas imprimis intelligat, semperque eo sedulo animum advertat: porro etiam sciat, nulla alia de causa sæpius in errorem incidisse omnes interpretes, quam ex hujus ipsius rei incuria: vix quidquam uberiores in critica sacra versanti fructus etiamnum polliceri, quam positam in eadem curiosam & solicitam diligentiam.

EPIMETRON EDITORIS.

DE USU HUJUS PARALLELISMI HERMENEUTICO.

Egregie vero monitum ab autore: tota enim prælectio poesin non magis spectat, quam hermeneuticam, quæ quam prodeat misera & vitiosa sine poematis Hebraici scientia ac gustu procusa, hoc maxime exemplo disci potest. Genus est interpretum, sejunctam ab omni humana lingua divinam existimans, quod in ejusmodi repetitionibus membrorumque parallelismis studiosam statuit legem: cuivis membro suam esse peculiarem sententiam, verbaque ejus ita accipienda, ut aliquid dicant superiori membro indictum, nec enim decere spiritus sancti sapientiam ac parsimoniam, dicere, quod dixerit: omnem ex divino libro tautologiam eliminandam. Huic suæ legi servientes usui Hebraici poematis maxime repugnant: ubi enim duo membra verbis sententiisque parallela sunt, data opera verbum aliquod membri unius ea significatione accipiunt, quæ sit a significatione ejus verbis diversa, quod in altero hemistichio locum ejus occupat. In quo si crepare illud Judaicum possint, *non esse literam legis, ex qua non montes pendeant*, tum demum valde sibi & docti & divini videntur interpretes. Hi jam quantum a vero aberrent, non opus dictu esse existimo, cum ex Lowthiana prælectione sua sponte intelligatur.

Mihi quidem in explicandis divinis ora-

oraculis hic membrorum parallelismus, de quo etiam ante lectum Lowthum frequenter diſputare conſueveram, multum utilitatis præſtitit: cujus, ſi licet, exempla, pauca ex innumeris, proponam.

Pſ. XXII. 31. Illa.

יבאו ויגידו צדקתו
לעם נולד כי עשה

reddere ſolent:

Venient & indicabunt juſtitiam ejus
populo naſcituro,
quia fecit.

Manifeſtum, omnem ita perire concinnitatem ac conſonantiam membrorum, ſeu ut Azariæ verbis utar, *metrum rerum*, quod forte non male disjecti membra poetæ dixeris: Hebraicæ certe aures lecto reliquo pſalmo hanc ægre admittent interpretationem nimis proſam, atque etiam ab accentuum autore non injuſte damnatam. Ego quidem & membra aliter incidam, &, cum videam, pro צדקתו *juſtitia ejus?* an *veritate?* deinde reponi, *quod fecerit*, vertere malim, *veritatem ejus*, quo ſenſu apud Arabes & in Jeſaia frequentiſſimum verbum צדק: Verterim ergo:

Venient & profitebuntur veritatem ejus;
Populo naſcituro, quod fecerit.

I. e. profitebuntur populo naſcituro, quod perfecerit promiſſa ſua, hæcque de me illuſtria vaticinia implerit.

Pſ. XXV. 3. habes:

נפשו בטוב תלין
וזרעו יירש ארץ

Anima ejus in bono pernoctabit,
Et ſemen ejus hereditabit terram.

Quid ſit, *in bono pernoctare*, incertum & fluctuans neglecto parallelismo poetico. Poſſit enim eſſe, ſive, *ſecure dormire ab omni periculo tutum*, ſive, *pericula, quæ tanquam noctis & tenebrarum ſunt, feliciter ſuperare*, ſive, *diuturna frui felicitate, ac tanquam domi eſſe in proſperis*, ſive denique, *mortis etiam tempore, & in ſepulcro felicem eſſe* *. Hanc poſtremam interpretationem, theologis non ingratam futuram, reliquis præfero ſolo parallelismo hemiſtichiorum ductus, quia id quod de ſemine terram hereditaturo ſequitur, ſine dubio ad beneficia pertinet, quibus Deus pios poſt mortem adficit, eadem qua patres foverat ſobolem complectens indulgentia. Hæc autem beneficia, prodentia mortalibus, qualis Dei in perfunctos mortali ſtatione adfectus ſit, ſpemque facientia, vivere adhuc & voluptatis ſenſu æterno affici, quibus Deus tam eſt propitius, ut & poſteris ob patres faveat, ſæpe conjungi cum futuræ vitæ felicitate video *.

Illuſtrius addo exemplum ex loco male intellecto, Pſ. CXXXIX. 20.

אשר ימרוך למזמה
נשאו לשוא עריך

Multæ ſunt interpretandi rationes, quibus plerumque obſtat cum ille ipſe, de quo Lowthus egit, parallelismus membrorum, tum quod alterutrum hemiſtichiorum de hoſtibus Dei loquitur, non tam omniſcientiæ quam omnipotentiæ ejus metu perſtringendis, tum quod anomalia grammatica & inſolentia constructionis non vacant. Teneamus autem, נשא לשוא, *protulit ad mendacium* ſc. confirmandum, alibi eſſe, *pejeravit* **, atque ab hoc verbo pendere ſolere nomen in caſu quarto ejus rei poſitum, per quam pejeratur. Ita ſenſus erit hemiſtichii poſterioris, *qui nominant urbes tuas ad mendacium*, i. e. qui pejerant per urbes tuas, Sichemum, Bethelam, Siluntem, Hieroſolymam, alias, per quas juratum a Judæis eſſe, vel ex evangeliis notum ***. Hoc ergo hemiſtichio explicato ipſe parallelismus tenebras diſpellet ſuperiori offuſas: jam enim quid erit, dicere, ſeu nominare Deum ad fraudem, niſi, per Deum pejerare? Aptiſſime argumento totius carminis, omniſcientiam Dei canentis, diræ:

Utinam punias **** *injuſtos* *****, *Deus,*
Nec ſanguinolentos porro videam!

Qui

* Simillimæ phraſes pſalmi 49. in quo *pernoctatio* eſt mortis tempus, *mane*, reſurrectionis. Lege quæſo verſum 13. & 15. memor, de inevitabili moriendi neceſſitate, ac de ſepulcro canere poetam:

Homo in opulentia non pernoctat,
Similis eſt brutis, quæ exſcinduntur. . .
Ut oves ſepulcro adponuntur,
Mors paſtor eorum:
Mane domini ipſorum erunt juſti.

* Vide *argumenta immortalitatis animorum ex Moſe collecta*, §. 10. --- 12. pag. 98. ſeqq. *ſyntagmatis commentationum minorum*. Adde *Job.* XI. 17.

** *Exod.* XX. 7.

*** *Matth.* V. 35.

**** *Occidere* magis Latine verti *punire*. Mortem pro omnibus ſuppliciis pœniſque ponere, Hebræis conſuetum.

***** רשע non eſſe impium, ſed injuſtum, ſenſu forenſi, alia occaſione oſtendere in animo habeo, ad *Habac.* I. 13. Non autem omnes hic injuſti ſanguinique inſidiantes intelliguntur, ſed ii, qui perjurio viam ſibi muniunt, ad ſcelera judicio probanda, quales ſequens verſus deſcribit.

Qui te nominant ad fraudem,
Et pejerant per urbes tuas!
Hostesne tuos non odissem?
Exososque tibi non fastidirem?
*Cupido * illos odio odi,*
Pro hostibus reputantur mihi.

Quantum enim, non scelus, sed monstrum videri oportuit poetæ, omniscii Dei cogitatione pleno, vesana eorum audacia, qui hunc Deum, præsentissimum omnium quæ facimus, loquimur, cogitamus, testem, mendacii testem citare, ejusque omnes pœnas suo capiti, si scientes fallant, perjuro ore imprecari sustinent? Aut quod scelus dignius, cui vel mitis ac mansueta pietas omnia imprecetur supplicia, quam eorum, qui ipsi præsente & audiente Deo, nec justo futuro nisi pœnas exigat, pactorumque arbitro, abominandas quasvis diras capiti suo sanciunt?

Ps. CXLVII. 9.

נותן לבהמה לחמה
לבני עורב אשר יקראו

non sane ineleganter verti solet:

Dat brutis cibum,
Pullis corvi clamosis.

Vereor tamen, ut satis ad indolem Hebraici poematis, quod exigit:

Dat brutis cibum,
Pullis corvi id quod clamant,

id est cibum quem perpetuo clamore a Deo petere videntur.

Quinam *Jes.* XXVI. 14. sint רפאים in verbis,

מתים בל יחיו
רפאים בל יקמו

medici, an *gigantes*, an populus aliquis, dubitabis, donec attendens ad mortuos superioris membri, exclamatorie vertas:

Mortui! (sc. sunt hostes) *non reviviscent!*
Inferi! Non resurgent.

Eidem prophetæ quid שחרה *cap.* XLVII. 11. significet, dubium manet, non consulto parallelismo poetico. Verti enim possit: *malum cujus crepusculum non noris*, a שחר, quod non tam Auroram, quam crepusculum, vespertinum etiam, significare, alibi

* תכלית *cupidinem* verto, ab illo usu verbi כלה, quo renes & oculi consumi cupidine & exspectatione dicuntur. Cupido odii est, cum vindictam impatienter expetimus.

monui *. Ita malum ipsum nocti comparabitur, initium ejus crepusculo. Esse etiam queat, *satis cito & in primis initiis malo occurrere, illudque precibus & sacrificiis impetrabilibus expiare & deprecari*, a verbo שחר. Has inter explicationes, utramque elegantem, difficilis optio. At nemo, credo, hærebit, auribus rem judicans parallelismo Hebræorum poetico adsuetus, legensque una serie:

ובא עליך רעה
לא תרעי שחרה **
ותפל עליך הוה
לא תוכלי כפרה

Verte:

Et veniet super te malum,
Quod nescias tempestiva deprecari prece:
Et cadent super te ruinæ,
Quas nequeas expiare.

Qui sint *Jes.* XLIX. 6. נצורי ישראל. ita obscurum interpretibus, ut inde a *servandis* Israelitis usque ad *vastandos* incertis conjecturis late errent. Et tamen poterat res minus dubia esse, si auribus, quales poesis Hebraica fingit, hæc recitares:

נקל מהיותך לי לעבד
להקים את שבטי יעקב
ונצורי ישראל להשיב

Vilius est tuo ministerio,
Erigere STEMMATA *Jacobi*
Et . . . . . . Israelis restituere.

Suspicio certe oritura non levis, נצורי non perdendos, non servandos, sed stemmata aut simile quid significare: quæ usu & derivatione nominis confirmata non jam suspicio mihi est, sed certior & exploratior sententia. Arabibus enim نضر est *virere*. Unde *Jesaias* cap. XI. 1. surculum נצר dixit; ἄνθος LXX. verterunt. Ut igitur ducta ab arbore similitudine tribus Israelitarum dici consueverunt שבטים, stem-

* Vide *historiam vitri apud Hebræos* a me conscriptam, §. 2. maxime adjectam notam undecimam. Exstat illa in tomo IV. commentariorum Societatis scientiarum Goettingensis. Quæ ibi scripsi confirmantur etiam ex Arabismo, cui سحر est *antelucanum tempus*, indeque أسحر *summo diluculo gallus cecinit*, cibus denique, qui a jejunantibus sumitur, *antequam filum album a nigro discernere queant*, سحور. Sic & Lucifer, qui jam ante ortum Auroræ statione exit, בן שחר, *filius crepusculi* dicitur Jesaiæ, c.XIV. 12.

** Ita in codicibus manuscriptis puncta scribi, testantur biblia Halensia. Si שחרה est a verbo שחר pro שחר, non potest sub ח Schva simplex poni, quia mobile est: Schva enim mobile sub gutturalibus nunquam non compositum.

ſtemmata ſeu rami : ita & inſolentiore paulo vocabulo נצורים *rami* vocari potuerunt. Hi reſtituuntur, cum exciſi antea iterum inſeruntur. Lege *Rom.* XI. 23. 24.

Ejuſdem capitis verſus 16. quas offundit tenebras interpretibus, non aſceticis quidem pia contentis ſententia ac theologice vera, ſed eruditis, quærentibus unde petita imago ſit, illa legentibus:

הן על כפים חקותיך
חומותיך נגדי תמיד

Ecce manibus inſculpſi te,
Muri tui coram me ſunt jugiter.

Nomen enim urbis, cujus muros perpetuo proſpectat, quis inſculpat manui? Atqui idem dicit utrumque hemiſtichium. Solent Orientales ſacrarum urbium non nomina ſed ipſas mœnium turriumque imagines manibus inurere, utque perpetua iſta imago ſit Hennæ ſeu cypri colore perficere, quo fortius earum memoriam recolant. Idem ergo & hic feciſſe Deus fingitur, imaginemque ſacræ civitatis inuſſiſſe manibus, in quibus illam ſemper ante oculos habeat.

Hæc quo fine diſputem, quæritis, lectores? Nempe ut ſeverioris ingenii interpretibus, & ab humanitate literarum remotis, appareat, quid utilitatis ex Lowthi prælectionibus de poeſi ſacra percipere poſſit illa ipſa, quam ſolam amant, theologia. Egeram jam hac de re in præfatione Tomi prioris *pag.* XVI. XVII. XVIII. uno tamen in exemplo rem ponendam cenſui, Telleriano etiam ſcripto * admonitus. Narrat ille, audiviſſe ſe commentantes theologos metaphyſicos, ex illo horrido genere, quod

Totos dat tetricæ dies Sophiæ

reliquarum diſciplinarum incurium: valde hos miratos, cur de poeſi ſacra ſcriptitarit Lowthus? ſe eum nunquam lecturos, nec enim poemata Hebraica fuſuros! Credo equidem: ſed, ut recte Tellerus monebat, ignorabant, ſine Hebraici poematis cognitione nec recte illud explicari poſſe, omnemque noſtram laborare hermeneuticam, poeſi Hebraica non penitius perſpecta.

* Wilh. Abr. Tellers Beurtheilung des erſten Theils der Cramerischen Ueberſetzung der Pſalmen / pag. 85.

PRÆLECTIO VIGESIMA:

POESEOS PROPHETICÆ GENERALIS CHARACTER.

QUibus inductus rationibus prophetarum vaticinia poeticis Hebræorum monumentis adnumerarem, proxime expoſui. De majori parte loquor, non de omnibus prophetarum ſcriptis: ſunt enim in his nonnulla, quæ non ſunt vaticinia; ſunt alia, quæ cum juſta ſint vaticinia, non tamen ſunt poetica. Primum itaque ex eo numero eximo narrationes plane hiſtoricas rerum geſtarum, quæ vaticiniis occaſionem dederunt, & quarum expoſitio eiſdem inducendis, illuſtrandis, explicandiſque inſervit: ejuſmodi aliqua habet Iſaias, multa Jeremias. Totum quod dicitur Jonæ vaticinium eſt rei geſtæ nuda explicatio, nihil habens poeticum præter vatis precationem, eaque eſt ode. Deinde excipiendæ ſunt etiam vaticinationes, graves forſan & elatæ, ſed ſtylo & ſententiis poeticis minime compoſitæ: cujus generis multa habet Ezekiel, oratoribus fortaſſe quam poetis ſæpius adnumerandus. Utramque ob cauſam, nimirum quod ſit rerum partim geſtarum, partim gerendarum, mero ſermone expoſita narratio, totum Danielis librum e poeticorum cenſu excludo. Is quidem parabolicis imaginibus multum utitur; ſed ut propheta, per viſiones, & umbras allegoriarum, res & eventa ſignificans, ſine ullo ſtyli poetici colore. Danielem Judæi etiam prophetam eſſe negant, verum argumentis valde futilibus ſententiam ſuam confirmatum eunt: nam quæ de dotis propheticæ conditionibus, de diverſis ejuſdem gradibus, deque diſcrimine inter veram prophetiam & Spiritum ſanctum, ſtatuunt *, ea omnia ſunt vaniſſima, nec in rei natura poſita, neque ulla ſacrorum ſcriptorum autoritate comprobata. Addunt, eundem nec diſciplinæ propheticæ uſu & præceptis primo imbutum fuiſſe, neque poſtea more prophetico vitam inſtituiſſe: quod ad cœleſtis inſtinctûs & divinæ facultatis opinionem minuendam quid faciat, non video; cauſam forſan oſtendit, cur Danielis ſtylus tantam habeat a reliquis diſſimilitudinem, tantumque abhor-

* Vide *Maimon. More Neboc.* II. 45.

horreat a poetico charactere, quem cæteri fere communem habent, quemque, ut supra exposui, e disciplina & scholis aliqua ex parte hauserunt (86).

Porro, occurrunt in prophetarum scriptis alia nonnulla, quæ poetica quidem sunt, sed ad hanc speciem non pertinent; integra nimirum poemata diversi generis, odæ, elegiæ, apud Isaiam, Habbaccucum, Ezekielem. His demum exceptis, reliqua prophetarum vaticinia, quorum nonnulla in libris historicis extant singulatim fere a me antehac commemorata, summam quandam conficiunt, quæ eam poeseos speciem, quam propheticam appello, constituit. Hujus speciei descriptionem aliquam, per quam a cæteris discriminari possit, primum vobis conabor proponere: de singulis prophetis, de eorum stylo & charactere, quantum ad poeticam pertinet, disceptationem deinceps aggressurus.

Poeseos propheticæ ingenium ex ipsius prophetiæ natura & fine investigandum est. Omnis prophetiæ finis proximus spectat ad eorum utilitatem, qui eventum præsignificatum ætate antecedunt; estque vel terror, vel consolatio. Ad incutiendum terrorem, vel consolationem adhibendam, necessaria est rerum tristium vel lætarum amplificatio, fusæ descriptiones, imagines variæ, grandes, elatæ; eæque non nimis determinatæ, nec in singulis partibus & adjunctis hærentes; sed potius vagæ ac generales, universam tantum totius rei naturam ejusque magnitudinem exprimentes: siquidem prophetia ex natura sua habet aliquam obscuritatem secum conjunctam, estque, ut eleganter Apostolus *, ως λυχνος εν αυχμηρω τοπω φαινον, εως ȣ ημερα διαυγαση ϗ φωσφορος ανατειλη. Est etiam prophetiæ ulterior finis, quique eos respicit qui eventum prænuntiatum postero tempore secuturi sunt; nimirum, demonstratio testificatioque divinæ veritatis. Atque is quidem postulare videtur prope diversum enuntiationis modum; siquidem huic rei inserviret maxime dictio propria, imagines aptæ, adjunctorum enumeratio, notatio singularium. Horum vero ut apertior designatio velum illud obscuritatis oraculo penitus detraheret, ita etiam parcior usus specialium attributorum ei fini abunde sufficiet; etenim unius atque alterius adjuncti notatio specialis, simulque universalium imaginum proprietas post eventum longe clarius elucens, in hac re incredibilem habet evidentiam**; uti multis exemplis ostendi posset. Igitur dictio prophetica priorem illam rationem præcipue sequitur; in generalium amplificatione maxime versatur, ad specialem attributionem & circumstantiarum enarrationem parce cauteque descendit.

Porro id etiam sæpenumero habet prophetia, ut plures eventus, natura & tempore disjunctos, simul prospiciat, & per diversos veluti gradus ad extremum præcipuumque exitum perveniat. Hanc etiam ob causam notiones universales maxime sequitur, easque communibus imaginibus exprimit; quippe quæ totam divini consilii comprehensionem includere possint, singulasque rerum atque eventuum progressiones comitari; ad propinquiorem aliquam veluti metam facile referendæ, sed ad ultimi finis magnitudinem & pondus exæquandum accuratius adnumeratæ atque appensæ.

Quod si ea sit quam dixi prophetiæ ipsius indoles; si in extremis tantum rerum lineamentis effingendis, & in generalibus affectionibus describendis amplificandisque, præcipue versetur; exinde satis intelligi potest, primo, quanto cum suo emolumento poesi adjutrice & administra utatur, quamque ad omnes suas rationes accommodatam habeat dictionem parabolicam, cujus ea natura est, sicuti fuse antea exposui, ut magnam præbeat copiam & varietatem communium imaginum, quibus aliqua materies late ampleque in universum exornari possit: deinde, quinam esse debeat propheticæ poeseos proprius character.

Est itaque poesis prophetica ornatior, splendidior, florentior, quam ulla alia sacræ poeseos species; imaginibus uberior & frequentior, iis nimirum, quæ in stylo parabolico communes sunt ac veluti publici juris, quæque a rebus certis definitisque ad notiones infinitas & universales signandas, servata quadam analogia, transferuntur. Atque ex his etiam eas frequentat maxime, quæ petuntur ab Historia sacra, & a rebus naturalibus: metaphoris, allegoriis, comparationibus, ad hæc fusis etiam descriptionibus, præ cæteris abundat. Habet ex sua natura germanum ac sincerum ενθȣσιασμον; ideoque in φαντασιαις & εναργεια valde excellit, unde eximia oritur sublimitas: hinc etiam est, quod in affectibus exprimendis sæpe feliciter admodum versatur, quanquam in iisdem concitandis constantius occupata; hunc enim finem semper habet sibi propositum, hoc munus veluti propriam provinciam administrat.

Quod ad rerum ordinem ac dispositionem attinet, formamque legitimam, quæ in hac specie integrum poema conficiat; ni-

* 2. *Pet.* I. 19.
** Vid. supra *Prel.* XI. sub finem.

nihil sane statui potest, quod in universum videatur obtinere. Soluta plerumque, ut par est, & libera, suo impetu fertur, nullas servans leges, sed materiæ rationem sequens, & divini Spiritus impulsum. Quanquam non pauca sunt, quorum hac etiam in parte eximia est pulchritudo; qualia sunt ex brevioribus vaticiniis Balaami effata, quæ singula suam quandam figuram habent & justam partium descriptionem; eleganti inchoantur exordio, apta rerum continuatione ac serie decurrunt, & perfecta demum conclusione plene absolvuntur. Multa etiam ejusmodi sunt apud reliquos prophetas, & præcipue Isaiam, quæ eo nomine laudari possunt, atque in justorum poematum censum merito referri. Ex hujus elegantissimi vatis scriptis proponam vobis, Academici, in hoc genere exemplum, omnibus & dictionis & compositionis poeticæ luminibus ornatum: non modo ut ostendam, quam accurate nonnunquam rerum ordinem aptamque partium distributionem servet poesis prophetica, sed ut simul explicare possim dilucidius ipsius prophetiæ naturam atque indolem jam traditam. Atque id quidem vel præcipue; nam quæ de hac re, in se quidem recondita & subtili, generatim & nude modo differui, vereor ne vobis ea aliquantum involuta & obscura viderentur.

Insigne continent vaticinium capita Isaiæ quartum & quintum supra tricesimum. Poema est simplex, unum, integrum; duabus constans partibus pro ratione subjectæ materiæ, quæ, quod ad generalem ejus naturam attinet, valde perspicue atque evidenter exponitur. Denunciatur enim primo adversus universos hostes ecclesiæ Dei notabile aliquod idque absolutum ac novissimum excidium; deinde ei eventui consequens plena & perfecta ecclesiæ instauratio promittitur. Utitur vates magnifico exordio, totam rerum naturam excitans, ad ea percipienda, quæ ad universum terrarum orbem pertinerent *:

קרבו גוים לשמע
ולאמים הקשיבו:
תשמע הארץ ומלאה
תבל וכל צאצאיה:

Accedite, gentes, ad audiendum;
Et populi, animum advertite:
Audiat tellus, & plenitudo ejus;
Orbis, & omnis ejus propago.

Tum proponit decretum Jehovæ de gentibus omnibus, impiis nimirum Deoque invisis, funditus extirpandis; eamque excisionem amplificat lectissima varietate splendidissimarum imaginum, quæ omnes ex eo sunt genere, quod in hujusmodi materia communiter a plerisque vatibus usurpatur, quarumque ea ratio est, ut vim, magnitudinem, atrocitatem, ac pondus rei designatæ exaggerent; de more autem modoque, de tempore, de loco, de minutioribus eventus circumstantiis, nihil certi definiant. Primo eam exponit quasi cladem stragemque bellicam a victore in hostes editam *:

וחלליהם ישלכו
ופגריהם יעלה באשם
ונמסו הרים מדמם:

Occisi eorum projicientur;
Ex cadaveribus ascendet fœtor;
Montesque eorum sanguine colliquescent.

Tum audacius insurgit, & imaginibus a Chao (87) Mosaico petitis, & ad omnem qualiscunque sit gentium & regnorum eversionem exprimendam solenniter usitatis, eundem rerum exitum ita amplificat, ac si exponeretur mundi ipsius dissolutio **:

ונמקו כל צבא השמים
ונגלו כספר השמים
וכל צבאם יבול
כנבל עלה מגפן
וכנבלת מתאנה:

Et contabescet (88) *omnis cœlorum exercitus:*
Cœli ipsi instar schedulæ convolventur:
Et omnis eorum exercitus decidet;
Sicut cassa de vite folia,
Utque marcida ex arbore sua ficus.

Protinus alia inducitur imago; celebratur ingens sacrificium, opima & larga victimarum mactatio; fit Jehovæ ipsius prosopopœia, reique sub oculos subjectio ***:

כי רותה בשמים חרבי
הנה על אדום תרד
ועל עם חרמי למשפט:
חרב ליהוה מלאה דם
הדשנה מחלב
מדם כרים ועתודים
מחלב כליות אילים:
כי זבח ליהוה בבצרה
וטבח גדול בארץ אדום:

Nam inebriatus est in cœlis gladius meus;

Ec-

* Cap. XXXIV. 1.

* Verf. 3.
** Verf. 4.
*** Verf. 5. 6.

Ecce in Idumæam descendet,
In populum a me justæ internecioni devotum,
Gladius Jehovæ satiatus est sanguine,
Pinguefactus adipe;
Sanguine agnorum & hircorum,
Adipe ex renibus arietum:
Siquidem Jehovæ sacrificium est Botsræ,
Et ingens mactatio in terra Idumæorum.

Hirci, arietes, tauri, juvenci, cæterique quorum hic & deinceps fit mentio, ex eo itidem sunt genere, quorum communis est usus, & lata quædam atque universalis accommodatio, ad designandos gentium Dei inimicarum duces & tyrannos, crudeles, superbos, feroces, insolentesque. Atque eadem plane est ratio Botsræ & Idumææ, urbis gentisque Dei populo infestissimæ, quas ipsas non nisi leviter ac veluti in transcursu attingere videtur hoc vaticinium; sed est appellatio a proprio ad universi generis rationem traducta, sive, uti dixi, imaginis a re certa definitaque ad notionem infinitam & universalem designandam per analogiam facta translatio, in qua etiam suam hic proprietatem habet vocum ipsarum * vis ac potestas. Porro, novis jam iisque splendidissimis coloribus ejusdem rei ornatur descriptio; ex Sodomorum eversione transfertur imago, quæ, ut antea notavi, est unus ex illis communibus locis **:

כי יום נקם ליהוה
שנת שלומים לריב ציון:
ונהפכו נחליה לזפת
ועפרה לגפרית
והיתה ארצה לזפת בערה:
לילה ויומם לא תכבה
לעולם יעלה עשנה:
מדור לדור תחרב
לנצח נצחים אין עבר בה:

Agitur enim dies ultionis Jehovæ;
Annus pœnarum sumendarum Sionis vindici:
Et vertentur torrentes ejus in picem,
Pulvisque ejus in sulphur;
Et terra ejus in ardentem picem tota redigetur:
Noctes diesque inextincta ardebit;
Fumus ejus in æternum ascendet:
In perpetuas ætates jacebit deserta;
Per infinita sæcula nemo eam peragrabit.

* Vid. *Lowth*, & *Vitring.* in loc. & in cap. LXIII. 1. (89)
** Vers. 8. 9. 10.

Postremo, idem adhuc eventus adumbratur sub imagine desertissimæ solitudinis & immanissimæ cujusdam vastitatis, cui ex divino decreto ea regio addicitur *; cujus rei fusiorem descriptionem per plura adjuncta (quorum tamen omnium communia quædam est & generalis natura) varie, eleganter, magnificeque vates deducit.

Altera pars hujus poematis eodem plane modo tractatur, exhibetque scenam quandam pulchre contrapositam & adversantem superiori. Imagines, quibus varie splendideque ornatur, sunt item omnes universales & late patentes, sed quarum nota est potestas & aperta significatio. Superiorum plurimæ ex historia petebantur; hæ transferuntur fere omnes e rebus naturalibus **.

ישׂשׂם מדבר וציה
ותגל ערבה ותפרח כחבצלת:
פרח תפרח ותגל
אף גילת ורנן:
כבוד הלבנון נתן לה
הדר הכרמל והשרון:
המה יראו כבוד יהוה
הדר אלהינו:

Lætabuntur deserta & inculta;
Et exultabit solitudo & florebit, ut rosa:
Eximie florebit & exultabit;
Etenim cum jubilatione & cantu:
Dabitur ei Libani gloria;
Decor Carmeli & Saronis:
Hi videbunt gloriam Jehovæ;
Dei nostri majestatem.

Quænam sit Libani & Carmeli figurata potestas, quamque late pateat ***; unde etiam ducatur imago gloriæ majestatisque divinæ manifesto conspiciendæ ****, prius notavi: Terræ desertæ & siticulosæ cultura & irrigatio, ad designandam uberiorem divinæ gratiæ donorumque spiritualium (90) effusionem, in stylo parabolico adeo solenniter & constanter usurpatur, ut nulla egeat explicatione; uti nec cætera quæ sequuntur his finitima atque analoga, quibus idem eventus copiose ornateque amplificatur.

Totum quidem poema perlegenti rerum ordo clarius elucebit: ex iis autem quæ notavi satis credo apparet; quod imaginum genus præcipue sectetur poesis prophetica; quos colores, quæ amet pigmenta:

* Vers. 11. &c.
** Cap. XXXV. 1. 2.
*** Vid. supra *Præl.* VI.
**** *Præl.* VIII.

ta: quomodo in materia aliqua adornanda ita verſetur, ut generalem ejus naturam clare explicet, magnitudinem ejus ac momentum pro rei dignitate illuſtret, ſpeciales autem habitus, & minutiora adjuncta, & gradus cujuſque intermedii notas, inter ipſas univerſalium quaſi plicaturas & ſinus quodammodo deliteſcentia recondat, non niſi ipſo eventu plene evolvenda. Eſt ſane pars una & fortaſſe altera * hujuſce vaticinii, in qua hujuſmodi aliquod oſtendi poſſet; in cæteris eventuum ſingulorum adjuncta & progreſſiones rimari nondum conceditur. Plane enim videtur hoc vaticinium ex eorum numero eſſe, quæ ad ultimam prænuntiatorum eventuum metam nondum pervenerunt, in arcanis Dei decretis adhuc repoſita.

* Vide Cap. XXXV. 4. 5. 6. 8. Quæ haud dubie proxime referenda ſunt ad primum Meſſiæ adventum; ad miracula ab eo edita; ad Evangelii prædicationem, & divinæ gratiæ effuſionem (90). Cæterum commati octavo magnas tenebras offudit abſurda periodi interpunctio, Maſoretarum autoritate pene conſecrata. Eſt autem re vera Pentacolon, hoc modo diſtribuendum:

היה שם מסלול ודרך
ודרך הקדש יקרא לה
לא יעברנו טמא
והוא למו הלך דרך
ואוילים לא יתעו:

Et erit illic agger & via;
Et via ſancta appellabitur:
Non tranſibit per eam immundus;
Sed ipſe illis aderit iter faciens,
Et inſipientes non deerrabunt,

Ipſe, nimirum Deus noſter, ſupra Verſ. 4. memoratus, ος εσκηνωσεν εν ημιν, και εισηλθε και εξηλθεν εφ' ημας. Ita diſtinxerunt *Chald. Syr. Vulg.* & nonnulli recentiorum: & fruſtra repugnat *Vitringa*, longe doctiſſimus interpres, ſed Maſoretarum decretis plus æquo mancipatus.

Ut autem poematis alicujus prophetici univerſam formam ac ſpeciem integram uno in conſpectu propius pleniuſque intueri poſſitis, addam unum ex illis Balaami vaticiniis, quæ modo memoravi, & quorum ſæpius mentionem facio: nihil enim habet poeſis Hebræa in ullo genere limatius aut exquiſitius. Hoc autem, de quo loquor, abundat lætiſſimis ac ſplendidiſſimis imaginibus a natura petitis; ipſo etiam colore ac flore quodam dictionis, & figurarum varietate præcipue elucet. Hoc ſi nunc, aut ſi quæ aliquando alia, experiar, an Latino carmine adumbrari poſſint, veſtræ erit humanitatis, Academici, conatus noſtros in meliorem partem accipere *.

Tuis, Jacobe, quantus eſt caſtris decor!
Tuiſque ſignis Iſrael!
Ut rigua vallis fertilem pandens ſinum;
Horti ut ſcatentes rivulis;
Sacris Edenæ coſti ut in ſylvis virent,
Cedrique propter flumina.
Illi uda multo rore ſtillant germina,
Fœtuſque alunt juges aquæ.
Sancti uſque fines promovebit imperii
Rex uſque victor hoſtium.
Illum ſubacto duxit ab Nilo Deus,
Novis ſuperbum viribus,
Qualis remotis liber in jugis oryx
Fert celſa cœlo cornua.
Vorabit hoſtes; oſſa franget; irritas
Lacerabit haſtas dentibus.
Ut leo, recumbit; ut leæna, decubat;
Quis audeat laceſſere?
Quæ quiſque tibi precabitur, ferat bona!
Malo quæ precabitur, luat!

* *Num.* XXIV. 5.—9.

NOTÆ EDITORIS.

(86) Accedebat linguæ Hebraicæ ætas deterior, cui in exſilio Babylonis omne pene decus poeticum deceſſit. Nec mirum, in tantis populi malis animos & otium defuiſſe Muſis: & quæ lingua tota pene plebis pauperculæ facta eſt, in ea difficile, divinius quid ac ſublimius eloqui, poetaſque exſiſtere illo nomine dignos. Comparet, cui lubet, quæ ante & poſt illud exſilium Hebraice ſcripta ſuperſunt; nec minorem inveniet labem ac ruinam, quam in lingua Latina. Quapropter & mihi veri diſſimillimum, grande ac poeticum ſpirantes pſalmos poſt reditum ex Babylone ſcriptos fuiſſe, ſi forte unicum exceperis, eumque longe elegantiſſimum CXXXVII. Ezræ certe, cujus Hebraiſmo nihil eſt humilius & ingratius, pſalmos nobiliſſimos tribuere, peccato vicinum eſt Harduini, odas Horatianas infimæ linguæ latinæ ætati tribuenti. Ac de ipſo *Pſ.* CXXXVII. dubito, quem malim Jeremiæ aut coævi alicujus eſſe, quam reducis ex Babylone. Eundem, qui in threnis deflevit mala populi, & hic mihi lamentantem audire videor.

(87) Chaos Moſaicum equidem ignoro. Græci Latinique poetæ Chaos habent, in quo omnia confuſa, nulla terra, aqua, ignis, ſed unus totius naturæ vultus: qua eorum diſciplina a pueris imbuti in Moſe etiam videre nos credimus, quæ ille, naturæ peritior, ne unica quidem voce commemoravit, ſtatim in primo narrationis exordio cœlum habens a terra diverſum, & aquam toti terrarum orbi innatantem, ut hic infiniti æquoris ſpeciem retulerit. *In initio*, inquit, *creavit Deus cœlum & terram* (non chaos aliquod, niſi Moſen ex Ovidio interpretandum cenſeas.) *Terra autem* (ſua jam & a cœlo diſtincta, cujus hiſtoriam curatius exponit divinus autor) *vacua erat & inanis, tectumque caligine mare*. Eſt quippe תהום mare, *Deut.* VIII. 7. unde & Arabum geographis maritimæ regiones frequentiſſime تهايم dicuntur: utrumque ab هام *fluctuavit*. Vide notas meas 35. 43. & 81. Nullus adhucdum, fateor, ſol, luna nulla, nulla ſidera lucebant; nec vero, quod non eſſent, ſed quod ſol & ſidera nondum exarſiſſent, quarto demum die ignem conceptura.

Graviſſimam tempeſtatem deſcribi exiſtimarunt alii, conglomeratis ita nubibus, ut cœlum voluminis inſtar convolvi videatur. Hactenus illi bene: ſed non ſatis explicant alteram ruentium ſiderum imaginem.

Malim ergo cum tempeſtate terræ motum conjungere, cui & alias figuras poetarum Hebræorum deberi do-

doqui in nota 22. Hic ubi accidit, nobis instabili in solo fluctuantibus agitari ea videntur, quæ stant firma & inconcussa, cœlum, sol, sidera: quod phænomenon in majus augens poeta, primo vereri, ne illa ruant quæ moventur, deinde & decidentia videre, ac late totius naturæ, terræ, cœli, solis, siderum, ruinam stragemque attonitus contemplari. Propria hæc forte poesi Orientali fictionis audatia; certe non memini, simile quid in nostris me legere. Quod si teneamus, facile etiam expediemus simillimam Christi orationem, *Matth.* XXIV. 29. nec opus habebimus, proprie accipere, quæ proprie evenire per rerum naturam corporumque istorum magnitudinem nequeunt, vaticiniumve de solis agens Hierosolymis ad ultimos terræ cœlique labores, vel maxime invito Christo, transferre.

(88) Vereor ut hæc recte aut intellexerit autor, aut intelligam: *tabescere* certe de sideribus dictum displicet. Est quidem مقّ *findere*, atque inde מקק *fissi vulneris tabes*, sed ea vix huic loco apta. Viderint alii, quomodo Jesaiæ consulant, lucemque & pulchritudinem ejus poemati reddant: mihi enim, receptam versionem non probanti, difficile est adferre meliorem. Promam tamen conjecturam.

In sequentibus stellas ruentes comparat vates fructibus arborum sua decidentibus autumnitate, maxime ubi ventus incubuit, quod ita placuit autori apocalypsis, ut imitaretur cap. VI. 13. Quid si hic cum fissa palmarum spatha composuerit? Conjecturæ occasionem Arabia dedit ,I cui مقّ est, *findere spatham palmæ*. Est autem hæc spatha duplex, mascula & feminea; utraque Februario & Martio mensibus rumpitur, feminea prius, paulo serius mascula, hæc semen ejaculatura, vento aut manibus hominum ad spatham femineam deferendum, unde femina sensim turget, dactylosque creat ipsa tandem maturitate defluxuros. Vide, si placet, Kampferi amœnitates exoticas, Fasc. IV. relat. 5. Gentis ergo palmis adsuetæ vates cœli siderumque ruinam comparare poterat, sive fissis spathis semen effundentibus, sive iisdem spathis fissione sua sensim in dactylos deciduos maturescentibus; utrum enim horum spectarit, non expedio. Qua si imagine usus est, sequens נגלו non, *convolventur*, vertendum, sed, *evolventur*: libro enim evolvendo spatha, quæ findi incipit, non absimilis.

Displicet forte, quod *exercitus* cœli findi dicitur, quam diversissimarum imaginum confusionem dudum autore Horatio poetæ damnant: sed locum habere hic possit, quod monere alias soleo, non nimis certam esse interpretationem verborum צבא השמים, de *stellis* positorum, per, *exercitus cœli*: plantæ enim, totusque terræ ornatus, incommode *exercitus terræ* dicerentur *Genes.* II. 1. ubi vertendum suspicor: *quidquid in cœlo terraque oritur*. Arabibus enim صبا significat *oriri*, quod & plantarum est, & siderum. Ita sensim mollescet oratio, fietque sui similior, ut probari Orientalium auribus potuerit, licet Latine vix vertenda, partim quod tota hæc imago, nec iis quæ sequuntur exceptis, nimis est Latinis insolens, partim quod a palmis desumta, Latio non minus quam nostræ ignotis Germaniæ.

(89) Adde quæ scripsi in nota 42. & maxime §. XI. *commentationis de historia & origine maris mortui*, quam Societati regiæ Scientiarum recitavi, ubi verisimile feci, in vicinia maris mortui naphthæ fontes ardentes & esse, & tempore Jesaiæ fuisse, qui hic late arsuri in Idumæa dicantur.

(90) Cur opus sit, spiritualia gratiæ dona intelligere, non florentem rei publicæ statum, ubi vastatæ Idumææ opponitur Palæstina; aut quomodo versus quintus ac sextus ad Messiæ, cujus nulla omnino mentio, miracula pertinere possint; non intelligo. Mihi quidem Idumææ vastitas, florente Palæstina, describi, eademque, quæ Malach. I. 1. — 4. scena institui videtur. Vastitatem non majorem prædicit Jesaias, quam quæ Idumæorum priscis sedibus longo jam seculorum tractu incubuit: Idumæam etiam nominat, in quam inebriatus reliquorum hostium sanguine gladius Jehovæ, magis jam ferociens & iracundus hoc tanquam vino, descensurus sit. Hæc cur mystice & ænigmatice accipimus? Ænigmatis certe, quo totum genus mysticum pertinet, & poematis grandisoni, naturæ & leges sunt diversissimæ: illud artis est laboriosæ & exilis, hoc totum impetus & sublimitatis, artificii fastidiosum. Si quibus Idumæa nimis videtur ignobilis, cujus interitus tanto celebretur carmine, meminerint, res antiquas nobis minutas esse, quod historiam ignoramus, easdem vero olim maximus esse visas coævis. Nec obstat omnium gentium, quæ præcessit, mentio; harum enim sanguine inebriatur gladius Jehovæ, antequam in juratos Israelitarum hostes, Idumæos descendat. Quid si canantur Nabochodonosaris victoriæ, per totam ante Asiam late grassaturi, ac tandem vastaturi Idumæam, quam nullius Cyri clementia recreabit? Sed hic me historia, sola vaticiniorum fida interpres, neque ex vaticiniis colligenda, sed credenda testibus, destituit. Poematis decora exquiro, non interpretor prophetam.

Miracula Messiæ versibus 5. & 6. omnino non describi videntur. Nulla prophetæ, nedum Messiæ, talia patrantis mentio, sed ex mutato rerum omnium statu eventurum dicitur, ut claudi etiam superante gaudio exsultent, muti clausa diu ora in lætos clamores resolvant, surdique verba prophetarum audiant & intelligant. Non hæc monuissem, nisi mysticas interpretationes, nimisque theologicas ac minutas, decori & tanquam lumini carminis sacri officere arbitrarer.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIGESIMAPRIMA:

PROPHETARUM SINGULORUM PROPRII CHARACTERES.

P*Rophetæ habent ſinguli proprietates ſuas*, inquit Hieronymus *, de duodecim minoribus loquens; quod de tribus majoribus multo etiam magis eſt verum. Nam ab Iſaia multum diſtat Jeremias; neque facile quidquam poteſt eſſe in eodem genere magis diverſum, quam eſt ab utroque diſſimilis Ezekiel.

Iſaias, ut ordine ita dignitate prophetarum omnium princeps, ſic omnibus abundat virtutibus, ut nihil in hoc genere perfectius concipi poſſit. Idem elegans & ſublimis, ornatus & gravis, cum ubertate & copia, tum vi & pondere mirabilis. In ſenſibus, incredibilis elatio, majeſtas, divinitas; in imaginibus, ſumma proprietas, dignitas, pulchritudo, fœcunditas denique & varietas lectiſſima; in dictione, ſingularis elegantia, & in tanta rerum obſcuritate mira perſpicuitas & candor; ad hæc, in poetica ſententiarum compoſitione tanta dulcedo, id ſive felicitatis ſive artificii, ut ſi quidquam jam reliqui habent carmina Hebræa priſtinæ jucunditatis & gratiæ, id in Iſaiæ præcipue monumentis contineri, clariſſimeque perſpici poſſe crediderim: ut de eo merito uſurpari poſſit illud Ezekielis, **

אתה חותם תכנית
מלא חכמה וכליל יפי :

Tu omnibus numeris abſolutum es exemplar,
Plenus ſapientia, & perfectus pulchritudine.

Excellit etiam Iſaias vel maxime in juſta partium diſpoſitione, facilique rerum connexione atque ordine: quanquam hic ſemper habenda ratio eſt impetus prophetici, a proximis ad remota, ab humanis ad divina præcipiti tranſitu ſeſe identidem rapientis; obſervandi inſuper, quantum fieri poteſt, limites ſingulorum vaticiniorum, ſæpe ſine ullis partitionum notis junctim editorum, quod magnas nonnunquam difficultates creat (91). Integri poematis luculento ordine diſpoſiti exemplum ex hoc vate proxime protuli: atque alia quidem ex priore ejus voluminis parte, ubi ſæpe diſtinctius notantur ſingula vaticinia, facile depromi poſſunt. Altera pars, quam cum capite quadrageſimo inchoo, quæque eſt monumentorum ſacrorum fortaſſe omnium maxime & ſublimis & elegans, aliquo tamen circa hanc rem incommodo laborare videtur: eſt enim corpus quoddam plurium oraculorum finitimi argumenti, quæ idcirco inter ſe continuata difficilius ſecernuntur (92). Hujuſce autem partis univerſum argumentum eſt, eccleſia inſtaurata. Satis ordinate exponuntur, liberatio a captivitate; idolorum vanitas & excidium; divinæ potentiæ & veritatis vindiciæ; Iſraelitarum conſolatio, invitatio, incredulitas, impietas, rejectio; vocatio gentium; reliquiæ ſervatæ; eccleſiæ conſummatæ gloriæ & felicitas; impiorum ultimum excidium. Quæ qui attente perlegerit, habita ratione allegoriæ myſticæ prius expoſitæ; ſimulque meminerit iſthæc omnia pluribus vaticiniis diverſimode editis ſæpius eſſe retractata: is neque in toto luculentam partium diſpoſitionem, neque in partibus facilem rerum ſenſuumque ſeriem atque ordinem deſiderabit. Porro totum Iſaiæ opus poeticum eſſe exiſtimo, paucis exceptis, quæ ſimul ſumpta ſex aut ſeptem fortaſſe capitum ſummam non excedunt.

Jeremias, quanquam nec elegantia nec ſublimitate caret, tamen utraque cedit Iſaiæ. Hieronymus * neſcio quam ſermonis ruſticitatem ei objicere videtur, cujus equidem fateor nulla me deprehendiſſe veſtigia. In ſenſibus quidem aliquanto minus eſt elatus, in ſententiis plerumque laxior & ſolutior; ut qui in affectibus lenioribus ſæpius verſatur, ad dolorem & miſericordiam præcipue compoſitus. Hoc quidem maxime apparet in threnis, ubi iſti affectus unice dominantur; ſed ſæpe etiam in ejuſdem vaticiniis cernitur, & in priore voluminis parte potiſſimum **, quæ plerumque poetica eſt; media fere ſunt hiſtorica: ultima pars, ſex conſtans capitibus ***, omnino poetica eſt; plura continet oracula diſtincte notata, in quibus vates ille proxime accedit ad Iſaiæ ſublimitatem. Ex toto autem Jeremiæ volumine partem vix dimidiam poeticam eſſe arbitror.

Eze-

* Præf. in XII. Proph.
** Ezek. XXVIII. 12.

* Præf. in Jer.
** Vide Cap. IX. per totum. Cap. XIV. 17. &c. XX. 14 — 18.
*** Cap. XLVI. — LI. ad com. 59. Caput LII. pertinet ad threnos, quibus procemii loco inſervit.

Ezekiel elegantia quidem multo inferior est Jeremia, sublimitate (93) autem vel Isaiæ par, sed in genere dissimillimo. Est enim atrox, vehemens, tragicus, totus in δεινωσει: in sensibus elatus, fervidus, acerbus, indignabundus; in imaginibus fœcundus, magnificus, truculentus, & nonnunquam pene deformis; in dictione grandiloquus, gravis, austerus, horridus, & interdum incultus: frequens in repetitionibus, non decoris aut gratiæ causa, sed ex indignatione & violentia. Quicquid susceperit tractandum, id sedulo prosequitur, in eo unice hæret defixus, a proposito raro deflectens; ut rerum seriem & juncturam vix unquam requiras. In cæteris a plerisque vatibus fortasse superatus; sed in eo genere, ad quod unice videtur a natura comparatus, nimirum vi, impetu, pondere, granditate, nemo ex omni scriptorum numero eum unquam æquavit. Dictio ejus satis est perspicua; omnis prope in rebus sita est obscuritas. Visiones præcipue sunt obscuræ, quæ tamen (ut apud cæteros, Hoseam, Amosum, Zechariam) nuda & plane historica narratione exponuntur. Ezekielis autem pars major, eaque media, poetica est, siquidem aut res spectemus aut dictionem; sed in sententiis adeo plerumque est rudis & incompositus, ut sæpe dubitem, quid de eo hac in parte statuendum sit.

Isaiam, Jeremiam, Ezekielem, quod ad stylum attinet, non immerito apud Hebræos eodem in loco collocaveris, quem inter Græcos tenuerunt Homerus, Simonides, Æschylus.

Prophetarum minorum agmen ducis Hoseas, omnium (Jona fortasse excepto) antiquissimus, adeoque stylus ejus vetustatem redolet; acer, acutus, concisus, eminenti quadam poeticæ compositionis nota signatus; pristinam nimirum generis sententiosi brevitatem & compressionem retinens, a qua vates ætate inferiores aliquid remiserunt. Id de eo præcipue notavit Hieronymus *; *Commaticus est, inquit, & quasi per sententias loquens*. Verum hoc ipsum, quod in principio suam proculdubio vim habuit & peculiarem elegantiam, tanta jam in his linguæ Hebrææ ruinis obscuritas consecuta est, ut quanquam hujus vatis universum argumentum sit satis apertum, vix tamen alius quisquam sit æque difficilis & involutus. Est etiam aliud in causa, cur ejus stylus adeo jam videatur impeditus; vaticinatus est Hoseas temporibus regum Judæ quatuor, Oziæ, Jothami, Achazi, Hezekiæ: hoc est, quocunque modo calculos subducimus, per longissimum annorum spatium: modicum habemus volumen vaticinationes ejus, ut videtur, præcipuas continens, easque omnes inter se sine ullis temporum notis aut argumenti distinctione connexas: ita minime mirum est, si Hoseam perlegentes nonnunquam videamur in sparsa quædam sibyllæ folia incidere.

Joel ab Hoseæ stylo multum discrepat; sed æque poeticus est, quanquam in genere diverso, dictionis & compositionis character. Imprimis est elegans, clarus, fusus; fluensque; valde etiam sublimis, acer, fervidus. Ostendit capite primo & secundo, quid valet in descriptionibus poesis prophetica; quantum amat metaphoras, comparationes, allegorias. Nec minus clara est rerum connexio, quam dictionis color: malorum amplificatio, hortatio ad pœnitentiam; pœnitentibus promissio bonorum cum terrenorum tum cœlestium; rerum Israeliticarum instauratio; de adversariis sumpta supplicia. Verum & hic & alibi elocutionis perspicuitatem & dispositionis nitorem laudantes, non negamus magnam interdum esse rerum obscuritatem; quod in hujusce vaticinii fine subinde notari potest.

Amosum vocat Hieronymus * *imperitum sermone, sed non scientia*; id in eo usurpans, quod de se Paulus ** modeste profitetur. Cujus auctoritatem multi secuti ita de hoc vate locuti sunt, quasi esset plane rudis, & indisertus, & ab omni ornatu alienus. Id autem longe est secus: evolvat modo scripta ejus æquus judex, de re non de homine quæsiturus; censebit, credo, potius, pastorem nostrum *** μηδεν υστερηκεναι των υπερ λιαν προφητων, ut sensuum elatione & magnificentia spiritus prope summis parem, ita etiam dictionis splendore & compositionis elegantia vix quoquam inferiorem. Nimirum idem cœlestis spiritus Isaiam & Danielem in aula suo movit afflatu, Davidem & Amosum in pastorum stabulis; semper idoneos voluntatis suæ interpretes deligens, & interdum ex ore infantium perficiens laudem, aliorum utitur eloquentia, alios eloquentes facit.

Michas plerumque brevis est, pressus, concisus, acutus; nonnunquam ad Hoseæ obscuritatem prope accedens: in multis elatus & fervens, valdeque poeticus.

Verum ex omnibus minoribus prophetis nemo videtur æquare sublimitatem, ardo-

* Præf. in XII. Proph.

* Procem. Comment. in Amos.
** 2. Cor. XI. 6.
*** 2. Cor. XI. 5.

ardorem, & audaces spiritus Nahumi. Adde quod ejus vaticinium integrum ac justum est poema; exordium magnificum est & plane augustum; apparatus ad excidium Ninivæ, ejusque excidii descriptio & amplificatio, ardentissimis coloribus exprimitur, & admirabilem habet evidentiam & pondus.

Poeticus etiam est Habaccuchi stylus; sed maxime in oda, quæ inter absolutissimas in eo genere merito numerari potest (94). De Zephania idem dicendum est, sed is nihil videtur habere singulare aut eximium, in dispositione rerum, vel colore dictionis.

De Abdia suo in loco dixissem, si non & exiguum esset, quod extat, ejus ingenii monumentum, & id ipsum magna ex parte in Jeremiæ vaticinio contineretur *. Jonæ, uti & Danielis, commentarium mere esse historicum antea notavi.

Restant Haggæus, Zecharias, Malachias: quorum primus omnino est prosaicus, itemque alterius pars multo maxima; sunt aliqua sub ejus vaticinii finem ** & poetica & valde ornata, &, ut in vate omnium fortasse obscurissimo, satis perspicua. Prophetarum ultimus Malachias medio quodam dicendi genere utitur, atque ejusmodi plane, quod arguere videatur poesin Hebræam inde a captivitate Babylonica deflorescentem, & inclinata jam ætate in senium quodammodo vergentem.

Hoc de prophetarum scriptis, academici, deque diversis eorundem partibus, quæ poetica habenda sint, quæ secus, quantum potui distincte & particulatim differui, quo meam de poesi prophetica conjecturam (nihil enim majus audeo dicere) plenius apertiusque vobis explicarem. Quam etsi non diffiteor aliqua ex parte multas habere difficultates, multa quæ in opinione posita sunt; eam tamen, ut in universum aliquo saltem fundamento niti existimetis, effecisse non plane despero.

Esset hic locus de Græcorum in hoc genere poesi nonnihil differendi, si quidem ex celeberrimis eorum oraculis quidquam ad nos pervenisset, non dico quod cum sacris vatibus conferri posset, sed quod omnino aliqua mentione esset dignum. Nullum certe hujusmodi poema nunc extat, neque sane unquam extitit; pauci supersunt versiculi, iique fere mediocres & crasso filo. Etenim Apollo ille Pythius, si Græcis ipsis credimus *, musas suas plerumque iratas habuit & aversas; ita ut sapientibus & cordatis sæpe ludibrium deberet; non solum ob ambiguas illas & subdolas ariolationes, sed etiam ob ignorantiam artis metricæ. Etiam homines e plebe superstitiosi ac rudes, quem satis bonum augurem credebant, eundem tamen fatebantur fuisse malum poetam.

Verum apud Latinos extat in hoc ipso genere unum nobilissimum atque pulcherrimum poema (95), & vel versuum elegantia & claritate, vel rerum & argumenti obscuritate, æque admirabile: quartam dico Virgilii eclogam; quam idcirco nefas esset hoc in loco silentio præterire, cum inde a primis ævi Christiani sæculis percrebuerit opinio, habere eam cum his, de quibus agimus, germanæ prophetiæ monumentis aliquam cognationem, & a sacro fonte originem duxisse. Quod quomodo fieri potuit, etsi sit forsan expeditu difficile; sive sacri codicis versionem Græcam, jamdiu tum vulgatam, in subsidium vocemus, sive etiam exinde deprompta oracula, a Judæis Hellenistis, ut videtur **, Græco carmine condita, quæ sub nomine sibyllarum ferebantur; tamen ita rem habere, tot extant tamque manifesta in ipso poemate indicia, ut omnia quæ ei sententiæ obstant impedimenta facile amoveat & diluat ipsa carminis lectio. Sensus, imagines, dictio etiam, cum sacris vatibus mirum in modum congruens: res ipsa vel in se tam elata & magnifica, vel potius a poeta, omnium licet verecundissimo ac severissimo, in eam altitudinem exaggerata, ut mihi nullo modo persuadere possim, quin subsit aliquid μυστικωτερον, quod primæ hypothesi, ipso vate inscio nec opinante, furtim quodammodo accrevit, totique operi alienos quosdam colores induxit, & magnificentiam modum & mensuram argumenti longe exsuperantem. Quid fuerit ipsius poetæ consilium, quæ mens, quanquam hic multum sese exercuerint doctissimorum virorum ingenia, ta-

* Confer *Abd.* 1.---- 9. cum *Jer.* XLIX. 14. 15. 16. 7. 9. 10.

** Vide Cap. IX. X. & init. XI.

* Ορω γουν και τον Απολλω γελωμενον επ' ενιοις των χρησμων· καιτοι επικρυπτουσης τα πολλα της ταυτης ασαφειας, ως μη πανυ σχολην αγειν τους ακουοντας εξεταζειν τα μετρα. Mercurius apud *Lucianum* in Dial. cui Titulus *Jupiter Tragœdus*.

Χρησμου δε τινος εμμετρου λεχθεντος, ---- πολλακις εφη θαυμασαι των επων ο Διογενιανος, εν οις οι χρησμοι λεγονται την φαυλοτητα και την ευτελειαν, καιτοι μουσηγετης ο θεος, και της λεγομενης λογιοτητος ουχ' ηττον αυτῳ το καλον η της περι μελη και ῳδας ευφωνιας μετειναι, και πολυ τον Ησιοδον ευεπειᾳ και τον Ομηρον υπερφθεγγεσθαι. τους δε πολλους των χρησμων ορωμεν και τοις μετροις και τοις ονομασι πλημμελειας και φαυλοτητος αναπεπλησμενους. *Plut.* in Comment. *Cur Pythia nunc non edat Oracula metrice*.

** Vide *Chandleri Vindicios Relig. Christ.* Cap. 1. & *Grotium* in *Matt.* II. 1.

tamen nec adhuc sciri arbitror, neque spem habeo, fore, ut unquam clare investigetur. Nullam neque rem neque personam ostendit historia, aut rei Romanæ status ac temporum conditio, quæ cum argumenti ratione atque adjunctis satis apte congruere videatur, aut tam magnificis prædictionibus locum dare ullo modo potuisse *. Mihi quidem illud usu venire plane profiteor, ut cum carmen hoc ea ex parte contemplor, quando id sæpius relego, tanto intelligam minus. Is est styli nitor, ea carminis elegantia, ut fere lateat & legentes fallat rerum obscuritas: singula autem propius spectanti, & imaginum ac dictionum rationes & momenta perpendenti, tot mihi occurrunt ab usu Romano abhorrentia, a conceptibus hominum ejus ætatis & nationis adeo aliena, ut vix mihi persuadeam, etiam tum cum primum ederetur, satis perfecte intelligi potuisse. Cum vero hæc ipsa adeo luculenter explicet peregrina quædam interpretatio ex Hebræorum rebus ac monumentis superinducta, cujus vim omnem & magnitudinem nullo modo complecti potuerit aut etiam attingere ipsius poetæ animus; quid mihi hac in re concedent eruditi, nescio; quid sentiam, vix audeo exponere: & tamen dicam id mihi tam mirabile tamque prodigii simile videri, ut nonnunquam pene inducar ut serio credam, id semel evenisse, quod Socrates ειρωνευομενος, ut solet, apud Platonem de poetis ait *: δια ταυτα ο θεος, εξαιρουμενος τουτων νουν, τουτοις χρηται υπηρεταις και τοις χρησμωδοις και τοις μαντεσι τοις θειοις. ινα ημεις οι ακουοντες ειδωμεν, οτι ουχ ουτοι εισιν οι ταυτα λεγοντες ουτω πολλου αξια, οις νους μη παρεστιν, αλλ' ο θεος αυτος εστιν ο λεγων, δια τουτων δε φθεγγεται προς ημας.

* Viderunt jamdudum eruditi, hæc de Salonino Pollionis filio post captas Salonas nato, de quo loquitur Servius, si quis tamen unquam talis extiterit, intelligi non posse; cum ex Dione & Appiano constet, Pollionis expeditionem Illyricam in annum sequentem incidere. Alii itaque de C. Asinio Gallo ejusdem filio mentionem injecerunt; multo quidem probabilius, siquidem Asconius Pedianus ab ipso Gallo audisse se retulit, hanc Eclogam in honorem suum factam. Vide *Serv.* ad Eclog. IV. 11. Sed ipse Servius Gallum anno priore natum, Pollione adhuc consule designato, affirmat: & quanquam fieri potest, talem excidisse jactantiam ab impotentia hominis, quem Augustus dixit imperii se mortuo adipiscendi avidum fore, sed minorem; (*Tacit.* Annal. 1. 13.) vix tamen credibile est, poetam qui sanus esset hæc tam magnifica de ullo Pollionis filio prædicere potuisse. Ad hoc, cur divinum hunc puerum, solummodo Illo Consule, ac non potius Illo Patre, nasciturum dixit? quod ad Pollionis gloriam multo magis pertineret. Itaque jam plerique de Cæsare Octaviano, deque puero aliquo in illius familiam & in certam spem imperii nato, hæc interpretantur. Juliam, Marcellum, Drusum, memorant. Drusi nec ætas, nec persona convenit. Marcelli ætas convenit, non persona, Juliæ quidem Octaviani filiæ utrumque favet, modo Eclogam hanc in expectatum Scriboniæ puerperium scriptam esse statuamus; ante partum autem scriptam fuisse credibile est, cum Lucina invocetur: *Casta fave Lucina*. Verum meminerint, qui aliquam ex his sententiis amplectuntur, quis & quo loco tum fuerit ipse Octavianus; nondum princeps, & Augustus, & imperii Romani dominus, quæ omnia ei accreverunt non nisi post victoriam actiacam, annis omnino novem postea, quam scripta esset hæc Ecloga; sed Triumvir, æquata cum Antonio & dignitate & potestate, ne quid dicam de Lepido. Quomodo igitur ad Octaviani filium, si quis ei hoc anno natus fuisset, protinus spectare potuit imperii hereditas? Sed ut concedamus, id quod sane verum est, nullibi digniorem aut aptiorem personam inveniri posse, aut in quam hæc melius quadrent, quam filius aliquis Octaviani; porro autem ei filium hoc ipso tempore natum fuisse fingamus: ad eum tamen quæ hic dicuntur nihilo magis pertinere posse, vel uno argumento evinci arbitror, eo nimirum, quod Pollionis nomine Ecloga inscribitur; nam hucusque & paulo etiam deinceps Pollio semper erat in partibus Antonii contra Octavianum. Percurramus enim res gestas Pollionis post Julii Cæsaris necem, temporum habita ratione. Anno U. C. 711. C. Asinius Pollio, bello cum Sexto Pompejo gesto, ex Hispania reversus exercitum tradit Antonio post ejus fugam a Mutina. U. C. 713. Pollio Antonii legatus Galliam Cisalpinam tenet: Salvidienum Octaviani legatum Lucio Antonio bellum inferentem a tergo insequitur una cum Ventidio; Lucio deinde Perusiæ obsesso frustra suppetias ferre conatus Ravennæ subsistit: Venetiam diu retinet in potestate Antonii; magnisque rebus gestis in ea regione, Antonium petit; & Domitium Ænobarbum, consiliis suis illectum ac fide data, cum classe cui præerat jungit Antonio. U. C. 714. Pax Brundusina incidit in finem anni; cujus administri sunt, ex parte Antonii Pollio Consul, ex parte Octaviani Mæcenas, & amborum communis amicus Coccejus: circa hoc tempus scripta est Virgilii Ecloga Quarta. U. C. 715. Antonius Pollionem legatum suum mittit in Illyricum contra Parthinos: de Parthinis triumphat Pollio mense Octobri. Hæc *Vellejus*, *Appianus*, *Dio*. Interciderant etiam circa hæc tempora inter Pollionem & Octavianum privatæ quædam inimicitiæ; & versus Fescenninos Octavianus in Pollionem scripsit. *Macrob. Saturn.* II. 4. Ab hoc tempore usque ad pugnam Actiacam quæ U. C. 723. ineunte mense Septembri commissa est, partibus sese abstinuit Pollio, neque ultra Antonii & Octaviani discordiis se immiscuit. *Non prætereatur*, inquit *Vellejus* II. 86. *Asinii Pollionis factum & dictum memorabile: nam cum se post Brundusinam pacem continuisset in Italia*, (post triumphum dixisset verius) *neque aut vidisset unquam Reginam, aut post enervatum amore ejus Antonii animum partibus ejus se miscuisset, rogante cæsare, ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum: mea, inquit, in Antonium majora merita sunt, illius in me beneficia notiora; itaque discrimini vestro me subtraham, & ero præda victoris.* Quibus omnibus perspectis, mihi omnino incredibile videtur, Virgilium animum inducere potuisse, ut Pollioni, summo Antonii amico, Octaviani potius inimico, mitteret, ejusque nomine inscriberet, carmen, quod Octaviani laudibus ejusque familiæ honori unice dicaretur.

* *Plato* in Jone.

NOTÆ EDITORIS.

(91) Vereor tamen, ne hic multa finxerint interpretes, Jesaiam pro lubitu in multa dispertientes vaticinia, sive, ut aliqui dicere solent, libellos propheticos. Ut exemplo utar, non video quid prohibeat, quin tota illa serie a capite 40. usque ad *66.* unum modo vaticinium decurrat. Parum dixi. Si res ferret, argumentis etiam probarem, nuspiam hanc unius vaticinii seriem apte divelli posse.

(92) Obscuriuscule dictum. Plura argumenta tractat Jesaias, sed eodem in carmine. Quid senserit autor, pro certo dicere nequeo; videtur tamen re mecum consentire, nec Jesaiam in libellos, aut vaticinia, pro lubitu dirimere voluisse.

(93) Irasci pene ipsi mihi, suspectiorque videri debeo, quod in re, quæ tota sensus est gustusque poetici, Lowthio adstipulari nequeo, quantumvis allaborarim meos sensus ad ejus sententiam formare. Mihi enim in Ezechiele non sublimitas laudanda, nedum Jesaiana, videtur, ut potius in exornandis amplificandisque imaginibus plus artis & luxuriei eum habere dixerim, quam cum impetu & sublimitate poematis consistere potest. Perpetuus aliqua ex parte imitator est, & tamen novus ac suus, non grandis, sed ingeniosus; imagines enim, quibus jamdiu ante poesis Hebraica adsueverat, inventas ab aliis sed per transennam modo unico oculorum conjectu visas, certe in quibus non diu morati erant, totas absolvit, ita plene, ita copiose pingens, ut nihil addi posse, nihil in mente lectoris relinqui dixeris: quod faciens uberis quidem ingenii laudem recte consequitur, atque etiam hoc lectoribus præstat, ut antiquiores poetas perfectius intelligant; minus tamen percellit, aut in admirationem rapit.

Rem in exemplo ponam, sed unico: plura ipsius prophetæ lectio dabit. Frequens optimis poetis in descriptione magnarum cladium, avium carnivorarum mentio, sed brevis. Homericum illud, in Iliadis initio positum,

αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι

quis ignorat? Prosaicæ etiam apud Hebræos & militaris jactantiæ est, *carmen tuam dabo volucribus & feris*, 1. *Sam.* XVII. 44. Nec poetæ Orientales phrasin ignorant. Sumo, quod in libello de lingua Hebraica intelligenda (Beurtheilung der Mittel, die man anwendet, die ausgestorbene Hebräische Sprache zu verstehen) p. 297. —— 307. probare allaboravi; רשף recte a veteribus volucres reddi. Jam ergo Asaphus, *Ps.* LXXVIII. 48. *jumenta illorum grandini, & greges volucribus dedit*, Sublimior Moses, *Deut.* XXXII. 24.

Tela mea consumam in illis.
Exesi fame, præda volucrium,
Pestisque atrocissimæ!
Dentem etiam ferarum immittam in illos,
Iracundiamque repentium humi.

At utroque excellentior Habacucus, c. III. 5. de Jehova hostes victuro,

Ante illum ibat pestis
Vestigia legabant alitet.

certæ nempe prædæ. Paulo copiosior Jesaias eo loco quem p. 404. 405. attigit noster, sed ita ut avium, ac tanquam convivarum, expressam mentionem non faciat: c. XXXIV. 6. 7.

Sacrificium Jehovæ est Bosra,
Ingensque in Idumæa epulum.
Procumbent oryces cum illis,
Bovesque cum tauris:
Madefiet terra illorum sanguine,
Pulvisque adipe pinguescet.

Hæc omnia, &, quis dubitet, plura, animo complexus Ezechiel, imitarique universa, nec quidquam eorum dimittere studiosus, non repertis, qualia erant, usus est, sed singularii ingenii ubertate luxurians, novis fictionibus amplificavit, dumque omnia canendo exhaurit, quæ in magna strage eventura videntur, nova quodammodo ac sua fecit. Primo enim Magogi clade prædicta, c. XXXVIIII. tantum apparatus bellici armorumque instratum agris videt, ut per VII. annos igni alendo sufficiat Israelitis: videt locum sepulcris cæsorum destinatum, æternum inde nomen habiturum, quod ipsum expressit: narrat modum, cadavera insepulta notandi: omnia parerga, lusus omnes pictoris absolvit, ut vix quidquam lectori suspicandum intactumque relinquere velle videatur: deinde & hæc addit, audacter ac quodammodo nove dicta: *Sic, fili hominis, dixit Jehova; dic volucribus omni alarum genere insignibus, omnique feræ agri: congregamini & venire, coite undiquaque ad epulas, quas vobis instruo, epulas ingentes in montibus Israeliticis. Carne vescemini, & bibetis sanguinem: carnem heroum comedetis, & bibetis sanguinem principum terræ, arietum, agnorum, hædorum, boum, saginatorum Basanitidis universorum. Comedetis adipem ad satietatem, & sanguinem ad ebrietatem bibetis, in epulis meis, quas vobis instruxi. Satiabimini ad mensam meam equis, & quadrijugis, heroe & milire, inquit Dominus Jehova.* Ez. XXXVIIII. 17. ---- 20. Legere hic mihi videor poetam, quidquid figurati & ficti animo concepit non facile dimissurum, carminique deesse ratum, quidquid picturæ verisimiliter addi possit: atque hac ipsa de caussa, quod nihil pulcri negligit, mediocribus propiorem quam summis. Hæc Ezechielica autem en ut contraxit, perpetuus ipse imitator, sed diviniore ingenio natus, & in cujus prosaico tanquam carmine omnia splendescunt, autor Apocalypsis: *vidi angelum in sole stantem, qui voce magna acclamabat volucribus omnibus cœlum pervolantibus: venite & congregamini ad magni Dei convivium, ut vescamini carnibus regum, & tribunorum, heroum, equorum, & insidentium illis, carnibus omnium, ingenuorum & servorum, parvorum & magnorum. Apoc.* XIX. 17. 18. in eo etiam artifex, quod hæc ante prælium commissum collocavit, exspectationem lectoris augens, ac de victoria certus; pene ut internecioni destinatos exercitus præsagas exitii aquilas comitatas esse, narrarunt, & pro homine habuerunt, historici.

Sed plus etiam facit Ezechiel, ita delectatus hac imagine, ita intentus aviis Pieridum locis nullius pede tritis, ut arbores etiam pro imperiis positas, det volucribus, umbras earum, quod ipsum novum poetisque certe biblicis intentatum, sedibus inferorum transscribat. Sic ille c. XXXI. 13. ---- 17. *in trunco ejus habitabunt omnes volucres cœli, & in ramos ejus ruet omnis bestia agri, ne porro superbiant arbores irriguæ, nec verticem inter implexa condant, illasque adorent reliquæ bibentes aquam* (nomen est poeticum arborum) *ob sublimitatem: omnes enim morti debentur, inferis destinatæ, in turba hominum descendentium ad foveam ituræ. --- Sono ruinæ contremiscent gentes, cum eam ad inferos detrudam, ad descendentes in foveam; solamen omnibus arboribus Edenis, quæ apud inferos degunt, lectissimisque Libani, omnibus aquæ potatricibus. Et hæ eum illa iverunt ad inferos ad confossos gladio.* In his novitatem fictionis, multiplicis artis varietatem, fœcunditatem ingenii, facile admirati, sublimitate tamen non percellemur.

Oblitus fere eram, monere, eo tempore vixisse Ezechielem, quo jam desidere cœperat linguæ Hebraicæ decus & majestas, aureæque ætati succedere argentea, ferream brevi tractura. Cum Latinis vatibus declinantis jam Romæ eum comparantes, inveniemus, similem sibi in gentibus diversissimis fuisse poeticæ facultatis sensim obrepentem senectutem. Confer Lowthum col. 282. summa, nostræ editionis.

Hic si qui mihi irascentur, quod non omnia in Ezechiele summa esse existimo, caussamque religionis lædi in ejus poemate suspicabuntur, legant, peto, quæ in præfatione Pars I. scripsi.

(94) Accuratius legens Habacucum, multum inveni superiorum poetarum imitatorem, sui aliquid & novi addentem; non vero ut Ezechielem, sed brevem,

vem, valdeque ſublimem. Ezechiel plerumque nimia copia infra illos deſidet, quos imitatur; Habacucus illos aut ſuperat, aut æqualis novi tamen quid habet. Erit alius de Habacuco agendi locus in commentario critico.

(95) Poterat etiam exempli loco proponi vaticinium, quod Sibyllæ Virgilius in ſexto Æneidos libro tribuit, in quo exſtaſis prophetica ita ſcite exprimitur, ut non parum ad naturam vaticinii intelligendam ars & imitatio Maronis conferre poſſit.

ק י נ ה

SIVE ELEGIA.

PRÆLECTIO VIGESIMASECUNDA:

DE ELEGIÆ HEBRÆÆ ORIGINE ET FORMA

AC DE THRENIS JEREMIÆ.

EX incitatioribus humanæ mentis affectibus poeſin in genere ultimam ſuam duxiſſe originem, ſatis recte antehac ſtatuiſſe videmur. Nec tamen idcirco poeſeos diſtributio in ſuas ſpecies prorſus ſequitur affectuum naturam & partitiones, quanquam id interdum in hac re aliquid habeat momenti. Sunt quidem nonnullæ poematum ſpecies, quæ in ſe omnes admittunt affectus, cujuſmodi eſt ode; ſunt quæ vix ullum, qualia fere ſunt didactica: aliæ autem ſunt, quæ certis quibuſdam affectibus tractandis præcipue idoneæ habentur, quod de tragœdia conſtat, de poeſi prophetica ipſi notavimus. Una omnino videtur eſſe ſpecies, quæ unius affectus eſt propria, quæque etiam tota eſt in eo affectu: neque ſane quemquam novimus populum, qui modo aliquid in excolenda poetica profecerit, quin poema habuerit luctui exprimendo inventum, & querimoniæ unice deſtinatum *. Quam ſpeciem plerique cum Græcis Elegiam vocant: Hebræi קינה ſive etiam נהי appellant, quarum utraque vox lamentum ſignificat.

Hujuſce poematis apud Hebræos & origo & ratio luculenter deduci poteſt ex ſolenni ritu, quo defunctorum funera celebrabant. Erat quidem hoc naturæ magis quam propriæ conſuetudinis aut inſtituti, ut ſuorum exequias cognati & neceſſarii ploratu & lamentis proſequerentur. Non eos pudebat in gravi minimeque fucato luctu naturæ ſuæ obſequi, & quod æger animus dictaret, libere protinus effundere. Simplex & ingenua eſt mœroris vox; flebilis, intermiſſa, fracta, conciſa oratio, ſi omnino pro oratione habenda eſt ejulatio & gemitus **.

O pater! o patria! o Priami domus!

Exclamat in tragœdia perſonata Andromache: nec minus miſerabiliter ille in hiſtoria ſacra cariſſimo filio orbatus parens *; *O fili mi, Abſalon! o Abſalon, mi fili, mi fili!* ut non multum opus ſit, quonam lamentorum genere in funeribus uterentur, diſquirere: veruntamen cum hac ipſa in re exempla nobis præbent ſacri ſcriptores, unum atque alterum apponam. Propheta Bethelites ſublatum viri divini a leone lacerati cadaver in urbem intulit, ut lugeret eum & ſepeliret**: poſuit itaque eum in ſepulchro ſuo, & planxerunt ſuper eum, *Eheu, mi frater!* *** Ita apud Jeremiam edicit Jehova de Joachimo Joſiæ filio rege Judæo:

לא יספרו לו הוי אחי והוי אחות
לא יספרו לו הוי ארון והוי הרו:

Non lugebunt eum, Ah mi frater!
vel ah ſoror!
Non lugebunt eum, Eheu, domine!
eheu viri majeſtas!

Hæc atque hujuſmodi ſatis erant naturæ & ingenuo mœrori: verum paulo exquiſitius quiddam deſiderabat officioſus & ambitioſus dolor; quærebat quod conceptus & ſenſa ægrimoniæ plenius & elaboratius exprimeret, quæ ipſa per ſingultus miſera non poſſet proloqui; ſtudebat non modo ſuum angorem lenire expromendo, ſed alios etiam in ſocietatem doloris invitare & pertrahere, & adſtantium elicere lachrymas. Itaque David, cum Joabi inſidiis oppreſſus eſſet Abnerus, rege mi-

* Λινος, prima apud Ægyptios cantio. *Herod.* II. 79.
** Apud *Ciceronem* Tuſc. Quæſt. lib. 3.

* 2. *Sam.* XIX. 4.
** 1. *Reg.* XIII. 30.
*** *Jer.* XXII. 18.

minime conscio, ac ægerrime quidem ferente, sed ob res duras & regni novitatem in autorem cædis animadvertere non auso, quo apud populum & se & Abnerum purgaret, in funere defuncti lugentis personam sustinens: *tollit vocem suam, & fletum edit ad sepulchrum; & flevit etiam universus populus*. Tum vero carmen & numeros adhibens, luctui eorum acriores adhuc stimulos admovet: *& * Abnerum lamentatus est Rex, dixitque;*

An perit Abnerus sceleratî more nocentisque?
An reus infami crimina morte luit?
At tibi non fortes violarunt vincla lacertos,
Pressitve indignos dura catena pedes?
Heu! secure doli, & dictis confise malorum!
Fraude & mentito captus amore peris?

atque iterum flevit super eum universus populus.

Hujuscemodi subinanis quædam etiam veri doloris ostentatio, in defunctorum honoribus vix quidquam esse nimium existimantis; tum ipsa hujus vehementissimi affectus intemperantia, sibi ut sit plus æquo indulgentis, & aculeos libentius quam fomenta admittentis; illa demum, quæ hominum animos semper invasit, importuna opinio, oportere, rectum esse, ad officium etiam pertinere, ut in morte necessariorum sese gnaviter excrucient: hæc, inquam, omnia induxerunt illum morem, qui primum apud Hebræos, deinde apud Phrygas **, postmodo apud Græcos & Latinos invaluit, ut in funeribus adhiberentur, qui mercede conducti plorarent. Id officium plerumque præstabant fœminæ; vel quod muliebris animi imbecillitatem deceret magis, vel quod ab ingenio flexibili, mollique, & flexanima voce negotium pulchrius succederet; neque deerant unquam ejusmodi doloris artifices, lugendi disciplina probe eruditæ, semperque paratæ, locare lamenta & lachrymas. Ut cæterarum, ita hujusce etiam artis laus erat, imitari naturam: harum itaque næniæ plurimum compositæ erant ad formam illarum lamentationum, quas in simili occasione ultro temereque exprimere solebat sincerus dolor: sententiæ erant breves, queribundæ, patheticæ, simplices & inornatæ; eo quidem paulo diligentius elaboratæ factæque, quod & numeris constarent, & ad tibiam * essent decantandæ.

* 2. *Sam.* III. 33. 34.
** Vide *Jos. Scaligeri* Conjectanea in Varronem de ling. Lat. p. 76. edit. R. Steph.

Hujus instituti multa extant vestigia in prophetarum scriptis, quibus familiare est prædictiones calamitatum urbibus gentibusque impendentium, non sine singulari quadam elegantia, in modum & speciem funebrium lamentorum concludere. Quam rem clarius illustrabunt exempla, simulque confirmabunt, quæ de isthac consuetudine hactenus dicta sunt. Audite (** inquit Amosus Israelitas alloquens, clademque iis denuncians & regni interitum)

Audite vatem luctuum prænuntium;
Audite lessum funebrem:
Occidit! æternum virgo occidit Israelis!
Et jacet in patrio nuda, relicta solo!

Et paulo post ***;

Eheu! per urbem, per vias Eheu! sonet;
Eheu! per omnes viculos:
Doctisque jungat præficarum luctubus
Rudem colonus næniam.

Apud Jeremiam in re plane simili, **** ita edicit Jehova Exercituum:

Luctus peritas huc vocate fœminas,
Mœstæ scientes næniæ:
Orsæ ejulanti flebiles modos choro
Ferale carmen præcinant;
Ut mollis omnes humor in genas fluat,
Fluant perennes lachrymæ.
Nunc, nunc ad aures lugubris fertur sonus
Sionis altæ a mœnibus:
Funditus occidimus! natalia linquimus arva!
Linquimus heu patrii dulcia tecta soli!
Adhuc Jehova flebiles cantus jubet;
Parete jussis, præficæ!
Docete mœstos virgines lessi modos;
Docete vicinas nurus:
Mors urbem invadit! rapit heu juvenesque senesque!
Sævit acerba domi! sævit acerba foris!
Corpora fusa jacent, vacuis projectus in arvis
Ut fimus, utque jacet falce recisa seges.

Plura hujusmodi occurrunt apud prophetas in quibus itidem ut in his aperta fit

* Vide *Matt.* IX. 23. & *Lightfoot.* Exercitat. Hebr. & Talmud. in locum.
** *Amos* V. 1. 2.
*** Ibid. V. 16. In ultimo membro particula אל revocanda videtur ad initium ejus membri. Vid. *Cappell.* Crit. Sacr. Lib. IV. Cap. XIII. 1.
**** *Jer.* IX. 17.—22.

fit mentio ejus instituti, unde derivantur; alia item sunt, quæ etsi neutiquam præ se ferunt ullam istiusmodi significationem aut Næniarum titulum, tamen ex eodem sunt genere; quorumque idcirco, ut par est, minime elucebit verus decor & propria elegantia, nisi illuc referantur. Sufficient, quæ jam protuli ad genus ipsum indicandum; demonstrandumque, quomodo ex veris doloris vocibus primitus effingerentur istæ artificiosæ querimoniæ; tum etiam quomodo ex his initiis קינה, sive Threnus, apud Hebræos in justi poematis habitum & formam perduceretur. Hoc etiam patebit adhuc manifestius, si Jeremiæ Threnos, insignissimum in hoc genere, quod quidem nunc exstat, poema, accuratius paulo exigamus ad normam eorundem funebrim lamentorum; quod ni fiat, vix est, ut recte quisquam de eo carmine judicare possit.

Ita autem agam de hoc poemate, ut primo de universa ejus natura & forma; deinde de metrorum ratione; postremo de rebus, sensibus, imaginibus, breviter disseram.

Jeremiæ קינות, sive Threni, (proprie enim & significanter in numero multitudinis effertur titulus) sunt plura lamenta, in uno argumento, ad formam funebrium Næniarum, per plures periodos singulatim edita, simulque comportata, & in syllogen quandam conclusa. Qui itaque artificiosam totius argumenti dispositionem, aptam partium collocationem, rerum juncturam & seriem, & in his omnibus singularem aliquam elegantiam requirit, id postulat a vate, quod erat ab ejus proposito alienum. Patriæ perditæ & extinctæ luctuoso carmine quodammodo parentans, & veluti in exequiis ejus prosequendis lugentis personam gerens, quicquid ejus animo in tot tantisque miseriis primum obversatur, quicquid maxime calamitosum videtur & miserabile, quicquid ei præcipit instans dolor, id subito quasi in re præsenti exprimit & effundit. In eisdem rebus hæret plerumque & immoratur diutius; eadem novis vocibus, imaginibus, figuris, variat & amplificat; ita ut fiat potius rerum prope similium coacervatio quædam ac cumulus, quam plurium & diversarum subtilis aliqua connexio, atque per gradus ordinate facta deductio. Hæc autem non ita accipi velim, quasi hic nulla omnino ordinis ratio haberetur; ac non plerumque ab una vel re, vel imagine, vel persona, vel figura in aliam satis & elegans & facilis transitus fieret. Hoc tantum dico, eam esse naturam & consilium hujus poematis, cum sit sententiarum distinctarum congeries, in quibus singulis funebrium Næniarum formam imitetur, ut omne illud artificium ordinis & distributionis, quod in aliis plerisque elucet, nec postulet, nec admittat. Porro dividitur totum hoc poema in quinque partes: in prima, secunda, & quarta, loquitur vates, vel Hierosolymam loquentem inducit; in tertia loquitur chorus Judæorum, sub unius persona, uti fiebat apud Græcos: in quinta, quæ est Epilogus quidam operis, Judæi universi in exilium abducti gemitus & preces ad Deum fundunt. Hæc ultima in periodos viginti duas, juxta numerum quidem literarum alphabeti, sed reliquæ omnes etiam juxta earundem ordinem per elementa initialia distribuuntur. Quæ res facit, ut de ratione metrorum aliquid possimus adnotare.

Acrostichidis, sive alphabetici carminis, artificium (*96*) in subsidium memoriæ adhibebant Hebræi iis in locis, neque temere alias, in quibus sententiæ quædam ipsa rerum & argumenti necessitudine non multum inter se connexæ colligerentur: quod Syris *, Arabibus, & Persis, familiare item fuisse, & etiamnum in usu esse, accepimus. Quam commode itaque hoc in loco id usurpavit vates, ex proxime observatis satis liquet. Ejus autem rei in hoc poemate hæc est ratio: quinque partium, in quas totum opus dividitur, singulæ in periodos vel strophas viginti duas distribuuntur; æ periodi in tribus primis partibus sunt singulæ tricola, hoc est, continent tres versiculos, excepto, quod in utraque duarum priorum est una periodus **, quæ est tetracolon, continens versiculos quatuor. In quatuor primis partibus prima cujusque periodi litera sequitur alphabeti ordinem; sed in tertia parte singuli etiam versiculi ejusdem periodi eadem litera inchoantur, quod in eo carmine omnium versuum limites necessario figit; qui in cæteris etiam, quæ non habent ita perpetuas minimeque dubias versuum notas, nihilominus satis tuto definiuntur per sententiarum resolutionem in sua membra: adeoque in parte quarta periodi omnes sunt manifesto disticha ***, uti & in quinta, quæ non est Acrostichis; verum in hac ultima illud etiam interest, quod versus sunt breviusculi, cum in reliquis omnibus sint longiores.

Di-

* Vide *Assemanni* Bibliothec. Oriental. Vol. III. p. 63. 180. 188. 328.

** In Cap. 1. ז. in Cap. 2. פ.

*** Sed Periodus ס, prout nunc legitur, nec in duos neque in tres versus commode distribui potest.

Digna est, quæ diligentius notetur, horum metrorum longitudo: vix ullus est in hac re erroris locus; manifesto hic deprehendimus versus dimidia prope parte productiores, quam qui alias plerumque & vulgo occurrunt. Media quædam eorum mensura videtur esse syllabarum duodecim; sunt pauci, qui absunt ab eo numero, sunt, qui superant duabus fortasse aut tribus syllabis: nam quanquam de numero syllabarum vix quidquam pro certo & explorato statui potest, (nihil enim moror Masoretarum commenta) tamen est sane locus valde probabili conjecturæ. Non est pro nihilo habenda isthæc peculiaris conformatio. Vates opinor eo adhibuit hoc genus carminis, quod esset fusius, fluentius, lenius, luctui & querimoniæ accommodatius: addo etiam, eo quod versibus hujusmodi longioribus fortasse conditæ essent præficarum Næniæ: nam qui apud Prophetas occurrunt threni, ad illarum imitationem confecti, omnes nisi fallor sunt ex eo versuum genere. Id si verum est, proprium jam ac legitimum invenimus apud Hebræos carmen Elegiacum. Notandum autem est id genus carminis a sacris vatibus nonnunquam sed rarius usurpari in aliena materia; uti factum est a Græcis & Latinis: itemque nonnulla poemata, quæ pro Elegiis merito haberi possunt, sed quæ non sunt condita per disjunctas sententias ad modum funebrium lamentorum, usitatiore carminis genere componi.

Hæc de universa totius poematis uti & metrorum forma: restat ut de ejusdem argumento styloque pauca notanda sint.

Threnorum argumentum esse, sanctæ urbis templique excidium, regni interitum, populi exterminationem; eaque omnia non quasi futura & prænuntiata, sed ad exitum perducta vereque descripta; ita manifeste apparet ex omni operis parte, ut nulla egeat probatione: quanquam nonnulli magni nominis autores * carmen hoc in obitu regis Josiæ compositum fuisse existiment (97). Ac profecto patriæ suæ miserias ita ornate copioseque eluget vates, ut funesto officio abunde satisfecisse videatur. Nullum opinor aliud extat poema, ubi intra tam breve spatium tanta, tam felix; tam lecta, tam illustris, adjunctorum atque imaginum varietas eluceat. Quid tam elegans & poeticum, ac urbs illa florentissima pridem & inter gentes princeps, nunc sola sedens, afflicta, vidua: deserta ab amicis, prodita a necessariis; frustra tendens manus, nec inveniens qui eam consoletur? Quid viæ Sionis lugentes, & feriarum solennium celebritatem requirentes? Quid dulces illæ & flexanimæ querimoniæ *?

לוא אליכם כל עברי דרך הביטו וראו
אם יש מכאוב כמכאבי אשר עולל לי
אשר הוגה יהוה ביום חרון אפו:
על אלה אני בביה עיני ירדה מים
כי רחק ממני מנחם משיב נפשי
היו בני שוממים כי גבר אויב:

Nihilne hæc ad vos, qui per viam transitis? attendite, & videte (98),
Num sit usquam dolor instar mei doloris, qui mihi inflictus est,
Quum mœrore me affecit Jehova in die iræ ejus exardescentis.
Propter hæc ego fleo, oculis meis aqua manantibus;
Quia longe a me abest consolator, qui mihi recreet animam:
Desolati sunt filii mei, quoniam invaluit hostis.

Verum omnes loco elegantes proferre, id sane esset totum poema exscribere. Unum tantum adnotabo de quibusdam locis, atque de priore parte secundi alphabeti potissimum; ubi si quibus vates ad audaciores conceptus assurgere videatur, verbisque uti ardentioribus atque imaginibus elatioribus, quam quæ lugenti conveniunt, & in tanto mœrore per rhetorum & criticorum decreta admitti possunt; eos monendos esse, ut ad ipsius argumenti magnitudinem, eorumque omnium quæ ei inhærent amplitudinem, sanctitatem & religionem, animum advertant; quæ ut pro dignitate exprimerentur, augerenturque etiam, si id fieri potuisset, ipsa operis natura ac finis postulabat: neminem arbitror fore, qui hæc attenderit, apud quem non facilem saltem excusationem habitura sit vatis sublimitas.

* *Josephus*, *Hieronymus*, *Usserius*, &c. (97)

* *Thren.* I. 12. & 16.

NOTÆ EDITORIS.

(96) Pauca addere de carmine alphabetico animus eſt. Primo ergo, id ipſum, quod lamenta ſua ad literarum ordinem digeſſit Jeremias, memoriæ præficarum, lamenta ediſcentium, ſerviens, Ac forte prima hujus artificii origo in lamentis: unde paulatim ad alia carmina, a pueris ac plebe ediſcendis, ut illis pro ſententiis uterentur, translatum: neque ars, ſuapte natura exilis, in tanto Hebræis honore fuiſſet, ut primarii etiam poetæ illam ſuis carminibus haud indignam cenſerent, niſi neceſſitas eam primum in threnis vulgaſſet. Deſinunt enim indecora videri minuta ejuſmodi artificia, ſi neceſſitatis uſuſque potius, quam artis videantur. Quod quidem ſecus apud nos comparatum eſt. Quem enim magnorum apud nos poetarum non pudeat, alphabetica carmina condere? quis non illa aut Germaniæ quibuſdam partibus, a linguæ decore literarumque elegantia alienioribus, aut certe illis ludorum magiſtris relinquat, qui arte, non diviniore impetu, poetæ fiunt?

Quamquam & alia reddi ratio poteſt diverſi apud nos Hebræoſque pretii hujus artis. Linguæ enim noſtræ natura accidit, ut perdifficilis illa ſit, literis D & W nimis ſæpe in initiis verſuum recurrentibus, earumque altera, quando articulus der / die / das / pronomenque daſs ponendum eſt, vix ſine ſententiæ jactura, aut totius orationis immutatione, loco movenda. Quod literas initiales cujuſcunque carminis numeranti obſcurum eſſe non poteſt. Contra a literis X, Y, Z, tam paucæ voces incipiunt, ut bonum ab illis, reliquoque carmini aptum verſum, in quo nulla adpareat artis adfectatio, exordiri difficillimum plerumque ſit. Ars autem tam exilis, parum in plerisque carminibus uſus, delectationis fere nihil habens, ſed ſolam artificii oſtentationem, ridicula & puerilis cenſeri ſolet, ſi tantum habeat difficultatis. Taceo, poemata vix bona fundi poſſe, ubi animus his minutiis intentus eſt, exili cura cœleſtem furorem, cujus primæ ſunt & ſecundæ & tertiæ in poeſi partes, temperante & deprimente. Hebræorum quidem carmina alphabetica, exceptis Jeremiæ lamentis, & Pſalmo XXXVII. mediocris potius quam ſublimis generis ſunt: noſtris vero auribus etiam in mediocri carmine ejuſmodi artificium diſpliceret, quia magnorum poetarum nullis exemplis honeſtatur.

Carmina alphabetica ſupra col. CLXXVIII. indicavit noſter, facile in ſua genera diſpertienda. In his autem condendis nonnihil licentiæ ſibi arrogant Hebræi, uti fieri in omni ejuſmodi artificio aſſolet. Quo pertinet, quod in Pſalmo XXV. litera Vau non ſuum habet verſum, ut reliquæ, ſed modo poſterius verſus quinti hemiſtichium, ולמדני, Kuph vero etiam in media voce ממצוקתו (v. 17.) poſitum ſuffeciſſe poetæ creditur. Referri eodem poſſet, quod verſu ſecundo ante בך legitur אלהי: quam vocem, literarum ſeriem turbantem, eliminare, ac librariis relinquere non audeo, quia omnes eam priſci interpretes legerunt. Forte tamen אלהי non ad initium verſus ſecundi, ſed ad finem primi referri debet, hoc ſenſu: *ad te, o Jehova, adſpiro, tanquam ad Deum meum*. In Pſalmo XXXIV. itidem Vau non verſum, ut debebat, ſed hemiſtichium exorditur: nec ſuſpicio eſt, male Maſorethas verſus hic diſtinxiſſe, aurium certe judicio cauſſa non cadent. In Pſalmo CXXXXV. deeſt verſus a Nun incipiens: quem excidiſſe totum ſuſpicor.

Ad hanc poetarum in minuto artificio libertatem non refero, quod Pſalmo XXV. additur poſt ת verſus alius a פ incipiens: idem enim & in Pſalmo XXXIV. fieri video. Forte cum duplex ſit literæ פ appellatio, F e P, ſigno aliquo figuræve diverſitate priſci eam notarunt: unde ſenſim accidit literæ, quod apud Arabes literis puncto diacritico ob mutatum ſonum notatis, ut duplex haberetur, figuraque ejus recentior reliquis viceſimo tertio loco poſtponeretur: aliis numerum antiquum ſervantibus, & utramque figuram pro unica litera habentibus. Scio, quid hic obverſuri ſint grammatici: nempe, in פנה & פני (*Pſ.* XXV. 16. XXXIV. 17.) non minus פ Dageſſatum ſeu P eſſe, quam in פרה & פורה, quæ in extremis his Pſalmis leguntur: non ergo diverſam literæ in his vocibus appellationem, ſed unam eſſe. Neſcio autem, an multa in Dages & Raphe commentitia ſint, Maſoretiſque potius, quam antiquæ linguæ Hebraicæ debita. Ad leges nimis minutas Dages lene ponitur tolliturque, quarum in lingua Arabica nullum veſtigium, nullum in vocibus Hebraicis Græce Latineque ſcriptis ab Origene, Hieronymo, reliquiſque antiquis. Sed hanc cauſſam dicendi hic non eſt locus.

Poſſunt rei criticæ aliquem uſum præſtare carmina alphabetica. Indicio enim ſunt, non ita turbata omnia ac corrupta eſſe in Pſalmis, ut voluere aliqui, reſtituere ſuis conjecturis antiquam lectionem profeſſi. Hunc tamen uſum indicaſſe ſufficiat, de quo alia forte dabitur uberius dicendi occaſio.

(97) Mihi vero Joſephi ſententia non veriſimilior modo Lowthiana, ſed & prope certa. Primo enim attente carmen perlegens, nihil inveni, quod non cæſo Joſia canere Jeremias veriſſime potuiſſet: neque id negaturus videtur noſter fuiſſe, ſi magnitudinem cladis ingentis, ſed breviter narratæ ab hiſtoricis, animo complexus eſſet. Cum rege, in maximam ſpem cives tollente, cumque exercitu, una ruina conciderat patria & reſpublica: Hieroſolyma tertio a clade menſe cum novo rege in poteſtatem victoris venit, peregrino ſervire domino, atque ab ipſo regem tributarium accipere coacta: neque hæc ſine atroci obſidione, mœniumque Hieroſolymæ ruina eveniſſe cenſendum eſt, licet brevis taceat hiſtoria; quis enim ſuſpicabitur, tribus menſibus ſedere voluiſſe victorem, nec oppugnare urbem, creato rege bellum reparantem; aut cui tam videbitur imbellis Joachazus ac væcors, ut ſine pugna regno ceſſerit, captivumque ſe regi Ægyptio permiſerit? Hujus, hujus oppugnationis mentionem deſiderare videntur, qui Joſiæ tempori abjudicant threnos, in quibus ruinarum, everſorumque mœnium deſcriptio: hanc ergo ſi teneo, nihil impediet, quin hi ipſi threni in Joſiam dicti ſint. Teſtem quippe habemus Paralipomenorum autorem, (2. *Paral.* XXXV. 25.) Jeremiam mortem Joſiæ lamentis proſecutum eſſe, ad poſteritatis memoriam, una cum aliorum poetarum elegiis, ſervatis. Quid ergo, cur dubitemus, quin threni Jeremiæ a nobis lecti ſint iidem celebres threni, a chronicorum autore laudati? aut quid cauſſæ eſt, cur ad aliud illos malum referamus, in quod elegos dixiſſe Jeremiam non liquet?

Sed & accedit, quod aliqua in threnis legimus, tempori Nabochodonoſaris, combuſtique cum tota urbe templi neutiquam apta: ut cum c. III. 27. ſuas his verbis fallit ſolaturve poeta moleſtias: *conducit viro, onus ſuum portare in juventute*. Juvenis hæc vox, non ſenis, qualem undecimo Sedeciæ anno fuiſſe Jeremiam oportet. Illud autem c. V. 7. *patres noſtri, qui peccarunt, non ſuperſunt; nos culpam eorum ſuſtinemus*, illorum nomine, qui ſub Sedecia vixerunt, dici, prope nefas: ob ſua enim peccata deterrimi mortalium, progenieſque patribus aviſque multo vitioſior, plectebantur; nec opus tam longe cauſſam malorum arceſſere. At veriſſima vox Judæorum ſub Joſia, rege religioſiſſimo, & ſacrorum inſtauratore, ſub quo, ſi unquam, a patrum peccatis purificatus eſt populus, ob peccata majorum, Manaſſis maxime, Deo reus. Illuſtria ſunt, & digna quæ hic legantur, verba hiſtorici ſacri: *ſimilis illi rex non fuit ante ipſum, qui toto corde, & animo, & intentione ſecundum totam legem Moſis ad Deum rediit; nec poſt illum ſimilis exſtitit. Et tamen Jehova non remiſit ab ira ingente contra Judæos, propter ægritudinem, qua eum adſecerat Manaſſes*, 2. *Reg.* XXIII. 25. 26.

(98) Non ſatis ad leges grammaticas לוא, quod eſt, *non*, vel, *nonne*, vertitur a pleriſque atque etiam a noſtro, *Nihilne*. Illuſtrius prodibit poema, ſi verius reddideris, *non ad vos, tranſeuntes in via*, ſc. clamo. Verſus ſuperior in hæc deſierat

ראה יהוה והכיטה כי הייתי זוללה

Vide, Jehova, & attende, ſum enim lapſabunda!

Jam

Jam ſubjungit:

Non vobis, tranſeuntes in via (ſc. acclamo) *attendite & videte* &c.

id eſt: non vobis, tranſeuntes in via, hæc acclamo, non vos, qui hanc meam querelam audiviſtis, ſpectatores advoco & æſtimatores doloris. Vos mihi condolere non poteſtis: quis enim dolor par dolori meo.

PRÆLECTIO VIGESIMATERTIA:

DE RELIQUIS HEBRÆORUM ELEGIIS.

De קִינָה, ſive Elegia Hebræa, ejuſque origine & natura, proxime diſputatum eſt; oſtenſumque, eam poematis ſpeciem & initium ſuum & formam duxiſſe a Næniis, quibus præficæ ſolenni ritu in funeribus uterentur; idque confirmatum exemplo brevium threnorum, qui in prophetarum vaticiniis occurrunt, & inſignis Jeremiæ poematis threnorum titulo inſcripti, de quo etiam ſpeciatim eſt dictum. De aliis quibuſdam carminibus, quæ, etſi ad externam illam Næniarum figuram non tam accuratæ ſunt compoſita, tamen ad univerſum genus æque pertinent, nunc diſſeram.

Habuiſſe olim Hebræos aliquam threnorum ſyllogen, quæ ad nos non pervenit, intelligimus ex eo ſacræ hiſtoriæ loco *, ubi mentio fit ſollennis lamentationis, quæ in Joſiæ funere publice celebrabatur: in ea carmen illud Jeremiæ eadem occaſione compoſitum, inter alia ejuſdem generis locum videtur obtinuiſſe. Quanquam hæc præcipua, ut credibile eſt, Elegiæ Hebrææ monumenta interierunt, tamen non pauca ſunt, quæ adhuc extant ad hanc poeſeos ſpeciem pertinentia: ex quo intelligitur, eam apud Hebræos æque fortaſſe ac alia quævis ſpecies, ode excepta, excultam fuiſſe.

Primum extra breves illas Nænias in prophetarum fere omnium ſcriptis occurrentes, de quibus jam dixi, ſunt quædam apud Ezekielem & Threnorum titulo notata, & in juſtarum Elegiarum cenſum referenda. Cujuſmodi ſunt lamentationes duæ **, prima in urbem Tyrum, altera in Tyri regem. In quibus quanquam vates in pœnæ potius comminatione intentanda, quam in graviſſimo caſu lugendo verſatur; ſuumque illud obtinet, ut terrorem magis incutiat, quam concitet miſericordiam; tamen & titulo reſpondet luctuoſum argumentum, & rerum ſenſuumque ratio Næniarum conſuetudinem aliquatenus ſequitur. Fit enim, ut in illis funebribus laudationibus fieri ſolebat, priſtinæ gloriæ, opum, facultatum, bonorumque omnium, quibus, prius abundabant, ornata & copioſa enumeratio, ut tantæ felicitatis deſiderio calamitatis magnitudo augeatur. Quod ad vaticinia item bina attinet *, quibus denuntiatur Pharaonis & Ægypti occaſus, ea lamenta dici videntur ſolum ob triſtem & lugubrem materiam; neque enim ullam habent ſtyli elegiaci formam aut ſimilitudinem, vix ullam ſignificationem doloris; ad minas & terrorem unice comparata ſunt. Similem etiam rationem habet aliud par lamentorum ** in principes Judæ, & in Hieroſolymam editorum, quæ ſunt parabolæ poeticæ; de iis itaque ſuo in loco jam antea eſt dictum.

Porro plerique Jobi ſermones *** in nobiliſſimo poemate illius nomine inſcripto pro veris ac legitimis Elegiis merito haberi poſſunt (99): ac neſcio ſane, an in hoc ipſo genere ulla uſpiam extent perfectiora exempla; ita patefacta plane ſunt & excuſſa intima doloris penetralia, ita penitus perveſtigati & recluſi omnes miſericordiæ fontes. Verum cum hæc ſunt membra quædam integri poematis, non temere a ſuo corpore diſtrahenda; cumque ejus operis univerſi elegantiſſima diſpoſitio, & eximiæ in partibus virtutes, uberiorem aliquando diſquiſitionem poſtulaturæ ſunt: ſatis jam erit, hæc ſolum indicaſſe, quaſi pulchra quædam prædia, quæ Elegia, ſi modo eſſet litigioſa & ſummo jure agere vellet, vindicare poſſet.

Pergamus itaque ad pſalmorum librum, qui eſt ſylloge generali titulo inſcripta carminum in Dei laudes conditorum, continetque varia diverſi generis poemata, inter alia Elegias. Quod ſi ea omnia ita precenſeamus, ut ad ſuam quæque ſpeciem referamus, totius numeri pars fortaſſe ſexta aut ſaltem ſeptima in hanc Elegiarum claſſem erit adſcribenda. Quæ tamen res cum omnino in opinione poſita ſit, neque ex certis regulis liquido de-

* 2. *Paral.* XXXV. 25.
** *Ezek.* XXVII. & XXVIII. 12. — 19.

* *Ezek.* XXXII.
** *Ezek.* XIX.
*** Vide Job. Capp. III. VI. VII. X. XIV. XVII. XIX. XXIX. XXX.

demonſtrari poſſit; pendet enim partim ex argumenti natura, partim de quibus ex ſtyli colore, aut totius poematis forma, de quibus ex ſuo quiſque ſenſu alius aliter judicabit: non erit a me poſtulandum, ut pſalmos illos, quos pro Elegiis habeam, ſingulos nominatim recenſeam. Id potius quod ex uſu magis erit faciem, academici, & experiat, ſi quod inde exemplum omnibus in hoc genere notis eminenter ſignatum vobis exhibere poſſim.

Atque eo quidem nomine non dubito vobis commendare pſalmum quadrageſimum ſecundum, utque elegantiſſimum Elegiæ Hebrææ ſpecimen proponere. Vates longe a templo publicoque Dei cultu in extremis Judææ finibus exulans, ab hoſtibus oppreſſus, eorumque conviciis exagitatus, querimoniam & preces ad Deum fundit. Mirifice exprimitur ardentiſſimum piæ mentis deſiderium: dolor abſentium bonorum memoria identidem recrudeſcens; extrema animi demiſſio, cedentis mœrori ſuo, ſed eundem ferentis impatienter, victi malis, ſed iiſdem aliquantulum reluctantis, & in denſiſſimis rerum tenebris interlucentes quoſdam ſpei radios ſubinde admittentis: amat, luget; queritur, expoſtulat; deſperat, confidit; concidit, recreatur, invicem & pene ſimul omnia. Non eſt ſperandum fore, ut hæc digne exprimat ulla verſio poetica, cum alia lingua vix imitabilis ſit vis, & incitatio, & maxime brevitas Hebræorum; quanquam hujuſce quidem pſalmi paulo fuſior eſt ſtylus. Ut autem intelligatis, quam congruentem habeat cum Elegia Latina naturam, recitabo eum vobis ex Metaphraſi Arthuri Jonſtoni, ſatis elegantis & fidi interpretis, niſi & rerum & verborum pondera metri genere a ſublimitate alieniſſimo ſæpe fregiſſet; in materia autem Elegiaca, ut par eſt, res ei feliciter plerumque videtur procedere.

Cervus ut, in medio celſis de montibus æſtu
Actus, in algentes fertur anhelus aquas;
Sic mea vitali ſatiari numinis unda
Mens avet, & Domini languet amore ſui:
Gaudet, & optat amans, vitæ ſe adjungere fonti:
His mihi deliciis quæ dabit hora frui?
Scandere me quoties memini penetralia ſacra,
Et longo populos ordine pone ſequi;
Aurea dum recolo miſſas ad ſidera voces,
Et plauſum feſtis quem decet eſſe choris:
In lachrymas totus miſer & ſuſpiria ſolvor;
Inter & ærumnas eſt mihi dulce queri.
Cur ita turbaris? cur te, mens, dejicis exſpes?
Cur ita me torques anxia? fide Deo:
Scilicet hic placido recreat mihi lumine pectus:
Et mihi materies unica laudis erit.
Dum queror, in mentem, liquidis Jordanis ab undis,
Sepoſitiſque jugis, tu mihi ſæpe redis.
Gurgitis eſt gurges, rauci comes æquoris æquor:
Fluctibus infelix obruor uſque novis.
Luce, ſed in media bonitas tua fulcit abyſſo:
Nocte, parens vitæ, tu mihi carmen eris.
Tunc ego, cur, dicam, capiunt te oblivia noſtri?
Rerum opifex, animæ portus & aura meæ!
Cur prope confectum curis, lacrymiſque ſepultum,
Me ſinis immani durus ab hoſte premi?
Hic petit inſultans, ubi ſis: ego vulneror inde,
Enſis & in morem permeat oſſa dolor.
Cur ita turbaris? cur te, mens, dejicis exſpes?
Cur ita me torques anxia? fide Deo:
Scilicet hic placido recreat mihi lumine pectus,
Et mihi materies unica laudis erit (100).

Aliud eſt quod in hoc pſalmo animadverſum velim: ſingulas ejus periodos perpendat lector, ſenſuumque intervalla diſtinguens in ſua membra reſolvat; omnes, credo, comperiet quaſi ſua ſponte ita ſe diſpertire, ut verſiculos prope æquales conficiant, ejuſdem, uti plane videtur, menſuræ & longitudinis, ac ii, quibus quatuor priores partes threnorum Jeremiæ conſcriptæ ſunt; quod legitimum haberi poſſe carminis elegiaci genus apud Hebræos antea monui. Tales verſus ſunt in toto pſalmo undeviginti; extra επῳδὴν, quæ duobus ejuſmodi verſibus longiuſculis conſtat, & uno inſuper breviore; quæque bis ponitur. Eadem plane videtur eſſe ratio ſequentis etiam pſalmi, qui continet octo ejuſmodi verſus cum eadem επῳδῃ: & cum in eadem materia, ſtylo eodem, iiſdem etiam, ut videtur, numeris ſit ſcriptus, a priore pſalmo fortaſſe non omnino ſejungi debuit, ſed pro alia quadam ejuſdem parte potius haberi: id ſi verum eſt, totum poema tres habet partes fere ſimiles & æquales, quarum unaquæque clauditur eadem periodo intercalari.

Reſtat unum pulcherrimum in hoc gene-

nere poema, Davidis in Saulum & Jonathanum threnus *; quem excerptum ex libro aliquo, ut videtur, poetico, jam olim deperdito, cui titulus erat ** ישר, nobis conservavit sacer historicus: non pigebit universam hujusce carminis rationem paulo diligentius expendere.

Duos communes locos, eosque in Elegia legitima, eam dico, quæ celebrandis mortuorum exequiis adhibetur, maxime pervulgatos, non tamen vulgariter vates tractat; exponit sui doloris sensum, & defunctorum laudes prædicat. In ipso exordio utrumque exprimitur, sed ut par est, vincit dolor, & cum gemitu & exclamatione erumpit:

הצבי ישראל על במותיך חלל
איך נפלו גבורים:

O decor Israelis, in montibus tuis perempte!
Quomodo ceciderunt fortes!

Timidus & suspiciosus est dolor, facile causas comminiscens, quibus sese excruciet; ægre ferens, si vel neglectui sit, ludibrii autem & contumeliæ prorsus impatiens:

שמעו כי נאנחה אני אין מנחם לי
כל איבי שמעו רעתי ששו כי אתה עשית:

Audiverunt gemitus meos; non est qui me consoletur:
Audiverunt omnes inimici mala mea; quod ita me affeceris, lætantur.

Ita queritur apud Jeremiam * Hierosolyma, miserias suas amplificans. Idem sentit vates noster:

אל תגידו בגת
אל תבשרו בחוצת אשקלון
פן תשמחנה בנות פלשתים
פן תעלזנה בנות הערלים

Ne annuntietis Gathæ,
Neve prædicetis in vicis Ascalonis;
Ne lætentur filiæ Philistæorum,
Ne triumphent filiæ præputiatorum.

Difficilis & querulus est idem affectus; iniquus & μικροαιτος; impotens iræ, & in obvium quidque excandescens. *Utinam ne in nemore Pelio* — inquit Anus illa in Medea Ennii. ** Ecce autem alium, qui in montem immerentem vehementer invehitur ***:

Αι αι Λειψυδριον προδοσεταιρον,
Οιυς ανδρας απωλεσας;
Μαχεσθαι τ' αγαθυς ϗ ευπατειδας,
Οι τοτ' εδειξαν οιων πατερων κυρησαν.

Nec temperantior vates noster:

הרי בגלבע אל טל ואל מטר עליכם

O montes Gilboæ! ne in vos ros neque pluvia —

Quæ omnia si ad rectæ rationis normam exigas, quid absurdius? si naturam & affectuum motus spectes, quid verius, quid expressius, quid pulchrius? Non causa pro causa, in dialectica flagitium, in poetica interdum est virtus: quia nimirum illic ratio, hic affectus dominantur (103). Cum jam luctui aliquantum satisfactum est, honori defunctorum commodior locus datur. Pariter laudantur, primo ob virtutem & res gestas; tum ob amorem & pietatem mutuam; ob pernicitatem denique & robur. Ornatur singulatim Saulus, ex eo quod opibus ac deliciis omnibus suos locupletaverit; qui locus eximia cum elegantia tractatur: aptissime inducuntur fœminæ Israeliticæ, fitque exornatio per imagines ad muliebrem personam accommodatissimas. Jonathano demum singulari item elogio parentatur, sua-

* 2. *Sam.* I. 17.---27.

** Cum de libro ישר ejusque titulo multi multas fecerunt conjecturas, neque certi quidquam de eo adhuc statuitur, quid vetat & nosmet? --- Bis citatur liber ישר; primo *Jos.* X. 13. ubi quæ inde proferuntur manifeste sunt poetica, ac tria quidem disticha conficiunt:

שמש בגבעון דום
וירח בעמק אילון:
וידם השמש וירח עמד
עד יקם גוי איביו:
ויעמד השמש בחצי השמים
ולא אץ לבוא כיום תמים: (101)

tum hoc in loco exinde depromitur Threnus Davidis. Notus est veterum Hebræorum mos, libros suos ex prima cujusque voce inscribendi: ut בראשית Genesis, וידבר Numeri; vel ex præcipua aliqua primæ sententiæ voce; sic idem liber Numerorum vocatur etiam במדבר. Videmus etiam apud eosdem cantica, insigni aliqua occasione edita, hujusmodi forma, qua ea notetur occasio, induci: אז ישר, sive וישר פלוני אלמני, sic אז ישיר משה *Exod.* XV. 1. ותשר דבורה *Jud.* V. 1. vide etiam inscriptionem *Psalmi* XVIII. Itaque librum *Jashar* fuisse opinor aliquam syllogen canticorum sacrorum, variis de rebus, & diversis temporibus conditorum, eumque habuisse titulum ex eo, quod & ipse liber & singula pleraque cantica cum voce וישר inciperent. In ea sane opinione fuisse videtur vetus interpres *Syrus*, qui in horum locorum altero vocem hanc reddidit per אשיר, hoc est, *cecinit*; (cujus interpretatio, inquit *Arabs* eum in hoc loco secutus, est liber canticorum) in altero hujus tituli significationem ipse exposuit voce דתשבחתא, id est, *Hymnorum*. Porro eorum sententiæ accedo, qui ex v. 17. existimant, hunc threnum titulo קשת inscriptum fuisse; vel in memoriam cladis ab hostium sagittariis acceptæ, (vid. 1. *Sam.* XXXI. 3.) vel ex Arcu Jonathani, de quo præcipua fit mentio v. 22. Huic opinioni favere videntur LXX. (102).

* *Thren.* I. 21.

** Apud *Ciceron.* de Fato. Vid. *Euripidis* Medeam v. 1.

*** Scolion apud *Athenæum* Lib. XV. Vide *Eustathium* ad Iliad. Δ. 171. & *Herodot.* Terpsichor. 63. 64.

ſuaviſſimeque exprimitur jucundiſſimæ ejus amicitiæ deſiderium.

De periodo intercalari ſive ἐπῳδὴ, in eum pſalmum quem modo expoſui inſerta, aliquid ſpeciatim tum adnotaſſem, niſi hic idem denuo faciendum eſſet. Cum Elegiæ natura valde congruit: ſiquidem amat luctus ſuis querimoniis immorari, eaſdemque identidem repetere & inſtaurare. Id quod in hoc threno facit vates: ſed iſthæc periodus intercalaris ſingularem habet rationem; non enim, ut plerumque fit, eadem omnino forma iiſdemque vocibus perpetuo interponitur, ſed paulum immutata, cumque jucunda & dictionis & ordinis variatione tribus vicibus facta; inchoat enim carmen, & concludit, & ſemel in medio interjicitur.

Eſt etiam aliud, quod quanquam conjectura ſolum innitatur, haud tamen verebor vobis proponere. Videtur mihi hic threnus ſingulare aliquid habere in verſuum menſuris; liberiorem nimirum uſum & varietatem metrorum; ita ut non aut illis longiuſculis ſolis, aut brevioribus maximeque uſitatis unice conſtet, ſed ex utriſque inter ſe permiſtis & artificioſe temperatis; ut parallelismi acumini & concinnitati, fuſum illud ac leniter profluens ſtyli Elegiaci genus aliquatenus moderetur: quod idem in nonnullis pſalmis videre mihi videor. Sane in harum periodorum poetica conformatione quiddam valde exquiſitum factumque apparet: & ut nullum huic poemati elegantiæ genus deeſſet, eximia eſt univerſæ dictionis perſpicuitas, nitor, & pulchritudo.

Ut autem elegantiſſima hujuſce Elegiæ œconomia melius appareat, recitandum eſt integrum poema, unoque ſub conſpectu exhibendum: quod cum æque pigeret facere, vel ex barbara Maſoretarum pronunciatione, vel oratione ſoluta & ad verbum converſa, totum verſibus Elegiacis, ut potui, expreſſi.

Ergone magnanimi heroes, decus Iſraelis,
Proh dolor! in patriis occubuere jugis?
Fama Philiſtæas ah! ne pertingat ad urbes,
Neu Gathan tantæ nuntia cladis eat;
Hoſtis ut inviſos agitet ſine more triumphos,
Judaiciſque nurus barbara læta malis.
Triſte ſolum, Gilboa! tuis ne in montibus unquam
Vel ros, vel pluviæ decidat imber aquæ!
Nulla ferat primos aris tua meſſis honores;
De grege lecta tuo victima nulla cadat!
Qua ſcuta heroum, qua Sauli parma relicta eſt,
Necquicquam heu! ſacrum cui caput unxit onyx (104).
Non ſine cæde virum Sauli prius haſta redibat:
Non Jonathani expers ſanguinis arcus erat:
Nobile par, quos junxit amor, quos gloria junxit,
Unaque nunc fato jungit acerba dies.
Ut celeres vicere aquilas, validoſque leones,
Viribus & curſu bella ciere pares!
At vos o! Saulum Solymææ flete puellæ,
Qui dites vobis rettulit exuvias;
Qui collo gemmas, qui textile veſtibus aurum,
Coccina qui Tyria tincta bis arte dedit.
Heu quianam heroum bello perit irrita virtus!
Montibus in patriis, ah Jonathane, jaces!
Tu mihi, tu æterno flendus, Jonathane, dolore
Occidis! heu miſero frater adempte mihi!
Heu pietas! heu rara fines, & dulcia feſſo
Alloquia! heu ſanctæ fœdus amicitiæ!
Quæ mihi in adverſis tulerat nova gaudia rebus;
Gaudia, fœmineus quæ dare neſcit amor.
Proh dolor! heu quianam duro in certamine belli
Fracta virum virtus, irritaque arma jacent!

NO-

NOTÆ EDITORIS.

(99) Nollem elegos dicere, qui flebiles esse & exiliores debent. Tragicus in poemate Jobi, & sublimior, & furens luctus dominatur, ut flebilis in elegis.

(100) Elegantissimi carminis fas sit sensus ac Veneres explicare. Illo videtur tempore compositum, quo filium degenerem fugiens David, ad tutas se Libani radices receperat, quod eum fecisse, ac septentrionalia Palæstinæ, ejus quæ ultra Jordanem est, petiisse, ex 2. *Sam.* XVII. 24. 26. 27. manifestum. Is certe, qui in hoc Psalmo loquitur, sede sacrorum pulsus, & exsul, v. 5. *6.* circa Hermonem, summum Libani jugum, æternis nivibus Jordanem alens, oberravit: v. 7. quæ loca nunquam adiit David Saulum fugiens, sed in meridionalibus Judææ latuit.

Hic ergo cum in aliquo mediocri colle, (הר מצער) castra posuisset, vicinitate montium & silvarum tuta, ad quæ veterani ex omni Palæstina confluerent rebus novis non delectati arripuit credo carminis condendi occasionem, cervis visis, qui ex subjectis vallibus longo agmine quotidie montem norosque Libani fontes aquationis caussa petebant. ערג enim, indice Arabico عرج non tam est sitire, quam *ascendere*. His ergo se Dei templique cupidissimum comparans, altiusque jam & cœleste Dei templum spectans, cecinit:

Ut Cervus ad aquæ rivos scandit,
Ita desiderium meum ad te ascendit Deus.
Deum sitit anima mea, Deum vivum:
Quando intrabo, eique comparebo!

Intrabo: nempe in templum, a quo exsul sum. Addit lacrimarum & luctus acerbiorem ipso exsilio caussam; maledicas civium voces: præ se tulisse sævum dominum Dei amicitiam ac cultum, religionis specie tyrannidem invasisse, Sauli posteris eripuisse regnum, sanguinisque sitim illorum sanguine restinxisse; jam hunc juste a Deo deseri, nec uspiam comparerere illud præsentissimum, quod semper jactaverat, numen. Confer 2. *Sam.* XVI. 7. 8. Nulla vox truculentior honesto pectori, veræque sibi pietatis conscio

Est mihi lacrima cibus
Interdiu & noctu,
Cum dicunt jugiter:
Ubi est Deus tuus?

Hoc, hoc Dei nomen auditum, tam sibi desiderati, novo vulnere animum sauciat: hoc eum exclamare cogit: אלה אזכרה, *Dei recordor, inque lacrimas dissolvor.* Sic enim אלה efferre lubet, non, ut puncta Masorethica jubent; אלה *horum recordor;* obscuro etiam sensu, quæ sint, quorum recordatur. Sed hæc auribus quilibet judicabit melius quam argumentis, modo præjudicatum ei non sit, a punctis nunquam desciscere:

Dei recordor, & effundo super me lacrimam desiderii indicem:
Cum irem in turba ludens ad templum Dei,
Voces inter clamantium ac gratulantium, turbamque saltantem.

Compescit jam querelas:

Quid lacrimis diffluis anima?
Quid strepis super me.
Spera in Deum, adhuc celebrabo eum.
Salus est ejus vultus.

Sed iterum vincitur in lacrimas, quibus eleganter miscet poeticam Libani descriptionem. Sunt illis in jugis frequentiores, ut testantur itinerum commentarii, catarrhactæ, rivique nivium verna tabe supra modum turgidi; est Phiala, undique præcipites magno cum strepitu aquas hauriens, & subterraneo meatu Jordanem fundens: qua de Phiala recte cogitavit *Sebaldus Rau*, vir eruditissimus, in *exercitatione philologica* ad hunc Psalmum. His ex regionibus, lætis natura, sed exsuli tristibus, celebritatis recordatur urbis ac templi, (liceat ita vocare tabernaculum) ipsiusque, qui in templo habitabat, Dei: utque est dolor in sua ubique imagine invenienda ingeniosus, sic & his fluctibus, huic catarrhactarum horrori, fluctus comparat malorum, quibus suum caput mergitur. Frequens poetis locus, unde plurimum decoris petunt, sed ita, ut raro comparationem totam explicent, ne nimium artis, parum adfectus, habere videatur. Jam suo carmini lugubri Philomelam concinere, secumque dulce flere putant, quæ

Amissos queritur partus:

jam plangens mare suo planctui condolere, quod pene in initio carminis tentasse unico epitheto videtur poetarum pater, Iliad. A. 34.

Βῆ δ᾽ ἀκέων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.

Habe jam carmen Davidis:

O Deus, anima mea diffluit,
Recordor tui ex tractu Jordanis, & Hermonis,
Ex humuli monte.
Mare acclamat mari sonantibus canalibus tuis;
Omnesque fluctus tui super me transeunt.

Reliqua mitto. Hæc quæ interpretatus sum, carmine etiam Latino subsequerer, nisi ejus inde a XX. annis desuetudo obstaret.

(101) Hæc si poetica sunt, figurate fortassis accipi debent. Et qui possunt proprie intelligi? Illa enim in valle si integrum diem sol stetit, opus non erat, addi, & lunam stetisse, cujus exiguo lumine jam non opus erat hostem persecuturis: nec illa, si plena erat, eodem cum sole tempore supra horizontem exsistere potuit. Si autem, ut est in Hebraicis, sol non in horizonte stetit, sed *in medio cœli*, solque & luna valli eidem, in qua prælium commissum, imminuit, nullum omnino potuit lunæ lumen esse, quippe cujus pars illustris, soli obversa, aversa a terra fuit. Difficultatem auget Habacuci locum idem prælium describens, *Habac.* III. 11. ubi additur, *ad lucem sagittarum tuarum*, id vero est, fulminum, *iter faciebant*: quid enim fulminum luce opus, si medio ex cœlo sol omnia illustrabat?

Difficile, fateor, dictu foret, quid proprii huic tam audaci figuræ subsit, nisi eundem Habacucum haberemus interpretem, qui cladem Phœnicum, grandine etiam & gravi tempestate prostratorum, describens, in hunc modum cecinit:

Sol, luna, stetit in loco suo:
Ad lucem telorum tuorum profecti sunt,
Ad lucem fulminis sagittæ tuæ.

Si hic, ut sæpe in carmine Hebræo, posterius hemistichium explicat prius, crebri fulminum jactus, cœlumque semper patens, Israelitis pro sole fuerunt, totamque ita noctem illustrarunt, ut nullibi latere fugientes possent: quod aliquis poeta, libro Jasar insertus, atque ab Habacuco grandisona & brevi imitatione delibatus, hac figura effari ausus est: solem lunamque in medio cœlo jussu Josuæ stetisse, Deumque victoris precibus motum, fecisse, quod nunquam antea, ut nox pro die esset. Ipso quidem in prælio gravissimam tempestatem Phœnicibus immisisse Deum, autor est historicus sacer: quæ facile per totam noctem durare potuit.

Conjecturam de loco difficili, incertam, (fateor) ut in tanta rerum antiquitate ac paucitate testium, eruditis proponere judicibus ausus sum, melius de illa & deliberatius arbitraturis. Quibus si vel errare visus fuero, conatum tamen non reprehendent illi certe theologi, qui veriti, ne annalium sacrorum fides hoc tam singulari miraculo laboret, ipsi aliquid tentarunt: ex quibus honoris caussa nomino S. V. Heumannum, in *nova interpretatione duorum locorum*, alia licet ratione verbis Josuæ miraculum eximentem. Est quidem veri dissimile, Deum miraculo uno omnium ma-

maximo ac latissime patente, quod ad totam rerum universitatem pertineret, turbaretque astrorum cursus, rem efficere non magnam voluisse, stragem majorem victi exercitus, in quo quantilla erat pars incolarum Asiæ? Meminerimus, aliorum Dei operum hanc esse laudem solere, quod rebus minimis efficiat maximas. Nec temere aliud miraculum funestius & perniciosius toti terrarum orbi esse potuisset: qui si unito temporis momento in rapidissimo cursu sistatur, omnia ex pristino motu versus Orientem nitentia ruent, multoque quassabuntur gravius, quam fieri ullo terræ motu potest. Sub zona autem torrida si dies pro XII. horis XXIV. solem habet, & vero per XII. horas eodem in loco continuo meridianum, necesse est, omnia ibi torreri ac pene conflagrare. Æstus ejusmodi magnitudinem numeris & ratione æstimans mathematicus, meus, spero, erit. Multo etiam gravius ex imminente luna, non damnum, sed diluvium, sed integrarum internecio gentium. Hæc enim cum fluxum & refluxum moderetur marium, sub luna meridiana tumescentium; XII. horas in eodem cœli gradu morata faciet, ut maria ei gradui subjecta & vicina per XVIII. horas integras continuo crescant, immoderatius etiam solito per illas XII. horas, quibus lunæ subsunt: ex quo fiet, ut regiones vicinæ omnes, solis montibus exceptis, submergantur. Exigua sunt, huic æstui maris comparata, diluvia, quæ evenire solent, adverso vento refluxum maris impediente: aliud enim est, non decrescere per VI. horas æstui interjectas, aliud, per easdem & alias VI. horas continuo intumescere, & vero eo fervore & impetu, quo mare sub ipsa luna meridiana positum crescere solet.

Nec ergo magnam res sacra jacturam faciet, hoc miraculo demto, modo ita dematur, ut & Josuæ liber ab omni erroris mendaciive suspicione liberetur. Cum enim finis miraculorum sit, ut veritas revelationis divinæ adstruatur; non video, quid contra adversarium religionis revelatæ hoc miraculo profici possit, negabit enim, uni se testi, & vero anonymo, autori historiæ Josuæ, rem tam sua natura incredibilem credere posse.

Nec tamen dissimulandum, quid conjecturæ meæ obstet, nempe quod post illa verba, *nonne hoc scriptum est in libro Jasar*, pergitur adhuc in miraculi descriptione. Dicendum ergo, verba hæc carmini medio, quod ex libro Jasar citatur, inseri: quod a consuetudine citantium abludit. Nec etymo tituli a Lowthe prodito satis assentior: cum quod ישר non significat, *canebat*, pro quo ישיר scribendum fuisset: tum quod articulus ה præmittitur, nec dicitur ספר ישר, ut ספר בראשית, sed ספר הישר. Verum de etymo titulorum non valde laboro, reliquis argumentis facile contentus, quibus Lowthus effecit, collectionem poematum esse. Nec denique ignoro, fuisse, qui ex tabulis eclipsium Sinensibus hanc moram solis ingeniose probare conatus est. Vide *Gentleman's Magazine* 1758. *Nov.* p. 512. 513. Vereor tamen, ut Sinensium tabulis tam antiquis fides haberi possit, cum vel multo recentiores a Jesuitis correctæ dicantur, optimique historiæ Sinensis autores negent, ultra XII. aut XV. ante Christum natum secula tuta figi vestigia. Sed hæc quæstio astronomica nimis a meo remota est studiorum genere, quam ut quidquam aut asseverare aut inficiari ausim.

(102) Non improbabilis conjectura. Possit tamen & קשת metrum significare, i. e. carmen metrice compositum, a قوس *mensurare*, قِياس *regula*, *mensura*. Consuetæ explicationes, filo orationis ineptæ, displicent.

(103) Plus paulo inest phrasi, quam suspicari noster videtur; magnanime enim querulus, & amicus & regni hæres, vindictam minatur. Sed hoc altius ex usu poetarum Orientis repetendum. Verba Hebraica in quamcunque linguam versa legenti, apparet, poetam diras agris imprecari, in quibus Saul & Jonathan occubuerant, non pluvia non rore humectandis. Addit in eandem sententiam, ושדי תרומה, *& vos, o agri sacri*. Sacros nempe agros coli nefas, unde & olim, sacrare agros vel ædes, in pœnis fuit Orienti. Notum est חרם seu *anathema* Hebræorum, agros conseri, ædificari urbes, vetans: *Jos.* VI. 17. 19. 21. 26. 27. *Num.* XXI. 3. *Deuteron.* XIII. 16. 17. 18. Chaldæi ædes illorum, qui gravi se scelere obstrinxerant, נולי, *donum*, esse jubebant, *Dan.* II. 5. quod vocabulam male vulgo vertitur sterquilinium, (in urbe enim celebri, nedum in regia, quis sterquilinia toleret?) rectius derivandum a نَبِل *donare*, *Deo dicare*. Volebant autem Orientales, agros, in quibus cædes facta, non humectari rore, dum ultionem sanguinis aliquis sive Deus sive mortalis meditaretur. Nota Arabibus phrasis, دم مطل, *sanguis rore conspersus*, pro sanguine, cujus ultionem nemo suscipit. Sic in carmine *Taabbatuserræ*, quod in Schultensii grammatica Arabica p. 416. in mea chrestomathia p. 71. legitur, sub fissura petræ cubare dicitur, يطل قتيل دمه ما *occisus*, *cujus sanguis non irroratur*, quod statim explicat poeta, *mihi onus reliquit*, *& exspiravit*, *ego vero illud suscipio*. Schultensius quidem phrasin recte, non ejus originem, intelligens, vertit, *cujus sanguis non rorat*, rorare existimans sanguinem, qui ebulliat vindictæ avidus. Quod pulcrum est, fateor, & fabulis Orientalium concinens, sed contra vim verbi passivi: يطل enim ex punctis: مطل etiam ex literis passivum esse agnoscitur, itemque مطلولة in alio versu quem Schultensius citat: *sanguines eorum ultorem non nacti*, مطلولة *rore conspersi*. Intelligemus jam, cur & Rispa mater petram, in qua VII. ex Sauli posteris occisi erant, toto messis tempore panno contexerit, usque dum aqua cœlitus effunderetur, idque ceu notatu dignum Davidi renuntiatum sit, 2. *Sam.* XXI. 10. 11. spem nempe vindictæ ostendebat. Est ergo & hæc in lugubri carmine magnifica & rege digna vox Davidis, ultorem promittentis, atque etiam, quod ipse ultionem a Philistæis cepit, fortior & terribilior illa Didonis in Æneide,

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanio ferroque sequare colonos.

(104) Suspicor, בלי משיח, *non uncti oleo*, ad clypeum potius, quam ad Saulum pertinere. Ungebant clypeos ex corio factos, ne fatiscerent: eamque unctionem vulgus in religionem traxisse videtur, ac si ea clypei sacrarentur. Poetæ autem, fidi pictores, si res describunt, quales videntur, non quales sunt, crebro vulgi opinionibus in ornando carmine utuntur.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIGESIMAQUARTA:

מ ש ל י ם

SIVE CARMINA DIDACTICA.

PRiſcis temporibus & in gentium fere omnium primordiis uſitatiſſimum erat docendi genus per ſententias. Rudis plane & inculta erat vetus illa ac cum maxime naſcens ſapientia; nondum artificioſa digeſta & compoſita, non in ſuas partes diſtributa, non ad certam rationem & viam redacta. Qui ingenio & prudentia longoque rerum uſu præſtabant, ii ſuæ ſcientiæ ſummam omnem, quaſi in compendium adductam, per axiomata quædam ac præcepta in aliorum utilitatem vulgabant; eo efficaciora & apud rudes homines plus ponderis habitura, quod non diſputarent, ſed juberent; non ſuaderent, ſed cogerent; non per argumentorum anfractus circumducerent, ſed recta impellerent, ad bene & honeſte ſentiendum agendumque. Eadem tamen ne nimia ſeveritate averterent audientium animos, ſed ut allicerent potius & ad ſe invitarent, aliquo ornatus lenocinio opus erat: itaque effata ſua in breves, acutas, & numeroſas ſententias includebant, figuris, imaginibus, & comparationibus illuſtratas, multiſque rerum & verborum luminibus diſtinctas. Apud pleroſque populos primitus ſaltem obtinuit hæc ratio; apud Hebræos ſemper viguit. Ii hoc genus ſententiarum משלים vocabant: tum quod ſæpe conſtarent parabolis proprie dictis; tum quod vi quadam atque autoritate ſemper pollerent, & in audientium animis quodammodo dominarentur.

Ex hoc genere didactico multa ſuperſunt Hebrææ poeſeos monumenta; in quibus principem locum facile obtinent parabolæ Salomonis. Hujuſce operis duæ ſunt partes: prima, quæ eſt procemii cujuſdam loco, novem priora capita continet; eſtque varia, elegans, ſublimis, vereque poetica; rerum ordine plerumque conſervato, partibuſque inter ſe apte connexis; pulcherrimis deſcriptionibus, & proſopopoeiis illuſtrata; compoſitione politiſſima omnique poetico ornatu illuminata; ita ut haud ulli ſacræ poeſeos parti venuſtatis laude cedat: altera pars inde ad finem voluminis, ſingulis fere conſtat parabolis ſive ſententiis, vix quidquam habens ſublime aut etiam poeticum ultra quod gnomæ acumen & concinnitas admittit. Cum apud Hebræos genus didacticum præcipue ac proprie ſectatur hujuſmodi disjunctas ſententias, cumque hæ frequenter immiſcentur diverſi etiam generis carminibus, & per totam eorum poeſin locum habet: hanc potiſſimum partem parabolarum Salomonis tractabo, & in peculiarem parabolæ rationem paulo diligentius inquiram.

Præcipuas parabolæ venuſtates ipſe Salomo eleganti parabola exponit; una exhibens aptam rei deſcriptionem, reique deſcriptæ exemplum *:

תפוחי זהב במשכית כסף
דבר דבר על אפניו:

Poma aurea in opere reticulato argenti;
Dictum prolatum in rotis ſuis.

Vult nimirum graves & reconditos ſenſus oratione tereti, & undique circumciſa, & pulchre tornata ita commendari, ut pomorum exquiſitorum & eximii coloris, vel arte fortaſſe ex pretioſiſſima materia effictorum, venuſtior & jucundior eſt aſpectus, cum per vaſis argentei egregie cœlati cancellos, quaſi per velum quoddam translucent. Neque enim eos ornat modo nitida, ſubtilis, & expolita dictio, ſed illud etiam vel imprimis, ſi interveniente venuſta aliqua imagine paulum a conſpectu retrahatur veritas.

Iſthæc ut videamus particulatim: Prima parabolæ laus eſto brevitas **. Eſt ſane hæc neceſſaria quædam conditio, qua ſublata nec naturam ſuam nec nomen retinebit. Quod ſi fuſe pleneque res exponitur, ſi dictum, idque geminatum, ultra decem, aut maxime ultra duodecim voces extenditur, non jam editur parabola, ſed habetur concio. Pungit enim quaſi aculeo ſententia, & ictu non mora imprimitur; adeoque dictione utitur maxime preſſa & adſtricta, pene neceſſariis potius reciſis, quam admiſſis ſuper-

* *Prov.* XXV. 11.

** Εστι γαρ και αποφθεγματικον η βραχυτης, και γνωμολογικον, και σοφωτερον το εν ολιγῳ πολλην διανοιαν ηθροισθαι· καθαπερ εν τοις σπερμασι δενδρων ολων δυναμεις ει δε εκτεινοιτο τις την γνωμην εν μακροις, διδασκαλια γινεται τις και ρητορεια αντι γνωμης. **Demet. Phal.** Περι Ερμηνειας. Sect. IX.

pervacuis. Legem hanc poesi didacticæ tulit etiam Horatius, ejusque rationem subjunxit *:

Quicquid præcipies, esto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Quod idem suo more, hoc est, parabolice expressit Salomo noster **:

דברי חכמים כדרבנות
וכמשמרות נטועים

Dicta sapientum sicut stimuli,
Et instar clavorum in altum defixa:

acriter nimirum impellunt animum, alte penetrant, & firmiter inhærent.

Porro brevitatem plerumque consequitur aliqua obscuritas, quam non modo non reformidat parabola, sed amat etiam, & aucupatur, & sibi laudi ducit. Habet enim ea quoque res suam utilitatem: acuit animum & intentum reddit; excitat studium & desiderium sciendi; in ipsa disquisitione vires ingenii stimulat & exercet: ad hæc, vult mens humana in percipienda veritate suas sibi partes relinqui; non omnia plane nimis & aperte exponi, sed aliquid suæ perspicacitati tribui: illius etiam scientiæ fructus est multo jucundissimus, quam ipsa sibi propriis viribus suaque solertia comparavit. Oritur autem isthæc obscuritas multis modis, præterquam ex ipsa brevitate & compressione dictionis: primum in comparationibus, cum res invicem applicantur interque se componuntur sine ulla comparationis nota; cujus exemplum est in parabola modo laudata, & sunt frequentissima: unum insuper alterumque apponam vel propter eorum eximiam elegantiam ***:

נשיאים ורוח וגשם אין
איש מתהלל במתת שקר:

Nubes, & ventus, & imber nullus;
Vir sese venditans cum inani munere.

Item alia forma ****:

יש זהב ורב פנינים
וכלי יקר שפתי דעת:

Est aurum, & gemmarum copia;
At pretiosa supellex labia scientiæ.

* Art. Poet. vers. 336.
** *Eccles.* XII. 11.
*** *Prov.* XXV. 14.
**** *Prov.* XX. 15.

Deinde cum res ipsa, cujus adducitur imago, occultatur, fitque allegoria; notam & pervulgatam sententiam bene expressit Horatius vocibus propriis *:

Sperne voluptates; nocet emta dolore voluptas:

sed eandem quanto elegantius Salomo per imaginem, & sub allegoriæ involucro **!

דבש מצאת אכל דיך
פן תשבענו והקאתו:

Invenistine mel? quod modo sat erit comede:
Ne eo satiere, & nausees.

Tum etiam, cum ratio comparationis valde late patet, & in multis locum habere potest; quo in genere illud videtur ponendum ***;

כמים הפנים לפנים
כן לב האדם לאדם:

Ut in aquis facies faciei (respondet),
Sic homini cor hominis:

quod haud sane facile est dictu, usque quo pertineat, & quibus coerceri debeat finibus; cum referri possit multis modis ad hominum indoles, ad ingenia, affectus, voluntates, amicitias, mores, virtutes, vitia; inter se plerumque congruentia, sive etiam invicem sequacia, & similes colores mutua inter se consuetudine trahentia. Postremo, ne plura recenseam, oritur aliqua obscuritas, cum in quacunque parabolæ forma præcipua aut fortasse tota vis dicti non in ipso dicto vertitur, verum in eo quod minime quidem exprimitur, sed est eidem arcte connexum & consequens ****:

אזן שמעת ועין ראה
יהוה עשה גם שניהם:

Aurem audientem, & oculum videntem,
Utrumque eorum fecit Jehova.

Non multum proficiet qui in verborum cortice morabitur, & intra ipsum sententiæ circuitum steterit; sed quam gravis quamque fructuosus exinde necessario pendet sensus, quem pro suo instituto clarius & animosius expressit Psaltes *****!

הנטע

* Lib. I. Epist. II. 55.
** *Prov.* XXV. 16.
*** *Prov.* XXVII. 19.
**** *Prov.* XX. 12.
***** *Psal.* XCIV. 9.

הנטע אזן הלא ישמע
אם יצר עין הלא יביט:

Qui plantavit aurem, nonne ipse audiet?
Qui formavit oculum, nonne ipse videbit?

Restat denique, ut parabola sit elegans; cum quo satis bene constare potest & breve & subobscurum. Elegantiam dico sensus, imaginis, & dictionis: quorum omnium exempla parabolæ, quas jam protuli, prope singulæ suppeditabunt. Est autem hoc in loco notandum, minime deesse suam elegantiam iis etiam sententiis, quæ sunt vel maxime nudæ, apertæ, & simplices, quæque nihil habent in sensu valde exquisitum, nullam imaginem, nullum singularem ornatum dictionis; modo adsit brevitas, & rotunda constructio, & forma peculiaris, quæ sola nonnunquam constituere parabolam videtur. Talis est sententia, quam in historia sacra usurpat David ut parabolam a priscis acceptam *;

מרשעים יצא רשע

A sceleratis prodibit scelus:

talis apud Salomonem **,

שנאה תעורר מדנים
ועל כל פשעים תכסה אהבה:

Odium suscitabit rixas;
Sed omnia delicta operiet Amor:

plurimæque ibidem aliæ.

Alterum est Salomonis opus ad hanc speciem didacticam pariter referendum, cui titulus קהלת, sive concionator, vel potius fortasse sapientia concionatrix: in quo quanquam multæ sint passim interspersæ disjunctæ sententiæ, multæ parabolæ, alia tamen est totius ratio, alius color, longe dispar stylus. Etenim una est universi operis forma, unum & simplex argumentum, de rerum humanarum vanitate, sub persona Salomonis, in perdifficili quæstione dubitantis, in utramque partem disputantis, & ex ancipiti cogitandi cura sese tandem expedientis. In partibus autem definiendis magna est difficultas; in summa obscuritate versatur rerum series, orationis filum, universi argumenti ordo & distributio: ut in eruenda libri œconomia, & accurata partium descriptione constituenda, interpretes multum inter se dissentientes videas. Ut quod res est dicamus; in rebus explicandis & disciplinis tradendis accurata & subtilis partiendi ratio nec nota erat Hebræis, nec quæsita: priscam illam sententiarum viam unice tenebant, nec methodum vel sponte sese offerentem admittere dignabantur. Stylus autem hujusce operis est plane singularis: dictio est humilis plerumque & submissa, sed imprimis obscura; sæpe laxa, & dissoluta; & sermoni propior; nec in compositione & structura multum viget poeticus character: quæ forsan videri possunt argumenti naturæ aliquatenus tribuenda. Judæis sane invitis in metricorum librorum numero plerumque habetur: quod si in his rebus multum valeret illorum hominum autoritas, hic fortasse eorum opinioni aliquid esset concedendum.

Ad hanc poematum classem pertinent psalmi nonnulli; alphabetici nimirum omnes, aliique pauci. De Acrostichidis artificio plus semel jam facta est mentio. Horum carminum omnis fere laus in eo consistit, quod ad communem usum sint apprime accomodata; quod sensus sint pii graves, fructuosi; pura & aperta dictio; compositio ad generis sententiosi formam accuratissime facta & limata.

Duo præterea supersunt in hoc genere monumenta, quæ jure sibi vendicat poesis Hebræa, quanquam & prosa oratione & Græce solummodo scripta extant: Sirachidis sapientia, &, quæ appellatur, Salomonis.

Sirachidis opus, ex Hebræo in Græcum sermonem ab autoris nepote conversum, est ejusdem omnino generis cum parabolis Salomonis, adeoque eundem etiam titulum primo inscriptum habuit, nimirum משלים, uti nos docet Hieronymus *, qui se librum hunc Hebraicum reperisse testatur; quod quo minus de archetypa scriptione Hebræa, non de Syriaca quadam versione, intelligamus, non video. Verum utcunque ea se res habet, profecto clare constat ex ipsa hujusce libri Græca interpretatione, quam nunc habemus, fuisse eum per omnia parabolis Salomoneis perquam similem; quoad nimirum scriptori fas est imitatione pervenire. Magna rerum, sensuum, dictionis similitudo: idem styli color, eadem sententiarum constructio; ut nec dubitem, quin eandem etiam carminis rationem, quæcunque ea erat, secutus fuerit autor, si modo aliqua ad eam usque ætatem metricæ artis cognitio superesset. Ut in hac re aliquid satis tuto affir-

* 1. *Sam.* XXIV. 13.
** *Prov.* X. 12.

* Præf. in Libros Salomonis.

firmare possimus, facit eximia interpretis fides, quæ multis indiciis passim cernitur: sane videtur in suo munere obeundo summa cum religione versari, totum se ad Hebræum sermonem componere, Græcam elegantiam minime captare; nec modo sententias appendere, sed adnumerare verba, ac servare etiam verborum ordinem; ut in plerisque, versione in suum fontem refusa, ipse scriptor Hebræus vere repræsentari posse videatur. Quod si quis in hac re faciet periculum, partemque aliquam hujusce libri ad verbum conversam Hebraice reponet, clare videbit admirabilem ejus cum antiquis in hoc genere Hebræorum monumentis consonantiam; in omnibus unam atque eandem cum iis formam & charactera: ut facile sibi persuadere possit, se alterum plane Salomonem loquentem audire. Salomonem autem ita sequitur Sirachides, ut parabolarum illius primam potissimum partem imitetur: habent enim plerumque sententiæ ejus aliquam inter se connexionem; stylus etiam est magis pictus nonnunquam & coloratus, figuris & imaginibus impensius ornatus, quam ratio didactica necessario postulat: quod videri potest in sapientiæ prosopopoeia *, in qua antecessoris sui habitum & effigiem sane feliciter expressit.

Sapientia Salomonis in imitationem item scriptorum Salomonis composita est; sed haudquaquam exitu æque felici: a Judæo aliquo Hellenista, non, ut Sirachidis liber, ex Hebræo conversa, sed Græce scripta. Stylus videtur inæqualis & dispar sibi: sæpe grandiloquus, cothurnatus, & tumidus; amplus item, & fusus, & epithetis abundans, præter consuetudinem Hebræorum; interdum temperatus, elegans, sublimis, poeticus. Constructio nonnunquam sententiosa, & in eo genere satis accurata; ut manifesto deprehendas autorem sibi ad imitandum proposuisse antiqua poeseos Hebrææ exempla: quanquam in universum a germano ille charactere longe distat. In œconomia operis graviter peccat; Salomonis preces a capite nono inchoatas usque ad finem libri continuat, ita ut partem totius plus dimidiam conficiant: in quibus ut immanem illam orationis longitudinem excusemus, nimium indulget subtilissimis rerum reconditarum disquisitionibus, & multa admiscet a ratione precum ad Deum factarum valde aliena: ad hoc res ipsa ad nullum certum exitum perducta videtur. Quibus de causis iis libenter adsentior, qui opus hoc Sirachide haud paulo recentius, & sequiore ætate conscriptum judicant.

* *Eccles.* XXIV.

Verum ne missam faciam hanc poeseos speciem sine aliquo integri poematis specimine, quale in cæteris exhibere aggressus sum, tentabo, academici, id quod vos ut experiri velletis, autor modo fui, & partem quandam libri Sirachidis Hebraice conversam dabo; illam ipsam nimirum, quam jam laudavi, sapientiæ prosopopœiam. Equidem hujusce speciei character vix alio carmine quam Hebraico effingi potest: quænam autem sit mea Hebraici carminis notio atque idea generalis, cum sæpe & multis modis explicare conatus sum, vix tamen aliter melius quam hoc fortasse exemplo intelligetur.

ECCLESIASTICI
CAPUT XXIV.
Hebraice redditum.

ההלת חכמת לישוע בן סירה:

חכמה תהלל נפשה
ובתוך עסה תשתבח:
בקהל עליון תפתח פיה
ולפני חילו תתהלל:
אני מפי עליון יצאתי
ובערפל כסיתי הארץ:
אני במרומים שכנתי
וכסאי בעמוד ענן:
חוג השמים סבותי לבדי
ובמצולת תהמות התהלכתי:
בגלי הים ובכל הארץ
ובכל עם וגוי קניתי:
עם כל אלה דרשתי מנוחה
ובנחלת מי אלין:
אז יצוני יוצר כל
ובוראני הניח אהלי:
ויאמר ביעקוב שכני
ובישראל נחלי:
מעולם מראשית קנני
ועד עולמים לא אחדל:
באהל קדוש לפניו שרתי
וכן בציון חצבתי:
בעיר אהובה כמו בן הניחני
ובירושלים ממשלתי:
ואשרישה בעם נכבד
בחלק יהוה נחלתו:
כארז העליתי בלבנון
וכברוש בהררי חרמון:
כתמר העליתי בעין גדי
וכנטעי חבצלת ביריחו:
כזית נעים בשדה
ואעלה כערמון עלי מים:
כקנמון וקנה בשם נתתי ריח
וכמר מבחר נתתי ריח ניחוח:
כחלבנה ושחלת ונטף
וכקיטור הלבנה במשכן:
ואני כאילה שלחתי ענפי
וענפי ענפי כבוד וחן:
אני כגפן צומחת חן
ונצותי

ונצותי פרי כבוד ועשר:
קרבו אלי מתאוי
ומתבואותי חשבעו:
כי זכרי מרבש מתוק
ונחלתי מרבש ונפרת:
אוכליני עוד ירעבון
ושותיני עוד יצמאון:
השומע אלי לא יבוש
ועובדים בי לא יחטאון:
כל אלה ספר ברית אל עליון
תורה שצוה לנו משרה
נחלה למקהלות יעקיב:
הממלא כפישון חבמרה
וכחדקל בימי אביב:
המרבה כפרת בינרה
וכירדן בימי קציר:
המוציא * כיאור מוסר
וכגיחון בימי בציר:
לא כלה הראשון לדעתה
וכן האחרון לא יחקרנה:
כי מים נמלאו מחשבותיה
ועצתה מתחום רבה:
ואני כמוצא מים מיאור
וכתעלה יצאתי בפרדס:
אמרתי אשתה נא את גני
והרויתי את תלמי:
והנה היתה תעלתי ליאור
ויהי היאורי לים:
עוד מוסר כשחר אופיעה
והוצאתיהו עד למרחק:
עוד לקח כנבואה אשפוך
והניחותיהו לדורות עולמים:
ראו כי לא לי לבדי יגעתי
כי אם לכל מבקשי אמרה:

* In errorem hic humanitus incidit Sirachides Nepos, neque avi sui sententiam expressit: nam cum vocem hanc in suo exemplari defective scriptam legeret כאר, perperam vertit ὡς φῶς. Vide enim, quam incongrue cum cæteris: Pison, Tigris, Euphrates, Jordanes, *Lux*, Gihon: loco *Lacis* desideratur flumen aliquod, adeoque manifesto legendum erat כואיר ὡς ὁ *Ποταμὸς ut fluvius Ille*, nimirum Nilus; qui certe homini Judæo in ejus vicinia ætatem degenti inter fluvios principes & exundationibus nobiles erat præcipue memorandus, & nomine היאור, ὁ Ποταμὸς, honoris causa merito appellandus. Hæc autem ipsa vox eodem modo defective legitur כאר *Amos* VIII. 8.: eadem vero periodo mox repetita, plenius exprimitur כיאר, IX. 5. Vide *Cappell. Crit. Sacr.* III. 2. 11. Cæterum in hac versione secutus sum textum Codicis Vaticani, paucis quibusdam exceptis, quorum rationem facile expediet lector, si qui operæ pretium duxerit hæc paulo attentius expendere.

שׁ י ר

S I V E O D E.

PRÆLECTIO VIGESIMAQUINTA:

ODÆ HEBRÆÆ PRIMUS CHARACTER.

CArmen omne cantioni destinatum, sive assa voce sive fidibus conjunctis canendum, Hebræi שיר, Græci ᾠδὴν, appellant; quæ voces inter se aptissime congruunt: & sicut ea Græcorum vox restrictius tandem accepta est ad designandam poematis speciem singularem, ita idem apud Hebræos etiam videtur obtinuisse, nisi quod hi vocabulum illud suum aliquanto fortasse latius usurparent.

Satis aperte suam originem profitetur ode: nata primum est ex lætissimis incitatissimisque animæ humanæ affectibus, gaudio, amore, admiratione. Quod si hominem recens creatum cogitamus, qualem eum nobis exhibent sacræ literæ; rationis & orationis facultate perfecta præditum; non sui, non Dei ignarum; divinæ bonitatis, majestatis, & potentiæ conscium; pulcherrimæ totius mundi fabricæ, terræ cœlique non indignum spectatorem: fierine posse credemus, qui ei hæc omnia intuenti intus incalesceret cor, ita ut ipso affectuum æstu abreptus animus ultro sese effunderet in creatoris laudes, inque eum impetum orationis, eamque vocis exultantiam exardesceret, quæ tales animi motus pene necessario consequitur? Quod ipsum usu venit pulcherrimi illius psalmi autori hæc eadem contemplanti, quo res omnes creatas ad concelebrandam inter se Dei optimi maximi gloriam adhortatur *:

הללו את יהוה מן השמים
הללוהו במרומים:
הלליהו כל מלאכיו
הללוהו כל צבאיו:

Laudate Jehovam cœlites;
Laudate eum in excelsis;
Laudate eum omnes angeli ejus;
Laudate eum omnes ejus exercitus:

quem

* *Ps.* CXLVIII.

quem hymnum elegantissime imitatus est, & Adamo suo Paradisum incolenti aptissime tribuit * Miltonus noster, poetarum omnium post vates sacros longe divinissimus. Sane de primævo illo ac perfecto hominis statu vix recte concipere videmur, nisi aliquem ei poeseos usum concedimus, quo pios erga Deum affectus & sanctum ardorem religionis hymnis & cantu satis digne exprimeret.

Quod si rerum veritatem & historiæ fidem appellamus, apud omnes fere populos paulo humaniores id ab ipsis usque primordiis derivatum semper obtinuisse videbimus, ut in re divina facienda & religionibus celebrandis carminum & hymnorum usus dominaretur. Ex antiqua illa musica & poesi, quam aliquando apud suos legibus constitutam fuisse testatur, eam speciem primo recenset Plato **, qua continebantur preces ad Deos, quique dicebantur hymni. In Latina poesi nihil memoratur æque vetustum ac Saliare Numæ carmen, una cum primis sacrorum & cæremoniarum institutis a rege doctissimo conditum, quod Salii υμνηται των ενοπλιων θεων, ut eos appellat Dionysius ***, ad tibiam canebant cum tripudiis solennique saltatu. Quid quod carmen omnium, quæ nunc extant, antiquissimum (eorum dico, quorum ætas certo cognoscitur, & quæ justa sunt poemata) est ipsa Mosis ode ευχαριστικη post transitum Maris Rubri, in suo genere perfectissima, lætarum quas dixi affectionum verus & naturalis fœtus. Ita odæ origo ad ipsum poeseos initium recurrit, quod cum religionis, hoc est, cum ipsius humanæ naturæ ortu conjunctum videtur.

Hanc poeseos speciem præ cæteris omnibus excolebant Hebræi; & in eadem perinde eminent. Solenne erat per omnes Hebrææ nationis ætates ob res feliciter gestas prosperosque bellorum exitus lætis carminibus Deo servatori publice grates agere. Hinc Mosis, Deboræ, Davidis, επινικια. Cum ipsis forsan reipublicæ primordiis initia sua habuerunt scholæ prophetarum; regum certe tempora antecedebant: ibi, uti jam vidimus, disciplinæ propheticæ alumni inter cætera studia sacræ poeticæ operam dabant, & Dei laudibus odis & musica celebrandis vacabant. Sub Davide autem præcipue florebat musica & poesis: ex illius instituto quater mille cantores sive musici ex numero Levitarum ****, sub præfectis ducentis octoginta octo, distributi in classes viginti quatuor, quæ per singulas hebdomadas vicibus suis in templo fungerentur, sacrorum hymnorum ministerio unice deserviebant *, partim voce, partim diversi generis instrumentis musicis canentes. Illorum principes erant Asaphus, Heman, & Iduthun; qui, quantum ex psalmorum titulis colligere licet **, hymnos etiam composuisse videntur. Ex apparatu tam splendido, cui nihil simile alibi unquam extitit, de odæ Hebrææ dignitate & magnificentia conjecturam facere possumus. Meminerimus, nunc ejus reliquias ad nos pervenisse ornamentis suis omnibus spoliatas, nisi quæ in dictione & sensibus elucent, quibus ipsis plurimæ obscuritates & tenebræ insiderunt. Quapropter de oda Hebræa differentes omni supersedebimus disquisitione de musica sacra, deque vario ejusmodi rerum apparatu, quæ aliquam procul dubio vim habere poterant in constituendis diversis odarum generibus; quorum tamen omnium cum in summa ignoratione versamur, satius duco de iis tacere, quam eruditorum quorundam exemplo multa loquendo nihil dicere. Inquiram itaque breviter in communem hujusce poematis naturam & affectiones, quibus expositis de Hebræorum in hoc genere monumentis facilius certiusque judicare possimus.

Est ode poematis species omnium maxime suavis, venusta, elegans, varia, sublimis; quorum singula fere in ordine, sensibus, imaginibus, dictione, numeris, cernuntur. In rerum ordine ac dispositione posita est prima ac maxima quidem odæ venustas; quæ cum facillime sentitur, difficillime tamen explicatur: hoc enim habet vel præcipuum, quod via & præceptis certaque partium descriptione minime continetur. Est enim læta, soluta, libera; in elatiore argumento exultans, audax, & nonnunquam pene effrænis: sed & hic etiam, semperque alias, nisi per totum regnet quædam facilitas, quæ negligentiæ cujusdam minime affectatæ speciem habet, naturam non artem præ se ferens; quæque cernitur maxime in exordio obvio, nec nimis exquisito, & in ipsam plerumque rem protinus incurrente; in serie rerum per jucundam varietatem subtiliter & artificiose, sed quasi sponte, deducta; in clausula sine ullo acumine leni quodam lapsu in loco forsan minime expectato, & nonnunquam veluti fortuito cadente (105): nisi sit totius habitus quidam suus & forma peculiaris, in rebus ipsis, in ordine & dictio-

* *Parad. Amiss.* Lib. V.
** *De Legibus* III.
*** *Antiq. Rom.* II. 70.
**** *Paral.* XXIII. 5.

* 1. *Paral.* XXV. 1. — 7.
** Vide etiam 2. *Paral.* XXIX. 30.

ctione, non in metri genere posita, quæ hanc præcipue atque unice deceat; fiet quidem poema cætera forsan probabile, minime autem erit elegans ode. Habent hanc formam odæ Horatii plurimæ; Hannesii nostri paucæ quidem illæ, sed propemodum omnes. Occurrunt in Papinii Statii Sylvis * carmina Lyrica duo, in quibus, cum sint numeri in primis sonori, rotundi, & volubiles; sensus satis elegantes & venusti; dictio, si non delicata, ardens tamen & colorata: nihilo tamen minus in iisdem illam totius formæ felicitatem & gratiam, & expressam odæ effigiem desidero.

Sensus atque imagines rerum & argumenti rationem sequuntur, quæ varia est, & nullis plane finibus circumscripta. In humili materia erunt suaves, amœni, floridi; in elata graves, audaces, vividi, in omnibus summe elegantes, expressi & varii. Amat ode potissimum rerum naturalium imagines, historiarum communes locos, descriptiones vividas sed breves, &, cum altius insurgit, crebas personarum fictiones. Dictione utitur præcipue exquisita lectaque, clarissimos adhibens verborum colores, jucundissima figurarum lumina, elegantias quasdam proprias, & ut peculiarem totius dispositionis habitum, ita ornatum etiam elocutionis privatum & suum; in quo item non minus cernitur illa Horatii curiosa felicitas. Hæc omnia commendat numerorum omnis dulcedo & varietas, quam vel linguæ cujusque natura fert, vel rerum quas tractat prope infinita diversitas postulat.

Dolet profecto, quod de oda Hebræa differentibus de numeris omnino sit silendum; quos quanquam nobis penitus ignotos, tamen & musicæ ejus, quæ apud Hebræos multum colebatur, naturæ accommodatos, & pro linguæ ingenio perfectos fuisse, par est ut existimemus. Cætera quod attinet, dictionis vim & elegantiam, sensuum atque imaginum pulchritudinem & dignitatem, ordinis & œconomiæ virtutes omnes & gratias, ne ei præ omnibus in hoc genere exterorum monumentis asserere possimus, minime erit verendum. Qua in disquisitione, cum tam late pateat, ne incerte fluctuemus, aliquem statuamus itineri nostro præfinitum cursum; quod satis commode fieri posse existimo, si omnem hujusce poematis diversitatem in tres species includamus, quarum primam distinguat, & quasi præcipua quadam nota designet, suavitas (106); alteram, sublimitas; quibus interponi potest medius quidam & ex utraque temperatus character: harum communes habendæ erunt affectiones varietas & elegantia.

* Lib. IV. Sylv. 5. & 7.

Quanquam in materia gravissima semper versetur ode Hebræa, neque unquam ad illam descendat levitatem, quæ exteram in hoc genere poesin magna ex parte occupavit; suavitatis tamen charactera minime aspernatur. Eum constituunt affectus lenes & placidi, imagines amœnæ & floridæ, dictio jucunda, composita, & æquabilis. Quæ hic potissimum locum habent affectiones, sunt amor, desiderium, spes, lætitia non nimis exultans, dolor etiam, sed si constet modus. Amorem & desiderium suavissime expressit vates regius in Judææ deserto exulans, psalmo sexagesimo tertio. Dolorem habet cum spe aliqua conjunctum psalmus octogesimus. Spem lætitiæ proximam quintus supra octogesimum. Nonagesimus secundus totus est gaudii, sinceri, sed temperati. Quorum omnium tanta est in compositione, dictione, sensibus, ordine, & præcipue in his suavissimis affectibus dulcedo, quantam non musæ omnes & gratiæ, ut illi loquuntur, collatis symbolis infundere potuissent. Quod ad imaginum ornatum attinet, qui nec illis superioribus deest, quid concipi potest suavius & venustius, quam illa Dei pastoris effigies * ?

יהוה רעי לא אחסר
בנאות דשא ירביצני
על מי מנוחות ינהלני:

Jehova est pastor meus, nihil mihi deerit:
In pascuis herbidis ut recubem faciet;
Propter aquas leniter fluentes me deducet. (107)

Quid ipsa rerum & argumenti jucunditas, naturæ læta & florida imago, quantam habet gratiam in psalmo sexagesimo quinto, ubi vates Dei beneficentiam laudat in rigandis fæcundandisque terris, pari ei quam depingit ubertate dictionis. In materia etiam elatiore, sed læta & felici, qualis est Salomonis inauguratio, quam celebrat psalmus septuagesimus secundus, eam vim habet cum imaginum pulchritudo & varietas, tum dictionis & compositionis nitor, ut nihil facile æquare possit ejus carminis in haud mediocri sublimitate etiam dulcedinem & gratiam.

Hæc ex multis pauca odæ venustioris exempla vobis tantum commonstravi, academici, attentius expendenda; quibus perfectiora ex omnibus musarum thesauris fru-

* Ps. XXXIII.

frustra, opinor, perquiretis. Unum solummodo adjiciam, quod & odæ habitum illum & formam, nisi valde fallor, perfecte expressam exhibet, & suavitates ejus omnes quasi in brevissimum compendium adductas complectitur; etenim, ut elegantissimi poetæ versum usurpem *,

Πιδακος εξ ιερης ολιγη λιβας, ακρον αωτον.

In festi alicujus celebritate populi frequentiam concordiamque contemplatus psaltes, tam læti spectaculi sensum tali quodam modo expressit, si Davidem pati possitis Latine canentem.

PSALMUS CXXXIII. **

O dulce jucundumque! tribulium
Coetus in frequenti mutua caritas!
O corda qui fraterna nodo
Jungit amor metuente solvi!
Non aura Nardi suavior occupat
Sensus, quæ Aronis vertice de sacro
Per ora, per barbam, per ipsas,
Lenta fluens, it odora vestes:
Non rore largo lætior irrigat
Hermona florentem æthereus liquor;
Sanctæque fœcundat Sionis
Uberibus juga celsa guttis,
Præsens benigno numine quas fovet
Jehova sedes; alma ubi Faustitas
Testatur, æternumque magni
Dia salus domini favorem.

* *Callimach.* Hymn. in Apoll. v. 112.

** Est hic Psalmus ex numero illorum quindecim, qui singuli inscribuntur, שיר המעלות, *Ode ascensionum:* hoc est, quæ caneretur, cum populus in Hierosolymam *ascenderet*; nimirum vel ad festa quotannis celebranda, vel tum cum e captivitate Babylonica reverteretur. Ea sane reversio dicitur המעלה מבבל, *Ascensio ex Babylone*, *Ezr.* VII. 9. & vetus interpres *Syrus*, qui tituli appositis Psalmorum argumenta exponit, huc refert Psalmos sic inscriptos prope omnes; perperam quidem nonnullos; sed plerique ad harum occasionum alterutram manifesto pertinent. Verum omnes indiscriminatim de liberatione Babylonica interpretatur Theodoretus; titulum autem sic explicat: Ωδη των αναβαθμων· Θεοδοτιον, Ασμα των αναβασεων. ο δε Συμμαχος και ο Ακυλας, Εις τας αναβασεις. Δηλουσι μεντοι αι αναβασεις, η οι αναβαθμοι, την αιχμαλωτευθεντος λαου την απο Βαβυλωνος επανοδον. *Theod.* in *Ps.* CXX. Sed nota est etiam, & in utroque testamento usu pervulgata hæc phrasis, עלות לעשות זבחים, עלות ירושלם, (vid. 1. *Reg.* XII. 27. 28.) αναβαινειν εις Ιεροσολυμα, αναβαινειν εις την εορτην. (vid. *Joh.* VII. 8.) Et perpende præ cæteris *Ps.* CXXII. qui vix aliter quam de festi alicujus celebratione explicari potest. Quæ hic narrant Judæi de templi gradibus, sunt mera commenta hominum futilissimorum (108). Cæterum in ultima hujusce Psalmi periodo particula שם necessario referenda est ad vocem ציון: nihil aliud est, ad quod possit referri: ad hoc, cui nisi Sioni promittebatur הברכה & חיים? (Vide omnino *Ps.* CXXXII. 13. & 15.) quæ voces ambiguæ sunt, ita ut felicitas vel temporalis, vel æterna, vel utraque pariter, intelligi possit; (confer modo *Deut.* XXVIII. 2. &c. cum *Ps.* XXIV. 5. & *Prov.* XXVII. 27. cum *Dan.* XII. 2.) & hoc in loco ex allegoria mystica in utrumque sensum interpretandæ sunt. Hæc si vera sunt, pessime hunc locum sollicitarunt critici. Nulla opus est emendatione: supplendo Ellipsin vocis repetendæ כטל, vel solum particulæ ו, ante שירד, expedienda est constructio (109).

NOTÆ EDITORIS.

(105) Hac laude Arabum maxime odas commendari dixeris, non omnes quidem, sed meliores. Vix feliciores odarum exitus observasse mihi videor, quam in poesi Arabica. Exemplo esse possunt non pauca eorum carminum, quæ Schultensius Erpenii grammaticæ adjecit, magis placitura, si minus in interpretando etymologum egisset vir Arabicæ eruditionis facile princeps.

(106) Est hic locus de odæ Davidicæ proprio charactere aliquid dicendi, in qua laudanda nonnulli magno regi, & divinitus acto, adulari quodammodo videntur, nihil majus, sublimius, augustius, odis Davidicis animo concipi posse, omnia in hoc poeta summa fuisse prædicantes. Unde accidit, ut nec verum characterem habeamus carminis Davidici, quo ab aliis dignosci possit; & nimis laudando mediocris nonnihil etiam de vera laude dematur.

Mihi ergo gustu potius, quam arte & argumentis, rem æstimanti, in hoc primo odarum genere felicissimus fuisse Davides videtur, quod totum suavitatis est, cum agrorum, silvarum, fontium naturam describit: ex reliquis etiam odis has maxime præstare dixerim, quas in utroque exsilio cecinit. Nec mirum: otio tunc abundabat poetico, adfectus experiebatur vividiores, eamque oculis & animo objectam cernebat naturam, cujus ex prima juventute memor iterum tanquam juvenescebat. Et tamen id mirum, quod jam senior, cum Absalomum fugeret, juvenilium odarum decus non assequutus modo est, sed & quodammodo superavit, si Psalmus XXIII. & XLII. quod equidem existimo, hujus sunt senilis exsilii.

Contra, mediocriter meos sensus afficiunt, in quibus sævior adfectus dominatur, sive tristitiæ, sive indignationis, ne his quidem Psalmis exceptis, qui dira omnia hostibus apprecantur. Satis in his dirarum, satis elegantiæ, atque etiam imprecationes exquisitæ, sed quas legens minus animo commoveor, irascor, percellor. Non habent hæ odæ, quas dixi, universæ, lugubre illud & funestum, quod Jobi, non oda quidem, sed tamen carmen adfectus plenum: cui collatus quis non Psalmus mediocris est & quietus? Neque præcipua odarum Davidicarum laus in dictionis sublimitate, horrendarumve rerum descriptionibus: qua parte Jobo, atque etiam, me judice, Mosi concedit. Ne decimum quidem octavum Psalmum excipio; in cujus primis versibus plus artis & picturæ, quam horroris, videre mihi videor, licet magnam sublimiter informari imaginem fatear; in illis quæ sequuntur, plus etiam subsidere orationem, fierique temperatiorem dixeris, quam tanto ex initio sperasses. Mihi quidem odæ Mosaicæ præ hoc Psalmo placent; atque adeo malim vicesimi noni, quam decimi octavi Psalmi autor haberi.

(107) Psalmi hujus vim & venustatem jure miratur noster, non perspectam plerisque, licet multi tentarint, nostræ illum ecclesiæ usibus carmine germanico accommodare. Hi vero & parergis odam brevitate & simplicitate excellente onerarunt, & mystice omnia atque spiritualiter accipientes, ænigma potius, quam suo splendens lumine carmen effecerunt.

In exilio aliquo, patriaque & sacris pulsus David, hæc ita, nisi fallor, cecinit: domum enim Dei se reditu-

diturum sperat versu sexto. Cum autem ex beneficiis divinis hoc unum maxime celebret, quod nulla re careat, atque videntibus & spectantibus hostibus tanquam convivio aliquo excipiatur, in illa crediderim tempora Psalmum incidere, quibus arma filii fugiens trans Jordanem castra habuit, sola commeatus difficultate in inculta regione cum exercitu aut periturus, aut a suis deserendus. Res autem multo accidit aliter: quod enim sperare non audebat ad hæc repentina rebellionis non præparatus pater, & qui veteranis militibus undique ad ipsum confluentibus prospicere non poterat, Deus ipsi præstitit. A bonis enim & opulentis civibus tota ipsius castra alebantur, ut justum in illo tractu colligere exercitum, ac prælii sortem experiri posset. Lege 2. *Sam.* XVIII. 26. —— 29.

Comparat ergo se ovi, Deum pastori: obviam imaginem, quæ quotidie in illis desertis oberrabat oculis, in carmen vertens. Oves imbelles, inermes, præda exposita, imprudentes futuri temporis, omnia pastori debent. Meminerimus, regem exsulem olim pastorem esse. Subit jam illum hujus pristinæ vitæ recordatio. *Jehova*, inquit, *est pastor meus*, *nihil mihi deerit*: illius est, mihi de victu & pascuis prospicere, non meum, qui hæc omnia animo prævidere & procurare non potui. Gratiora ovibus pascua herbæ teneræ, דשא, quæ proprie herba virgo est, semine nullo imprægnata, ut illa, quæ semen jam concepit, עשב: *Gen.* I. 10. 11. In his ergo pratis, herba juvene vestitis, recubare se sub Dei tutela fingit. Ad Libanum usque pulsus erat, per cujus juga torrentes nivibus tumescentes magno cum strepitu ruere narrant, qui illum montem adierunt. Periculosa hæc ovibus aquatio, nec satis sana. Addit ergo, ad leniter fluentes aquas se duci, ubi jam in molli planitie aut serpunt rivi, aut stagnant. Oberrabant oculis valles tenebris horrendæ, ferarum lustra; sed in quibus optima ovibus pascua, modo tutæ esse possint: hæ illi valles צלמות, non ut opinor, *tenebrarum mortis*, sed simpliciter *tenebrarum*, modo audeamus puncta deserere, & legere צלמות, collato Arabico ظلمات. Nihil in ejusmodi valle tutum ovibus, nisi quod pastoris arma tutum illis præstant: cui se soli, ignaræ etiam periculi, committunt. Habes hactenus elegantissimas imagines & pascuorum patentium, rivorumque leniter fluentium, quorum ipsa recordatione delectari solemus: & umbrosarum vallium, quarum horror novam & jucundam legentibus imaginem offert. Sed quæ improprie dixerat, jam magis proprie canit: spectantibus, invidentibus, frementibus hostibus, opiparum sibi a Deo convivium parari, non aromata capiti deesse, non poculo ebrietatem. Est enim, ut ex lingua Syriaca discimus, propria vis verbi רוה inebrietate. Spem inde concipit, ad loca sacra se rediturum, ibique diu regnaturum.

Hæc autem ea brevitate cecinit, in qua nihil sit, quod non placeat, nihil quod redundet, nihil quod demi non ægre feras.

(108) Ambigo adhuc, nihil de titulis Psalmorum certi statui posse ratus, dum voces musicas & poeticas orientis ignoramus. Inter has sine dubio est *scalæ* nomen. In *Assemanni bibliotheca Orientali* T. I. p. 62. invenio ܡܣܩܬܐ ܕܙܡܝܪܬܐ *scalas odarum*, quæ tamen quales sint, dicere non habeo.

(109) Vel etiam verte: *ut ros Hermonis*, *ita est ros qui descendit super montes Sionis*: i. e. populus Israeliticus, Sione quotannis congregatus, rori Hermonis æquiparari potest. Confer *Ps.* CX. 3. Movet quidem dubium de Hermone, & Relandus, & Krafftius, (Fasc. II. obs. 4.) quod nivibus æternis rigidus rore madescere nequeat. Verum facilis responsio. Summa montis cacumina rigent, at radices rore eo abundatiore sudant.

PRÆLECTIO VIGESIMASEXTA:

ODE HEBRÆÆ MEDIUS CHARACTER.

Propositis jam antea ode venustioris quibusdam exemplis, ut ad supremum Hebrææ poeseos in hoc genere fastigium gradatim ascendamus, libet in medio illo quem notavi charactere paulum immorari. Qui quidem dupliciter intelligi potest; nimirum, ut vel ex suavitate & sublimitate sit ita æquabiliter temperatus mixtusque, ut ad utramlibet ex omni prope parte referri possit; vel utramque ex diversis partibus simul comportet & inter se connectat, ita ut varius & commutabilis sit styli color. In utroque genere unum alterumque exemplum proferam.

Psalmi nonagesimi primi argumentum est, pii securitas, victoria, præmium. Odæ exordium continet pii illius in Deo fidentis descriptionem *:

ישב בסתר עליון
בצל שדי יתלונן:
אמר ליהוה מחסי ומצודתי
אלהי אבטח בו:

Qui habitat in secreto altissimi;
Qui in umbram omnipotentis sese recepit:
Qui dicit Jehovæ, spes mea & propugnaculum meum!
Deus meus, in quo confidam: —

tum

* Pessime acceptum est a Masoretis & interpretibus plerisque, & mirum in modum turbatum, pulcherrimum hoc exordium (110). Quorum errores ita optime coarguentur, si tollantur omnes quæ iis impedimento fuerunt difficultates. Est itaque אמר *Benoni*, sicut ישב: Futurum יתלונן vim item habet participii, per ellipsin אשר; cujus rei exempla, ne longius petamus, tria occurrunt in hoc ipso Psalmo v. 5. & 6. Tum fit v. 3. Apostrophe apertissima atque facillima ad personam, de qua hucusque verba facta sunt. Ut exemplo rem clarius demonstrem, tota hujusce exordii forma & ratio plane eadem est ac Psalmi CXXVIII. quod nemini unquam moram injecit:

אשרי כל ירא יהוה
ההלך בדרכיו:
יגיע כפיך כי תאכל
אשריך וטוב לך:

Beatus omnis qui timet Jehovam;
Qui in viis ejus ambulat:
Laborem manuum tuarum profecto comedes;
O te beatum, & bene erit tibi.

tum sententia nondum absoluta per apostrophen ad pium illum quem hactenus descripsit:

כי הוא יצילך
מפח יקוש מדבר הוות:

Ille profecto te eripiet,
E laqueo venatoris, e peste exitiali.

Deinde quæ imagines, quam variæ, quam jucundæ, quam graves & excelsæ!

באברתו יסך לך
ותחת כנפיו תחסה
צנה וסחרה אמתו:
לא תירא מפחד לילה
מחץ יעוף יומם:
מדבר באפל יהלך
מקטב ישוד צהרים:
יפל מצדך אלף
ורבבה מימינך
אליך לא יגש:

Pennis suis te proteget;
Sub alis ejus tutus eris:
Erit tibi pro parma & clypeo ejus veritas.
Non metues a terrore nocturno;
A sagitta volitante interdiu:
A peste in tenebris incedente;
Ab excidio vastante per meridiem.
Cadent a latere tuo mille;
Et a dextra tua decem millia:
Ad te minime pertinget.

Quid item ea, quæ paucis interpositis sequuntur, angelorum satellitium, animalium maxime ferocium & noxiorum conculcatio? tum illa subita, sed opportune & facile tandem * illapsa personarum mutatio, quam habet gratiam?

כי בי חשק ואפלטהו
אשגבהו כי ידע שמי:

Quoniam mihi adhæsit, ideo eum eruam;
Exaltabo eum, quia nomen meum agnovit.

Qui autem istarum imaginum naturam & dignitatem, habita ratione allegoriæ Hebrææ, attente animadvertit, facile sibi persuadebit, in hoc psalmo aliquid μυστικωτερον intus latere *: sane pius ille, sive res, sive fortasse Pontifex Maximus, qui hic primario est intelligendus, personam etiam adhuc sublimiorem ibidem gerere videtur. Illud vero ut theologis plenius exponendum relinquamus, videant elegantiarum spectatores, annon Horatius in oda illa, cujus eximia venustas merito celebratur: *Quem tu, Melpomene, semel* —, quæque in universo habitu ac forma aliquam habet cum hac, de qua agimus, similitudinem, cum vati nostro pondere & dignitate longe cedat, ab eodem etiam suavitate & gratia superetur.

Alterum nobis exemplum erit psalmus octogesimus primus; cujus item character est ex suavitate & sublimitate confusus quodammodo & permixtus. Est ode in festo tubarum, sive primi novilunii anni civilis **. Continet exordium hortationem ad celebrandum Deum canticis & musica; estque, ut apud Hebræos præcipue fieri solet, lætum imprimis & incitatum & gaudio exultans:

הרנינו לאלהים עוזנו
הריעו לאלהי יעקב:

Clangite Deo robori nostro;
Lætum clamorem tollit Deo Jacobi:

* Personarum, inquam, mutatio non nisi commate demum 14. facta est: nam commatis 9. aliam plane esse rationem existimo.

כי אתה יהוה מחסי
עליון שמת מעונך:

Nam tu, Jehova, spes mea;
Altissimum posuisti refugium tuum.

Plures sunt hujus periodi interpretationes, quæ aliis aliter probantur: una, quæ statuit primo membro dirigi sermone a pio illo ad Deum, altero deinde rursum a vate ad pium: quod est supra modum durum atque absonum, quanquam ei sententiæ palam faveat aperta atque obvia loci constructio (111). Alii deinde cum quibusdam veteribus sic exponunt, ut nulla sit in membro secundo nova personæ mutatio, sed de Jehova adhuc sermo sit:

Qui in excelsis collocasti habitaculum tuum:

quod omnino nihili est. Alii denique hæc incommoda vitantes in majus incidunt; nam sententiæ vim memorantur varia instrumenta musica, quorum crebram appellationem amat etiam exterorum Lyrica poesis:

שאו

inferunt, novam ineuntes rationem expediendæ constructionis, hoc modo:

Nam tu Jehova, qui spes est mea,
Altissimum posuisti refugium tuum:

quod itidem, qui puras habent aures, & Hebræo idiomate vel paulum modo tritas, ferre omnino non posse arbitror. Aliter olim rem tentaverat *Theodoretus* in loc. Ελλειπει τῃ συνθηκῃ του λογου το ΕΙΠΑΣ συ κυριε η ελπις μου· ιδιωμα γαρ τουτο της προφητικης συγγραφης, διαφεροντως δε των ψαλμων· αλλ' ομως η ακολουθια δηλον ποιει το αμφιβολον. Quin hæc vera sit hujus loci sententia, mihi minime est dubium. Quod si cui displiceat hæc ellipsis, (est enim sane duriuscula,) ei, credo, confugiendum erit postremo ad *Harii* nostri, ingeniosissimi critici, emendationem; qui pro אתה legendum existimat אמרת. Est quidem conjectura paulo audacior; nec tamen improbabilis, si expendantur loca parallela, *Ps.* XVI. 2. (ubi legendum videtur אמרתי, cum omnibus *Vett. Intt.* excepto *Chald.*) *Ps.* XXXI. 15. CXL. 7. CXLII. 6.

* Hunc Psalmum Davidis nomine inscribunt LXX. *Chald. Vulg. Syr. Arab. Æthiop.* De Messia interpretantur Judæi.

** Vide *Reland. Antiq. Hebr.* IV. 7.

שאו זמרה ותנו תף
כנור נעים עם נבל :

Efferte psalterium, adhibite tympanum,
Cytharam amœnam cum nablio:

præcipua fit Buccinæ mentio, quippe cujus hoc festo solennem usum præscripserat lex Mosi data: promulgatæ legis commemoratio, itemque Buccinæ clangor, quod erat etiam signum libertatis*, quasi sponte inducit Ægyptiacæ servitutis miserias, populum Deo vindice in libertatem assertum, cum Deo loquentem ad montem Sinam, (cujus omnis terror mirifice depingitur duabus vocibus; vocatur enim סתר רעם, *abscondita tonitruum sedes*;) cum eodem denique certamen ad aquas Meribæ. Quid autem novi infert Meribæ recordatio? populum nimirum semper contumacem, semper ingratum, & omnium parentis indulgentissimi beneficiorum immemorem. Continet itaque reliqua ode Dei cum populo suo amantissimam expostulationem, propositionem fœderis, confirmationem promissorum; tum quasi ex spei frustratione dolorem & querimoniam. Ita hujusce odæ argumentum & finis est, exhortatio ad obedientiam ex amore paterno, beneficiis, & promissionibus Dei; sed quam eleganter, quam artificiose, quam varie, quam subtiliter deducta? Porro ad cumulandam ejusdem in omni parte pulchritudinem omnibus elegantiis referta est clausula, sensuum, imaginum, & dictionis. Subita quidem illa multiplex personarum mutatio est valde notabilis, & in hoc genere prope singularis (112) exempli; nec tamen præter modum difficilis aut dura: sed habenda ratio est consuetudinis Hebrææ, & advertendus scriptoris animus, naturæ non arti obtemperantis, & affectuum, ut fit, impetu ex obliqua in directam orationem, & contra iterum, desultoria quadam inconstantia transeuntis.

De peculiari odæ dispositione superiore prælectione pauca generatim differui, & universam ejus formam & extrema lineamenta aliquo modo conatus sum effingere: sed in hac rerum subtilitate multo magis valet exemplum, quam quævis vel accurate facta adumbratio. Quærenti igitur justam hujusce poematis descriptionem, hunc psalmum commendare ausim; cujus si universum habitum ac figuram comprehendat, non multum sane aberit, quin perfectam illam odæ speciem teneat animo & complectatur.

* Vide *Lev.* XXIII. 24. *Num.* XXIX. 1. & *Lev.* XXV. 9. 10.

Atque in his quidem unus est fere totius carminis sonus, & æquabilis quædam styli temperatio: alia jam sunt, quorum magis varius & commutabilis est rerum cursus, & quasi discolor ornatus orationis; quæ cum in diversis suis partibus & suavitatem habeant & sublimitatem, ad medium illum charactera, paulum dispari quidem ratione, tamen æque videntur revocari posse. Talia sunt, quæ e lenioribus initiis ad grande aliquod argumentum exsurgunt; quæ a queremoniis exorsa in triumpho desinunt; ubicunque denique ad dissimilem & materiem & stylum fit transitus, idque multis modis: quæ omnia ad odæ naturam valde sunt accomodata, cum eam nihil magis commendet quam & rerum ipsarum & universi habitus & quasi vestitus varietas. Igitur cum odarum scriptoribus ea licentia præcipue conceditur, ut varietatis hujusce gratia in crebras digressiones libere excurrant; nec modo veniam habet, sed laudem etiam meretur isthæc audacia evagandi; non erit incommodum hoc in loco inquirere, quid hac in parte sibi permiserunt Hebræi vates, quam consuetudinem & rationem potissimum sequuntur.

Odarum Hebraicarum pars multo major versatur cum in celebranda Dei optimi, maximi, bonitate & magnitudine, collatisque in ecclesiam & populum suum beneficiis deprædicandis, tum in implorando ejusdem in rebus adversis auxilio: hoc est, cum omni argumento historiæ Israeliticæ ita conjuncta est earum ratio, ut nunquam non faciles det exitus ad ejusmodi digressiones, quæ sunt præ omnibus aliis hujus poematis naturæ convenientissimæ multoque pulcherrimæ. Sive enim res bene gestas celebrent, sive adversas deprecentur; sive Dei sospiratoris auxilium gratiarum actionibus prosequantur, sive numinis merito infensi justitiam agnoscant humiliter supplices; exprimatur gaudium, spes, fiducia, luctus, timor, desperatio: ultro occurrit omnis antiquitatis memoria; temporum, regionum, hominum, rerum varia recordatio; universa illa miraculorum series in Ægypto, in deserto, in Judæa, in gratiam populi dilecti divinitus editorum: quæ rei ipsi ita sua natura adsident & adhærent, ut petita inde ornamenta in suum locum devenisse, non in alienum irruisse videantur. Hoc itaque de oda Hebræa vere statui posse videtur; eam ex ipsa rerum quas tractat natura, tam faciles habere aditus ad pulcherrimos ornamentorum locos, tot opportunitates egressionum, ut in summa rerum varietate & liberrimis excursionibus,

bus, plerumque ei mirifice constet continuationis atque ordinis ratio.

Merito celebratur in digressionibus Pindari felix audacia: sed ut longe diversus est illius poetæ in hoc genere usus & consuetudo, ita alia est argumenti natura & conditio, alia lex operis, peculiaris causa & excusatio licentiæ. Habemus, unde de ejus ingenio judicare possimus, numero quidem satis multa Pindari monumenta, sed rerum & materiæ ratione parum varia; odas nimirum plus quadraginta, omnes, ut verum dicamus; unius & ejusdem plane argumenti. Laudatur heros ob victoriam; fit plerumque exornatio, a moribus ejus, a genere, a laude majorum, civitatis & patriæ. Nisi hos locos summa cum libertate tractare, aliosque etiam longius disjunctos interdum quærere statuisset poeta, cum se victorum in ludis gymnicis præconem profiteretur; vix erat, ut opera, eidem argumento toties impertita, fastidio occurrere potuisset. Habet itaque necessitatis excusationem; nec modo veniam, sed laudem merito adeptus est: atque ita quidem, ut multa ejusmodi, quæ in alio nec defendenda essent nec ferenda, in Pindaro hoc nomine probari, ac valde etiam laudari posse videantur. Quod ne temere dici existimetis, uno ex multis exemplo confirmabo. Pythiorum tertium Hieroni inscribitur, gravi & diuturno morbo tum forte laboranti: qua occasione usus poeta exordium satis apte sumit a voto, quo illi Chironis, aut Æsculapii, si eos in vitam redire fas sit, medicam opem precatur. Cuiquamne vero nisi Pindaro quisquam concederet, ut idcirco versibus plus centum, & totius poematis omnino dimidia parte universam Æsculapii historiam exequeretur? quis ipsi Pindaro id condonaret, nisi eidem Hieroni de eodem argumento victoriæ a ludis gymnicis reportatæ odam jam quartam pangeret? sed ferenda est poetæ audacia, si ex his rerum angustiis in liberioris campi spatia vel temerario aliquantum impetu effugerit. Quocirca nec de vatibus Hebræis quidquam derogo, cum illos hac in parte Pindari dissimillimos esse judicio; nec de Pindari laude detractum eo, cum addo, Hebræos in longe pulcherrimo ac verissimo odarum genere versari.

Quæ de odæ Hebrææ œconomia, ejusque argumenti ratione hactenus dixi, ea aliquantum illustrabit psalmi septuagesimi septimi exemplum. Est ode medii characteris, & in vario illo & inæquali genere, ab humili & submisso exordio per justissimam rerum seriem ascendens ad summum gradum sublimitatis. Gravissima afflictione oppressus vates, extremam animi sui dejectionem & perturbationem exponit; & quas subiret conflictiones & certamina, antequam se a summo mœrore ad spem fidemque vix tandem erigeret, pulcherrime exprimit. Primo supplex ad Deum preces fundit:

קולי אל אלהים ואצעקה
קולי אל אלהים ואזין אלי:

Vox mea ad Deum fertur, & usque inclamo;
Vox mea ad Deum, ut me exaudiat:

sed nec in precibus sat erat solatii. Tum superiorum temporum recordatione dolorem suum quærit lenire: ea autem quid agit, nisi ut præteritæ felicitatis comparatione malorum præsentium miseria ingravescat, & extorqueat παθητικωτατας expostulationes:

הלעולמים יזנח ארני
ולא יסיף לרצות עור:
האפס לנצח חסרו
גמר אמר לרר ורר:
השכח חנות אל
אם קפץ באף רחמיו:

Num in perpetuum rejiciet me Deus,
Nec amplius se placabilem præbebit?
Num periit in æternum ejus clementia;
Defecit promissio in omnes ætates?
Num oblitus est misereri Deus?
An cohibuit in ira misericordias suas?

Tum autem secum reputans divina consilia in hominibus castigandis, שנות ימין עליון, *Mutationem dextræ altissimi;* Deum nimirum variis rationibus suorum salutem procurare, & idcirco voluntatem ejus ab iis, quos maxime diligit, sæpe aversam videri: recogitansque prolixum ejus erga populum suum favorem, miracula in eorum gratiam edita, divinam bonitatem, sanctitatem & potentiam; ea meditatione recreatus in numinis laudes ardentissimo cum affectu protinus erumpit. Quo in loco æque admiranda sunt, cum egressionis facilitas & gratia, tum rerum delectus, imaginum granditas, dictionis pondus & elegantia.

אלהים בקרש דרכך
מי אל גרול כאלהים:
אתה האל עשה פלא
הודעת בעמים עזך:
גאלת בזרוע עמך
בני יעקב ויוסף:
ראוך מים אלהים
ראוך מים יחילו

אף ירגזו תהמות:
זרמו מים עבות
קול נתנו שחקים
אף חציך יתהלכו:
קול רעמך בגלגל
האירו ברקים תבל
רגזה ותרעש הארץ:

O Deus! sancta omnino sunt consilia tua:
Quis Deus cum Deo majestate comparandus?
Tu es Deus ille faciens mirabilia;
Notum fecisti in populis robur tuum.
Vindicasti brachio populum tuum,
Jacobi & Josephi posteros.
Viderunt te aquæ, o Deus!
Viderunt te aquæ, dolore correptæ sunt;
Etiam turbatæ sunt Abyssi.
Exundaverunt aquis nubes;
Fragorem edidit æther;
Tum vero sagittæ tuæ discurrerunt:
Vox tonitrus tui in turbine;
Illuxerunt orbi fulmina;
Tremuit & commota est tellus.

Alterum, quod in hoc genere apponam, exemplum contrariam quandam habet rationem: nam ab exordio splendido imprimis & excelso, in leniorem & remissiorem sonum, & suavissimos pietatis affectus, paulatim delabitur, cum summa rerum, imaginum, ac sensuum varietate. Psalmus est decimus nonus. Prædicatur Dei gloria & operibus ejus tum naturæ tum gratiæ. Eum si vobis integrum exhibuero, rudi opera utcunque adumbratum, rerum tamen ordinem & seriem facilius perspicere poteritis.

PSALMUS XIX.

Immensi chorus ætheris,
Orbes stelliferi, lucida sidera,
Laudes concelebrant Dei,
Auctorisque canunt artificem manum.
Dulces excipiunt modos
Noctem rite dies, noxque diem premens;
Alternoque volubiles
Concentu variant perpetuum melos.
Et quanquam levibus rotis
Labuntur taciti per liquidum æthera,
Terrarum tamen ultimos
Tractus, alta poli mœnia, personat
Æterni sacra vox chori,
Concordi memorans eloquio Deum.
Cœlorum in penetralibus
Soli qui posuit celsa palatia;
Lætos unde ferens gradus
Prodit, ceu thalamo sponsus ab aureo;
Fidens viribus ut Gigas,
Præscriptum stadii carpit ovans iter.
Cœli limite ab ultimo
Egressus, rediens limitem ad ultimum,
Emensam relegit viam,
Fœcundisque fovet cuncta caloribus.
Non lex sancta Dei minus
Languentes animas vi reficit sacra:
Puro lumine lex Dei
Illustrans oculos, & tenebras fugans;
Informans animos rudes,
Cœlestique replens corda scientia;
Mentes lætificans pias;
Confirmans stabili pectora gaudio.
Illam justitia & fides
Fixit perpetuam, æternaque veritas.
Non illam æquiparat pretio
Aurum, jam rutilis purius e focis;
Non dulcedine, quæ recens
Stillant pressa favis mella liquentibus.
Fida adstat monitrix suis
Et merces eadem magna clientibus.
Quis lapsus tamen ah! suos,
Quis secreta sinu crimina perspicit?
Adsis, o Deus! o Pater!
Da cæcis veniam, de miseris opem!
Errantes cohibe gradus,
Effrænemque animi frange superbiam!
Solum munere sic tuo
Mox insons sceleris, purus ero mali:
Sic o! sic placeant tibi
Quæ supplex meditor, quæ loquor, o Deus!

NOTÆ EDITORIS.

(110.) Non erat, cur Masorethas & interpres notaret noster, ac pro consueta aliam proponeret versionem, quæ ne sententiam quidem absolvit, sed habet, ut ajunt, subjectum sine prædicato. Lege primos quatuor versus: habebis descriptionem hominis Deo confidentis, in nominandi casu, quid autem de hoc homine adfirmetur vel negetur, frustra requires. Quod secus omnino est in psalmo 128. ubi, *beatus est qui timet Jehovam*, absolvit sententiam, vel potius pro sententia est exclamatio: *o beatitudines timentium dominum*. Quid autem, quæso, desiderari in hac sententia, quam puncta vocalia fundunt, potest.

Qui habitat secretum Altissimi,
In hospitio sessoris cæli pernoctabit.
Jehovæ dico: persugium propugnaculumque meum.
Deus mi, in quo confido.

i. e. *quem in suam tutelam suscepit Deus, ejus curam nunquam deponet. Semel in ejus domum admissus, noctu etiam, periculique tempore, hospitio ejus fruetur. Igitur dico Jehovæ*, &c. Umbram Dei, sub qua pii diversantur, interpretatus sum hospitium, ex usu vocis *Genes.* XIX. 8. *Jes.* XXXIV. 15. (Noctis certe tempore, de quo & psalmus loquitur, & Lotus, non umbram desideraveris, sed hospitia.) Noctem, periculorum tempus intelligo: noctu nempe & latrones & feræ grassantur, ipsaque caligo horrida omnia & periculi plena facit. Vide *Ps.* CIV. 20. 24. שדי *summi cæli sessorem* vertere ausus sum, præeuntibus

tibus LXX. qui *Pſ.* LXVIII. 15. vertunt, τὸν ἐπουράνιον, & concinente membrorum parallelismo, ex Arabico سمو *ſummam rei conſcendere*. Quod enim noſter cum pleriſque *omnipotentem* vertit, ad abuſum linguæ Arabicæ referendum eſt. Contulerunt שדי cum شديد (*potens*) contra leges grammaticas: pro ש enim Hebraico Arabes non ש ſed ש habere ſolent.

(111) Non probo reprehendentis ſeveritatem. Quid obſtat, quo minus duo per omnem pſalmum ſibi reſpondere chori poſſint, alter Deo confidentium in adverſis, alter hos ad ſpem erigentium, eorumque admirantium felicitatem? Ipſe quidem noſter ejuſmodi choros in pſalmis alibi & vidit, & laudavit: atque qui poſſet non laudare, cum poeſis Hebræorum inter ſaltantium choros, mutuo ſibi carmine reſpondentes, nata & educata ſit? Vide ejus prælectionem XXX. Mihi ergo prior chorus loqui videtur verſibus 1. & 2.: ſecundus reſpondere v. 3.–8.: denuo loqui primus in primo verſus noni hemiſtichio, atque inde uſque ad finem verſus 13. ſecundus: tandem autem Deus interlocutor venire. In quo ſi cum pleriſque erro, argumentis rerum in viam reduci cuperem, non aſſeverationibus, durum id & abſonum eſſe, quod, ſi lubuiſſet, pulchrum, poeticum, divinum. Lectionem hic cum Hario ſolicitare, periti & artificis non eſt, ſed novarum lectionum nimis cupidi. De ellipſi verbi εἶπας, huic loco non apta, dicerem, ſi opus eſſet. Tralatitia illa ellipſis, ſed tamen falſa. Reliquarum linguarum Orientalium peritus commode ea carebit, hanc ſubſtituens legem grammaticam: actionem ubi deſcripſerunt Orientales, licet illis, verba etiam agentis ſtatim ſubjungere, ac, tanquam res in ſcena ageretur, imitari.

(112) Hac perſonarum mutatione, quam prope ſingularem cenſet noſter, non opus erit, modo finem verſus ſexti, aliter ſuppleta ellipſi, pro, *cum dialectum* populi *audirem, quem non noveram*, vertas: *cum vocem* Dei, *quem non noveram, audirem*. Hæc vox quæ fuerit, verſibus ſequentibus exponitur. Latinus, hæc ſi ſcriberet, *legem Joſepho tulit Deus, cum ignoti adhuc numinis vocem audirem: ex ſervitute te exemi* &c. nemini non intelligeretur.

PRÆLECTIO VIGESIMASEPTIMA:

ODE HEBRÆÆ TERTIUS CHARACTER.

Tertium odæ Hebrææ charactera conſtituit ſublimitas. De poeſeos Hebrææ ſublimitate in genere, prout ea ex dictione & conceptibus oriretur, ſatis fuſe antehac diſſerui: nunc de peculiari hujuſce apud Hebræos poematis ſublimitate agendum eſt. Ea autem exſurgit, vel ex ipſo potiſſimum habitu poematis, & univerſæ diſpoſitionis & formæ magnificentia; vel ex communibus illis quos dixi fontibus, conceptuum granditate & vi dictionis; vel denique ex horum utriſque ſimul conjunctis, cum totius formæ pulchritudini & dignitati ſenſuum inſuper excelſiſſimorum & ſplendidiſſimæ dictionis omniumque virtutum quaſi cumulus accedit. Horum trium generum exempla quantum potero, lectiſſima vobis ſingulatim exponam, academici: accuratam ſane tractationem meretur hic locus. Verſamur enim in ſummo Hebrææ poeſeos faſtigio, cujus & univerſæ præcipua laus ſublimitas, & ſpecies maxime ſublimis eſt ode.

Videamus itaque primum, quantam materiæ ſua natura non admodum excelſæ ſublimitatem inducere poteſt ipſa poematis forma & diſpoſitio. Exemplum nobis eſto pſalmus quinquageſimus; cujus argumentum eſt ex genere didactico, ad moralem theologiam pertinens, grave imprimis & fructuoſum, ſed parum elatum aut ſplendidum: Deo nimirum non placere ſacrificia & externos ritus religionis, ſed ſinceram potius pietatem laudeſque ex grato animo profluentes; neque vero has ipſas pietatis ſignificationes ſine juſtitia cæteriſque virtutibus. Ita duas habet partes: primo arguit cultor pius quidem, ſed ignarus & ſuperſtitioni obnoxius; deinde improbus pietatis ſimulator. Argumenti pars utraque, ſi imagines & dictionem ſeorſum ſpectes, varie potius & eleganter quam elate tractatur. Quod ſi totum hujuſce odæ apparatum & quaſi ſcenam contemplamur, nihil facile poteſt eſſe magnificentius. Deus univerſum genus humanum ſolenni edicto convocat, ut de populo ſuo judicium publice exerceat; ponitur in Sione auguſtum tribunal:

אל אלהים יהוה
דבר ויקרא ארץ
ממזרח שמש עד מבאו
מציון מכלל יפי אלהים הופיע:

Deus Deorum Jehova
Locutus eſt & convocavit terram,
Ab ortu ſolis ad ejus occaſum:
Ex Sione perfectæ pulchritudinis Deus exortus eſt.

Depingitur Dei advenientis majeſtas imaginibus a deſcenſu in montem Sinam petitis, qui, uti prius notavi, in hujuſmodi materia eſt communis ille locus, unde plerumque ſumitur exornatio.

יבא אלהינו ואל יחרש
אש לפניו תאכל
וסביביו נשערה מאד:

Adveniet Deus noſter, nec ſilebit;
Præcedet eum ignis edax,
Et circumfremet vehemens turbo.

Cœ-

Cœlum & terra invocantur divinæ justitiæ testes, formula Hebrææ magniloquentiæ vix minus usitata *:

יקרא אל השמים מעל
ואל הארץ לדין עמו:

Advocabit cœlos ex alto;
Et terram, ut judicio contendat cum populo suo.

Tum demum inducitur Dei ipsius sententiam dicentis augustissima persona, per reliquam oden continuata; unde cum cæteris ejus partibus admirabilis illa exordii majestas & splendor communicatur. Habet Horatius oden non absimilis argumenti **; quod & suo more, hoc est, varie atque eleganter, & præter morem hominis a divina veritate alieni pie etiam & graviter tractavit: verum in hujusmodi materia summus ille sublimitatis gradus, quem assecutus est psaltes, soli conceditur musæ Hebrææ; nulla enim alia vel religio vel historia poetica tam grandem habet rerum apparatum, aut satis pulchras & excelsas imagines, unde æque nobilis scena ullo modo extrui atque exornari possit.

Alterum quod proponam exemplum eo quidem a priore erit aliquantum dissimile, quod ipsum odæ argumentum summam in se majestatem habet & splendorem; non tamen minima sublimitatis pars universæ poematis formæ ac dispositioni debetur. Psalmo vicesimo quarto occasionem præbuit sacrosancta Dei arca in montem Sionem a Davide inducta *** (113). Celebrabatur arcæ translatio summa populi frequentia, summo, ut par erat, totius apparatus splendore; siquidem hoc modo consecrabatur publici cultus sedes divinitus electa, Dei manifesto præsentis domicilium, fiebatque Jehovæ regnantis in solium suum deductio, & quædam quasi solennis inauguratio. Arcam comitabatur universa Israelitarum natio: Levitarum gens pompam ducebat, & voce & varii generis instrumentis musicis canentes. Hanc autem oden tum videntur populo præcinuisse, cum ventum esset ad montis verticem. Exprimit odæ exordium supremum atque infinitum Dei dominium creationis jure fundatum.

ליהוה הארץ ומלואה
תבל וישבי בה:
כי הוא על ימים יסדה
ועל נהרות יכוננה:

Jehovæ est tellus & plenitudo ejus;
Orbis, quique eum incolunt:
Ille enim supra maria eum fundavit,
Et supra flumina eum stabilivit.

Quanti itaque erat favoris, quam eximia propensæ voluntatis significatio, in universo & communi illo imperio peculiarem sibi sedem & populum eligere? Quos sanctitatis, justitiæ, & virtutum omnium fructus reddere decebat gentem tam singulari beneficio obstrictam? *Ecce*, inquit Moses Israelitas alloquens: *Jehovæ Dei vestri sunt cœli, & cœli cœlorum, & tellus, & quicquid in ea continetur: nihilominus majores vestros amore complexus est, & eorum posteros, vos nimirum ipsos, ex omnibus populis elegit, uti videtis. Quocirca circumcidite cordis vestri præputium, neque cervicem vestram amplius indurate.* Eademque plane est Davidis hoc in loco, quanquam paulo minus explicata, argumentatio:

מי יעלה בהר יהוה
ומי יקום במקום קדשו:
נקי כפים ובר לבב
אשר לא נשא לשוא נפשו
ולא נשבע למרמה:
ישא ברכה מאת יהוה
וצדקה מאלהי ישעו:
זה דור דרשיו
מבקשי פניך * יעקב:

Quis ascendet in montem Jehovæ;
Et quis stabit in sede ejus sanctitatis?
Immunis manibus, & purus corde;
Qui per vana numina animam suam non obstrinxit (114),
Nec juravit fallendæ fidei consilio.
Is reportabit benedictionem a Jehova,
Et justitiam a Deo ejus sospitatore.
Talis sit gens, quæ illum quærit;
Quæ visit faciem Dei Jacobi.

Ha-

* Confer *Deut.* XXXII. I. *Isai.* I. 2.
** Vide *Horat.* Lib. III. Od. XXIII.
*** Vide 2. *Sam.* VI. 1. *Paralip.* XV.

* Omnino legendum, vel cum LXX. *Vulg. Arab. Æthiop.* פני אל יעקב; vel cum *Syro*, פניך אל יעקב, quod perinde est. Sacrosancta arca, eique insidens שכינה, Symbolum illud divinæ præsentiæ, appellatur facies Dei, & quærere faciem Dei, est coram arca comparere, ad sanctuarium Deum colere; quod ter quotannis Israelitas facere oportebat. Vide 2. *Sam.* XXI. 1. 2. *Paral.* VII. 14. *Ps.* XXVII. 8. *Exod.* XXIII. 17.

דרשו יהוה ועזו
בקשו פניו תמיד:

Quærite Jehovam, & ejus robur;
Semper visite faciem ejus.
Ps. CV. 4.

Ubi notandum, עזו parallelum esse & synonymum פניו ibid., & arcam Dei significare: confer *Ps.* LXXVIII. 61. CXXXII. 8. Nihil agunt, qui ex recepta lectione commodum sensum extorquere conantur (115). Porro commate nono repetendum existimo verbum והנשאו in forma *Niphal*: ita legisse videntur *Vett. Intt.* omnes.

Hactenus itaque exponitur, quam eximia esset Dei in Israelitas benevolentia, iisque contra quam infinitæ ad colendam pietatem essent impositæ obligationes, eo quod omnium creator & dominus inter eos peculiari modo versari, atque iis sese præsentem exhibere dignaretur. Jam ad tabernaculi fores accedit pompa: dum arca infertur, Levitæ in duos choros divisi, quod reliquum est odæ, alternatim canunt. Ea cantus alternatio potuit quidem fortasse per totum obtinere; in extrema certe odæ parte manifeste deprehenditur. Hujusce autem dialogismi, seu rem ipsam, seu dictionem, imagines, & figuras spectamus, est quædam simplex & minime arcessita, ideoque vera summeque admiranda sublimitas:

שאו שערים ראשיכם
והנשאו פתחי עולם
ויבוא מלך הכבוד:
מי זה מלך הכבוד
יהוה עזוז וגבור
יהוה גבור מלחמה:
שאו שערים ראשיכם
ושאו פתחי עולם
ויבא מלך הכבוד:
מי הוא זה מלך הכבוד
יהוה צבאות הוא מלך הכבוד:

Tollite capita vestra, o portæ;
Vosque exaltemini, æternæ fores (116),
Et intrabit rex gloriæ.
Quis est rex ille gloriæ?
Jehova robustus & potens,
Jehova potens belli.
Tollite capita vestra, o portæ;
Vosque exaltemini, æternæ fores,
Et intrabit rex gloriæ.
Qui vero est rex ille gloriæ?
Jehova armipotens, ille rex est gloriæ.

Videtis, academici, hujusce psalmi pulchritudinem & sublimitatem ita conjunctam esse cum ipsa rerum & temporum occasione, cumque tota ejus solennitatis, cui accommodatur, scena, ut nisi omnia isthuc referremus, non modo periret vis ejus & gratia præcipua, verum ne constaret quidem sensuum, verborum, atque ordinis ratio. Quid itaque de aliis quam plurimis statuendum arbitramini, quibus omnem historiæ lucem invidit vetustas (117)? quantum est, quod in sacris carminibus hac ex parte perdidimus? quantum elegantiæ & decoris velavit, suppressit etiam, & penitus extinxit, rebus ipsis & argumento jampridem inducta obscuritas, Quam sæpe usu venit, ut omnino nos lateat alicujus poematis scriptor, ætas, occasio; quanto etiam sæpius, ut summa in ignoratione versemur plurimarum rerum factorumque, quæ principi materiæ adhærent, & universo carmini præcipua ornamenta administrant? Hoc habet aliqua saltem ex parte nobile illud Deboræ canticum: eademque videtur esse psalmi sexagesimi octavi ratio; quanquam appareat saltem affinis esse argumenti cum superiore illo, de quo modo egimus, cum nota illa formula, in translatione arcæ solenniter usurpata, exordii loco utatur.

יקים אלהים יפוצו אויביו
וינוסו משנאיו מפניו:

Exsurgat Deus; dissipentur ejus inimici;
Et fugiant a facie ejus qui eum oderunt.

Sed ex omnibus fere causis nobilissimo poemati plurimæ insederunt obscuritates: alioquin habuissemus profecto singulare quoddam incredibilis sublimitatis exemplum, cujus jam sparsos tantum radios, & ex densis veluti nubibus vix eluctantes, merito tamen admiramur (118).

In altero illo quod statui genere, cujus nimirum sublimitatem unice sustentat conceptuum magnitudo & vis dictionis, sine peculiari aliqua totius formæ magnificentia & pulchritudine dispositionis, egregium habemus exemplum, oden Mosis ευχαςιστικην post transitum maris rubri *. Carmen hoc est ex omni parte nudum imprimis & simplex; nihil habens artificii, nihil in rerum sive inventione sive ordine exquisitum. Naturæ solummodo & affectuum vocem audimus: ultro qua licet erumpit gaudium, admiratio, & cum pia veneratione conjunctus amor. Unice obversatur Israelitarum animis ingens prodigium divisi maris, fluctuum dum ipsi transirent utrinque cumulatorum, obrutorum denique aquis refluentibus hostium: hæc omnia, ut possunt, exprimunt; abrupte, intercise, fervide, exultanter; singula breviter, eadem tamen sæpius efferentes:

אשירה ליהוה כי גאה גאה
סוס ורכבו רמה בים:

Cantabo Jehovæ, quia magnifice sese extulit;
Equum equitemque in mare dejecit.

Hoc est odæ προασμα, idemque versus intercalaris a mulierum choro inter canendum iden-

* *Exod.* XV.

identidem insertus, quo breviter exprimitur universi carminis argumentum: nihilo tamen minus eodem res paulum variata dictione, & figuris diversis, crebro iteratur.

מרכבת פרעה וחילו ירה בים
ומבחר שלשיו טבעו בים סוף:
תהמת יכסימו
ירדו במצולת כמו אבן:

Pharaonis currus copiasque in mare dejecit;
Et in mari rubro demersi sunt electi ejus duces.
Operuerunt eos abyssi;
Descenderunt in profunda, sicut lapis.

Atque iterum:

אמר אויב ארדף אשיג
אחלק שלל תמלאמו נפשי
אריק חרבי תורישמו ידי:
נשפת ברוחך כסמו ים
צללו כעופרת במים אדירים:

Dixerat hostis, persequar, adsequar;
Dividam spolia, exsaturabitur anima mea;
Stringam gladium, exscindet eos manus mea:
Spiritu tuo flavisti; operuit eos mare;
Demersi sunt, ut plumbum in aquis ingentibus.

Nec id satis:

מי כמכה באלם יהוה
מי כמכה נאדר בקדש
נורא תהלת עשה פלא
נטית ימינך תבלעמו ארץ:

Quis tui similis inter Deos, Jehova!
Quis tui similis, verendus sanctitate!
Terribilis laudum, faciens mirabilia!
Extendisti dextram; absorbet eos tellus.

En veros animi commoti impetus! germanam naturæ vim, nunquam arti concessam! affectus vix eluctantes, pariter laborantes rerum copia atque inopia verborum, eoque ipso sese efferentes expressius! Recitanda esset tota ode, si singulas ejus partes recensere vellem, quarum laudanda esset sublimitas. Unum tantum adnotabo, quod & in universa Hebræorum poesi locum habet, & in hoc poemate præcipue cernitur: nimirum dictionis brevitatem unum esse maximum subsidium sublimitatis. Rerum ponderi plerumque officit diffusa & exuberans oratio: quantum sano corpori carnium & obesitatis addideris, tantum detraxeris de vigore & viribus. Hebræi, si universa spectes, sunt largi, copiosi, uberes; si singula, parci, restricti, pressique, variando, repetendo, subinde addendo, amplificant: tota quidem res fuse interdum tractatur, sed iteratis crebrisque & per omnia brevibus & nervosis sententiis; ita ut nec copia, nec vir desit. Debetur isthæc brevitas, cum linguæ ingenio, tum etiam naturæ carminis Hebræi: ideoque huic parti ut nullæ plerumque versiones satisfaciunt, ita minime omnium versiones metricæ.

Hujusce brevitatis dictionis cum rerum copia conjunctæ, idemque sublimitatis in hoc genere insigne exemplum apponam psalmi vicesimi noni. Demonstratur supremum Dei dominium, & immensa potentia, ex horribili fragore & admiranda vi tonitrus, quem Hebræi Dei vocem appellant: ejus effectus describuntur. Hanc oden, cum ne soluta quidem oratione ita reddi possit, ut per omnia servetur brevitas, totidem versibus anapæsticis utcunque exprimere conatus sum.

PSALMUS XXIX.

Regum domino cedite, reges,
Cedite summi decus imperii.
Date, quos meruit nomen, honores;
Adytis Deum adorate sacratis,
Sonat horrendum magna Dei vox!
Æthere ab alto Deus intonuit;
Æquore vasto superintonuit
Valida, augusta, decora, Dei vox!
Ruit ingenti turbine cedros,
Ruit umbrosi cedros Libani.
Quatitur Libanus, subsilit Hermon;
Ut vaga lato bucula campo,
Levis in montibus ut saltat oryx.
Ruptis rutilant nubibus ignes;
Deserta tremunt; tremit alta Cades:
*Sylva gemit; querceta * laborant;*
Den-

* יחולל אילות, *dolore afficit quercus*. אלה, sive etiam אילה, est quercus: certe in hoc sensu sæpe occurrit hæc vox in plurali numero forma masculina inserto י, אילים. Et ita accepit hoc in loco interpres *Syrus*; qui reddit, דמזיע אילהא. Nam verbum זוע apud Syros, ut apud Hebræos etiam & Chaldæos, notat motum aut agitationem in genere, neque dolores partus speciatim respicit; uti neque ad eum sensum necessario restringenda est vi forma *Piel* verbum יחולל. Vide *Isai.* LI. 9. Vox autem אילהא, quanquam pro quercu suo in loco non compareret in lexicis Syriacis, tamen in versione Syriaca quater occurrit in hoc sensu, Hebrææ voci אלה respondens; 2. *Sam.* XVIII. 9. 10. & 14. adeoque hoc etiam in loco pro quercu ponitur. De cervis parturientibus hæc vulgo accipiunt interpretes, quod cum cæteris imaginibus hic usurpatis parum convenit vel natura vel etiam dignitate: nec mihi persuadent, quæ ad rem ipsam confirmandam afferunt, imprimis doctissimus *Bochartus*. Hieroz. Part. I. Lib. III. Cap. 17. Optime autem huic loco congruit imago quercuum fulmine tactarum. Atque idem etiam Bochartus vocem אילה, perperam itidem de cerva a Masoretis cæterisque interpretibus intellectam, de arbore interpretatur in pulcherrima explicatione loci obscuri *Gen.* XLIX. 21. quam vidisse non pœnitebit, ibid. cap. 18. (119).

Densis nudantur nemora umbris;
Subitoque jacent perculsa metu
Hominum corda, agnoscuntque Deum.
Deus undantem regit Oceanum;
Rex æterno sedet in solio:
Populumque Deus sibi dilectum
Viribus, opibus, pace beabit.

NOTÆ EDITORIS.

(113) Hoc quo indicio intellexerit noster, non liquet. Difficilis est & periculosa de occasione psalmorum, de quibus inscriptio nihil prodit, disputatio. Hic tamen si conjicere liceat, reprobata eorum sententia, qui Psalmum pro vaticinio habent, Europam a Christo subjugandam prædicente; malim de victoriis Davidis, auspice Deo partis, cogitare, maxime de capta Sione, 2. *Sam.* V. quæ loca, cum jam olim Melchisedeci tempore Jehovæ sacra fuerint, antiquas ingredi portas verus Deus optime dici potuit, v. 7. prisco sacello recuperato. His victoriis aptum est exordium, jus Dei in universam terram canens, & epinicium in finem Psalmi: quæ autem de monte sacro v. 3. seqq. leguntur, indicio sunt, non provincias in Syria Arabiave, sed urbem sanctam recuperatam cani. Quod si omnino placeat, arca Sionem deducta Psalmum factum esse, recentis tamen victoriæ, captæque urbis, cogitatio nunquam, dum eum interpretamur, ex animo demittenda est.

(114) Melius: *qui per vitam suam non pejeravit.* נשא לשוא est sine dubio, non, per vana numina jurare, sed, *pejerare:* quod ex loco *Exod.* XX. 7. discitur. Proprie est: *ad mendacium proferre*, seu, *nominare*, nomen Jehovæ, vitam suam, urbes sacras, (*Ps.* CXXXIX. 20.) sive aliud quid sacri charique. In templo autem jurandi locus, 1. *Reg.* VIII. 31. 32. nec solemniora sacramenta sine sacrificio: unde hic mentio expressa perjurii, q. d. *nemini ibi locus perjuro.*

(115) Quid tamen in hac sententia desiderati possit, non video: *quærentes faciem tuam sunt Jacobus:* i. e. ii demum Israelitæ veri, dignique hoc monte habentur, qui tuam faciem quærunt. Veteresne, quos citat noster, legerint אל יעקב, an cum non paucis interpretum יעקב elliptice poni pro *Deo Jacobi* crediderint, incertum est. Arabis certe & Æthiopis nulla in variis lectionibus Psalmorum existimandis autoritas numerusve, Græca interpretantium, non Hebraica. In Psalmis idem de Vulgata versione plerumque tenendum, alibi meliore & magis sua.

(116) Mallem, *portæ antiquæ:* i. e. veri Dei cultu jam olim nobilitate. Sic montes ab omni jam tempore nobiles הררי קדם & גבעות עולם Jacobo Mosique dicuntur. Sensus est: portas, humiles antea, certe Jehova non dignas, augustiores jam & majores fieri debere.

(117) Hoc vero nostri observatum magnopere velim ab interpretibus Psalmorum teneri; quod qui non faciunt, in triplicem fere incidere errorem solent. Sunt, qui ex historia Psalmos interpretantes, ita agunt, ac si omnia nossent, nec quidquam sub regno Davidis accidisset, quod non memoriæ sit proditum. Id vero in tanta historicorum sacrorum brevitate, rerumque gestarum magnitudine & multitudine, veri est dissimillimum. Plerumque bellorum ne caussæ quidem narrantur, ex præliis pauca, eaque majora. Quis quæso rei bellicæ non imperitissimus dubitabit, quin inter exitum Davidis, Hierosolymam defendere non audentis, illamque atrocem pugnam, quæ rebellionem Absalomi exstinxit, multa intersint, quæ reticentur: castra sapientissime capta tuto in loco, iterumque mota, collectus undique veteranus miles, non pauca etiam minora prælia, quibus victor, exercituque jam aucto, rex exsul, in montibus antea hærens, audebat jam aperto Marte confligere? Hoc ipsum ultimum prælium cum cis Jordanem in silva Ephræmitica commissum sit, quis non intelligit, aliquid accidisse, quod Absalomum, jam trans Jordanem castra habentem, regredi in Palæstinam proprie sic dictam cogeret, forte ut regiam urbem tueretur. Aut qui historiam 2. *Sam.* VIII. 13. cum Psalmo LX. contulerit, poteritne non intelligere, inter victorias a Syris & Idumæis reportatas infausta non pauca intercessisse, resque infeliciter in ipsa Palæstina gestas fuisse, ut urbs etiam regia in summum discrimen adducta sit. Idumæis in vallem salis, vix unius diei itinere distantem, penetrantibus? Hæc tanta si omittuntur, si ne Assyriorum quidem in libris Samuelis satis expressa mentio, quibuscum sine dubio bellum gessit David, *Ps.* LXXXIII. 9. quid sperabimus alia minora memoriæ prodita esse, quibus in carmine varie ornando maxime uti poetæ solent; valde illi displiciturі, si prælia tantum, non & singulorum fortia facta, describerent magnarumque rerum imagines parergis ornarent & perficerent, quibus vix ullus in historia locus, majora tantum commemorante. Pacis autem miracula, quibus respublica sub Davide floruit, solo bello tantos auctus non captura, omnia pene subticentur. Sed ut illuc redeam, unde diverti, hi qui non suspicantur, maximam se partem historiæ ignorare, plures quam fas est Psalmos eadem de re explicant, quam forte ex historia norunt: unde fit, ut languere carmen, solisque abundare verbis, videatur, nulla scenæ varietate delectans.

Alii magna utuntur fingendi licentia, quamque ex commentariis antiquorum haurire nequeunt, solo se ingenio supplere posse sperant historiam: quo in genere non pauca peccasse videtur, qui vitam Davidis scripsit, *Patricius Delany*. Exemplo sint, quæ in capite VII. tomi III. ex Psalmis XXXVIII. & XXXXI. comminiscitur, Davidem eo tempore, quo rebellionem coquebat Absalomus, variolis laborasse: (ignoto quidem illis temporibus morbo, & ex quo rex grandævus vix sine miraculo convalescere potuisset) atque, ne quid fingendi temeritati desit, ex earum confluxu oculorum usum per aliquot dies amisisse.

Plerique ad sententias morales, & sensus mysticos confugiunt, aut quæ non intelligunt historica, vaticinia esse jubent: nihil horum facturi, nisi nihil historiæ se ignorare putarent.

Nos quidem ingenue multarum rerum, ut Lowthus facit, fateamur ignorantiam, qua & perspicuitati psalmorum, & vero decori eorum poetico, non parum decedit. Quid utrique præstet paulo copiosior historiæ cognitio, intelliget, si quis ea relegere non dedignetur, quæ n. 100. & 107. de Psalmis XXIII. & XXXXII. scripsimus. Ipse ille tam male a Delanio habitus Psalmus XXXXI. quem in tempora rebellionis Absalomicæ incidere, & v. 10. signari Ahitophelum, nemo non dederit Delanio, quam lucet, quam fit ornatior, sententiisque quam verbis abundantior, si feliciore aliquo conjectu evolvas 2. *Sam.* XVII. 27. -- 29. Ex nostra enim sententia David Barsillæo, aliisque bonis civibus, qui sui egentis & exsulis curam susceperant, totumque ejus aluerant exercitum, fausta & prospera quævis a Deo adprecatur, simulque de aulicorum perfidia, qui ipsum Absalomo prodiderant, Ahitopheli similiumque, conqueritur. Psalmum tertium sine historia legens, in versu 7. & 8. nihil reperiet, nisi locos communes de tutela Dei, fiduciaque in illo collocanda: at idem si ex 2. *Sam.* XVI. 1. -- 23. didicerit, eo ipso tempore, quo rex cis Jordanem securus dormiebat, gravissimum ei imminuisse periculum, quo perfunctus pene jam evasisse videretur, nec eum deinde habuisse, cur infinita millia non militum sed civium timeret, pravo consilio lente armanda, quibus in desertis defuturus commeatus erat: næ ille jam se aliquid legere magnum & attentione dignum sentiet.

Fateor multum nos semper in historia Davidis ignoraturos: suspicor tamen, ex his ipsis, quæ supersunt, monumentis multa passim sparsa & ignorata colligi, uberioremque tanti & viri & regis historiam conscribi posse: ac, si quid de me profiteri licet, nonnunquam consilium cepi, vitam Davidis scribendi. Eas certe res gessit, ut cum maximis nostri seculi regibus com-

comparari queat: magni, licet non diuturni, imperii fundator, imperator maximus non miles deterior, autor præterea disciplinæ militaris & artis bellicæ, quæ ante ipsum vix ulla in populo Israelitico fuerat.

(118) Supra professus, in odis Davidicis me non tam sublimitatem admirari quam suavitatem, hanc tamen unam excipio, qua nihil in Psalmorum libro sublimius legere memini. Digna hæc oda, de qua in epimetro agam huic prælectioni attexendo.

(119) Si placuisset, אילות de arborum genere interpretari, tanquam pro אילים positum: terebinthos scribere debuisset, non quercus. Vide omnino Celsii hierobotan. P. I. pag. 34.---- 37. אלון quercus est, a qua diversam arborem esse אלה, lecto Hoseæ loco, c. IV. 13. in dubium vocari non poterit. Nullam tamen caussam video, cur a punctis discedendum, proque Ajjaloth legendum sit Eloth, idque pro masculino אילים habendum. Egregie sententia ex verbis exsistit, si ita exponas, *lustra ferarum vastat Deus, prostratisque silvis luctum cervis facit*. Cervæ nominatæ videbuntur, ut mitis atque doloris capax fera, ad nostram etiam curam & miserationem pertinens. Sin placeat יחולל primo significatu, ex quo est, *tremere*, accipere: non inornatior prodibit sententia, *altis in silvis ipsas intremuisse feras*. Hæc enim, quæ historico philosophoque minuta sunt, poeta non indigna sunt, imaginemque gravis tempestatis, minutis etiam parergis ornandam, perficiunt. Quamquam nec video, cur Bocharti explicatio admitti nequeat. His ergo ita comparatis, cumque copia potius bonarum explicationum laboretur: quid opus est, puncta deserere, insuperque generis anomaliam sancire? Sed fraudi fuit nostro, quod putabat אילים quercus esse, cujus arboris mentio descriptioni tempestatis inprimis apta.

EPIMETRON EDITORIS
DE PSALMO VIGESIMO NONO,
ET SEXAGESIMO OCTAVO.

NOn omnem Psalmi XXIX. pulcritudinem lectoribus spectandam præbuisse, nec æque feliciter ac fervide, ut alia Hebræorum poemata, versibus eum Latinis expressisse Lowthus videtur. Aliam ergo ejus versionem, illustratam subinde atque ubi opus fuerit vindicatam, subjiciam, soluta tamen oratione, non carmine conceptam: vereor enim, ne Musis Latinis pœnas debeam intermissæ per X. aut XX. annos consuetudinis nimisque adamati carminis Germanici, nec tam desipio, ut mea carmina cum Lowthianis comparari, id vero est, displicere & fastidiri velim.

Sit autem animo inter legendum infixum alte & præsens, ubi terrarum, & qua in gente, Dei majestatem a tonitruum terrore laudet vates: in Palæstina nempe, cui tempestates ab Occidente aque mari mediterraneo ingruunt, gravissime in juga Libani detonaturæ, indeque Arabiæ deserta petituræ; interque Israelitas, quibus fulmen currusque tonans, prorsus ut Græcis, insigne veri summique Dei, cui hoc telum, hocque solium, ipsi etiam vanorum numinum cultores sacrum suumque relinquebant. (Vide col. CCLXVI. seqq.) Eidem tonanti Deo, volucrem currum agenti, septenarium etiam numerum dicari meminerimus: huc enim spectat artificium psalmi, septies illud, קול יהוה (*vox Jehovæ*, seu, *tonitru*) repetentis, ut mystici etiam numeri usu, omnem tonitruum gloriam terroremque principi Deo consecret, qui septem diebus cœlum terramque perficiens septimum sibi diem festum esse statuit. Cui numero nisi aliquid dedisset vates, versus quartus, me quidem judice, abesse potuisset. Sic ergo poeta:

Date Jehovæ, filii Deorum *,
Date Jehovæ gloriam honoremque:
Date Jehovæ gloriam nominis ejus
Adorate Jehovam in ornatu sancto **.
Fragor Jehovæ aquis *** *incubat:*
Deus gloriosus intonuit,
Jehova (intonuit) *super aquis multis.*
Fragor Jehovæ est fortitudo ****

Fra-

* Filii Deorum vanorum numinum cultores sunt, *dicentes ligno, pater meus tu es: lapidique, tu creasti me: Jer.* II. 27. Confer ad phrasin, Num. XXI. 29. *Malach.* II. *Genes.* VI. 1. (ubi religiosi, a Jehova cognominati, *c.* IV. 26. *filii Dei* vocantur, irreligiosi contra *filii hominum*) *Ps.* XIV. 2. (ubi filii hominis non sunt omnes in universum homines, oppositi quippe populo Dei *v.* 4. oppressis ad Deum fugientibus, *v.* 6. captivis ex populo Dei *v.* 7. sed *stulti, Deum tacita cogitatione negantes v.* 1.) *Hos.* II. 6. 7. Hæc ergo qui numina, nunquam tonatura, venerantur, jam ubi summum unicumque Deum in nubibus præsentissimum, suisque imminentem capitibus, exhorrescunt, gloriam ei & honorem tribuant. Confer *Jerem.* X. 11. ---- 13. Filios autem interpretor, non magnatum, sed Deorum: partim, quod אלים sine Jod scriptum Deos, cum Jod אילים magnates significare solet: partim, quod non adparet, cur nobilium solorum mentio fiat in describendo terrore fulminum, cujus major longe laus est, quod ad summos pariter & imos pertinet. Melius his interpretibus Virgilius:

& mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor.

** i. e. ejus jam festum agi existimate, dum in nubibus præsens adest, sanctasque ei vestes sumite.

*** Tonat eminus in mari mediterraneo, ex quo nimbi Palæstinæ ingruunt.

**** Solent Arabes prædicato præpositionem ב præmittere: idemque, quamquam rarius, faciunt Hebræi: cujus constructionis exempla Schultensius in Proverbiis Salomonis passim observavit. Plura si cupias, adde *Lev.* XVII. 14. Num. XXIV. 7. *Jer.* XVII. 3. הדר suspicor, proprie *splendorem* esse, nec tamen certi quid de etymo habeo. Sententiam puto: *fortiora jam ingruunt tonitruum murmura: fulminibusque terra resplendescit.*

Fragor Jehovæ est coruscus splendor.
Fragor Jehovæ frangit abietes;
Frangit Jehovæ abietes Libani
Illasque ut vitulum saltare docet;
*Subsilire docet Libanum Siriumque ut bovem ferum juvenem *.*
*Fregor Jehovæ spargit ** flammas igneas.*
*Fragore Jehovæ intremuit *** desertum:*
*Tremuit Jehovam desertum Kades ****.*
Fragore Jehovæ tremuere cervæ †.
Nudatque silvas ††,
Dum templum ejus universum laudibus resonat.
Jehova consedit ad diluvium †††.
Sedetque Jehova rex sempiternus ††††.
Jehova vires addet populo suo,
Incolumique illi benedicet.

* Qui sint ראמים, post multas aliorum lites docuit Schultensius ad Jobum. Sirion nomen barbarum est summi Libani jugi, sub quo Jordanes erumpit. *Deut.* III. 9. Fragore tonitruum abietes valde tremunt, late sparsas habentes, sed non altas radices: quæ omnia in majus auget poeta. Est etiam id moris poetice, quod tempestatem per montes euntem, utpote ubi graviora tonitrua, describere amant.

Ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit.

** חצב proprie est, *spargere*, *diverberare*: unde & Hebræis de fissione ligni adhibetur, tanto ictus impetu, ut dissiliat spargaturque; & Arabibus حاصب est, *glaream spargens ventus*, atque haud scio an & fulmina, seu potius lapides tonantis Dei spargens. Muhammedes enim, qui alias narrare solet, Sodomis immissos lapides سجيل, (i. e. lateres in cælesti officina coctos, ejus signatos nomine, quem divinitus ferient; nostri Donnerkeile dicunt) *Sur.* LIV. 34. narrat, حاصبا, *ventum lapides spargentem* immisisse illis Deum. Nostri loci sensus est, tanta vi nubila quatere Deum, ut dissiliant, erumpentibus fulminibus.

*** Vide orationem meam *de felicibus connubiis aliarum disciplinarum cum philologia Orientali*, pag. 37. not. ***.

**** Descriptio pergentis in Arabiam tempestatis. Solent alias Hebræorum poetæ, divitias tanquam laudaturi Dei, commemorare, deserta non minus quam culta ejus imbribus rigari, ut habitari a feris possint. *Ps.* LXVIII. 11. *Jes.* XLIII. 20. *Job.* V. 10.

† Sitne tremere idem quod timere, an, ex vicino partu tremere, ante tempus, terroris magnitudine parere, pro certo non dixerim. Hoc grandius.

†† Denudare silvas est, late silvis stragem inferre, ut nuda tellus, nullis amplius vestita arboribus supersit. Cervarum tamen cum mentio vixdum facta sit, possis etiam vertere: *abortum facit silvis*, i. e. tanto silvarum incolas terrore perstringit, ut tota pene nemora ante tempus parturiant. Arabibus enim خشف pullus est dorcadis, Hebræis חשיף, unde خشف (חשף) abortum facere.

††† i. e. horrendos imbres demittit, late in vallibus stagnaturos.

†††† Fulminum terrore hostes arcebit. Meminerimus fabule de gigantibus a Jove prostratis, non quod illuc alludere Davidem putem, sed ut sanctam imaginem ex ficta illustremus.

His adjungere lubet de psalmo LXVIII. reliquos Davidicos, ut supra dixi, sublimitate vincente, ac Mosaici pœne ingenii, aliqua: totum enim non intelligo: inque his ipsis, quæ poliendo carmini pulcherrimo, & detergendæ tanquam ejus ærugini, adfero, sunt etiam incertiora. Id manifestum, initium psalmi, & minimum XIV. primos versus, non de victoriis Davidis agere, sed de itinere Israelitarum per desertum, rebusque sub Mose & Josue fortiter gestis: ut mirum profecto sit, tot interpretes filum orationis non obscure nexum ex manibus dimittere, tamque errare graviter potuisse. Ad victorias enim Davidis quid Sinai? quid det per deserta iter.? omnisque illa latæ legis scena?

Etiam hoc liquere arbitror, plura Dei sanctuaria cani, hocque ad argumentum psalmi primarium referendum esse. Habemus Sinai montem a Deo habitatum, Basanem illi sacrum, Hierosolymitanum collem, reliquis prælatum, magnamque intrantis numinis pompam: forte & v. 19. augustius Dei & cœleste sanctuarium, terrestri oppositum: quæ universa versu 36. uno *sanctuariorum Dei* nomine, pluraliter posito, indicantur. Hæc de argumento psalmi præfatus, quæ tanquam per transennam vidisse mihi videor, non nego, inde a versu 18. filum orationis ipsi mihi tanquam e manibus dilabi.

Deum ergo, Phœnicas victurum, his alloquitur verbis poeta, quibus Moses consueverat, cum castra moverentur: Num. X. 35. hortaturque eum ad eas victorias, quas jamdudum ab hostibus reportarat. Nempe est poetarum, res præteritas ita canere, ac si nunc demum gererentur.

Surgat Deus, diffluant hostes ejus,
Fugiantque eo conspecto inimici.
*Ut dispellitur fumus, dispellentur *,*
Ut cera liquescit igne:
*Sic dispergentur rei ** coram Deo.*
Justi autem gaudebunt,
Exultabunt coram Deo,
Et impense lætabuntur.

Au-

* Sublimis imago, & valde poetica. Fumus ad æthram surgens, terribilis conspectu, nisi experientia nosses, quam sit inanis. Cælo minari videtur: at ubi fortior ventus incidit, quam dissipatur? fugit? evanescit? Similes illi gigantes, & quicunque gigantum more cælum oppugnant.

תנדף non verti, *dispelles*, qua asperitate decori carminis aliquid decedere arbitror, sed passive: cum antiquis enim, LXX. Ar. Vulg. Syr. Chald. ינדפו legentibus, malim facere, quam cum lectione Masorethica.

** רשעים non sunt Hebræis *impii*, sed injusti, sensu forensi, justis oppositi, id est, rei, aggressores. Vide Exod. II. 13. Erit alibi locus, hoc ex philologia probandi: hic tantum moneo, hostes populi Dei sisti,

Audit jam Deus, adventat: magno regi, ejusque exercitui paratur via: ipse simul & a molli in miseros adfectu laudatur, & ab omnipotentia, qua res veri dissimillimas perficit:

Canite Deo, psallite ipsi:
Viam parate invecto per deserta
*Cujus * nomen recreat, ergo exultate coram eo.*
Pater est orphanorum, vindex viduarum.
*Deus, in sanctuario suo **:*
*Deus improles habitare jubens domum ***,*
*Et vinctos educens in abundantiam ****,*
*Dum oppressores nudas habitant petras *****.*

sisti, ut qui injusto Israelitas bello lacessant, nec possint non caussa cadere. Insignis verbi רשע usus in re bellica, ubi reus dicitur.

Quem damnat labor, & quo vergit pondere lethum.

Vide 1. *Sam.* XIV. 47. Justi, de quibus sequens versus agit, Israelitæ sunt, justum & pium bellum Phœnicibus illaturi.

* Sic explico ביה שמו, puncta addens ביה שמו. Verbum בּיה in Syriasmo superest, sub ܒܝܐ *solari*, quo in verbo cum Olaph non quiescens sit sed gutturale, habeaturque ad modum tertiæ radicalis, He Mappikati, Hebræorum, (vide patris mei Syriasmum pag. 46.) sequitur, ut non cum Hebraico ביא vel בוא, sed cum ביה conferendum sit. Ratio, a recepta versione, *Ja est nomen ejus*, dissentiendi, hæc mihi est, quod ex illa ב præter morem redundat, tam quidem insolenter, ut *Cappellus* & *Houbigantius* maluerint lectionem consonantium proscripta litera ב mutare, quod equidem facere non audeo, cum Symmachus, quintus interpres Græcus, & Hieronymus, sine dubio ב legerint. Nec potest constructio excusari Arabismi prætextu, qui Beth suum essentiæ prædicato præponit, e. g. محمد بمومن. *Muhammedes est in credente*, pro, *est credens*: ad hunc enim modum scribi debuisset, יה בשמו, *Ja est in nomine ejus*. Habemus alium locum, nostro simillimum, in quo itidem ביה nullo sensu ponitur, eadem medicina sanandum: *Jes.* XXVI. 2. Nulla enim hæc nec Hebraica constructio, nec Arabica: *in Ja Jehova est petra æterna*, pro, *Ja Jehova est petra æterna*. At fluet oratio, si ביה יהוה צור עולמים vertas:

Solatur nos Jehova, petra æterna.

Nostri quidem versus hæc erit sententia: *ipso hoc dulci Dei nomine recreamur*, & *erigemur*, *patris orphanorum* &c. Sic est in Somnio Scipionis, c. 1. *conspicio in meo regno*, & *his tectis*, *P. Cornelium Scipionem*, *cujus ego nomine ipso recreor*.

Disco ex Abenesra, fuisse non paucos, quibus Beth radicale visum fuerit: mecumne consenserint ignoro, nec vero in poemate ornando opus duco, horum scrinia compilare.

** i. e. benignum hoc miseris & humilibus numen in sanctuario suo Deum se gerit, Dei majestatem induit.

*** Confer 1. *Sam.* II. 5. *Jes.* XXXXIX. 19. 20. LIV. 2. 3. & maxime *Ps.* CXIII. 9. Est hic ex locis communibus Hebræorum, sobolis cupidorum, quam improli tanto dare numero dicitur, ut totam domum, angustam futuram, habitet, in qua antea solus erraverat.

**** Sic verto ex Arabico كثر *multus fuit*. Solum habeo consentientem Syrum, sed qui & pro argumento est, quod nomine ab eadem stirpe orto uti potuit, ac reponere ܒܘܫܪܐ *felicitatem*.

***** סוררים proprie sunt *malefici*, i. e. injuriis alios adficientes, collato Arabico شر *maleficus*, *injurius fuit*. Oppositi hic vinctis erunt eorum oppressores. Amant has oppositiones in carminibus Hebræi, quarum plenum est canticum Hannæ, 1. *Sam.* II. צחיחה nudam interpretor petram, duce Aquila, cui est λεωπετρία, qua de voce vide Suidam. Nec Aquilæ crederem, nisi consentiret Arabia, cui صخ est *sonus lapidis petræ illisi*. Ejusmodi petra, cujus summa est sterilitas, recte opponitur ubertati & abundantiæ, hostibusque, qui miseros Israelitas oppresserant, relinquitur.

Iter jam ipsum per Arabiam describitur, Sinai, fulminum jactu, forte & terræ motu, intremiscens, cœlumque horrore tanti numinis, nimbis vecti, in imbres solutum, deserta his recreata & virescentia. Hæc vero, hæc imago est, in qua multo lætius nostris poetis Orientales luxuriantur: quod cur faciant, natura illos monente, in nota 22. exposui. Ipsæ illis feræ hoc beneficio lætari videntur, quæ, cum antea magno cum rugitu notos fontes requisivissent, in patrio jam solo sitim restinguunt: quam imaginem perfectius intelligent, qui ex itinerum commentariis meminerunt, quanti ad fontes concursus esse ferarum solent, quanti per noctem ululatus. Lege *Jes.* XLIII. 19. 20. ubi eadem scena informatur, nec de nostri psalmi sententia dubitabis, nisi destinatum sit, mysticis sensibus pasci. Si ergo poeta:

Cum exiret, Deus, ante populum tuum,
Cum gradereris per deserta,
*Terra tremuit *, cœlum stillavit,*
Hic quoque Sinai, præsente Deo,
Præsente Deo Israelis.
Largum, Deus, fundebas imbrem,
*Tuum peculium ** & morientia siti rigabas ***;*
*Animalia sacra **** habitant in eo,*
Miseroque illud benigne rigas.

Per-

* *At vero primi sub lumina solis, & ortus,*
Sub pedibus mugire solum, & juga cœpta moveri
Silvarum —— ——
Adventante Dea.
Virgil. Æn. VI. 255.

** Montem intelligit & desertum Sinaiticum, quæ terra sancta *Exod.* III. 5. a Deo dicitur, atque hic in sanctuariis Dei locum habet.

*** Proprie est, *complanas*. Complanari autem terras dicunt Hebræorum poetæ, cum largo imbre solutæ ac tanquam liquescentes, æquantur. Vide *Ps.* LXV. 10. 11.

**** *Animalia tua*, i. e. animalia tibi sacra. Quæ in loco sancto sunt, ipsa sacra & sub tutela numinis esse putantur animalia: unde & locus difficilior, *Ps.* LXXXIV. 4. explicandus, comparans Davidem hirundini, cutum ad Dei altare nidum invenienti. Apud Herodotum, L. I. c. 159. Aristidi, nidulantes in templi muris aves rapienti, vox reddita: ἀνοσιώτατε ἀνθρώπων, τί τάδε τολμᾷς ποιεῖν; τοὺς ἱκέτας μου ἐκ τοῦ νηοῦ κεραΐζεις; *mortalium pessime quid audes? meosne etiam ex templo supplices rapis?* Arabibus in more. animalia in terra sancta, quam putant, non violare, nec venari. Hujusmodi morem sequutus poeta, animalia etiam deserti Sinaitici, Deo consecrat, ejusque ἱκέτας facit.

Pergit vates ad victos, Moſe & Joſua ducibus, hoſtes, Amalecitas, Ogum, Sihonem, Midianitas, Phœnices; nec victorias narrat, quod hiſtorici eſt, aut mediocris poetæ, ſed lætos videt undique adventantes nuntios, virginum tripudiantium choros, reges interim cum exercitibus longe lateque fuga campum ſignantes, horum ſpoliis molles virgines, ſponſas, matres familias, ditatas, Baſanitidem in poteſtatem redactam, Deoque ſacram. Vereri cum Moſe incipit, ne tribus trans Jordanem portionem optantes, reſidere hic malint, quam bellum gerere, Num. XXXII. 5. -- 15. quas adjurans, ne paſtorali indulgeant otio, novarum victoriarum, rerumque majorum ſpe ſolicitat:

Jehova dat lætum nuntium?
Virginum nuntiantium * *ingens chorus.*
Reges cum exercitibus ** *fugiunt, fugiunt,*
Et habitatrix ædium *** *partitur ſpolia.*
Nolite cubare inter canales ****,
Sub alis columbarum argento obductarum,
Penniſque earum, auro flavis *****.

A ver-

* *Evangelizantes* feminino genere, non ſunt curſores victoriam renuntiantes, ſed tripudiantes, lætoque carmine ac ruſtico acclamantes aliæ aliis, hoſtes victos eſſe. Confer 1. *Sam.* XVIII. 6. 7. 2. *Sam.* I. 20. *Jeſ.* XI. 9. ex quo loco intelligitur, virginum choros ex urbibus collectos montes etiam conſcendiſſe, victoriamque vicinis, fere ut in Gallia factitatum Cæſar narrat, acclamaſſe.

** Ad literam, *reges exercituum*. Sed quia hoc Latinis omnibus barbarum quid ſonat, circumſcripſi, ne elegantiæ officeret.

*** Ex adjectivis eſt poeticis, quibus poetæ pro ſubſtantivis utuntur. Summa laus feminarum in Oriente, gynæconitide contineri.

**** Laboratur obſcuritate rarioris vocabuli, quod præter hunc locum non legitur, niſi *Ezech.* XL. 43. Habemus tamen cognatum משפתים, *Gen.* XXXXIX. 14. *Jud.* V. 16. quod ejuſdem cum noſtro ſignificationis eſſe, ex conſtructionis reliquæque orationis ſimilitudine intelligitur: jam enim dicuntur aliqui *recumbere*, (רבץ, ubi de brutis, שכב ubi de hominibus ſermo eſt) jam, *ſedere inter* שפתים vel משפתים. Nec tria hæc loca, *Geneſ.* XXXXIX. 14. *Jud.* V. 16. *Pſ.* LXVIII. 14. expendenti dubium eſſe poteſt, quin hæc ſeſſio mollioris otii ſit: quare quæ alii de rogis, de tripodibus habent, aut de ſterquiliniis, alii de duplici ſarcina, onere aſini iniquo, repudianda. Iſaſchar quidem in capite 49. Geneſis non ut aſinus nimium oneratus deſcribitur, ſed ut molliter & quiete, ſed ut pigre cubans, ſuoque otio & terræ ubertate fruens: nec qui ſub injuſtis ſarcinis ſuccumbit, ſedere inter illas ad balatus gregis audiendos dici poteſt.

Verum hoc non tempus eſt, aliorum cogitata expendendi, ſed promendi aliquid, quo & perſpicuitati conſulatur & decori poematis. In Ezechiele quidem LXX. שפתים verterunt, γεῖσος κελαξευμένον ἔσωθεν, *tecti prominentiam, qua ſtillicidia excipiuntur, intus excavatam*, id vero eſt, *canales, ſtillicidiis deferendis tecto junctos:* eſtque ea ſignificatio loco Ezechielis in primis apta. Forte eodem redit, quod Aquila habet, ἐπιστασεις. Sed autoritatibus non pugno, licet illas in quæſtione philologica non negligam, ne nova veteribuſque omnibus incognita ſignificatio ſuſpecta habeatur. Omnes autem ut autoritates repudiem, non novi ſignificationem aliam, præter hanc, *canalium*, quatuor locis in quibus שפתים & משפתים occurrit, aptam: quidquid enim confinxerunt interpretes, uni loco commode ſedet, non omnibus. Nec deſtituet nos philologia Orientalis, canales enim, proprie illi, ad quos oves adaquantur, deinde & alii illis ſimiles, ſtillicidia excepturi, dicti, a سقت bibit. Quid jam deſiderabimus in hoc Jacobi carmine:

Iſaſchar ſimilis aſino forti oſſibus,
Cubanti inter canales.
Vidit quietem, quam ſit dulcis,
Terramque, quam ſit fertilis:
Extendi humerum ad bajulandum,
Factuſque eſt ſervus tributarius.

aut in Deboræ cantico, ſegnes ad bellum, nimiaque mollitie & affluentia deſides, objurgantis, *Jud.* V. 16.

Quid ſedes inter canales,
Ad balatus audiendos gregum.

Deſcriptio otii paſtoralis, qualis illa in Eclog. I. Virgiliana:

Fortunate ſenex, hic inter flumina nota,
Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ ſemper, vicino ab limite ſepes,
Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti,
Sæpe levi ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.
Hinc alta ſub rupe canet frondator ad auras,
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo.

Video dualem numerum opponi mihi poſſe, qui nihil ad canales. Ut autem taceam, formam dualem incertam, & ex ſolis punctis ſuſpenſam eſſe, ac facile fuiſſe punctorum autoribus & interpretibus nonnullis antiquis hic errare, quod conſueſſent, iiſdem literis ſcriptum nomen שפתים (*labia*) dualiter efferre; hæc ut taceam, canales, ab utroque latere duplex bibentium ovium agmen admittentes, non inconcinne reor dualiter שפתים dici potuiſſe.

Ad noſtrum jam verſum veniamus, in quo eadem paſtoralis otii imago. Particula אם, *ſi*, quæ hic ut conditionis index accipi nequit, a pleriſque pro *temporis* particula habetur, ſed ſine exemplo: nuſpiam enim אם Hebræis eſt, *quando*, i. e. non de tempore, ſed de conditione ponitur. At longe frequentiſſima, vetandi tanquam per adjurationem formula, ellipſi aliqua ſupplenda: *ita vos feriat Deus*, ſi *hoc vel illud feceritis*. Hoc ergo ſenſu verto: *tantis rebus geſtis, poſtquam tantas vobis Deus largitus eſt victorias, ſi inter greges deſides remanebitis, balatuſque audietis ovium!* Alloqui his verbis poeta videtur tres tribus, trans Jordanem ſedes optantes vitæ paſtoritiæ aptas, quas ipſe Moſes bellum detrectare ſuſpicabatur, non ita duriter cum illis acturus, ſi nulla fuiſſet ſuſpicionis cauſſa.

Hæc poſtquam & ſcripſi, & in collegio critico expoſui, moneor ab auditore inſigniore, Starkio, Meklenburgico, eadem ſignificatione שפתים etiam occurrere in notis Rabbinorum ad tractatum Peah. Edicitur nempe in capite ſecundo libri אפה, i. e. libri qui agit de angulo agri pauperibus relinquendo: hæc agrum ab agro diſtinguere, primo הנחל *fluvium*, qui inter utrumque agrum fluit: deinde השלולית canalem aquæ. Hoc quidem poſterius vocabulum, cujus ſignificatio ſatis certa eſt optimis Miſnæ interpretibus, ita explicat *Ez Hachaiim* השפתים והולכים אליהם הרועים לשקות הצון: *ſunt Sphattaim, ad quæ eunt paſtores, oves adaquaturi*. Quo obſervato non parum confirmari meam explicationem gratus agnoſco.

***** Eſt aut aſyndeton, aut omiſſio particulæ בין *inter*, ante *alas columbarum*. In voluptatibus otii paſtoralis locum non ultimum habent columbæ, quæ & in egloga Virgilii ſupra citata commemorantur. De earum colore, argenti & auri ſplendorem repercuſſo ſole imitante, poſt Bochartum non opus eſt dicere: quamquam hoc ſui quemque oculi, etiam non inſpecto Bocharti Hierozoico, docebunt.

A verſu 15 quæ ſequuntur, ſunt mihi, fateor, perobſcura: ac forte non ſola hic linguæ & hiſtoriæ inſcita, ſed magno etiam laboramus lectionis vitio, verbis non paucis omiſſis, quæ reſtituere inverecundum atque intutum, ſine quibus tamen tranſitus ad rem novam a vate tractatam rite fieri nequit. Hactenus enim Sinai montem Deo ſacrum, caſtra Iſraelitarum mota, primaſque de Phœnicibus victorias habuimus: at verſus *16.* ſine dubio jam loquitur, ſed potius loqui pergit de Sione; quem enim alium montem intelligas, quando David, Sioniticæ areæ dedicator, *hunc*, inquit, *montem habitare cupit Deus*, *habitabitque æternum* *. Huic monti, æternum dilecto, invidere alios montes poeta fingit, altiores & nobiliores, ipſoſque etiam ſub poteſtatem veri Dei redactos: ſed nec nomen ejus apparet uſpiam, nec ullus a victo ante tot ſecula Sichone & Ogo tranſitus ad Sionis dedicationem. Sed forte hæc, quæ deſideramus, latent in verſu 15. uno omnium obſcuriſſimo, quem jam de apoſtolis per totum terrarum orbem dimiſſis, jam de regum inimicorum clade, explicant recentiores, antiquis interpretibus, Græcis & Syro, non hic æquiparandi. Has enim ad res quid Salmonis aut alius montis nives, niſi myſtice eas, nullo exemplo uſus Orientalis, ſola conjectura, ut faciunt, explices? Audi quæſo ſententiam: *Deus reges fugavit*, *ninxitque in Salmone:* hac non meliorem: *Petrus ad Pultavam vicit*, *pluitque in montibus Riphæis*. Quid porro Salmon? qui ſi mons eſt non procul Sichemo, mediocris magnitudine, fama ignobilis, & vix ſemel, idque obiter, Jud. *9.* 48. nominatus, quid quæſo facit ad argumentum noſtri carminis? Ac ne liquet quidem, quo referendum ſit בה, *cum diſſipabit*, vel, *cum conſtituet Deus reges in EA*: ad heriditatem enim v. 10. commemoratam referre & nimis longum, & erat illa hereditas deſertum Sinaiticum, nec conſtitutis nec profligatis regibus nobilitatum: quod autem alii pronomen ad rem referunt nuſpiam nominatam, quam pro lubitu ipſi ſupplent, id & intutum eſt, & ab omni meditati carminis conſuetudine abhorret.

Quid ergo? ſi audeamus, nullo quidem autore pro צלמון illud ipſum, quod verſum inter 14 & 17 deſiderabamus, legere Sionis nomen, ציון? Pleraque ita fient expeditiora, פרש מלכים erit, præeuntibus Syro & Alexandrinis, reges deſignare: cui verſioni non parum inde accedit commendationis, quod potuit Syrus hanc exprimens ſententiam retinere Hebraicum verbum iiſdem literis ſcriptum: ܟܕ ܦܪܫ ܐܠܗܐ ܡܠܟܐ ܒܗ *cum Deus conſtitueret in ea reges:* eſt enim Syris ܦܪܫ primo quidem *diſtinguere*, *ſegregare*, deinde &, *ſegregare ad munus*, *muneri præficere*, quo ſenſu ſæpiſſime occurrit. *In* EA jam pertinebit ad Sionem, cujus nomen ſequitur, eritque emphatice pronomen ante nomen, indicans, Sionis imaginem, ſeu notam & quotidianam, animo poetæ inerrare. Nivis autem mentio, ſub æſtuante illo cœlo gratæ *, ad refrigerium & lætitiam pertinebit; ut Arabibus ثلج eſt, *lætari*, & أثلج *exhilarare*, ſeu tanquam *nivem aliquem recreare*. Forte ergo ita cecinit, ita voluit intelligi vates:

Altiſſimo reges in ea conſtituente
Voluptate perfundebatur Sion.
Mons Dei eſt Baſanitis,
Mons nivalis ** *eſt Baſanitis:*
Quid invidetis, *montes nivales*,
Monti, *quem habitare Deus cupit?*
Jehova vero eum æternum incolet *** *!*

Jam vero caligare mihi oculos ſentio: ſuſpicor equidem, aſcenſum in ſublimius & cœleſte ſacrarium deſcribi; ſed nihil ſatis explorati habeo, nihil quod mihi ipſi ſatisfaciat. Et vero timere incipio, ne juſto loquacior viſus ſim lectoribus, in-

* Conf. *Pſ.* CXXXII. 14.

* Vide locum Jobi, quem col. CCLXXVII. deſcripſi.

** تَجَبَّن (התגבן) eſt, *concreſcere*, quod & LXX. in interpretando ſpectarunt. Eſt autem *mons concretus*, ita ſublimis, ut nivibus ſemper & glacie rigeat, qualis Virgilio Atlas *Æn.* IV. 248.

aſſidue cui nubibus atris
Piniferum caput & ventis quaſſatur & imbre.
Nix humeros infuſa tegit, *tum flumina mento*,
Præcipitant ſenis & glacie riget horrida barba.

Nivalem uno nomine Latini dicunt. Ejuſmodi vere eſt faſtigium Baſanitidis, Jordanem fundens, tantoſque inter æſtus, mirum dictu, nivibus fidum. Neque illi Libani Baſaniſque faſtigio ſuæ defuerunt religiones. Hic ergo mons Deo dignus videri poterat, & tanquam invidere humili Sioni novum honorem. Hoc deinde dicitur רצד, quod Arabiæ perquam uſitatum, eſt obliquis oculis & inſidioſis obſervare, quod ipſum eſt invidiæ. Vide Act. XXIII. 21. ex editione Erpenii. Nec tamen hic mihi diſſimulandum, copia me bonarum interpretationum fieri incertiorem. LXX. intellexiſſe videntur montem craſſo lacte & paſcuorum ubertate abundantem. Talis omnino Baſan, inde & בשן tanquam pulcher vel pinguis dictus Hebræis a بسن, & Chaldæis מתנן, quaſi tu diceres *humidum* & *irriguum:* poteratque talis mons opponi ſitienti & arido Sioni. Aut, de quo nemo cogitavit, poteſt eſſe mons inſidioſe propendentibus palpebris alios obſervans, Chaldæis enim גביניך *palpebræ*. Vide Jonathanem & Thargum Hieroſ. *Levit.* XXI. 20. Sæpe ejuſmodi nube involvuntur Hebraica ἅπαξ λεγόμενα, quando linguæ cognatæ non id ipſum nomen habent, ſed modo etymon quærentibus miniſtrant, in plures partes ductile.

*** Compara *Virg. Æneid.* I. 19. —— 22.

inque me convertant, quod in præfatione Tomi I. p. IV. de grammaticis scripsi. Quamquam suppetit excusatio: unum enim nobilissimum Davidis carmen, dignum quod pro exemplo legatur, non lucebit, nisi & intelligatur.

PRÆLECTIO VIGESIMAOCTAVA:

ODÆ HEBRÆÆ TERTIUS CHARACTER.

QUO propositæ de oda Hebræa disputationi finem tandem imponam, superest, ut in eo genere exempla quædam proferam, in quo ex omnibus causis, ex dictione, ex sensibus, ex ipsa poematis forma, exsurgit, estque omnium virtutum quasi ȣρανος quidam, summa sublimitas. Quæ mihi hanc in rem erunt adducenda poemata, ita nota sunt, ut minutam explicationem minime postulent; ita excelsa, suaque luce illustria, ut pene admittere dedignentur: sufficiat itaque ea in universum indicare, & partes aliquas notatu fortasse digniores breviter vobis commendare.

Primum nobis exemplum esto Mosis ode prophetica *, continens defensionem pro Deo adversus Israelitas, & divinorum judiciorum rationem explicans. Exordium habet elegans & imprimis magnificum; universam dispositionem & formam rectam, facilem, argumenti naturæ accomodatam, ordine pene historico; incredibilem rerum maximarum varietatem, Dei veritatem & justitiam, amorem paternum & propensissimas erga populum electum benignitates; hujus contra animum ingratum & rebellem; tum divinæ indignationis ardorem, & gravissimas minas, insigni prosopopœia expositas, qua nihil extat in lectissimis poeseos thesauris magnificentius: ipsos tamen iracundiæ æstus misericordia & lenitate identidem temperatos, & in promissionibus & consolatione tandem desinentes. Quod ad sensuum elationem, affectuum impetum, figurarum & dictionis vim attinet, cum hæc omnia generatim antehac tractarem, vix fieri potuit, quin ex hac ipsa ode multa tum adducerem, quæ ad horum singula illustranda imprimis pertinerent. Ea ne aut repetam, aut accumulem accessionibus parum necessariis, id unum de hoc poemate animadvertendum adjicio; eam esse argumenti rationem, ut propheticæ poeseos stylum & colores multum sequatur, ita ut ad odæ vim omnem atque impetum & audaces spiritus, etiam eximia illa eique generi peculiaris imaginum varietas & granditas accedat.

* *Deut.* XXXII.

Alterum exemplum odæ ex omni parte sublimis erit Deboræ Επινικιον *. Habet hæc ode tres partes; primo exordium; deinde eorum, quæ tum antecedebant tum comitabantur victoriam, recensionem; postremo, ultimi eventus pleniorem descriptionem, omnibus ornatam poeseos luminibus; mortem nimirum Siseræ, & matris spes frustratas. Hujusce partis posterioris præcipuas elegantias prius conatus sum & satis quidem fuse exponere. Media, ut verum fateamur, obsederunt haud exiguæ obscuritates, multum officientes carminis pulchritudini, nec facile dissipandæ, nisi uberior historiæ lux accederet. Exordii ratio, vel propter insignem ejus magnificentiam esset hic explicanda, vel eo etiam nomine quod, quam de odarum Hebræarum digressionibus sententiam nuper proposui, ei amplius illustrandæ optime inserviat. Animadverteram enim præcipuos sacræ historiæ locos, quos maxime in egressionibus sectarentur Hebræi vates, ita cum omni sacrorum carminum argumento esse conjunctos, ut vix unquam vel in maxime præcipiti excursu periculum esset, ne rerum series atque ordo laboraret. Hujusce odæ argumentum est, populus Israeliticus devictis Dei auxilio inimicis in libertatem vindicatus: quod in ipso ingressu vates breviter proponit, appellatisque, ut tantæ rei animum advertant, regibus gentiumque vicinarum principibus, Dei laudes auspicatur, non ex recenti beneficio exorsus, sed ex prodigiis in exitu Ægyptiaco olim editis.

יהוה בצאתך משעיר
בצעדך משדה אדום:
ארץ רעשה גם שמים נטפו
נם עבים נטפו מים:
הרים נזלו מפני יהוה
זה סיני מפני יהוה אלהי ישראל:

O Jehova, cum e Seire exires,
Cum ex agro Idumæo procederes;
Terra commota est, stillaverunt cœli,
Stillaverunt aquis nubes;

Flu-

* *Jud.* V.

Fluxerunt montes a facie Jehovæ,
Ipſe Sina a facie Jehovæ Dei Iſraelis.

Spirat hæc liberum ac fervidum Odæ ingenium tantarum rerum tam inſperato facta inductio; nec tamen ratio connexionis, tacitaque comparatio beneficii modo accepti cum ſtupenda illa liberatione, ullam habet obſcuritatem.

Eodem etiam vel in primis pertinet Habaccuci oratio*, inſigne exemplum ejus ſublimitatis, quæ odæ eſt maxime propria, quæque valde audaci & tamen facili digreſſioni plurimum debetur. Vates præſentiens Dei judicia, calamitates populo ſuo Chaldæorum miniſterio primum inferendas, tum pœnas de ipſis Chaldæis ſumendas; partim terrore perculſus, partim ſpe & divinæ bonitatis fiducia recreatus, Deum precatur, ut ſuorum redemtionem & ſalutem maturet:

יהוה שמעתי שמעך יראתי
יהוה פעלך בקרב שנים חייהו
בקרב שנים חודרע
ברגז רחם תזכור :

Jehova, audivi nuntium tuum, extimui;
Opus tuum, o Jehova, in medio annorum inſtaura;
In medio annorum notum facias:
In iracundia miſericordiæ reminiſcere.

Jam ultro hoc in loco cuivis occurrit captivitatis Babylonicæ & Ægyptiacæ ſimilitudo; fieri etiam poſſe, ut Deo auxiliante par eſſet ratio liberationis: porro quam apte vates preces ſuas ad Deum ita continuare poterat, ut qui tot miracula in populi ſui ſubſidium olim ediderat, eidem mox ſubvenire dignaretur; quam efficaciter piorum animos ita confirmare, ut meminerint, Deum, qui olim Iſraelitas ex tantis malis eripiendo infinitam ſuam potentiam teſtatam fecerat, idem etiam denuo in eorum poſteris vindicandis præſtare poſſe. Verum omnes hujuſmodi ingreſſionis formulas, eo ipſo quod ultro occurrerent, penitus omiſit; nec in ſplendidiſſimæ materiæ ſpatia quærit ſibi aditum, ſed inopinato impetu irrumpit:

אלוה מתימן יבוא
וקדוש מהר פארן:
כסה שמים הודו
ותהלתו מלאה הארץ :

Deus e Themate prodiit,
Et ſanctus e monte Paranæo:
Operuit cœlos gloria ejus,
Et ſplendore ejus oppleta eſt tellus.

Equidem totum hunc locum pari qua ingreſſus eſt magnificentia exornat vates; ex tanta rerum admirandarum copia nobiliſſima quæque ſeligens, æque coloribus ſplendidiſſimis, imaginibus, figuris, dictione clariſſima illuſtrans; quorum ſummam ſublimitatem cumulat & commendat ſingularis clauſulæ elegantia: ita ut, niſi una atque altera ei inſideret obſcuritatis nebula, vetuſtate, ut videtur, inducta, vix quidquam hoc poemate in ſuo genere extaret luculentius aut perfectius.

Unum inſuper addam inſigne exemplum ſublimitatis, quod nefas eſſet præterire, Iſraelitarum carmen triumphale in excidium Babylonis, apud Vatem, cum in eleganti tum in elato dicendi genere principem, Iſaiam: quod omni modo cupiens explicare, quoniam prius ſatis fuſa enarratione expoſui, nunc verſibus adumbratum dabo; non quo exiſtimem, divinam illam vim & audaces colores ulla imitatione exprimi poſſe, ſed ut perfecta illa odæ effigies aliquanto clarius perſpiciatur vel extrema ſaltem ejus lineamenta.

ISRAELITARUM ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ

In occaſum Regis Regnique Babylonici:

ODE PROPHETICA.

ISAIÆ CAP. XIV. 4. — 27.

Ergo inſolentis corruit imperi
Inſana moles? occidit urbium
Regina victrix; nec ſubacto
Effera jam dominatur orbi?

Faſtus tyranni contudit impios
Jehova vindex, ſceptraque ferrea:
Qui verbere haud unquam remiſſio
Fregit atrox populos gementes,

Nunc ipſe diras jure ſubit vices.
Pacata tellus undique gaudio
Exultat effræni, & ſolutos
Ingeminat ſine more cantus.

Secura ſummis ſtat Libani in jugis
Ridetque Cedrus: Sicne jaces, ferox!
Jam nemo ſævam, te jacente,
Per nemorum dabit alta ſtragem,

Te propter imis concita ſedibus
Nigrantis orci magna fremit domus:
En! luce defunctos tyrannos,
Sceptrigeras ſoliis ab altis

* *Habac.* III.

Excivit umbras, hoſpitis in novi
Occurſum euntes. Tene etiam, occupant,
Te viribus, te luce caſſum
Conſpicimus, ſimilemque noſtri,

Orbumque faſtu? Non comitum frequens
Deducit ordo; non tuba, non lyræ
Concentus; at ſquallentis orci
Nox premit, & taciturnus horror:

At turba circum plurima vermium
Fervet, pererrans membra licentius,
Fœdumque tabo diffluentes
Læta cohors populatur artus.

Ut decidiſti cœlitus, agminis,
Eoe, clarum ſiderei decus!
Ut dedicisti, qui domabas
Victor ovans populos trementes!

Nuper minatus; ſcandam ego nubila;
Stabo Sionis culmine in arduo
Sublimis, & qua ſpectat arcton
Arce ſacra ſolium locabo:

Subjecta calcabo aſtra, premens polum,
Terramque torquens numine, par Deo.
At dura te lethi profundo
Vis cohibet barathro jacentem.

Ac ſorte quiſquam conſpicit avio
Deforme corpus littore: ſtat diu
Incertus, admotoque pronus
Lumine, te propius tuetur.

Mox infit; hic eſt, quem fuga, quam pavor
Præceſſit? hic, quem terricolis gravem
Strages ſecuta eſt, vaſtitaſque? hic
Attoniti ſpoliator orbis?

Indigna regum colla gravi jugo &
Duris catenis ſubjicere inſolens,
Lateque diffuſa ruina
Per laceras equitare gentes?

Reges, tyrannique, & validum ducum
Manes ſuperbi, non ſine glorja
Conduntur omnes, & robuſti
Sedibus in patriis quieſcunt:

At te, ſupremis mortis honoribus,
Vili carentem munere pulveris,
Inter cadentum turpe vulgus,
Sordidum & indecorem ſepulchris

Egere avitis: te, quia patriæ
Tuiſque iniquum; te, quia gentibus
Fatale portentum. Malorum
Nullus honor cineres ſequetur;

Pœna immerentes ob patrium ſcelus
Natos manebit. Funditus impiam
Delete gentem, ne ſuperbos
Proroget ulterius triumphos:

Namque ipſe conſurgam, omnipotens ait,
Et nomen extinguam Babylonium,
Stirpemque, natoſque, ultimaſque
Relliquias generis nefandi;

Urbemque diris alitibus dabo
Feriſque habendam: vaſta teget palus
*Demerſam, & * æterno profunda*
Obruet exitio vorago.

Dixit ſacramentum inviolabile
Jehova: Sic ſtat conſilium; hic tenor
Fatique non mutandus ordo,
Terminus hic ſtabilis manebit:

Frangam ſuperbas montibus in meis
Vires tyrannorum; eripiam truci
Jugo laborantes, meorumque
Ex humeris onus amovebo.

Jehova dixit: quis dabit irritum?
Gentes in omnes hanc pater en! manum
Extendit: extentam Jehovæ
Quis potis eſt cohibere dextram?

*: וטאטאתיה במטאטא השמר. Και θησω αυτην πηλȣ βαραθρον εις απωλειαν. Ita LXX. (quos ſequitur Arabs,) docte apteque, cum ad ſenſuum, tum quod vim vocis atque etymon attinet: vocabulum enim טאט, quod hoc ſolum in loco occurrit, ita acceperunt, ac ſi idem eſſet ac טוט, unde derivatur טט, cœnum. Notum autem eſt, verba quieſcentia ſecunda ו, loco ו ſæpe admittere א: ſic קאם a קום, *Hoſ.* X. 14. ראמה a רום, *Zech.* XIV. 10. כארו a כור, ut videtur, quod idem ac כרה, in loco inſigni *Pſ.* XXII. 17. pro qua voce Judæi contra ſuæ Maſoræ autoritatem ſuppoſuerunt, vel ſaltem e margine in textum tranſtulerunt, כארי. Vide *Bochart. Hieroz. Part.* I. Lib. III. 6. Hæ rationes autoritate ſeniorum confirmatæ multo magis me movent, quam anilis illa fabella, quam de hac voce טאט narrant Judæorum magiſtri, pro more ſuo, cum vocabulorum ignotorum ſignificationes comminiſcuntur (120).

NOTÆ EDITORIS.

(120) A טיט vix video, quomodo ſecundum leges grammaticas fieri poſſit quadriliterum מאטא. Nec opus incerta derivatione, habet enim Arabia ipſum hoc verbum طاطا *effodere altius foſſam*, & nomen, طاطا *foſſa*. Senſus eſt idem, quem recte eximio carmine Lowthus expreſſit.

PRÆLECTIO VIGESIMANONA:

ש י ר

SIVE HYMNUS.

DE IDYLLIO HEBRÆO.

INter Hebræorum cantica, quæ communi vocabulo שירים appellantur, alia sunt, quæ a poeseos Lyricæ natura aliquatenus recedunt, nec ad eam speciem, quæ ode vulgo dicitur, commode referri possunt. Ea in singularem potius classem, idylliorum titulo notatam, placet includere: cujus & nominis & rei reddenda nobis est ratio.

Græcorum carmina nonnulla (an ab ipsis poetis, an a grammaticis, qui eorum monumenta recenserent, id factum esset, haud liquido affirmaverim) generali titulo Ειδη inscripta fuisse accipimus; qui nihil aliud denotat, nisi quasdam poematum species, sive diversa quædam carmina, absque aliqua vel formæ vel argumenti certa designatione. Id nomen etiamnum retinent Pindari odæ. Quod si quæ aut levioris argumenti, aut styli submissioris, aut generis quomodocunque inferioris esse viderentur, nec item ab una materia inscribi possent, ex diminutivo vocabulo Ειδυλλια appellabant. Ita inscribuntur Theocriti poematia, Bucolica nimirum cum aliis varii generis admistis: qualia Latini eclogas malebant vocare, quasi poemata quædam habito ex pluribus delectu edita; vel diversa ex causa, & verecundiore titulo, Silvas; quasi congeriem carminum subito impetu effusorum, quæ vel secundis curis, vel tali etiam delectui materiem præbere posset. quanquam autem Ειδυλλιον sit nomen vagum & commune, nihil ex vi sua de carminis specie certo præfiniens, usu tamen & consuetudine suum quendam & proprium charactera tandem obtinuisse videtur: & fortasse non male ita describi potest, ut sit poema modicæ magnitudinis; styli medii, æquabilis, ad suavitatem & elegantiam potissimum comparati; dispositionis facilis, rectæ, apparentis. In hoc genere perfecta quædam exempla præbent Hebræi vates; eorum pleraque haud pigebit singulatim commonstrare atque exponere.

Primum hic nobis occurrunt psalmi historici, Dei laudes ex rebus gestis & miraculis in populi sui gratiam editis celebrantes: quorum prior *, Asaphi nomine inscriptus, Israelitarum historiam ab exitu Ægyptiaco ad Davidis usque tempora exequitur; rerum tantum præcipua excerpens & illustrans: stylo simplici fere atque temperato, sed poetica constructione & quibusdam sententiarum luminibus distincto. Nec plane historicus est rerum ordo; nam ne tot rerum tam longa temporum serie gestarum ordinata expositio fastidium crearet, miracula Ægyptiaca valde eleganti & felici egressione inducuntur, & episodii cujusdam locum obtinent. Idem argumentum aliis duobus psalmis materiem præbet, quinto nimirum & sexto supra centesimum: quorum alter historiam usque ab Abrahamo repetita ad Exodum deducit; alter ab Exodo ad posteriora Israelitarum tempora prosequitur: uterque superiori illi poemati per omnia plane similis, cum universo styli colore, (nisi paulo fortasse simplicior) tum etiam, quæ merito erat laudanda, facilitate & gratia exordii.

Jam vero hi psalmi, quorum hactenus feci mentionem, tota forma & charactere mirifice conveniunt cum hymnis Græcorum. Sane Græci interpretes, ut id obiter notemus, ipsum psalmorum librum rectius inscripsissent ΥΜΝΟΙ; quæ vox cum Hebræo titulo תהלים multo melius congruit. Erat apud Græcos hoc poematis genus a prima usque eorum poeseos origine usu receptum, & in religionibus celebrandis adhibitum. Exponebantur plerumque Deorum origines, natalia, res gestæ, aliaque ad eorum historiam pertinentia: ita factum videmus in iis, quæ etiamnum supersunt, in hoc genere Græcorum monumentis, in elegantissimis hymnis Callimachi, iisque quæ Homero tribuuntur: eandem habet rationem carmen Theocriti Διοσκουροι inscriptum, quod revera est hymnus, isque pulcherrimus; nec immerito in idylliorum censum relatus, qui totum hoc genus satis apte possit includere, Veram hanc hymni formam & germanum charactera apud Virgilium **, ac-

* *Ps.* LXXVIII. ** *Æneid.* VIII. 285.

accuratissimum vetustatis imitatorem, egregie expressit geminus ille chorus Saliorum,

> *qui carmine laudes*
> *Herculeas & facta ferunt.*

Hymni illi antiqui, qui Orphei falso dicuntur, sunt potius πλεται, sive quæ Latini indigitamenta nominabant; habent enim *, *tantum Deorum invocationes, quibus utebantur in mysteriis ii, qui sacris cujuspiam Dei initiarentur*. Utramque hymni speciem pulcherrime conjunxit interque se sociavit Ovidius, poeta elegantior incertum an doctior: nam exordium hymni in Bacchum ** continet ejus Dei indigitamenta, hoc est, nomina ejus & titulos solenniter enuntiat; reliqua pars ejusdem res gestas & laudes exequitur.

Restat adhuc alius, qui inter historicos numerari potest, psalmus nimirum centesimus tricesimus sextus. Dei laudes celebrat, & infinitam ejus potentiam & benignitatem prædicat, facto ex operibus creationis exordio, inductis dein miraculis Exodi, quorum præcipua ordinatim fere exequitur. Inchoatur hoc carmen noto illo disticho:

> הודו ליהוה כי טוב
> כי לעולם חסדו:

> *Laudate Jehovam, qui bonus est;*
> *Quia æterna est ejus benignitas:*

quod alternis cantari solitum fuisse, Ezræ *** testimonio liquet: illud autem habet præcipue notabile, quod ejus distichi posterior versiculus, ab altero choro identidem interjectus, singulis etiam versiculis subjunctus, (quod est singularis exempli) perpetuam ἐπῳδὴν facit. Hinc satis clare perspicitur ratio omnis & forma versus intercalaris: quippe qui unum aliquem sensum, in quo potissimum totius carminis argumentum aut finis vertitur, dilucide, breviter, simpliciterque exprimit; quique aptis pro carminis dispositione intervallis, rei efficacius animo imprimendæ causa, injicitur. Versum hujusmodi intercalarem idyllio præcipue convenire, ejusque poematis quodammodo proprium esse satis evincit Theocriti, Bionis, Moschi, Virgilii denique autoritas. Ex sacris vatibus unum alterumque exemplum adjungam, quod cum perfectissimis in hoc genere tantorum poetarum monumentis conferri non vereatur: in quo ut eluceat cum universa poematis elegantia, tum versus intercalaris vis & venustas, ordo rerum & totius dispositio præcipue explicanda est.

Inter elegantissimos proculdubio recenseri meretur psalmus centesimus septimus, ejusque elegantia maxima ex parte rerum dispositioni & universæ poematis formæ debetur. Celebrat hoc carmen Dei bonitatem & misericordiam erga omnes homines in maximis eorum calamitatibus, præsenti auxilio petentibus concesso, testatam: primo, errantibus in deserto, fameque laborantibus; tum in vincula conjectis; deinde morbo conflictantibus; postremo in alto jactatis. Subjiciuntur divinæ severitatis adversus improbos, erga pios benignitatis exempla, quæ cum superioribus hominum cordatorum meditationi commendantur. Ita totum poema in quinque partes fere æquales ex ipsa materiæ ratione distribuitur; quarum priores quatuor clauduntur versu intercalari, ipsius hymni consilium & finem exprimente:

> ידו ליהוה חסדו
> ונפלאותיו לבני אדם:

> *Laudent Jehovam ob ejus misericordiam,*
> *Et miracula in hominum gratiam edita.*

Hoc ipsum distichon perpetuo variatur, alio subjecto disticho, quod vel materiem modo tractatam resumit;

> כי השביע נפש שוקקה
> ונפש רעבה מלא טוב:

> *Nam satiavit animam satiscentem,*
> *Animamque esurientem implevit bonis:*

> כי שבר דלתות נחשת
> ובריחי ברזל גדע:

> *Nam fregit portas aheneas,*
> *Et vectes ferreos discidit:*

vel ipsius ἐπῳδῆς sententiam repetit, novisque imaginibus amplificat;

> ידו ליהוה חסדו
> ונפלאותיו לבני אדם:
> ויזבחו זבחי תודה
> ויספרו מעשיו ברנה:

> *Laudent Jehovam ob ejus misericordiam,*
> *Et miracula in hominum gratiam edita:*
> *Et offerant sacrificia laudis,*
> *Et facta ejus læto cantu enarrent:*

* *Jos. Scaliger* Annot. in Hymn. Orph.
** *Metamorph.* IV. 11.
*** *Ezr.* III. 10. 11.

וירוממוהו

וירוממוהו בקהל עם
ובמושב זקנים יהללוהו :

Et exaltent eum in cœtu populi,
Et in concilio seniorum eum celebrent.

In his etiam omnibus elegantiſſime ſit tranſitus a calamitatis deſcriptione ad liberationem, perpetua repetitione ejuſdem diſtichi;

ויצעקו אל יהוה בצר להם
ממצוקותיהם יצילם :

Et invocarunt Jehovam in rebus afflictis;
Ex anguſtiis ſuis eos liberat:

quod tamen non videtur habere naturam verſus intercalaris. Ultima pars, quæ in materiem paulo uberiorem excurrit, ſuam habet clauſulam duobus item diſtichis conſtantem, gravem & bonæ frugis plenam, nec a totius poematis pulchritudine quidquam derogantem.

Superſunt quidem in pſalmis alia ejuſdem generis, ſed haud æque perfecta exempla: alterum itaque ex Iſaia petam, eoque libentius, quod vatem elegantiſſimum hic, ut ſæpe etiam alibi fit, obſcuravit vulgaris capitum diſtributio, unum pulcherrimum poema in duas partes diſcerpens, diverſiſque hinc inde ſectionibus adnectens, quibuſcum ei nulla intercedit argumenti neceſſitudo. Capitis noni partem poſteriorem cum ſequentis initio conjunge *, jam integrum habes vaticinium editum in Iſraelitas Samariæ regnum tenentes; grave, atrox, comminationibus plenum; eam quidem vim habens & ſublimitatem, ad quam idyllium raro conſurgit; ipſam tamen idyllii formam adeo perfecte expreſſam exhibens, ut in eam claſſem jure referri poſſit. Quatuor ſunt hujus poematis partes, quarum unaquæque continet denunciationem divinæ vindictæ in populum rebellem, grave aliquod crimen ei exprobrans, plagamque merito infligendam intentans. Primo arguitur Iſraelitarum arrogantia, & faſtus; tum animi obduratio, & communis morum depravatio; tertio audax impietas, omnia quaſi flamma & incendio corripiens & devaſtans; poſtremo judiciorum iniquitas & oppreſſio pauperum. Hæc ob ſingula certum aliquod atque horribile ſupplicium denunciatur: cui porro ſubjicitur minax clauſula, quæ ἐπῳδὸν facit, ad augendum terrorem mirifice comparata; qua ſignificatur, graviore adhuc imminere, nondum his pœnis fore expiata populi delicta, nec juſtitiæ divinæ ſatisfactum:

בכל זאת לא שב אפו
ועוד ידו נטויה :

His omnibus nondum converſa eſt ejus indignatio,
Sed manus ejus adhuc eſt extenta.

Quæ hactenus protuli exempla, ex ipſo habitu ac facie idylliorum claſſi protinus adjudicanda ſunt: reſtant fortaſſe non pauca, quæ ob ſtylum & charactera eidem æquæ adſcribi debent, in libro pſalmorum potiſſimum; nimirum ubi tractatur una aliqua materia plenius & ordinatius, quam ab oda fieri ſolet. Talis eſt pſalmus centeſimus quartus, qui Dei creatoris laudes exornat, ſumpto argumento ex pulcherrima ſapientiſſimaque totius rerum naturæ diſpoſitione; quod, uti par erat, ordine eleganti & imprimis dilucido, ſtyli coloribus jucundiſſimis, imaginibus magnificis, ſplendidis, amœnis, variis, ſed iiſdem lectiſſimis, illuſtrat. Hoc hymno nihil extat, nihil cogitari poteſt perfectius, ſive carmen ipſum, ſive hymni genus ſpectes. Habent quidem prodigia, quod primo aſpectu grandius apparet, quodque animum admiratione & ſtupore ferit protinus, & vehementius percellit: veriſſimam tamen laudis materiem, Deo optimo, maximo, digniſſimam, hominum mentibus fervido & permanenti pietatis ſenſu imbuendis accommodatiſſimam, præbet ejuſdem in creanda rerum univerſitate potentia, in ornanda ſapientia, in ſuſtentanda regendaque providentia, in rebus humanis adminiſtrandis juſtitia & bonitas. Græcorum hymnos maximam partem conficiebant fabulæ, eæque de rebus nec valde admirandis, neque etiam laudandis: nec mihi occurrit quidquam, quod quidem extat, ex illo genere graviore, præter Cleanthis Stoici hymnum * Jovi inſcriptum, hoc eſt, Deo creatori, ſive, ut ipſe loqui amat, æternæ rationi rerum naturæ effectrici atque moderatrici; pulcherimum ſane antiquæ ſapientiæ monumentum, ſenſibus magnificis, ſolidis, veriſque refertum: quæ enim habet philoſophus de ſumma Dei potentia, de ſupremæ legis & totius naturæ harmonia, de hominum impiorum cæciſque animæ perturbationibus obnoxiorum ſtultitia atque inſania; ante omnia divini auxilii imploratio, quo numen ipſum perpetuis laudibus digne poſſimus celebrare; hæc omnia tam ſano minimeque fucato pieta-

* *Iſai.* IX. 8.---X. 4.

* Vide *Cudworth. Syſtem. Intellect.* pag. 432.

tatis affectu animantur, ut ad sacrorum etiam vatum spiritum aliquatenus videantur accedere.

Merito in hoc genere primas tenet hymnus ille Davidis, quem modo memoravi: illi proxime assidet alius ejusdem autoris, tum ratione argumenti, tum etiam eximiæ pulchritudinis: celebrat enim infinitam Dei scientiam, & admirabilem in humano corpore fabricando solertiam; & si fortasse ordinis & dispositionis venustate a priore vincitur, sensuum tamen, imaginum, figurarum, dignitate atque elegantia neutiquam ei cedit. Superioribus itaque exemplis cumulus accedat psalmus centesimus tricesimus nonus; quem Latinis versibus utcunque expressum, fretus vestra, academici, toties mihi perspecta indulgentia, recitabo.

PSALMUS CXXXIX.

Tu mihi semper ades, tu me omni ex parte patentem
Intueris, Deus! & manifesto in lumine cernis.
Tu me, quicquid ago, quoquo vestigia flecto,
Usque premis; seu luce labor, seu alterna silenti
Nocte quies redeat: tu pectus & abdita mentis
Perspicis, introrsum insinuans; cæcoque recessu
Exagitas latitantem, arctaque indagine cingis.
Tu dubiis vixdum eluctantia dicta labellis
Antevenis, primosque animi præverteris orsus.
Quippe manu prensumque tenes; nudumque, reclusumque,
Ante, retro, exploras, mihi me præsentior ipso.
O Deus! infinitum atque inscrutabile numen!
Cuncta sciens mens, ipsa incognita! qua fugiam te,
Obtutusque tuos & conscia lumina fallam?
Ascendam cœlos? ibi tu: subeam ima barathri
Tartara? ades: simul hæc magno loca numine comples.
Auroræne procul rutilas ferar ales in oras?
Occiduine petam fines novus incola ponti?
Hic etiam tua me ducet manus; hic tua cursum
Dextera præveniet cohibens, reprimetque fugacem.
Ergo petam tenebras, & condar nocte sub atra?
Demens, qui tenues umbras, & inania vela,
Sancte! tuis obvertam oculis, densissima cui nox
Pellucet, tenebræque ipsæ sunt luminis instar.
Te Dominum autoremque colo; tu hos conditor artus
Formasti, & gravida texisti matris in alvo.
Obstupeo, & memet læta formidine lustro,
Divini monumentum operis! tu corporis omnem
Compagem, mersam tenebris & carcere cæco,
Perpexiti; tua solerti per singula ductu
Dextera iit, tua pinxit acus mirabile textum.
Ipse rudi invigilans massæ, primisque elementis
Conscius instabas: jussas orientia formas
Membra minutatim induerunt, quocunque vocares
Prompta sequi: sua cuique tuis inscripta tabellis
Effigies erat, atque operis data norma futuri.
Ut mi animum sancto permista horrore voluptas
Percipit! ut vano juvat indulgere labori,
Dum tua facta, Deus, recolo; tua mente revolvo
Consilia, & numero artificis miracula dextræ!
Promptius expediam, quot volvant æquora fluctus;
Littore vexato quam multæ agitentur arenæ.
Usque eadem incassum meditanti lumina somnus
Opprimit; usque eadem vigilanti cura recursat.
Non tu sacrilegos perdes, Deus? ite, profani!
Ite procul, scelerum autores, cædisque ministri!
Non ego, sancte, tuos hostes hostilibus iris
Insequar? en! bellum tibi bella parantibus ultro
Indico; neque do dextram, neque fœdera jungo.
Tu nunc esto mihi testis; tu pectoris ima
Cerne, Deus! penitusque altos scrutare recessus.
Excute, siqua mihi cæcis concreta medullis
Hæret adhuc labes, & noxia corda refinge.
Tum sceleris purum accipias, mittasque salutis
Æternum per iter, rectoque in tramite ducas.

POE-

POEMATA DRAMATICA.

שיר השירים

CANTICUM CANTICORUM.

PRÆLECTIO TRIGESIMA:

CANTICUM SALOMONIS NON ESSE JUSTUM DRAMA.

VEteres Platonem * ſecuti, univerſam poeſin, pro diverſa enunciationis ratione & forma, dividebant in enarrativam, imitativam ſive dramaticam, & mixtam. Cujus diſtributionis haud ſane magna eſt utilitas, cum neque diverſas poematum ſpecies ſecernit, neque alicujus poematis intimæ naturæ & conſtitutioni explicandæ multum inſervit. Siquidem omnes hæ formæ ſunt omnium poematum communes; niſi quod genus epicum non ſimplicem ſed mixtam narrationem ſemper adhibeat, ſcenicæ poeſeos natura formam imitativam neceſſario poſtulet. Et ut liberum eſt, cuivis alii poemati forma mixta uti, ita nihil prohibet, quo minus, ſi libeat, etiam dramaticam induat. Verum neſcio, quomodo uſu jam receptum eſt, ut hæc forma dramatica, quanquam multis communis, certum tamen poematis genus conſtituat, vel ei ſaltem nomen imponat. Itaque in hoc genere dramatico quid habeat Hebræorum poeſis, mihi jam quærendum reſtat: & ne nobis illudat nominis ambiguitas a recentiotibus inducta, in ipſo limine præcavendum eſt.

Dramaticæ quidem poeſeos appellationem, uti modo notavi, omnino ad ſe traxiſſe ſibique vindicaſſe videntur duæ præcipuæ ſpecies cæteris excluſis; fere enim jam obtinuit, ut ea intelligamus tragœdiam ſolummodo & comœdiam. Id autem nomen multo latius patet: nihil enim aliud ſpectat, niſi externam enunciationis formam, & de omni poemate recte uſurpatur, in quo perſonæ loquentes inducuntur ſine poetæ interlocutione; uti fit in bene multis Theocriti & Virgilii Bucolicis, in nonnullis Horatii ſermonibus, unaque atque altera ode. Quo itaque accuratius de hac re agamus, poeſin dramaticam in duas ſpecies diſtribuere libet; unam minorem, quæ per enunciationem imitativam, ſive perſonis introductis, mores, affectus, actiones exprimit: alteram majorem, quæ, uti cætera omnia, ita inſuper fabulam aliquam continet, ſive rem geſtam unam, integram, ſatis amplæ magnitudinis, in qua aliud ex alio ſequitur, quæque per variam eventuum novorum ſeriem ad exitum aliquem deducitur. Hæc ſpecies in ſe complectitur comœdiam atque tragœdiam; quæ uti a minoribus illis carminibus dramaticis fabulæ potiſſimum ratione diſtinguuntur, ita ab epico præcipue diſtant modo enunciandi.

In priore illa ſpecie dramatici carminis apud Hebræos nonnulla extant exempla, & palam apparent; latent fortaſſe alia, eaque plura, quam ſuſpicamur (121). Eſt quidem crebra illa mutatio perſonarum apud Hebræos vates plerumque animi valde commoti, & ex vehementi affectu ab actionis deſcriptione in ejuſdem imitationem inconſulto tranſeuntis; ſed nonnunquam formam dramaticam indicat, eoque modo commodiſſime explicare poteſt: Habet hanc formam pſalmus vigeſimus quartus, continens, uti antea expoſui, arcæ tranſlationem in montem Sionem, quæ per totum ſcenice quodammodo exhibetur, quanquam non niſi in poematis ſine dialogiſmus appareat. Et inſignis ille locus Iſaiæ, ubi Meſſias vindex cum choro quodam loquens veluti in ſcenam inducitur *:

מי זה בא מאדום
חמוץ בגדים מבצרה :
זה הדור בלבושו
צעה ברב כחו :
אני מדבר בצדקה רב להושיע :
מדוע אדם ללבושך
ובגדיך כדרך בגת :
פורה דרכתי לבדי
ומעמים אין איש אתי :
ואדרכם באפי
וארמסם בחמתי :
ויז נצחם על בגדי
וכל מלבשי אגאלתי :
כי יום נקם בלבי
ושנת

* Vid. *Plat.* De Rep. Lib. III.

* *Iſai.* LXIII. 1, — 6.

ושנת גאולי באה:
ואביט ואין עזר
ואשתומם ואין סומך:
ותושע לי זרעי
וחמתי היא סמכתני:
ואבוס עמים באפי
ואשכרם בחמתי
ואוריד לארץ נצחם:

CHO. *Quis iste qui venit ab Edomo*
Tinctis horrendum vestibus a Botsra?
Iste verendus amictu,
Grandi passu incedens pro maxima vi sua?

MES. *Ego justitiæ prædicator, potens salutis?*

CHO. *Quare rubet amictus tuus?*
Et vestes tuæ ut calcantis in torculari?

MES. *Torcular calcavi solus;*
Et ex populis nemo vir erat mecum:
Et calcavi eos in ira mea;
Et protrivi eos in æstu meo:
Et respersa est cædes eorum in vestes meas,
Et omnem amictum meum fœdavi.
Nam dies ultionis in corde meo est;
Et annus quo meos redimam venit:
Et circumspexi, neque erat adjutor;
Et obstupui, neque enim erat sustentator:
Tum mihi salutem præstitit brachium meum,
Et indignatio mea ipsa me sustentavit.
Et conculcavi populos in ira mea,
Et in æstu meo ebrios & attonitos reddidi (122),
Et cædem eorum derivavi in terram.

ex eodem item genere est psalmus centesimus vicesimus primus; quem etiam, cum & brevis sit nec inelegans, integrum apponam. Rex, ad bellum gerendum, ut videtur, egressurus, prius ad arcam Dei in monte Sione constitutam accedit, & divinam opem, in qua se unice confidere profitetur, implorat:

אשא עיני אל ההרים
מאין יבוא עזרי:
עזרי מעם יהוה
עשה שמים וארץ:
אל יתן למוט רגלך
אל ינום שמרך:
הנה לא ינום ולא יישן
שמר ישראל:
יהוה שמרך
יהוה צלך על יד ימינך:
יומם השמש לא יככה
וירח בלילה:
יהוה ישמרך מכל רע
ישמר את נפשך:
יהוה ישמר צאתך ובואך
מעתה ועד עולם:

Attollam oculos meos in montes,
Unde venit auxilium meum.
Auxilium meum est a Jehova,
Qui fecit cœlos & terram.

Respondet illi e tabernaculo pontifex:

Non sine labi pedem tuum;
Non dormitabit, qui te custodit:
Ecce non dormitabit, neque somno succumbet,
Qui custodit Israelem.
Jehova te custodiet;
Jehova te obumbrabit ad dexteram.
Interdiu sol non te lædet,
Neque luna per noctem.
Jehova te custodiet ab omni malo;
Custodiet etiam animam tuam.
Jehova custodiet exitum tuum & introitum,
Ex hoc tempore, & usque in sæculum.

Atque hæc de minori illa specie dramatici carminis, seu potius de forma dramatica, quæ cuivis fere poemati pro libitu competit, dicta sufficiant. Altera illa, quæ continet in se actionem sive fabulam, quæque revera constituit justam eamque perfectissimam poematis speciem, diligentiorem disceptationem meretur.

Duo omnino extant apud Hebræos poemata, quæ hic in quæstionem venire possunt, canticum Salomonis, & carmen Jobi; monumentorum omnium sacrorum vel elegantia, vel sublimitate, vel etiam obscuritate maxime notabilia. Post infinitos aliorum labores vix quicquam aliud in me sumam, quam ut inquiram paulo accuratius in utriusque poematis naturam & formam, & quousque ad justi dramatis speciem accedat: de cætero, ex doctorum potissimum sententiis quæ mihi maxime probabiles videbuntur, breviter expositurus, si quæ necessaria erunt vel ad hanc quæstionem expediendam, vel ad præcipuas carminum venustates illustrandas.

Canticum canticorum Salomonis, (ita inscriptum propter summam excellentiam vel compositionis vel argumenti) est epithalamium, sive οαριςυς nuptialis, vel, ut Hebræum potius titulum ei imponamus, שיר ידידות, * carmen amorum, fervidissimos simulque suavissimos exprimens affectus, amoris vim omnem ac dulcedinem spirans; ipsius Salomonis sermo

* Ita inscribitur *Psalmus* XLV.

mo cum ſponſa ſua, qui varie exhibentur, & ſoli, & inter ſe invicem loquentes. Inducuntur etiam puellæ ſponſæ comites, quæ ſcenæ ſemper intereſſe videntur, & ſuas etiam in dialogo partes gerunt: fit item mentio juvenum ſponſi amicorum *; ſunt autem mutæ perſonæ. Hæc ex moribus Hebræorum, qui in nuptiis adhibere ſolebant παρανυμφȣς; quales numero triginta honoris cauſa Samſoni ** in feſto nuptiali aderant: in Evangelio φιλοι τȣ νυμφιȣ ***, & υιοι τȣ νυμφωνος ****, dicti; ex Hebræorum vocibus, רעים, & בני חופה †: occurrunt ibidem virgines decem, ſponſo obviam ituræ, nimirum בתולות אחריה רעותיה ††. Quæ ſatis indicant, ſedem & quaſi fundamentum hujuſce poematis poſitum eſſe in Hebræorum ritibus nuptialibus, eoque connubii quandam formam exprimi. In hoc plerique omnes conſentiunt interpretes (123): de univerſa autem operis œconomia, de rerum ordine, de partium diſtributione, ſumma eſt diſſenſio. Nihil aliud jam quærimus, niſi an fabulam contineat, ſive actionem aliquam imitetur: atque ex omnibus eruditorum opinionibus, quæ ad hanc rem faciunt, maxime mihi probabilis videtur Viri Clariſſimi, admirabili ingenio ſummaque doctrina præditi, Jacobi Benigni Boſſueti de hoc poemate ſententia †††. Eam, quantum ad carminis formam ac diſpoſitionem pertinet, breviter vobis exponam, academici: an inde ſequatur, haberi illud poſſe pro juſto dramate, dehinc videbimus.

Conſtat, nuptiale convivium apud Hebræos per ſeptem dies fuiſſe celebratum †††† ut omnia fere ſolennia per hebdomadas: hinc quærendam exiſtimat Vir Doctiſſimus poematis conſtitutionem, totumque in totidem partes ſeu dies diſtribuendum (124). Non temere diei noctiſque recurrentis vices paſſim memorantur: iis itaque utitur indiciis in vera partium diviſione indaganda. Peracto ex more nuptiali epulo, ſponſa veſperi ad virum deducebatur (125): hinc ſumendum nuptialis hebdomadis initium; nam Hebræi in diebus numerandis a veſpera inchoabant †††††. Sponſus, qui paſtor eſſe fingitur, ſummo mane ad conſueta ruſticanæ paſtoraliſque vitæ officia repetenda proficiſcitur (126): Sponſa mox evigilans, &

* *Cant.* V. 1. VIII. 13. vid. III. 7.--11.
** *Jud.* XIV. 11.
*** *Joh.* III. 29.
**** *Matt.* IX. 15.
† *Lightfoot.* in *Matth.* ibid.
†† *Pſ.* XLV. 15.
††† Vid. *Boſſuet.* Præf. & Comment. in *Cant.*
†††† Vid. *Gen.* XXIX. 27. *Jud.* XIV. 12.
††††† Vid. *Gen.* I. 5. &c.

abſentem requirens, prorumpit in voces pleniſſimas amoris & deſiderii, unde poema exordium ſumit. Sollennis eſſe videtur matutina ſponſi egreſſio; hinc illa proficiſcentis, & ſponſæ quieſcentis conſulentis, ſæpius repetita obteſtatio *:

השבעתי אתכם בנות ירושלם
בצבאות או באילות השדה
אם תעירו ואם תעוררו
את האהבה עד שתחפץ:

Obteſtor vos, Solymitides,
Per capreolas, perque cervas agreſtes,
Ne excitetis, neve expergefaciatis,
Dilectiſſimam, donec ipſa velit.

Nec minus frequens illa puellarum exclamatio **:

מי זאת עלה מן המדבר:
מי זאת הנשקפה כמו שחר:

Quænam eſt Illa, quæ aſcendit e deſerto! —
Quænam eſt Illa, quæ proſpectat, ut aurora!

ita ſponſam e thalamo mane progredientem & primum apparentem admirari & ſalutare videntur. Hæ temporis matutini ſignificationes. Noctis interdum fit *** mentio; interdum ex adjunctis **** indicatur. Quas temporum notas ſi quis vere repertas recteque conſtitutas eſſe admittet, iiſque inſiſtet, is, credo, videbit, totum opus ſatis commode diſtingui poſſe in portiones ſeptem †, quarum unaquæque unius diei ſpatium occupat. Addit autor, videri ſibi ultimo die deſignari ſabbatum, ex eo quod ſponſus non jam, ut alias, ſolus egreditur ad ruſtici operis negotia, ſed una cum ſponſa †† e thalamo procedit in publicum. Hæc eſt viri magni ſententia; quam ita amplector non ut evidentem & certam, ſed ut conjecturam in re valde obſcura non omnino omni probabilitate deſtitutam; ita ſequor, ut faculam, qua clariorem in tantis tenebris nec illucere video, neque affulſuram ſpero.

Fa-

* Cap. II. 7. III. 5. VIII. 4.
** Cap. III. 6. VIII. 5. VI. 10.
*** Cap. III. 1. V. 2.
**** Cap. II. 6. VIII. 3. (127)
† Hæc eſt operis diſtributio ex mente *Boſſueti*:

Dies					
Primus:	Cap. I.		—	II.	6.
Secundus:	Cap. II.	7.	—		17.
Tertius:	Cap. III.		—	V.	1.
Quartus:	Cap. V.	2.	—	VI.	9.
Quintus:	Cap. VI.	10.	—	VII.	11.
Sextus:	Cap. VII.	12.	—	VIII.	3.
Septimus:	Cap. VIII.	4.	—		14.

†† Cap. VIII. 5.

Favet hæc ſententia omnium maxime ei opinioni, quæ carmen hoc in juſti dramatis loco habet: ita enim eſſet rei cujuſdam geſtæ imitatio ac repræſentatio ſcenica. Quod ſi, qui dramatis appellationem ei tribuunt, ex paſſim jam recepta vocis ſignificatione loquuntur; ii ſane id volunt dicere, contineri hoc poemate fabulam, ſive actionem unam, integram idoneæ magnitudinis, in qua aliud ex alio ſequitur; quæque per varios eventus ad exitum aliquem perducitur. Verum feſti nuptialis ſolemnitas in ſe ſpectata minime cenſenda eſt iſtiuſmodi fuiſſe. Rituum quidem atque inſtitutorum, quæ apud Hebræos in nuptiis celebrandis locum habuerunt, non niſi valde imperfecta ad nos pervenit cognitio: niſi autem occurrit, ex quo ſuſpicari poſſumus, ea fuiſſe ejuſmodi, ut in ſe ſuaque natura aliquam eventuum varietatem includere, aut veræ ac legitimæ rerum geſtarum conſtitutioni materiem præbere poſſent. Una erat lætitiæ ſeries, idem gaudii tenor. Poterat quidem externi aliquid caſu aliquando incidere, quo rerum in deterius vel contra mutatio fieret, vel unde fabulæ, ſimplicis fortaſſe ſed veræ, argumentum oriretur: an hic ita ſe res habeat, ex ipſo poemate colligendum. Verum nihil ejuſmodi ibi occurrit: a principio uſque ad finem idem eſſe videtur rerum ſtatus, idem color; niſi quod amantium variantur affectus, eo præcipue, quod nunc abſentes languent, nunc mutuo conſortio præſentes fruuntur. Sponſa * ſponſum abſentem deſiderat, quærit, invenit, amplectitur, domum deducit: iterum inſequitur fugientem, ſed fruſtra; mœret, languet, comitibus mandata dat ei perferenda, & ſplendidam fuſamque ejus formæ deſcriptionem ſubjicit. Nihil hic juſtæ actionis ſimile, nec quod magis accedat ad naturam legitimæ fabulæ, quam quæ habet quodvis e Theocriti aut Virgilii Bucolicis dramaticis, quibus paſtores amores ſuos, luſus, aut certamina exponunt; quæ nemo temere in eadem claſſe cum Euripidis aut Terentii fabulis collocabit. Id itaque ſatis tuto jam ſtatuere licet, canticum Salomonis ad minorem illam ſpeciem dramaticæ poeſeos pertinere, ſeu formam ſolummodo dramaticam habere; neutiquam juſti dramatis titulo inſigniri poſſe.

Verum ſane ex alia parte hoc poema cum Græcorum dramate magnam habet affinitatem: nam chorus ille virginum cum choro tragico mirum in modum conſentire videtur. Adſunt ad omnia vel conſilii vel ſolatii officia paratæ: cum ſponſis colloquuntur; percontantur, reſpondent; omnibus ſe immiſcent, nec recedunt uſquam. Exiſtimaverunt viri eruditi, Theocritum poetam ſuaviſſimum, ſeptuaginta illis interpretibus æqualem, & in aula Ptolemæi Philadelphi una florentem, aliqua ex hoc carmine delibaſſe, & pene ad verbum expreſſa in ſua idyllia tranſtuliſſe *. Non magis a ſimilitudine veri abeſſe videretur opinio, ſi quis judicaret Græcos uſum chori totamque ejus conſtitutionem ex hoc Salomonis poemate didiciſſe, & ad tragœdiæ ſuæ ornamentum accommodaſſe; ſi non multo magis credibile eſſet, hujuſce cantici notitiam nimis ſero ad eos perveniſſe; planeque inſuper conſtaret, Græcorum chorum aliam omnino habuiſſe originem, neque chorum fabulæ, ſed fabulam chori fuiſſe acceſſionem.

* Cap. III. & V.

* Confer *Cant.* I. *9.* VI. 10. cum *Theoc.* XVIII. 30. *26.* *Cant.* IV. 11. cum *Theoc.* XX. *26.* *Cant.* VIII. *6.* 7. cum *Theoc.* XXIII. 23. --- *26.*

NOTÆ EDITORIS.

(121) Sobrie ac verecunde noſter, id eſt, pro more ſuo, locum difficilem attigit, in quo immoderatius verſantes multa peccarunt. Certum eſt, aliquos ex Pſalmis dramaticos eſſe, quod animadvertentes aliqui, ſuoque εὕρημα impenſius lætati, eo traxerunt, ut, ubicunque ſenſus eſſet impeditior, aut nova explicatio, forte magis theologica, valde placeret, ſtatim ad mutationem confugerent perſonæ loquentis, licet nullum eſſet in Pſalmo mutatæ perſonæ indicium. Sic, ut exemplo utar, fuerunt, quibus prior pars Pſalmi CII. uſque ad illa v. 25. verba: *ne tolle me in dimidio dierum!* oratio Chriſti viderentur, reliqua inde a verbis ejuſdem verſus, *in ſeculum ſeculorum ſunt anni tui*, Dei patris reſponſio: nempe ut conſulerent citationi Paulinæ *Hebr.* I. 10. cujus mentem & finem non ſatis intellexerant. Hæc tanquam dramaticorum interpretum caſtra quis ducat, obſcurum eſſe nemini poteſt, qui recentiores Pſalmorum interpretationes verſavit. Talia autem qui ſibi indulget, næ ille facile quidvis ex quovis Pſalmo extundet, difficilliſque locis, atque etiam corruptis, ſine multo philologiæ apparatu, ſine criticæ artis ope, facile ſenſum aliquem dabit, in quo præter veritatem haud temere quidquam deſideres: quo ipſo fit, ut hæc exegeſis ſecta non paucis placeat, doctuſque anteſignanus, Salomo Tillius, multos nactus ſit ſed indoctos aſſeclas.

Recte noſter latere aliqua dramata ſuſpicatur forte non pauca: & tamen oda non pro dramate habenda, niſi aliquo conſtet claro indicio, diverſas perſonas loqui, neque ad hoc εὕρημα tanquam ad tutum ignorantiæ receptaculum confugiendum. Ut enim forte ſunt dramata, quæ non agnoſcimus, ita & pro dramate habentur, quæ ad unam ac ſimplicem orationem revocari poſſunt, ſi philologia facem præferente obſcuriora explices, aut lectionem temporis injuria depravatam ope antiquorum monumentorum & criticæ artis reſtituas. Quo autem enixius petere ab interpretibus poſſim, ut in dramate conſtituendo cauti ſint, unico in exemplo demonſtrabo, quam facile erretur, & alia, mihi etiam veriſimilia viſa, quam tamen ſint incerta.

Et quo potius exemplo utar, quam Psalmo secundo, qui primus inter dramaticos habetur, ac de quo forte nemo jam dubitat, quin sit totus dramaticus. Plerosque si audias, loquitur 1.) v. 1. 2. vates sacer, 2.) v. 3. reges rebelles, 3.) v. 4. 5. iterum vates sacer, 4.) v. *6.* Deus, 5.) v. 7. 8. 9. rex unctus, *6.*) v. 10. 11. 12. vates sacer. Mirum, quod non viderunt, reges rebelles v. 3. non ut in dramate loqui, sed eorum verba a vate referri, idque, pro more Orientalium, sine signo dicti. Nihil Arabiæ frequentius, quam, narrare, quid quis fecerit senseritque, ac statim ejus & verba sine novo præfamine, *dicens*, vel, *& dixit*, narrationi attexere. Ergo jam ad majorem redibunt paucitatem vices personarum, loqueturque I.) v. 1.--5. vates II.) v. *6.* Deus III.) v. 7. 8. 9. rex unctus IV.) 10. 11. 12. denuo vates, eo modo ut in carmine Germanico, quod in fine libri legitur, Psalmum expressi. Ac ne certum quidem est, Deum v. *6.* dramatice loqui: quid enim, si & Dei verba vates referat, qui versu superiore dixerat: *loquetur ad eos in ira sua*? Ac vero hic ipse Psalmus, totus e dramatum numero eximendus, si lectio versus sexti, ab Alexandrinis expressa, verior sit Masorethica. Legebant enim illi: *atqui ego* נשכתי מלכו *rex ejus unctus sum* (i. e. rex unctus sum ab eo) *in Sione monte sancto ejus* קרשו, qua lectione admissa solus per integrum Psalmum Messias loquitur, jam mirans regum vesaniam satis obnitentium, jam Dei verba referens, jam & hortans reges, ut sapere discant. Nec obstabit, quod Psalmus aliquoties Messiæ in tertia persona mentionem facit: quid enim grandiori Hebræorum stilo frequentius, quam ut quis de se in tertia persona loquatur. Neque hæc ita disputo, ut Alexandrinam lectionem præferam receptæ, plures me arbitro habenti numeros veritatis; sed ut uno in exemplo ponam, quam multa sint in hoc genere dramatico incerta, de quibus fortassis nemo dubitavit.

(122) Melius forte, *inebriatus sum illis*, i. e. sanguine eorum ebrius factus sum. Frequens Orientalibus fictio, hic etiam ornatior, quod qui vinum calcant, solent ebrietatem contrahere.

(123) Communemne licet omnium interpretum labefactare sententiam, adeo pervulgatam, ut Canticum Canticorum legentes vix alio quam sponsi sponseque nomine amicum & amicam indigitent? Et tamen a me impetrare nequeo, ut nuptiarum dies cani credam. Rationes dissentiendi hæ fere sunt. Primo quod nulla sit in toto carmine, tam longo, rituum nuptialium, vel tenuissima mentio. Solus canitur amor, nihil præterea: non velatio sponsæ, non virginitatis jactura, non epulæ solemnes. Deinde quis suspicetur, sponsum labori tam fuisse adfixum, ut ipsa nuptiarum hebdomade aliquoties & novam nuptam & convivas desereret per integros dies, gregis pascendi caussa? quis ne hoc quidem ei feriarum tempus fuisse credat? noctu illum non rediisse, sed solam in lecto reliquisse, quam tantopere adamabat. Hæc si quis sponsus faciat, certe non sunt carminis amatorii materia. Sponsam eodem tempore vineam custodire debuisse, ob quam neglectam fratres ei succensuerint, tam est a festivitate nuptiali abhorrens, ut, nisi quis ex antiquitate nos doceat, joci caussa ejusmodi labores nuptiarum diebus sponsum sponsamque perferre debuisse, veri sit dissimillimum, nuptias hic describi.

Si quis de sponso sponsaque ante nuptias cogitare audeat, magis etiam repudiandus erit. Ea est amantium consuetudo, eæ voces, eæ descriptiones totius corporis, eæ denique suspiciones rerum, quas taceo, carmini callide intextæ, quibus nihil indecentius, magisque a moribus Orientis abhorrens cogitari posset. Ne licet quidem ibi sponso videre sponsam, nuptam & velo tectam, nisi postquam virgo esse desiit. Ejus ante nuptias delibari virginitatem, ne apud nos quidem esset carminis amatorii argumentum, multo minus in Oriente, ubi talia nemo audebit, nisi aut ad scelera projectissimus, aut contemnens sponsam, eique pæne inimicus, cujus honori tam male consulit. Amissæ enim virginitatis dedecus, quod in Oriente putatur maximum, morte etiam, si sponsus neget se eripuisse, expiandum, prima statim se nocte prodit convivis omnibus, exspectantibus, donec linteum virginali sanguine conspersum adferatur. Cujus moris antiquitatem summam colligere licet ex lege Mosaica, *Deuter.* XXII. 13.--21.: nisi enim illud linteum signo aliquo notatum a testibus fuisset, facile erat parentibus impudicissimæ filiæ, linteum aliquod sanguine conspersum in judicium deferre.

Nec vero hæc ita dico, ac si furtivos cani amores putem. Obstat, ut alia taceam, quod ignes amantium non clandestini sunt, sed amicis & virginibus Hierosolymæ noti: deinde quod c. VIII. 5. ipsa mater sub arbore aliqua fœdere junxisse filiam dicitur. Sic enim illa verba explico: *sub malo inveni te; ibi te fœdere junxit genitrix tua*, collato Arabico حبل *fœdere constringere*. Fingit amicus in carmine, quod totum pastorale est, sub arbore aliqua precibus suis annuisse matrem, filiamque sibi volentem promisisse. Quod enim alii habent, *ibi enixa te est mater tua*, & nihil ad rem facit amatorium, & subturpiusculum, indecorum certe & plebejum, nec denique veri simile est, cum raro accidat gravidis, ut sub dio parere necesse habeant.

Restat, ut meam profitear sententiam, castos conjugum amores cani, non sponsi & sponsæ. Illa vero primum pene ridicula videbitur lectoribus, carminis amatorii aliquem gustum & peritiam habentibus: quod apud nos pene inauditum, conjugum amores carmine cani. Sed sciant velim, quid nostra inter & Orientalia conjugia intersit. Nostrorum conjugiorum, modo votis amantium respondeant, æquabilis est, nullo casu interrupta, ratio: difficultatibus & tanquam nodis carens, quorum solutionem exspectes; nihil earum artium, quas Galli *Intrigues d'amour* vocant; nihil novitatis: sine quibus rebus carmen amatorium languet. Quotidiana conjugum consuetudo efficit, ut eorum ignes sinceri sint, sed leniores, quam ut poetæ sufficiant. At alia omnia in Oriente propter polygamiam. Multi in tali conjugio nodi & difficultates, multi casus, lites, suspiciones, metus, artes, victoriæ. Insidiarum gynæceum majus plenum, quibus dilectissimæ conjugis honos quæritur eripiturque: osculum, noctem etiam alteri præripere, ponitur in victoriis. (*Genes.* XXX. 14. 15. *16.*) Nec vehementiæ & novitati amoris quotidiana officit consuetudo. Hinc fit, ut castus conjugum amor carminis amatorii materia esse potuerit. Quæ mea sententia si vera est, magis etiam a nostrorum poetarum more aberit canticum canticorum, totum, quantum quantum est, Asiatici tanquam coloris & sanguinis.

(124) Præter ea, quæ vix dum commemoravi, & hoc obstat Bossueti conjecturæ, quod epulo nuptiali per VII. dies duraturo, tempus nullum in hac scena relinquitur. Aut discesserunt a se conjuges, absentesque se requirunt, aut exoptata fruuntur solitudine; & si quando cum amicis virginibusque colloquuntur, in platea id faciunt, in agro, ac sub dio, nuspiam cum convivis. Multum laborabit, si quis vel unico convivio locum & tempus quærat, nec inveniet, ubi illud scenæ, præter discessus somnosque amantium nihil vacui habenti, apte intexat.

(125) Hoc si ita est, mirum, primæ noctis nulla cani gaudia, non pompam comitantium: nuspiam adclamationes, cantica, bona verba, audiri convivarum, ereptam virginitatem, cujus ad eos indicium deferri solet, more Orientali gratulantium. Omissum in carmine, quod primas in illo & præcipuas facere partes debuisset.

(126) Et hoc mirum, si convivium festivitasque nuptialis per VII. dies durabant.

(127) Hic vero, hic locus est, unum certe diem ex hebdomade Bossueti demendi, quem ille, conjecturæ suæ studiosus, qualibuscunque indiciis invenerat. Quod ita faciam, ut simul elegantissimam Cantici scenam c. II. 3.--9. quantum possum, illustrare, atque a pulchritudine & venustate sua commendare lectoribus studeam. In cellam vinariam, pomis quoque refertam, (antrum credo aliquod frigidius, quales cellæ pastorem decent) amicus amicam introduxerat. Id ipsa narrat: quidquid enim accidit, nunquam suis verbis exponit poeta, licet desit, cui id narretur, aut res ita comparata sit, ut fæminæ eam narraturæ non videantur; in quo ipso est aliquid a nostri poematis more sejunctum, nec dum diuturnitate artis satis expolitum, quod & in comœdiis reprehendere solemus. Sed est sua artibus infantia, ex qua aliqua vitia diutius supersunt, ne pro vitiis quidem habita, modo consuetudine optimorum exemplorum excusentur.

Introduxit me in cellam vinariam,
Et vexillum ejus contra me est amor.

i. e. *oppugnat me sub vexillo amoris*. Nempe & bella canuntur amantium, obsessæque urbi comparatur amica expugnanda: in quo bello nonnullæ & vini partes, non ad ebrietatem (hoc enim cantatu indecorum,) sed ad hilaritatem sumti. Versu sequente victam se fatebitur, in herbis pomorumque cumulo prolapsam ac recubantem, amici inter brachia, capiti subjecta corporique toti circumvoluta:

> *Fulcite me virentibus herbis,*
> *Substernite mihi poma:*
> *Saucia enim sum amore.*
> *Sinistra ejus sub capite meo,*
> *Et dextera me amplexatur.*

رفد Arabibus est, *fulcire*. אשישות nolui *lagenas* interpretari, quibus jacens nec commode nec decore fulciatur: abesse enim a carmine amatorio debent nimis plebeja & humilia. Sciendum autem, pro Schin Hebræorum Arabes jam س reponere, jam ث, illo discrimine, quod in grammatica Arabica p. 11. indicavit: hic ergo in mentem mihi venit أث *luxuriaherbh*, unde أثيث, formam eandem cum nostro nomine habens, *luxuriantior herba*. Hæc victæ & procumbenti pro thoro. Non multum a me dissident Aquila & Vulgatus interpres, quorum hic *flores*, ille *labruscas* vertit.

Quid porro contigerit, intersitque inter lapsum amicæ & somnum, facile existimatu est; igitur verecunde a poeta subticetur. Displicent amores, nimis oculis tanquam ipsis expositi: mollis etiam in carmine amatorio verecundia, suspicioni locum relinquens.

In dulcem tandem somnum solvitur; adstat amicus, formamque dormientis admirans longum denuo amorem bibit. Superveniunt urbanæ virgines, sub vesperam credo, ut ruris deliciis fruantur: his, garrulitate & strepitu molestis futuris, obvius prodit amicus, obtestaturque eas per capreas & cervas, cara Orientalibus fœminis animalia, inque deliciis habita, ut canes nostris, ne dormientem turbent. Adjurationis, exilis quidem, sed pastoritia vita & virginibus dignæ, hic sensus: *moriantur capreæ vestræ cervæque, nisi somno hujus amabilis* parcatis. Sic ergo ille:

> *Adjuro vos, Hierosolymitanæ,*
> *Per capreas cervasque agri,*
> *Ne excitate, ne turbate somnos*
> *Hujus amabilis, donec velit.*

אהבה non, amorem, explico, sed aliis vocalibus אהבה *amabilem*: verbum sensu hic fœcundum, & prodens quem dixi admiratorem formæ dormientis.

Audit amica vocem amici, cui unice etiam dormiens attendebat: expergiscitur, exclamat, ille vento citius relictis virginibus redit:

> *Vox amici mei! Ecce venit,*
> *Saliens in montibus, exsultans in vallibus.*
> *Capreæ similis amicus meus,*
> *Hinnulove cervarum:*
> *Ecce stat post parietem,*
> *Pulcher transparet per frondium retia.*

Hac scena quid mollius? quid elegantius? quid verecunde venustius? canticove amatoris dignius? Sitne ea ipsa, quam poeta in animo habuit, lectione & gustu facile judicabitur a lectoribus: qui si hanc scenam Salomoni abjudicent, mihique eam soli relinquant, non irascar equidem, sed

> *Sublimi feriam sidera vertice.*

Sin autem Salomonis mentem recte exposuisse videbor, nullum relinquetur in versu sexto noctis indicium, nec in septimo matutini temporis. Somnus sponsæ diurnus fuerat, ac meridiationi similior, non in lecto, sed in antro vinario pomis referto, in quod bibendi frigorisque captandi caussa invitata secesserat. In ejusmodi antro, inque herbis, noctem agere, non est mollium fœminarum, quas ros nocturnus læderet.

Hoc autem uno die demto, dissolvitur statim illa nuptialis hebdomas, qua tota Bossueti nitebatur hypothesis.

PRÆLECTIO TRIGESIMAPRIMA:

DE CANTICI SALOMONIS ARGUMENTO ET STYLO.

De Cantici Salomonis œconomia & constitutione, quæ mihi in summa opinionum diversitate maxime probabilia videbantur, breviter exposui. De vero ejus argumento non minus anceps & obscura est quæstio. Alii omnia ad proprium verborum sensum restringenda censent; alii in omnibus quærunt allegoriam: nec inter eos, qui allegorice interpretantur, magis convenit; alii simplicem tantum allegoriam admittunt, quidam etiam eam, quam mysticam voce historicæ nimirum rei veritati superstructam. Quæ sane omnia a meo instituto aliena existimarem, & ut summa obscuritate involuta libenter defugerem, nisi & singulatim de hujusmodi allegoriæ cum sacra poesi conjunctione atque affinitate antea egissem, & perpetuo diligenter notassem usum & consuetudinem & analogiam dictionis parabolicæ; qua certæ imagines, plurimum naturales, certas alias notiones, quarum subtilior est ratio, lege quadam constanter servata, exprimunt: quam rem unam arbitror, si accurate investigetur, ad intelligendos vates Hebræos semper maximo adjumento fore; in ea certe hujusce quæstionis cardo præcipue vertitur.

Ita utique ad rem illico veniam, & in quæstione valde obscura, quæ mihi maxime probabilia videntur, exponam, plane profiteor, me in eam partem propendere, ut existimem carmen hoc esse omnino allegoricum: primo Judaicæ veteris & Christianæ ecclesiæ consensu & auctoritate motus; deinde, idque maxime, dictionis parabolicæ analogia inductus. Eam profecto ii parum videntur expendisse, qui huic opinioni præcipue adversantur, quique nescio quam imaginum incongruitatem & indignitatem objiciunt: cujus offendiculi amovendi causa, quod multis impedimento esse video, hujusce

jusce allegoriæ rationem & legem, & sacrorum vatum in eadem adhibenda prope omnium consensum, paulo fusius explicabo.

Cum eæ sint humanæ mentis angustiæ, ea imbecillitas, ut vix ullam divinæ naturæ partem cogitando complecti vel investigando attingere possit, dignatus est Deus immensam suam majestatem veluti contrahere, & crassis imaginibus adumbratam exhibere, quo se intra limites nostri conceptus sisteret, suamque naturam hebeti humani intellectus aciei expositam planeque conspiciendam præberet. In sacris itaque scripturis descendit quodammodo in terram Deus, humano corpore, membris, sensibus, affectibus indutus; omnia mortali similis — ημεν δεμας, ηδε και αυδην. Hanc allegoriam ανθρωποπαθειαν appellant; quæ valde late patet, & theologiæ proprie dictæ, uti in monumentis sacris traditur, magnam partem occupat. In primis hic locum habent affectus: neque sane est ulla mentis humanæ commotio & perturbatio, quæ non cum omnibus suis adjunctis plane ac sine omni remedio ac lenimento Deo tribuatur: nec minimum eæ, quæ multum terrenæ fæcis secum admistum habere videntur, iracundia, dolor, odium, ultio. Fieri non potuit, quin suas etiam in hac veluti fabula partes ageret amor, isque ardentissimus vehementissimusque, qui in hominis naturam cadit. Itaque non affectus solum paterni pietas lenitasque Deo tribuitur, sed & conjugalis amoris vis, ardor, sollicitudo, & ejusdem etiam læsi violentia; cumque eo conjunctæ perturbationes, desiderium, ægritudo, zelotypia.

Hujus autem translationis ratio minime omnium est obscura: fundamento nititur valde aperto, & quanquam in varias partes & minutiora adjuncta sæpe deducatur, sua tamen ei semper constat perspicuitas. Ex omnibus populis elegit sibi Deus in gentem peculiarem Abrahami posteros, eamque nationem solenni fœdere sibi propriam dicavit. Hujus fœderis quædam erant utrinque præstandæ conditiones, ex altera parte amor, defensio, conservatio; ex altera fides, obedientia, purusque cultus. Hoc est illud conjugium a Deo cum ecclesia sua initum; sacrosancta pactio sub ea imagine a sacris vatibus fere omnibus toties celebrata: insigni exemplo ejus metaphoræ, quam Aristoteles * analogicam vocat; cum propositus quatuor notionibus, prima ad secundam eandem habet rationem, quam tertia ad quartam; & voces homologæ inter se invicem comutari possunt. Ita Deus ad ecclesiam eandem habet rationem, quam maritus ad uxorem; & Deus est maritus ecclesiæ, ecclesia uxor Dei: sic etiam in cæteris, cum in plura adjuncta particulatim deducitur; quomodo enim se habet ad divinum illud fœdus populi pietas, impietas, idololatria, rejecto; sic ad pactum conjugale se habet uxoris castimonia, impudicitia, adulterium, repudium. Quæ notio sacris scriptoribus ita est familiaris, ut pro idolorum cultu passim usu receptum sit scortandi vocabulum, nec alienum locum ibi occupasse, sed pene suum ac proprium obtinuisse videatur.

* Poet. Cap. XXII. & Rhet. III. 3.

Videamus autem paulum, quomodo in hac imagine versentur sacri vates, quam libenter ei inhæreant, quam non reformident eam in omnes partes educere, & per singula adjuncta persequi. De ecclesia in Dei gratiam reconciliata, inter alia complura ejusdem generis, elegantissimus Isaias *:

כי בעליך עשיך
יהוה צבאות שמו
ונאלך (קדוש ישראל)
אלהי כל הארץ יקרא:

Nam Maritus tibi erit Creator tuus;
Nomen ei Jehova exercituum:
Et redemtor tuus sanctus Israelis;
Deus universæ terræ vocabitur.

Et alibi per comparationem **:

כי יבעל בחור בתולה
יבעלוך בניך ***
ומשוש

* *Isai.* LIV. 5.
** *Isai.* LXII. 5.
*** בניך. Interpretes omnes, cum veteres tum recentiores, in angustias inextricabiles induxit hujus voculæ ambiguitas; quam cum male acceperunt LXX. male item punctaverunt Masoretæ, illorum autoritate consecratus error late manavit, & penitus jam inolevit. Nihil tamen planius, nihil magis obvium & expositum: non est enim plurale nominis substantivi בן, sed participii *Benoni* verbi בנה, hoc modo secundum leges Masoreticas efferendum, בֹּנַיִךְ (128); estque parallelum ac synonymum אלהיך in membro alterno. Confer locum *Isaiæ* modo citatum; ubi etiam nota, בעליך, עשיך, *mariti*, *creatoris*, pluraliter dici cum eadem relatione ad eandem vocem. Hoc modo facillime tollitur illa imaginis incestæ indignitas, quæ merito omnibus interpretibus impedimento fuit (129). Ecce autem alium Isaiæ locum, in quo item male accepta est a Masoretis eadem ipsa vox:

מהרו בניך מהרסיך
ומחריביך ממך יצאו:

Cito fient conditores tui, qui te everterant;
Quique te destruxerant, ex te prodibunt.
Isai. XLIX. 17.

Ita enim invitis Masoretis distribuenda est sententia; ita explicanda cum LXX., qui non modo vocem ambiguam hic recte reddiderunt, (uti etiam fecerunt *Chald.* & *Vulg.*) sed totam etiam periodum docte, accurate, eleganter, ut nihil possit supra:

Ταχυ

ומשוש חתן על כלה
ישיש עליך אלהיך :

Nam ut Juvenis uxorem ducit virginem,
Ita te uxorem ducet conditor tuus:
Et ut ſponſus in ſponſa gaudet,
Ita in te gaudebit Deus tuus.

Eandem imaginem varie & paulo liberius, utpote cum aliqua indignatione, proſequitur Jeremias *, Judæis defectionem a Dei cultu exprobrans. Ab eadem tota pendet pars prior vaticiniorum Hoſeæ; quam ſive ex hiſtorica veritate interpreteris, ſive ad allegoriam omnino detorqueas, perinde hujus translationis, in hoc argumento quodammodo conſecratæ, lex & ratio elucebit. Verum nemo eſt qui in hac materia pari cum audacia verſatus eſt, aut æque licenter ſe effudit, atque Ezekiel; vates præfervidi ingenii, parum curioſus elegantiarum, ſecurus offenſionis: ut admodum verear, ne in graves reprehenſiones incurrat hominum delicatorum, qui e Gallorum ſcholis critici evaſerunt (130): ita omnes locos qui huic rei adjacent libere aperteque tractavit, binis parabolis ** bene longis, quibus Judæorum atque Iſraelitarum ingratum erga Deum animum, turpemque a vero ejus cultu defectionem, ductis imaginibus ab uxore adultera, & mulierum duarum amoribus meretriciis, fuſe exequitur. Has parabolas, ex ipſius Dei perſona prolatas, cum clara & aperta allegoriæ explicatione, in materia lubrica non ſane nimium caute timideque incedentes, ſed multa exponentes liberius; has, inquam, qui ſemel attente perpenderit, is opinor iis, qui canticum Salomonis, in omnibus ſumme elegans & verecundum, in diviniorem ſenſum interpretantur, nunquam poſthac objiciet colores vel tam ſancto argumento indignos, vel a ſacrorum monumentorum uſu, gravitate, ac puritate ullo modo alienos. His accedat pſalmus quadrageſimus quintus; ſanctiſſimum epithalamium, de cujus argumento, quantum video, nulla eſt apud ſanos interpretes dubitatio, Dei cum eccleſia ſua conjunctionem ſub eadem figura exprimens: quod etiam multi non temere judicarunt eadem occaſione compoſitum fuiſſe, eodemque veritatis fundamento constructum, quo hoc ipſum Salomonis Canticum. Non eſt denique prætereundum, novi etiam fœderis ſcriptores * eandem allegoriam ab anteceſſoribus ſuis receptam libenter admiſiſſe, ſuaque autoritate denuo conſecraviſſe.

Abunde hæc ſufficiunt, ut mihi quidem videtur, ad amovendas omnes offenſiones ex parte rei ipſius & ex imaginis indignitate exortas, quæ plurimos allegoricæ hujus poematis interpretationi averſos & iniquos habuerunt. Eam ſententiam ulterius confirmare, & argumentis ex ipſo poemate ductis munire, ſuperſedeo, reformidans, ut verum fatear, rei difficultatem: nam quanquam ita rem habere prorſus exiſtimem, opinione ductus, & autoritate vetuſtatis, & præcipue uti dixi translationis analogia; vereor tamen, ut id rationibus directis & ex interna operis ſtructura petitis ſatis clare evinci poſſit (131).

Quod ſi vero concedatus, allegoricum eſſe hoc poema, alia jam exſurgit quæſtio, quamnam ad ſpeciem allegoriæ, ex tribus iſtis, quas antea conſtituimus, referendum ſit. Earum prima erat metaphora continuata; altera parabola proprie dicta; tertia erat, quam myſticam allegoriam appellavi, quæ hiſtoricæ veritati ſenſum ſublimiorem ſuperinducit. Iis plane accedo, qui in ultima illa allegoriarum claſſe carmen hoc includunt: quam cauſam ſane facile obtinere poſſumus, ſi modo ullus hic detur allegoriæ locus; nam quin de ipſo Salomone hic agatur, deque veris ejus nuptiis, vix eſt ut dubitari poſſit. Norunt etiam, qui in vatum Hebræorum ſcriptis paulo diligentius verſati ſunt, quam ſit ea ratio poeſeos ſacræ conſuetudini & naturæ conſentanea; quæ in vero argumento tractando ultra proximam materiem proſpicere amat, & rerum humanarum deſcriptionibus divinarum adumbrationem quandam ſubſternere. Argumentum autem huic cantico præbent nuptiæ Salomonis, regis illius Iſraelitarum, & nomine & re, pacifici; Sponſa ejus vocatur Salomitis, eodem nomine ad fœmininam poſitionem converſo, quanquam id Judæi perverſa pronuntiatione obſcuraverunt: ſonat enim Salomo & Salomitis, plane ut apud Romanos Cajus & Caja. Non erat prætereunda hujus appellationis animadverſio; habere enim videtur aliquid momenti, nec obſcuram continere occulti ſenſus ſignificationem: quorſum enim conjugi Salomonis, præter conſuetudinem Hebræorum, imponeretur ipſius nomen, niſi ex vi

Ταχυ οικοδομηθηση υφ' ων καθηρεθης,
Και οι ερημωσαντες σε εξελευσονται εκ σε.

Eos, ut ſolet, ſequitur *Arabs.* Simile idioma verbi מהר, vide in *Pſ.* CVI. 13. *Exod.* II. 18. eundem ſenſum verbi יצא, *Jer.* XXX. 21. *Nahum.* I. 11.

* *Jer.* III. 1. &c.

** *Ezek.* XVI. XXIII.

* Vide *Matt.* IX. 15. *Joh.* III. 29. 2. *Cor.* XI. 2. *Eph.* V. 23. &c. *Apoc.* XIX. 7. XXI. 2. XXII. 17.

vi ac notione vocabuli? unde intelligitur, eandem nominis vim in ipſo Salomone non eſſe negligendam, nec in ejus perſona unice hærendum. Quænam autem fuerit ea Salomonis ſponſa, non certo quidem conſtat: verum non abſurde conjecerunt viri eruditi, fuiſſe eam Pharaonis filiam, quam præcipue amavit Salomo. Quidni autem Salomo Ægyptiam uxorem ducens ex hac etiam parte apte adumbraret alterum Illum pacificum, qui eccleſiam ex gentibus & alienigenis delectam ſibi eſſet deſponſaturus?

Porro de hac allegoria id ſolum addam, ejus explicationem aggredienti duo imprimis eſſe cavenda: primo, ne in omnibus eam nimium urgendo, & minutiſſima quæque in partes pertrahendo, hominibus cordatis, doctis perinde atque indoctis, ludibrium debeat: tum ut conſtanter teneat hujus allegoriæ conſuetudinem ac legem in ſacris monumentis plene explicateque traditam, permittatque, ut qui ejus autor fuit, idem ſit ſolus interpres. Hac in parte multum, ut mihi quidem videtur, erraverunt eruditi quidam viri *, qui quæ de ſponſa dicta ſunt, non ſolum de univerſa eccleſia, ſed de piis etiam animabus privatim interpretantur, (ut alia mittam longe abſurdiora): quod quo nitatur fundamento, aut quomodo cum hujus allegoriæ analogia a ſacris vatibus perpetuo ſervata conſtare poſſit, non video.

Supereſt ut de ejus poematis ſtylo pauca dicenda ſint. Paſtorale eſſe hoc carmen, antea indicavi; ſiquidem duæ perſonæ principes ** paſtores eſſe finguntur. Id non abhorrebat ab Hebræorum moribus, qui in curando pecore *** multum erant occupati, neque alienum ducebant a principum virorum dignitate, ejuſmodi negotiis vacare. Salomonem certe minime dedecebat paſtoris munus, cujus patrem Deus a gregibus ovium ad regnum Iſraeliticum evexiſſet. Cum autem omnis agreſtis & paſtoralis vitæ ſpecies in ſe ſuaque natura ſit jucunda, tum Hebræos ex uſu & conſuetudine, adjuncta etiam dignitatis opinione, præcipue delectabat. Hic vero coloribus ad omnem elegantiam compoſitis depingitur, ſummaque lectiſſimarum imaginum varietate commendatur. Etenim **** *hæc cantio tota ſcatet deliciis: ubique flores, fructus, pulcherrimarumque plantarum copia, veris amœnitas, agrorum ubertas, horti vernantes, irrigui; aquæ, putei, fontes: odoramenta, ſive arte confecta, ſive quæ ſponte ſua humus parturit: adhæc columbæ, turturum voces, mella, lac, vina liquentia: poſtremo in utroque ſexu formæ honeſtas ac venuſtas, caſta oſcula, amplexus, amores tam pudici quam blandi: ſi quid horreſcit, ut rupes, ferique montes, ac leonum cubilia* (132), *totum ad voluptatem, ac velut pulcherrimæ tabulæ ornatum varietatemque, compoſitum.* Quam pulchræ ſunt deſcriptiones cum ſuaviſſimo affectu conjunctæ *!

קומי לך רעיתי
יפתי ולכי לך׃
כי הנה הסתו עבר
הגשם חלף חלך לו׃
הנצנים נראו בארץ
עת הזמיר הגיע
וקול התור נשמע בארצנו׃
התאנה חנטה פגיה
והבפנים סמדר נתנו ריח׃
קומי לך רעיתי
יפתי ולכי לך׃

Surge age, deliciæ meæ!
Formoſa mea, & veni!
Ecce enim Hyems præteriit:
Pluvia tempeſtas tranſiit, abiit:
Apparent humi floſculi:
Tempus adeſt cantus avium;
Et vox turturis in terra noſtra auditur.
Ficus dulci ſucco condivit fructus ſuos,
Et vineæ floreſcentes odorem diffundunt.
Surge age, deliciæ meæ!
Formoſa mea, & veni!

Quanta ſuavitate conditæ comparationes **!

מה יפו דדיך אחתי כלה
מה טבו דדיך מיין
וריח שמניך מכל בשמים׃
נפת תטפנה שפתותיך כלה
דבש וחלב תחת לשונך
וריח שלמתיך כריח לבנון׃

Quam jucundi ſunt amores tui, o ſoror mea, o ſponſa!
Quanto dulciores amores tui vino,
Et odor unguentorum tuorum omnibus aromatis!
Labia tua, o ſponſa, ſunt favi ſtillantes;
Mel & lac ſub lingua tua;
Et odor veſtium tuarum, ſicut odor Libani.

Sunt

* *Bernardus, Durhamus, Sanctius, Boſſuetus*, &c.
** Vid. Cap. I. 7. 8.
*** Vid. *Gen.* XLVI. 32. — 34.
**** *Boſſuet.* Præf. in *Cant.*

* Cap. II. 10. — 13.
** Cap. IV. 10. 11.

Sunt aliæ nonnullæ, quas operæ pretium erit paulo diligentius exponere*.

שערך כעדר העזים
שגלשו מהר גלעד:

Capilli tui ſicut grex caprarum,
E monte Galaado emicantium (133).

Caprarum pili erant molles, nitidi, fulvi, ſponſæ capillis concolores **: comparantur pulcherrimi capitis cincinni cum denſis caprarum gregibus montem florentiſſimum ab imo ad ſummum uſque verticem operientibus.

שניך כעדר הקצובות
שעלו מן הרחצה
שכלם מתאימות
ושכלה אין בהם:

Dentes tui ſicut grex ovium præciſe æqualinm (134),
Quæ e lavacro aſcendunt;
Omnes inter ſe gemellæ,
Neque eſt ulla pari ſuo orba.

Mirifice exprimitur dentium æqualitas, candor, perfecta compoſitio, & illæſa ſeries.

כחוט השני שפתותיך
ומדברך נאוה:

Labella tua ſicut filum coccineum;
Et decorus ſermo tuus:

tenuia nimirum & mire rubicunda, commendatia vocis & locutionis dulcedinem & gratiam.

כפלח הרמון רקתך
מבעד לצמתך:

Genæ tuæ, ſicut ſectio mali punici,
Cincinnis tuis intermicantes (135):

paulum ſcilicet capillis velatæ, & ſub illa umbra dulcius erubeſcentes; ut grana mali punici (quorum color eſt candor rubore ſuffuſus) intra reſectum corticem.

כמגדל דויד צוארך
בנוי לתלפיות
אלף המגן תלוי עליו
כל שלטי הגבורים:

Collum tuum, ſicut turris Davidis,
In pinnas extructa;
In qua pendent mille clypei,
Arma virorum fortium.

Cervix procera, erecta, excelſa, ad elegantiſſimas ſymmetriæ leges exacta; auro, gemmis, unionibus ornata; pulcherrime confertur cum turre aliqua in arce Sionis, editiore, notæque elegantiæ, nec ſtructura minus quam ſupellectile decora; ubi varii generis arma ordinate tholis aſfixa erant (136).

שני שדיך כשני עפים
תאומי צביה
הרעים בשושנים

Duæ mamillæ tuæ, ſicut duo hinnulei,
Gemmelli capreolæ,
Paſcentes inter lilia:

venuſtæ, tenellæ, ſororiantes, extanteſque in pectore candidiſſimo. Eſt צבי animal eximiæ pulchritudinis, ex ea ipſa nomen habens. Quibus omnibus quid delicatius, quid exquiſitius, quid etiam aptius & expreſſius, cogitari poteſt? Quantum perdidimus in aliis bene multis hujus poematis locis, quorum claritati atque elegantiæ inextricabilis tenebras offudit vetuſtas (137)?

* Cap. IV. 1. —— 5.
** Vide Cap. VII. 5. & confer 1. *Sam.* XIX. 13. 16. cum XVI. 12. & conſule *Bochart.* Heroz. Part. I. Lib. II. 51.

NOTÆ EDITORIS.

(128) Memoria lapſus noſter. בניך ipſum plurale foret, ſingulare בנך ſine Jod. Excuſari tamen poteſt, ſi ſtatuit, tertiam radicalem ה in בנה mutatam eſſe in Jod, quod interdum accidit. Sed hæc minuta ſunt.

(129) Non erat, cur hanc indignitatem ægre ferrent, ſive illi, ſive noſter. In imagine poetica non quæritur, ſitne id, unde imago petitur, morum diſciplinæ conſentaneum, alioqui nunquam Deus fingeretur ebrius. Sufficit, ſcelus non eſſe inauditum, neque ita inſolitum & a moribus populi abhorrens, ut auribus ejus nomen moleſtum ſit. Hæc quidem apud nos eſt inceſtus ratio, ſed alia longe apud Hebræos, Ægyptii, Phœniciique moris, non prorſus oblitos; his inceſtus lege ſua veritus, ſed non ab illis pro portento habitus fuit. Teſtis Thamara, fratri ſpem faciens, ſe a patre obtinendi: teſtis Abſalomus, cum pellicibus patris publice concumbens, quod ſi quis apud nos filius rebellis faceret, næ ille civibus univerſis horroris foret, nec temere ſtultius conſilium ei dari poſſet. 2. *Sam.* XIII. 13. XVI. 20 — 23. Ezechiel quoque cap. XXIII. polygamiam Deo tribuit duarum ſororum, lege Moſaica illicitam. Forte ergo hic tenendum בניך *filii tui*, alluditurque ad mores vicinorum populorum, vetitos, non deteſtabiles Iſraelitis. Non liquet.

(130) Hæc tanta gentium diverſitas, mollitieſque apud has, apud illas ſurdities aurium, magnam partem conſuetudine noſtri ſexus cum feminis in vita quotidiana fingitur. Ubi enim frequentius viri cum feminis converſantur, majori adſueſcunt verborum pudori,

dori, qui ex communi sermone in poemata transit. Ejusmodi ergo populus, cui languidæ videntur societates familiarium, nisi intersint fœminæ, nec cœnæ sine virginibus nec confabulationes placent, licet sit moribus licentiosior, verbis tamen ita erit verecundus, ut in carmine eleganti reprehendat, quidquid virginem legere non deceat. Habes originem severitatis Gallorum in poemate ad leges verecundiæ exigendo: multa illis judicibus indecora, quæ in Virgilio Latini, in nostris nos poetis æquissime ferimus, ac pene displicet carmen, quod virgo legisse se negare cupiat. At apud Orientales alia omnia: parca ac prope nulla virorum cum virginibus aliorumque uxoribus consuetudo, sed aut inter se viri confabulantur, liberius illi quidem, quod fœmineos rubores non metuunt, aut cum uxoribus, quibus in sermonibus vix ullus pudori locus, cum uxores contemtim habeant; aut fœminæ cum fœminis colloquuntur, familiariter illæ & garrule, ac sæpe ubi solæ sunt viris licentiosius. Non mirum ergo, harum gentium linguis omnia proprie diei sine rubore posse, nec musam displicere, quæ suis res naturales nominibus vocans, virginem exsuisse nobis videtur.

Inter has ergo gentes vivens Ezechiel, exque illarum de decore opinione æstimandus, reprehendi non debet, quod capite XVI. & XXIII. tanta utitur verborum sententiarumque (ut nobis videri possit) obscœnitate, cum in eo est, ut detestandam proponat idololatriæ imaginem, quæ legenti cuivis fastidio & horrori sit. Nec inde moribus quidquam periculi; ut enim taceam, obscœnas imagines, sive a pictore descriptas sive a poeta, displicere, si nihil lateat; idem fere auribus Orientalium accidit, quod oculis earum gentium, quæ nudæ incedunt; nempe ut sensus ad consuetas & quotidianas nuditates hebescant. In re etiam amatoria multo fortius afficiunt occulta, quam patentia; carmenque verecundum plus & irritabit & delectabit, quam mascula audacia amores canens. Cæterum si optio detur, aut si de elegantia quæratur poematis, malim profecto Gallorum, quos dicit noster, similior esse, quam poetarum Orientalium.

Neque tamen & hoc reticendum, multo verecundius videri Canticum Canticorum istis, quæ modo indicavi, Ezechielis capitibus. Audaces sunt, fateor, pulcritudinis & membrorum pene omnium descriptiones, his tamen exceptis, quæ pudor nominari vetuit, & quæ Ezechiel maxime propriis nominibus appellat describitque: verum nulla in toto Cantico concubitus, reique Venereæ descriptio; quidquid hujusmodi accidit, totum a scriptore suspicioni relinquitur. Unicum excipio locum, sed tamen figuratum, c. VII. 8. 9. quem cur audacissimum in toto Cantico putem, intelligent, qui figuram æneam conferent *Kæmpferi* amœnitatibus exoticis circa pag. 711. adjectam.

(131) Melius quam temere alii difficile argumentum tractavit Noster, & quidquid dici pro allegorico sensu potest, præter argumenta theologica, dixit. Et tamen non omnem ex cauti lectoris animo exemit dubitationem, cujus caussas, unius veri cupidus, exponam, magnas acturus gratias, si quis me his liberare scrupulis possit.

Ad antiquæ ergo ecclesiæ Christianæ autoritatem quod attinet, ea in quæstione exegetica non multum momenti facit; cum quod omnino scripturæ sacræ interpretatio ab humana autoritate non pendet, tum quod patres ob linguæ Hebraicæ & literarum elegantiorum imperitiam in hoc genere theologiæ versati infelicius, non optimi ejus magistri habentur, mysticorum præcipue sensuum captatores, ibi quoque, ubi illos optimus quisque ex recentioribus repudiavit. Tantum iidem a carminis conditi tempore aberant, ut traditione certa ejus sensum acceptum habere non possent. Longe statuerem aliter, si quid tabulæ novi fœderis de cantico canticorum haberent; at illæ diligenter a me consultæ nunquam mihi illud de Christo interpretari, aut omnino citare, visæ sunt.

Nec major Synagogæ autoritas, cui ipsi alias in interpretando codice Hebraico non multum fidimus. Judæorum enim quicunque de Cantico sententiam dixerunt, tot post Salomonem exstiterunt seculis, tanta interjecta strage reipublicæ, eruditionis, & bibliothecæ avitæ, ut, quid ille in animo habuerit, melius quam nos dicere nequeant.

Analogia aliorum carminum, amores divinos sub humanorum imagine canentium, atque inprimis psalmi XLV. eo profecto valet, ut potuerit Salomo sanctiores ac diviniores amores tali carmine, quale nostrum est, celebrare: quid autem fecerit, quos cecinerit amores, & illa sola analogia nunquam discetur. Quid enim? nonne & humani conjugum adfectus ab eo exprimi poterant? aut, quod aliqua carmina amatoria Dei & ecclesiæ conjugio sacra sunt, indene sequitur, ut nullum carmen amatorium Hebraicum proprie intelligi debuerit? Unde ergo nobis constabit, quales sint amores, quos Canticum exposuit?

Hic vero, hic locus fuisset, argumentis ex ipso poemate ductis, & rationibus internis ex operis structura petitis, allegoriam stabiliendi. Id vero refugit noster: prudenter ille quidem, & veritatis quam susceptæ sententiæ amantior; sed hac tamen ipsa verecundia caussam, quam tenere vult, labefactat. Veri enim dissimillimum, in tam longo carmine, si allegoricum sit, nihil omnino repertum iri, quod ad vestigia aliqua allegoriæ ac divinioris amoris nos deducat; nihil, quod non in libro amorum proprie sic dictorum legi potuisset: idque apud Hebræos, qui propria allegoriis intexere & miscere solent, ubi nostri poematis leges id fieri vetant. Atque etiam hoc molestum, quod non liquet; quæ tam longa tot actuum allegoria proponatur ac convestiatur moralis sententia, non prorsus nota, tantæque scriptionis indigens: nihil enim ex toto Cantico allegorice intellecto eliciet prudens ac Lowthi similis interpres, præter id, quod nemini ignotum, amare Deum ecclesiam, & ab illa amari. Plus qui exsculpserunt, multum errasse nostro videntur, nec injuria! Hanc vero unicam sententiam tam longa tractari allegoria, nec quidquam distinctius de natura hujus amoris, nihil arcani prodi, sive illud asceticum sit, sive dogmaticum, sive propheticum, quis sine gravibus rei argumentis credat? Cui hic ea ratio sola sufficiat: sæpe Hebræos allegorice Dei amores canere?

Non ignoro, quid dicturi sunt, qui theologicis rem agunt argumentis, quamquam eorum in tali quæstione non magna est nec gratia nec utilitas: eo enim potius comparata sunt, ut tacendum sit dubitantibus, quam ut certiores ac confirmatiores a dubitatione recedant. Dicent tamen: librum, licet a Christo & apostolis non citatum, legi in codice Hebraico, ideoque divinum habendum esse: non autem parere, quid sancti, quid divino adflatu digni contineat, nisi divinorum amorum pandat mysteria. Hos vero, ne forte alia omnia agere sibi visi sua ipsi vineta cædant, lectoresque de divina autoritate libri incertiores dimittant, monere ausim, castos conjugum & teneros amores, ab ipso Deo mortalium pectori tanto artificio inditos, & ex quibus humanæ felicitatis magna pars pendet, non unius voluptatis, sed & ex virtutis præceptis esse, nec indignos divinæ etiam musæ commendatione. Fac illum adfectum, qui in Cantico describitur, non, ut solet, amantium ante nuptias, sed & multos post annos conjugum esse, quam degent beatam terque quaterque vitam, Deo voluptatis autori gratam! Reprehendent forte hanc nimiam felicitatem tristiores aliqui & truculenti morum præceptores: at vel horum caussa, quibus nunquam ecclesia caruit, digna erat materia cœlestis Musæ carmine. Quam doctrinæ moralis partem si quis præceptis atque pro eruditorum more tractet, plus quidem fortasse conferet ad animos convincendos: at non eam in illis relinquet tenerioris amoris imaginem, quam Canticum vivide expressit, verecundiam ubique illam intexens, illum pudorem, sine quibus conjugum amor cito obsolescet. Meminerimus vero, nec in Proverbiis dedignari Salomonem, felicitatem & infelicitatem conjugiorum describere.

(132) Elegantissimus locus, quem scite, sed raptim attigit Bossuetus, c. IV. 8. dignus, cui perfectius & vividius intelligendo adferant lectores, quæ de Amanæ, nunc Fegæ, fluminis fontibus, viciniisque montibus & vallibus, habet Pocokius, p. 122. & 136. descriptionis Palæstinæ. Illud nempe Libani cacumen, quod fluvium Amanam fundit, ipsum & Amana dictum fuisse videtur. Nec leonum pardorumque mentio ab amatoria re remota, habet enim occultam sine omni jactantia commendationem fortitudinis, quæ in eximios sui amores timidiorem sexum rapere solet, ut vel in proverbio ac joco sit, milites puellis placere. Finge tibi duos amantes in Libano solos errare, amicus amicam invitabit, ut ex duplici hujus mon-

tis tanquam promontorio, ex Hermone quidem subjectæ Palæstinæ, ex Amana boreali, vallium Syriæ prospectu impleatur;

> *Mecum ex Libano sponsa,*
> *Mecum ex Libano veni:*
> *Prospectabis ex cacumine Amanæ,*
> *Ex cacumine Seniri & Hermonis.*
> *Ex lustris leonum, montibus pardorum.*

(133) גלש tamen non est emicare, sed *ascendere*, sive veterum sequamur autoritatem, Alexandrinorum (ex editione Complutensi), Syri, Vulgatæ, sive usum Arabici جلس. Difficile dictu, quid sit, *ascendere ex monte Gilead*. Forte construendum: *capilli tui sunt ut grex caprarum ascendentium, qui ex monte Gileaditico spectatur*. Minuta sunt aliqua, quæ noto, sed nolim hæc ipsa minuta decori carminis & tanquam lumini officere apud lectorem Hebraice scientem.

(134) At daturne talis grex ovium? Mihi potius קצובות sunt, *potu prohibitæ*, ab Arabico قصب *bibere prohibuit pecudem*. Est, ni fallor, adjectivum poetice pro substantivo positum, ut Virgilio, *bidentes*, qualia multa habent poetæ, Arabici præsertim. Debent autem oves raro adaquari, & quantum fieri potest, potu proiberi. Vide *Hastferi* de ovium cultura librum, P. I. c. 3. §. 27. P. II. c. 1. §. 4. Sic erunt oves sanæ & bene cultæ, quo & referendum quod sequitur, *omnes* מתאימות, *gemelliparæ*, non, ut invita lingua hic redditur, gemellæ. Est enim & hoc in laude ovium, gemellos parere. Ita dentium solus laudabitur candor, & illesa series, non æqualitas.

(135) Melius fortassis, *post velum tuum*, ut & modestia virginalis laudetur in conjuge, & significetur, quæ latent eo videri pulcriora, quod oculis se nostris subducunt. Certe צמה quoties in Cantico recurrit, semper cum בעד *post* construitur, ut, hic & c. VI. 7. *genæ tuæ* post *Samma*, c. IV. 2. *oculi tui post Samma*, quod in cincinnos non quadrat, sed in velum, oculos genasque obtegens. Ita & Jes. XLVII. 2. Alexandrini & Syrus velum vertunt, hic vero Symmachus. Dicitur illud a ضم *constringere*. Et hæc minuta nolui prætermittere, quod ad proprium Orientalis carminis colorem referenda sunt, quo maxime a nostro carmine differt.

(136) Hæc imago, si qua alia in Cantico, plerisque lectorum displicuit, ut nimis a natura abhorrens, nonnullis & risui fuit, a quo se abstinuissent, nisi ignorato Oriente, nec lectis poetis Orientalibus, de aliqua se carminis Hebraici parte, ex pulchro corpore decerpta, ac ne recte quidem intellecta, judicare tamen posse confisi essent. Arabibus, ex his enim plures quam ex reliquo Oriente toto poetæ supersunt, nihil frequentius, quam ornatum muliebrem, uniones, gemmas, lunulas, murænulas, impense laudare, jam invictis armis comparare, quibus superbi juvenes debellentur, jam in fascini suspicionem vocare, tam potentis, ut ei resisti nequeat. Quæ laus non tam est horum monilium, quam elegantissimi corporis, in quo quidquid collocatum est, pulcherrimum, & fascino plenum, & ad amorem ciendum potens & inevitabile fieri videtur: estque hæc tanquam occulta laus venusti corporis eo fortior, quod tectior, ex eodem fere genere, ut illa Virgilii, qui Æneæ arma aptavit Vulcania, non ut his armis virum male fortem tutum præstaret, sed ut ipsum invictum, ac divina prope virtute esse, clanculum insinuaret. Hæc ergo monilium, tanquam armorum, laus, quæ in poesi Arabica proprium locum occupavit, a Salomone etiam amatorio intexitur carmini. Turris, quam dicit, Davidis, armamentarium fuisse videtur, intus ubique armis plenum, sed & in cujus muris clypei suspensi sole refulgebant, turri decori, hostibus terribiles. Proceritatem colli omnino non commendari puto: habet illa, turri comparata, aliquid deformitatis, quod mihi approbare nequeo. תלפיות, quod pinnas noster vertit, malim aut cum Syro *thecas* interpretari, aut cum aliis vertere: *ædificata ad arma suspendenda*. Fateor tamen, nihil me huic vocabulo lucis ex philologia adferre posse, quod enim tradere solent, compositum esse ex תלה *suspendit*, & פה *acies*, incertius est.

(137) Dolendum, quod eximio poemati interpres etiam defuit, ita, ut fas erat, instructus: qui enim ad illud accesserunt, theologos potius aut mysticos egerunt, non primos & obvios carminis amatorii sensus promere allaborarunt. Nec tamen id ita facile, ut tanquam per somnum obrepere interpreti alia meditanti possit. Præter penitiorem enim linguarum Orientalium usum, multa requiritur & morum omnisque antiquitatis, & vero historiæ naturalis cognitio: quibus rebus accedat necesse est frequens poematum Arabicorum, amatoriorum maxime, lectio, &, sine quo verborum phrasimque habebis, non rerum interpretem, ingenium denique poeticum. Quæ raro singula, nunquam conjuncta, in his fuerunt, qui difficilem librum commentariis illustrandum susceperunt. Quod si qui sunt, quibus in Cantico Canticorum quodammodo intelligendo non parum me debere gratus fateor, Bochartus erit, & Celsius, & Schroederus, qui passim in hierozoico, hierobotanico, & libro de ornatu mulierum Hebraicarum, difficiliora ejus loca aliqua illustrarunt, alia (nec enim librum interpretandum susceperant) intacta relinquere necesse habuerunt.

Ut autem in quibusdam exemplis appareat, quid novæ lucis elegantissimo poemati ex historia naturali ex antiquitate sperem, en meam de difficillimis locis, c. V. 11. 14. VII. 6. 14. qualemcunque sententiam. C. V. 11. ignoratur plerumque, & solis conjecturis quæritur, quid significet תלתלים. LXX. & Vulg. verterunt ἐλάτας, elatas (media syllaba brevi) i. e. dactylorum involucra: nec rationem desiderabis interpretationis Arabiam consulens, cui تلتلة est *spatha palmarum*. At quid hæc ad crines? Intelliget vero, quicunque elatas viderit, quo tempore rumpuntur, dactylosque produnt: speciem enim referre videntur crinis varie, & cum pulchro aliquo ordinis artisque neglectu, crispati. Quas ipsas si in hoc tractu obvias non habeas, imaginem earum vide ære expressam, quam *Jo. Bodæus* notis ad *Theophrasti historiam plantarum* adjici curavit, l. II. p. 104. editionis anno 1644. factæ. At sibine constat Salomo, hoc ipso in versu & nigros dicens crines, & caput aureum,

> *Caput ejus est aurum purum,*
> *Cujus cincinni sunt elati,*
> *Nigri ut corvus,*

Optime vero! Licet enim orientales nigros a natura crines laudent, solent tamen eosdem Henna, (sic cyprum sua lingua dicunt) inficere, ut flavescant, aurique colorem referant. Mos antiquus, de quo in antiquitate Hebraica disputo: sed forte olim in hanc rem, æque ut Latini aliquando, auri pulvere usi sunt.

Eadem Henna & vultum, & brachia ac majus pingunt, unde primo cæruleus color, sensim flavescens, nobis quidem in humano corpore displicens, sed illis in deliciis habitus. Jam intelliges aliqua ex versu 14. & 15. ejusdem capitis:

> *Manus ejus sunt cylindri aurei*
> *Insitis chrysolithis:*
> *Venter lamina eburnea*
> *Inclusa sapphiro:*
> *Crura columna marmoris*
> *Fundamento aureo.*

Nempe digiti Henna flavescentes cylindros referebant aureos, chrysolitho interstinctos, cujus gemmæ aureus olim color. Olim inquam, nostri enim aliter nominant eundem lapidem, topasium dicentes antiquorum chrysolithum. Vide Hillii historiam fossilium (*Hill's history of fossils*) p. 599. Quodsi cum aliis veterum תרשיש intellexeris hyacinthum veterum, (nobis amethystum, collato Hillio p. 593.) cæruleus color significabitur, quem eadem Henna cuti inducit. Venter albens, sed pretiosa veste ac purpurea tectus, callide comparabitur laminæ eburneæ, sapphiro inductæ. Fortius nempe commendantur in re amatoria, quæ latent. עלף, Arabice غلف, est, *thecæ includere*. שיש sine dubio marmor, in quo varie errant figuræ: huic venuste tibiæ ac suræ comparantur, serpentibus cæruleis venis pellucentes, eoque pellucentes magis, quo cutis mollior. Basis aurea, soleæ aureæ.

Capitis septimi versus 6. est ex difficillimis. Caput comparatur Carmelo monti fastigiato, multisque arboribus denso: qua similitudine capilli honorem laudari cre-

crediderim. Commemoratur & דלת, in quo vocabulo eo usque errarunt interpretes, ut non defuerint, qui etymo aliquo ducti *tenuem capillum* verterint, quasi vero hac laude adulari puellis possimus. Mihi quidem crinis longior est & copiosior, (qualem decere fœminas Paulus, naturæ concinens, dixit 1. *Cor.* X.) a دلل *pendulus fuit*, unde & Chaldæis דליל peniculamentum. Hunc crinem comparat purpuræ, (כארגמן) non opinor ob colorem; Henna enim, qua infici crines dixi, fuscos facit, non purpureos. Intellexerim potius animal potius, i. e. Tyrium illum muricem, cujus ruborem lana bibit. Fastigiatus ille, & ornate in altum assurgens, unde & nomen ארגמן accepit a cippi sepulchralis similitudine. Est quippe רגם *lapides in tumulum conjicere*, diversum a סקל, *lapidibus impetere vivum:* indeque tumulus sepulchralis, lapidibus congestis fieri solitus, Arabibus رجمة, & tumulus lapidati Hebræis מרגמה, *Prov.* XXVI. 8. Hinc ארגמן proprie murex ipse, ornatiorem cippum quodammodo exprimens, deinde & purpura, quæ murice tingitur. Idem vero murex & crini fastigiato fœminarum Orientalium, multis redimito fasciis, apte comparabitur: quod utrumque oculis judicabit, qui semel illum viderit, aut qualis a natura fingitur, aut qualem Franciscus Michael Regensus expressit in regio vere opere *choix de coquillages*. Jam bene additur, מלך אסור ברהטים, quod ipsum satis dubium verto, *ut rex redimitus fasciis*, sequutus Alexandrinos, qui habent, ὡς πορφύρα βασιλέως, ΠΕΡΙΔΕΔΕΜΕΝΗ ΕΙΛΗΜΑΣΙ. Tiara recta Orientalium intelligitur. regum insigne, & quo altius fastigiata, eo nobilior. Jam & intelligentur, nec morum Orientis naturæque perito displicebunt illa:

Caput Carmeli simile:
Crinis fastigiatus ut concha purpurea,
Ut rex redimitus tiara recta.

Eodem in capite versus finem habemus dulcem verni temporis descriptionem, sed in qua aut displicent, aut languent דודאים odorem spargentia, de quibus ipse Celsius in initio præstantissimi hierobotanici agens rem tamen infeliciter gessit. Sunt ex antiquissima autoritate τῶν ὁ mandragoræ: at his locum non esse in Cantico amatorio Celsius credidit, quod male oleant. Et tamen id ipsum, quod addit Salomon נתנו ריח *dant odorem*, ex Arabismo expositum, erit, *gravem odorem spargunt*: est enim نتن vel simpliciter positum, *fœtere*. Meminerimus, ex opinione totius fere Orientis mandragoræ vim esse in potionibus amatoriis, totamque herbam amoris putari & libidinis: quæ quam bene tradantur aut male, nihil ad nos, sufficit, ita sentire Orientem. Hoc ergo dicet canticum: *jam & somnifero odore Venereus mandragoras, late olens, spirat suadetque amores*. Nempe fœtor mandragoræ hircinus, quo spargere amorem lascivo veris tempore videtur. Nec dictu difficile, cur tantopere mandragoras Rubenis adpetierit Rahela, mariti sobolisque cupida, ut pro illis noctem debitam sorori venderet: *Genes.* XXX. 14. 15. Quod enim obvertit Vir Summus Celsius p. 9. & 11. hierobotanici, nullam ad amores virtutem mandragoræ esse, nec sanctæ fœminæ tales tribui artes debere, in patriarchali familia longe alios mores edoctæ; utrumque parum momenti facit. Sufficit enim, Orientales mulieres hanc vim mandragoræ tribuisse, in quo utcunque errarint, hic tamen error faciebat, ut valde fructum tam potentem adpeterent. Sanctitatem autem aut verecundiam Rahelæ non multum laudarit, qui ejus historiam sine studio partium legerit. Quæ idola & colebat, & vero furabatur, idque patri, potuit & mandragora devincire sibi velle maritum. Mores certe a patre non meliores edocta erat, cujus turpe factum cogitans & impudicum, filiam suam virginem inscio Jacobo prostituentis, quis non ignoscet filiæ, potus amatorios miscere cupienti?

איוב

POEMA JOBI.

PRÆLECTIO TRIGESIMASECUNDA:

DE POEMATIS JOBI ARGUMENTO ET FINE.

CUM de Jobi poemate ejusque natura & constitutione jam agendum sit, video mihi eam quæstionem propositam, in qua summa est opinionum diversitas, prope sola inter eruditos de maxima ejus obscuritate consensio: ut argumentum vel tam difficile, vel toties tractatum, ingredienti quærenda sit excusatio temeritatis. Quanquam autem vel doctissimorum virorum de rebus valde dubiis inter ipsos dissentientium aliquanto levior videri possit autoritas, eoque minorem invidiam parationem sint habituræ forsan aliorum, quæcunque sint, sententiæ; ea tamen defensione non utar, cum id modo in me recipiam, quod mihi necessario imponit instituti mei ratio; non nova quæram, non eruditorum lites dijudicare ausim, obscura vix sperem illustrare; tantummodo ex locis clarioribus probabilia colligere, eaque quæ mihi videntur aliquo rationis fundamento niti, non quasi comperta ac plane percepta, sed in opinione posita, proponere: cum de poematis constitutione & partibus satis clare disputari non posse arbitror, nisi quis in tanta opinionum varietate, quæ sit sua potissimum de universo opere sententia, prius explicet.

Inter omnia sacri codicis monumenta exstare quodammodo mihi videtur liber Jobi, quasi singulare quoddam atque unicum; utpote minimam omnium cum cæteris habens cognationem, nullam cum Israelitarum rebus necessitudinem. Ponitur * in Idumæa scena historiæ; hominis Idu-

* Cum valde incerta sunt ea omnia, quæ ex Græcorum monumentis & geographiæ longe recentioris scriptoribus eruditi congesserunt, ad indicandam Jobi cæ-

Idumæi caſus narrantur; qui loquentes inducuntur, ſunt omnes Idumæi, vel finitimi Arabes, ex Abrahami quidem familia plerique oriundi: ſermo eſt pure Hebræus, quanquam autore, ut videtur, Idumæo; nam omnes Abrahami poſteros Iſraelitas, Idumæos, Arabas tum Keturæos: tum Ishmaelitas, communi lingua diu uſos fuiſſe veri eſt ſimillimum. Idumæos autem, ac ſpeciatim Themanitas, ſapientiæ fama claruiſſe, Jeremiæ atque Abdiæ prophetarum * teſtimonio conſtat: Baruchus ** etiam hos vel præcipue τοις μυθολογοις και τοις εκζητηταις της συνεσεως adnumerat. De autore quidem varie opinati ſunt viri eruditi: Elihuum fuiſſe, Lightfooti noſtri conjectura eſt; quæ primo quidem aſpectu ſeſe aliquantum commendat: videtur enim Elihuus in exordio *** ſui ſermonis aliqua ex autoris perſona efferre. Verum ea apoſtrophe melius intelligitur ad auditorum cœtum facta: ad hoc, duobus diſtichis manifeſto conſtat, cum cætera omnia ex autoris perſona ſoluto ſermone efferantur. Altera, quæ plurimum etiam obtinuit, ſententia Moſem fuiſſe ſcriptorem ſtatuit: quæ alii opinioni ſolummodo conſequens eſſe videtur; nimirum carmen hoc in Iſraelitarum ſolatium compoſitum fuiſſe,

cæterorumque, qui hic memorantur, patriam & ſedes; aliam prorſus rationem ineundam cenſeo, & ex ſacris literis unice petendam hujuſce quæſtionis ſolutionem: quæ itaque mihi videntur ad hanc rem illuſtrandam aliquo modo pertinere, exinde depromta breviter exponam.

ארץ עוץ, Terra, Utzi, eſt Idumæa, ut plane conſtat ex *Thren.* IV 21. Erat Utz Seiri choræi Nepos: *Gen.* XXXVI. 20. 28. 1. *Par.* I. 38. 42. Seirus tractum montanum cognominem ante Abrahami tempora inſederat, ſed ejus poſteris ejectis regionem occupaverunt Idumæi: *Gen.* XIV. *6. Deut.* II. 12. Duo alii viri memorantur eodem nomine עוץ appellati; alter Shemo oriundus, alter filius Nachoris fratris Abrahami; ſed an regio aliqua ex horum alterutro nomen duxerit, omnino non liquet. Eſt autem Idumæa pars Arabiæ Petrææ, tribui Judæ contermina ad meridiem: *Num.* XXXIX. 3. *Joſ.* XV. 1. 21. adeoque terra Utzi recte locatur inter Ægyptum & Philiſtæos, *Jer.* XXV. 20. ubi ordo locorum in populis recenſendis ab Ægypto uſque ad Babylonem ſatis accurate ſervari videtur; atque iidem populi eodem fere ordine iterum collocantur, *Jer.* XLVI. – 1.

בני קדם, Orientales: ita appellantur omnes illæ gentes diverſæ, populique miſcellanei, (uti vocantur *Jer.* XXV. 20.) qui inter Ægyptum & Euphratem habitant, Judææ circumvicini ad meridiem & orientem; ſpeciatim Idumæi, Amalekitæ, Midianitæ, Moabitæ, Ammunitæ (138); vid. *Jud.* VI. 3. & *Jeſai.* XI. 14. Ex iis certe Idumæi & Amalekitæ ſiti erant ad meridiem Judææ; vid. *Num.* XXXIV. 3. XIII. 29. 1. *Sam.* XXVII. 8. 10. Hoc plane modo ſe res habere videtur: omnis ea regio inter Ægyptum eſt Euphratem vocabatur Oriens, primum reſpectu Ægypti, (ubi Iſraelitas ſic loqui didiciſſe, cenſet *Joſ. Medus* Oper. pag. 580.) poſtea abſolute, & ſine ulla relatione ad ſitum loquentis, aut ad rem, de qua agitur. Abrahamus dicitur amandaſſe concubinarum ſuarum, hoc eſt, Keturæ & Hagaræ, filios, קדמה אל ארץ קדם, *orientem verſus, in eam regionem quæ Oriens vulgo dicitur: Gen.* XXV. *6.* ubi nomen regionis ab ejuſdem ſitu diſtingui videtur. *Salomo perhibetur ſapientia antecelluiſſe omnes Orientales & omnes Ægyptum:* 1. *Reg.* IV. 30. hoc eſt, omnes populos vicinos ex ea parte ſimul ſumtos: erant enim, qui ſapientiæ fama non minimum claruerunt, extra Ægyptum ſiti, & Judææ vicini ad meridiem, nimirum Idumæi, (vid. *Jer.* XLIX. 7. *Abd.* 8.) quorum hic habenda erat ratio. Ita Babyloniis edicit Jehova: *Surgite, aſcendite in Kedarenos, & vaſtate filios Orientis: Jer.* XLIX. 28. veruntamen ii ſiti erant Babyloniis ad Occidentem. Jobus igitur etſi numeretur inter Orientales, non eſt tamen propterea neceſſario locandus in Arabia deſerta.

אליפז התימני, Eliphazus Themanites: erat Eliphazus Eſavi filius, & Theman Eliphazi: *Gen.* XXXVI. 10. 11. ex hac gente procul dubio erat hic Eliphazus. Theman certe eſt urbs Idumæorum: *Jer.* XLIX. 7. 20. *Ezek.* XXV. 13. *Amos.* I. 11. 12. *Æd.* 8. 9.

בלדד השוחי, Bildadus Suchites: erat Shuachus Abrahami ex Ketura filius, cujus poſteri inter Orientales numerandi; cum fratre Midiane, & fratris filiis Sheba & Dedane fortaſſe collocandus: vid. *Gen.* XXV. 2. 3. Dedan eſt urbs Idumææ: *Jer.* XLIX. 8. & in ejus limite orientali ſita videtur, ut Theman in occidentali; *Ezek.* XXV. 13. Ex Sheba oriundi Sabæi, in aditu Arabiæ felicis ad mare rubrum: Sheba cum Midiane conjungitur, *Iſai.* LX. *6.* Midianitis autem in eadem eſt regione non longe a monte Horebo, *Exod.* II. 15. III. 1.

צופר הנעמתי, Zopharus Naamathites: inter urbes, quæ tribui Judæ ſorte obvenerunt Idumæis contermina ad meridiem, numeratur Naama, *Joſh.* XV. 21. 41. neque alia occurrit hoc nomine: hinc forſan oriundus Zopharus.

אליהוא הבוזי, Elihuus Buzites: ſemel tantum occurrit Buz ut nomen loci vel regionis, *Jer.* XXV. 23. ubi cum Dedane & Thema jungitur: Dedan, uti jam vidimus, eſt urbs Idumææ; Thema erat ex filiis Ishmaelis, qui habitaſſe dicuntur *a Chavila uſque ad Shur, quod eſt e regione Ægypti*; *Gen.* XXV. 15. 18. Saulus autem dicitur percuſſiſſe Amalekitas *a Chavila uſque ad Shur, quod eſt e regione Ægypti*; 1. *Sam.* XV. 7. Chavila igitur iſthæc non longe eſt a finibus Amalekitarum; Amalekitæ autem nunquam ſeſe extenderunt ultra fines Arabiæ Petrææ; adeoque Thema urbs, quæ inter Chavilam & deſertum Shur, eſt alicubi ad meridiem vel ortum hibernum Judææ. Thema item Shebæ jungitur, *Job.* VI. 19.

His probe perpenſis, clare, quantum in hujuſmodi quæſtione ſperare fas eſt, conſtare arbitror, Jobum in Idumæa habitaſſe, omneſque ejus amicos in Arabia item Petræa, vel in regionibus proxime vicinis ſedes habuiſſe. Unum hic objicitur: quæritur, quomodo Chaldæi ad Euphratem ſiti in camelos Jobi habitantis in Idumæa tam longe diſſita impetum facere potuerunt? quod ſatis eſſe cauſæ multis habetur, cur Jobi patriam in Arabia deſerta non longe ab Euphrate collocent. Quid vero prohibet, quo minus Chaldæi juxta atque Sabæi, populi rapinis dediti, & prædæ cauſa turmatim longe lateque graſſantes, per omnes has regiones, in ſingulas gentes ac familias potius quam in nationes & regna diviſas, adeoque latrociniis ſemper infeſtas, impune vagari potuerint, & ab Euphrate etiam uſque Ægyptum excurrere? Porro autem ex altera parte quæro, an æque credibile ſit, amicos omnes Jobi, in Idumææ vicinia degentes, ſtatim inaudire potuiſſe ea omnia, quæ Jobo in Arabia deſerta prope Chaldæam acciderant, eique protinus accurrere? aut, ſi eorum aliquos Arabiæ deſertæ incolas fuiſſe quiſquam contenderit, inter ſe conſtituere, ut Jobum una viſerent, cum certo conſtet Eliphazum Themane in extrema Idumæa habitaſſe? Quod attinet ad Ptolemæi Αισιται, (ſic enim habent exemplaria, non Αυσιται) non conſtat id nomen cum Hebræa voce עוץ vel una litera congruere. LXX. *Intt.* regionem quidem Αυσιτιδα appellant, ſed in finibus Idumææ locant; & Jobum ipſum pro Idumæo, Eſavi Pronepote, habent. Vide Additamentum LXX. *Intt.* ad finem *Jobi*.

* *Jer.* XLIX. 7. *Abd.* 8.
** *Baruch.* III. 22. 23.
*** *Job.* XXXII. 15. 16.

se, eorumque res aliquo modo adumbrare; quam ipsam esse vanissimam arbitror: cum morum, rituum, rerum, Israeliticarum nulla vestigia, nullam speciem aut umbram reperio. Addo etiam videri mihi stylum poematis a poetico Mosis charactere haud paulum discrepare, pressiorem enim esse, adstrictiorem, breviorem, in poetica sententiarum constructione accuratiorem: quod idem animadverti potest in Balaami Aramæi vaticinationibus, hominis item exteri, sed prophetæ, nec a lingua Hebræa, nec a vero Deo, alieni. Probabiliorem itaque existimo eorum sententiam, qui vel Jobum ipsum, vel aliquem potius ei ætate supparem, carminis autorem statuunt: nam antiquissimum esse omnium monumentorum sacrorum, res, sermo, universus character, ipsa denique obscuritas, arguit. De ætate Jobi ipsius, quanquam accurate definiri non potest, non tamen video, cur multum dubitemus. Mose antiquiorem fuisse, ac æqualem etiam patriarchis, ipsius longa ætas indicat. Ut cætera taceam huc pertinentia, quæ viri eruditi animadverterunt, ante legem latam eum vixisse, probabiliter inferri potest ex eo sacrificii genere, quod Deo jubente offert; septem nimirum juvencos & septem arietes *: quod in iis regionibus, ea ætate, nondum delata inter gentes creationis intra septem dies memoria, obtinuisse, Balaami Aramæi exemplo constat. Nunquam in dubium vocata fuisset historiæ veritas, nisi allegoriarum conquisitoribus tantum placuissent suæ fictiones, ut nihil amplecti vellent, quod non umbratile esset & commentitium. Veritatem dico quoad rerum summam: nam sermones omnes, atque alia aliqua fortasse adjuncta poetice exornata esse arbitror, sed nequaquam conficta aut detorta ad extruendam allegoriam. In ipso poemate ne minima quidem allegoriarum indicia comperio: in prologo ** si quæ ejusmodi occurrunt, similia ac paria habent etiam libri historici. Esse autem prologum & epilogum quodammodo extra ipsum opus, & argumentum poematis explicare, manifestum est; an ejusdem cum poemata & ætatis & autoris, incertum: sunt quidem in prologo nonnulla, unde multi certo sibi collegisse videntur, scriptorem Judæum fuisse; quæ tamen non nimium urgenda esse existimo.

Hæc omnia in ambiguo esse, & multis doctissimorum hominum controversiis ultro citroque jactari, minime est mirandum: de præcipuo autem poematis argumento ac fine potuisse unquam dubitari, id quidem merito mirari quisquam possit. Nam quanquam multa sint loca valde obscura, multa, quæ vereor, ut quisquam mortalium satis intelligat; quanquam etiam in rerum & sententiarum nexu, & serie orationis, plerumque præcipua posita sit obscuritas; eo tamen usque tenebris involuta esse omnia, ut nihil in universum clare percipi certeque concludi possit, non est existimandum. Ac longe quidem aliter se res habet. Effulget enim per totum una atque eadem, eodem ducens, quanquam sæpius intermissa, lux: quam si quis attente sequatur, neque sese ultro tenebris immergat, iisque nimium inhæreat, non dubito, quin universi operis seriem, argumentum, & finem, satis clare sit perspecturus. Eam rationem sequamur paulum, academici; & obscuriora suspenso pede transeuntes, clarioribus insistentes diligentius, totum opus pingui, ut ajunt, Minerva percurramus, videamusque, si quam universi argumenti notionem consequi, & in animis nostris consignare possimus.

Proponitur exemplum viri boni, pietatis conspicue, probatæque integritatis, e summo rerum prosperarum fastigio in profundissimas miserias subito ruina deturbati: qui cum primo omnes quibus abundabat facultates, liberosque etiam amisisset; deinde gravissimo insuper totius corporis morbo laboraret; isthæc omnia æque animo ac forti deique reverentissimo sustinuit. *Hucusque*, inquit * *historicus*, *nihil deliquerat Jobus*, *nec indigni quidquam aut insulsi Deo attribuerat*: & post secundam tentationem **, *In his omnibus Jobus labiis suis haud quidquam peccaverat*. Quod notat, iterumque urget historiæ scriptor, quo excitat lectorem eumque attentiorem reddat ad sequentia, quæ poematis argumentum constituunt: nimirum ut animadvertat, num in constantia sua perstiturus esset Jobus, quæque adhuc etiam ingruerent mala, pari animi fortitudine, parique dictorum modestia & temperantia esset laturus. Accedebat enim jam aliud oneris; quo penitus exploraretur viri virtus, quod revera, uti nos jam præmonuit scriptor, haud æque firmiter eum substinuisse deprehendemus: amicorum nimirum, qui ad eum consolandi animo venerant, iniquæ

* *Job.* XLII. 8. Confer *Num.* XXIII. 1. &c.
** *Job.* I. 6. &c. II. 1. &c. Confer 1. *Reg.* XXII. 19.—22.

* *Job.* I. 22.
** *Job.* II. 10.

quæ ſuſpiciones, acerbæ accuſationes, & importunæ vehementeſque altercationes. Hinc exſurgit poematis argumentum. Cum enim, poſt diutinum eorum ſilentium, in graviſſimos queſtus & ardentiſſimam natalium ſuorum execrationem paulo impotentius ſeſe effudiſſet Jobi dolor; exacerbati ſubito amicorum animi, mutatæ voluntates, & ſolatia, ſi quæ ſecum in ſinu repoſita attuliſſent, in contumelias verſa. Prior ex tribus illis egregiis conſolatoribus impatientiam ejus corripit: arguit improbitatis; tecte quidem & oblique, cum de probis Deus hujuſmodi pœnas non ſumat; monet, non aſpernandam eſſe Dei caſtigationem. Alter, in alloquendo non lenior, pro conceſſu ac comperto habet, liberos ejus ſcelerum ſuorum pœnas fuiſſe; ipſum, modo innocens ſit, vel ad miſericordiam divinam confugiat, in integrum reſtitui poſſe. Tertius eum accuſat arrogantiæ, vanitatis, & mendacii, eo quod ſe contra ſociorum accuſationes defendat; ad ſaniorem mentem vitamque ſanctiorem hortatur. Omnes de Dei judiciis in malos impioſque ſemper aperte editis, deque hypocritarum certiſſimo exitio, multa diſſerunt, haud obſcure Jobum petentes. Quid ad hæc omnia ac ſingula Jobus? de ſuis miſeriis, de amicorum inhumanitate, de Dei ab ſe alienatione, queritur; Deum homineſque teſtatur, innocentem ſe opprimi; Deo imparem eſſe, & juſtiſſimam cauſam obtinere non poſſe: animoſius paulo & contentioſius cum Deo agit, quem probos ac improbos æque plagis conficere affirmat. His reſponſionibus multo etiam magis irritati ſunt ſociorum animi: acrius ac vehementius ad accuſandum denuo ſe accingunt, Jobum impietatis, ſuperbiæ, impotentiæ, furoris, inſimulant: eoſdem locos tractant, de juſtitia Dei, de impiorum ſuppliciis, certiſſimoque poſt brevem felicitatem excidio: quam ſententiam ſua patrumque ſuorum experientia comprobatam fidenter pronuntiant, multiſque imaginum ac ſententiarum luminibus exornatam graviſſime amplificant. Ex parte item Jobi eadem fere cum ſuperioribus, ſed multum aucta & exaggerata, retractantur: provocationes ad Deum, graviſſimæ expoſtulationes, integritatis ſuæ conteſtationes; de amicorum crudelitate, de vitæ humanæ vanitate, de ſuis miſeriis, queſtus, mœror, deſperatio: ſpem tamen ultimam in Deo ſeſe reponere fidenter teſtatur: quanto autem fortius impiorum pœnas objeciſſent adverſarii, tanto pertinacius Jobus eorundem impunitatem perpetuamque uſque ad mortem ſecuritatem felicitatemque * regerit & confirmat. His commotus prior cenſorum Eliphazus ad apertas criminationes & contumelias deſcendit: hominem integerrimum graviſſimorum criminum acriter accuſat; injuſtitiæ, rapinæ; oppreſſionis, reum agit; utque impium virtutis & religionis ſimulatorem inſectatus, poſtremo ad pœnitentiam hortatur. Eo animoſius Jobus ad Dei tribunal provocat utque coram ipſo cauſam ſuam agere ſibi liceat, exoptat: de Dei in ſe ſeveritate impatientius queritur, de ſua juſtitia fidentius gloriatur; deinde ſuam de impiorum importunitate ſententiam acrius tuetur. At hæc alter triumvirorum Bildadus ornate ſed breviter de Dei majeſtate & ſanctitate ſolummodo diſſerit; audaciam Jobi clam exagitans, qui ad eum provocare auſus eſſet. Bildadum irridet Jobus; & infinitam Dei potentiam & ſapientiam fuſius & ornatius exponit. Cum autem nihil reponeret tertius, cæterique penitus tacerent; veram tandem animi ſui ſententiam de impiorum ſorte aperit: non eſſe ſtabilem eorum felicitatem; ipſos eorumque Deum injuſtitiæ vindicem ſubito quandoque experturos. Sed in his omnibus divinam ſapientiam ab hominibus nullo modo perveſtigari poſſe; ſummam autem hominis ſapientiam in Dei timore poſitam eſſe. Priorem gloriam & felicitatem, cum præſenti ſua miſeria & dedecore comparatam, amplificat. Poſtremo contra Eliphazi criminationes, cæterorumque iniquas ſuſpiciones, vitæ anteactæ rationem ſingulatim reddit, ſuam in omnibus officiis ſpectatam integritatem coram Deo hominibuſque teſtatur, iterumque ad Deum judicem provocat.

Hæc ſi vere ex univerſa orationis ſerie colligantur, quatenus eam per loca apertiora minuſque perplexa incedentes inveſtigare ac conſequi poſſumus, non difficile erit hujuſce partis, quæ diſputationem inter Jobum & triumviros continet, argumentum ſtatuere. Quæſtio itaque eſt, de Jobi pietate & integritate; an, qui tam inſigni Dei judicio tantis malis conflictetur, pro pio & inſonte haberi poſſit. Ea in latiorem controverſiæ campum, quæſtionemque minus definitam deducit, de Dei conſilio in hujuſce vitæ miſeriis & felicitate diſpenſanda. Amici, Jobum videntes tam graves pœnas luentem, hominem ſimulatæ pietatis

* Sunt quidem Capita XXI. & XXIV. ex obſcurioribus; ſed mihi videtur ingenioſa & probabilis Cl. *Schultenſii* interpretatio in hanc ſententiam.

tatis accusant, & atrocioris alicujus sceleris reum falso arguunt: Jobus nullius sibi flagitii conscius, & iniquis eorum criminationibus lacessitus, integritatem suam fidentius & pertinacius quam homini fas est coram Deo tuetur, atque ita sese justum esse contendit, ut Deum ipsum injustitiæ videatur insimulare.

Status hic controversiæ clarissimæ explicatur in sequentibus: nam cum triumviri Jobo respondere desiissent *, *eo quod justus sibi videretur*, hoc est, quod se nullius sceleris reum esse, quo tam graves Dei vindicis iras commeruisset, constanter contenderet; prodit Elihuus in utrosque commotus; in Jobum **, *quod sese præ Deo justificaret*, hoc est, ita suæ justitiæ causam defenderet, ut Deum ipsum injustitiæ arguere videretur, in triumviros ***, *quod cum nihil haberent, quod Jobo rasponderent, eum tamen condemnarent*; nimirum quod inique secum statuerent, Jobum impium esse & flagitiosum, cum tamen illius gravissimis innocentiæ suæ asseverationibus nihil haberent, quod reponerent, aut quo, rebus factisque prolatis, eum sceleris reum arguere possent.

Ad eundem controversiæ statum plane conformatur Elihui actio: de se enim pauca præfatus, se alia ratione, sine odio aut favore, cum Jobo acturum profitetur. Castigat itaque Jobum, ipsius verbis prolatis, quod suæ justitiæ nimium tribueret; quod se omnis delicti ac pravitatis immunem affirmaret; quod cum Deo contentiosius ageret, eumque hostili erga se animo esse dictitaret. Deum non necesse habere, omnes consilii sui rationes hominibus exponere; multis tamen modis monere mortales, nocturnis scilicet revelationibus, aut immissis gravioribus morbis, quo superbiam eis adimat. Jobum denuo increpat, eo quod se justum esse prædicaret, Deum autem injuste atque inimice secum egisse affirmaret: quod quam indecorum quamque indignum esset, ostendit. Tertio Jobo objicit, quod ex bonorum miseriis & malorum felicitate male ac perverse concluderet, nemini prodesse religionis cultum: probos etenim propterea calamitatibus diutius conflictari, quod auxilium divinum vel non quærant, vel non patienter expectent, nec sese coram Deo humiliter & submisse gerant: quo uno responso, ut **** ipse recte monet, tum Jobi contumacia castigatur, tum trium censorum malignæ suspiciones tolluntur.

* Cap. XXXII. 1.
** Cap. XXXII. 2. confer XXXV. 2. XL. 8.
*** Cap. XXXII. 3.
**** Cap. XXXV. 4.

Postremo Dei consilium in hominibus castigandis aperit; nimirum ut probet eos, ut emendet, ut eorum superbiam frangat; ut contumaces male perdat, submissis autem gratiam præstet: ita jam cum Jobo Deum agere; propterea ipsi cavendum, ne Deo minus obsequentem sese præbeat, neve ultra in se delictum admittat. Porro ex contemplatione divinæ potentiæ & majestatis ad debitam numini reverentiam præstandam hortatur. Ad Elihui toties intermissas ac deinde repetitas castigationes nihil respondet Jobus.

Elihuum excipit Dei ipsius oratio, qua, in abditas consiliorum suorum rationes descendere haud dignatus, sed suæ immensitatis stupenda quædam exempla proponens, in eodem quod Elihuus ingressus erat argumento insistit: primo, castigata Jobi temeritate, eum ignorantiæ arguit; qui suorum operum, quæ vulgo omnibus obversantur, rationem percipere non possit; formationem & naturam terræ, maris, lucis, animalium: deinde ei suam debilitatem demonstrat, ad edenda in æmulationem numinis potentiæ suæ exempla provocans, tum ad unum atque alterum ex brutis animantibus remittens, quibuscum non ausit contendere; quanto * minus cum creatore, omnipotente, rerum omnium Domino, nullique obnoxio? Ad hæc Jobus humillime se Deo submittit, suam imbecillitatem atque ignorantiam agnoscit, & cinere aspersus pœnitentiam agit.

Quibus omnibus perpensis, videor mihi vere constituere posse, hujus poematis argumentum esse, tertiam ultimamque Jobi tentationem ab amicis criminantibus factam: cujus eventus est, primo Jobi æstus, indignatio, contumacia; deinde animi sedatio, submissio, pœnitentia: ejusdem autem præcipuum esse finem, ut homines doceat, habita ratione tum humanæ corruptionis, ignorantiæ, & debilitatis, tum infinitæ Dei sapientiæ & immensæ majestatis, suis viribus, suæ justitiæ, renuntiandum esse, Deo fidem habendam, & cum summa humilitate & reverentia ei sese in omnibus submittendum.

Illud autem diligenter imprimis animadversum velim; aliud plane disputationis inter Jobum & amicos, aliud universi poematis esse argumentum: alium plane esse poematis, alium universæ historiæ finem. Nam quanquam is sit, quem dixi, finis, id argumentum poematis, nihilo tamen minus concedi potest, historiam

* Vide Cap. XLI. 10. 11.

riam universam simul sumtam proprie continere patientiæ spectatæ exemplar & præmium: Hæc quoniam non satis definite distincteque a doctis tractata sunt, id ipsum non minime in causa esse existimo, cur in totam hanc quæstionem tanta inducta sit obscuritas.

Non ignoro, hoc argumentum ineuntibus quæstiones aliquas occurrere solere, quæ, ut solenni ritu fusius tractentur, quasi suo jure deposcant: verum cum earum pleræque in locis quibusdam obscuris potissimum versantur, quorum non satis adhuc explicata est sententia; nec, quemcunque tandem exitum habituræ sint, eorum quæ statuimus veritatem, quantum video, sunt labefacturæ, iis omnibus supersedendum duxi. Nec vero, quia multa adhuc restant involuta & incerta, est idcirco de apertis & evidentibus dubitandum. Quod ad graviora quædam dogmata attinet, quæ viri eruditissimi ex egregio hoc veteris sapientiæ monumento docte & ingeniose confirmarunt; cum ejusmodi sunt, ut vel ex locis itidem obscurioribus potissimum pendeant, vel ad præcipuum poematis finem, ut mihi quidem videtur, non pertineant, vel cum eo ipso quem jam statui probe constent: ea in disquisitionem vocare multo minus erat consilium. Suffecisse etenim arbitror, quæ hactenus dicta sunt, ei negotio, quod unum a me exigebat instituti mei ratio; & ad quæstionem de hujusce poematis constitutione & virtutibus, quantum necesse est, aditum aperuisse.

NOTÆ EDITORIS.

(138) Ismaelitas omisit, primo loco nominandos, qui cum posterorum Abrahami maxime essent Orientales, (*Genes.* XVI. 12. XXV. 18.) ipsi se Orientales, Arabice شرقيون dixerunt, quod nomen nos *Saracenos* efferre consuevimus. Patet hinc & denominationis ratio: Orientales dicebantur non aliorum gentium respectu, sed posterorum Abrahami. Ex his Israelitæ occidentales: Orientales, qui in Arabia habitarunt.

EPIMETRON EDITORIS

IN QUO DISPICITUR, CONTINEATNE JOBI CARMEN FABULAM? AN HISTORIAM? ITEMQUE DE POEMATIS ANTIQUITATE, SCOPO, ET ARGUMENTO.

FAbulam, an historiam, Jobi carmen complectatur, multum inter eruditos disputatum est: qua in quæstione si autoritatibus standum sit, facile jam vincent, ut numero dudum vicerunt, qui historiam narrari credunt. Suffecerit duumviros nominare, ab his partibus stantes, Schultensium, quo nemo majore eruditionis adparatu librum Jobi tractavit, nemo plus ei lucis attulit, & Lowtum.

Mihi vero non opinabile solum, sed & prorsus verum videtur; fabulam illo poemate convestiri, eo fine propositam, ut discamus, bonis in hac vita male esse posse, præmiorum enim pœnarumque locum in alia esse vita: id autem si accidat, sapientissimas ob caussas a Deo permitti, sed ita reconditas, ut nemo mortalium assequi illas possit, debeatve scrutari. Cujus sententiæ antequam argumenta exponam, his respondendum arbitror, qui verebuntur, ne aut divinus liber esse desinat, aut parum autoritatis allaturus sit ad dogmata theologica probanda, pro fabula habitus. Ego vero sic existimo, nihil sanctitati, majestati, divinitati, utilitati libri decedere, licet nullus uspiam Jobus fuerit. Quod si enim sententiæ morales apte fictis narrationibus convestitæ; & magis placent ac delectant, & arripiuntur atque intelliguntur facilius, & animis altius hærent, non video, cur Deo indecorum sit, per fabulam nos erudire. Et vero quis ignorat. Christum id sæpe fecisse, cujus de Samaritani misericordia, aut de divite & Lazaro, narrationes, quis ideo minoris facit, quod fabulæ sunt.

Quod si mihi detur, assensu paulo insolentior factus & hoc persuadere audebo: morum præcepta, dogmata, inque adversis solatia, abundantiora ex fabula de Jobo peti, quam ex historia Jobi posse. In vera enim historia sermones perscribi necesse erat, quales habiti a Jobo & ami-

& amicis fuerant, meris hominibus, ſpirituque Dei non actis, quippe quos multum in diſputando peccaſſe, interveniens Deus, & utroſque ſtultitiæ arguens, edicit. Quid ergo veri habeant, quid falſi, vix intelligi, exque illorum ſermonibus nullum dogma theologiæ, præceptum nullum de moribus ſtabiliri poterit. Sola hiſtoria, at quam brevicula! & Dei oratio, divina erit: reliqua omnia humana. Fabula autem divinitus inſpirata ſi fictis perſoſonis colloquia tribuit, quæ aptiſſima videbantur ad eos ſenſus exprimendos, quos de hujus vitæ miſeriis concipere ſolemus: habebimus primo informatam a Deo animi humani imaginem, quales in morum doctrina maximi facere, & *characterum* nomine laudare ſolemus; deinde ſecuri eſſe poſſumus, Jobum & adverſarios non errare, niſi in ſumma cauſſæ, de qua diſputatur, non in parergis, ut cum angelorum mentio Eliphazo incidit, aut quemquam ex mortalibus purum naſci Jobus negat. Falſa hæc omnia eſſe poterant, ſi homines non ficti diſputarent: at Deo, labi neſcio, diſputationem informante, non errabunt colloquentes, niſi ubi errare debent; non oſcitantia, non ignoratione, præter hos neceſſarios errores alii irrepent. Denique ex tota diſputatione ſic melius colligi poterit, quas diſputantium ſententias probet Deus, quas errorum exempla ponat. Prudens autor ſi dialogum confingat, quid ipſe ſenſerit, colligi ex argumentorum diſpoſitione & tractatione poterit: ut nos quidem ex Ciceronis libris de natura Deorum colligimus, quid ſcriptor de Diis ſenſerit, aut potius dubitarit, non id facturi, ſi veros ſermones commentantium philoſophorum retuliſſet.

Jam audacior paullo, invidia certe liberatus, ad id accedo, quod probandum ſuſcepi. Libri ergo exordium, in quo Satanas adcuſator Jobi comparet, fabulam quidem magnopere decet, at a veriſimilitudine hiſtoriæ eſt remotiſſimum. Indicaſſe hoc ſufficiat: nec enim opus eſt, ut demonſtrem, quam ſit incredibile, tale colloquium Deum inter & Satanam, nova ex orbe terrarum renuntiantem, habitum eſſe. Ita certe æſtuare hic videas interpretes, eos maxime, qui impiorum objectiones retundendas ſuſceperunt, ut ſuſpecti quid & adfecti ſubeſſe, ipſoſque ſibi conſcios laborantis hiſtoriæ, facile agnoſcas.

Nec his diluendis ſufficit; quod forte prudentior aliquis ex interpretibus, Lowthi ſimilis, reſponderit, ipſeque pagina 312. 313. (ed. Oxon.) innuit: ſummam modo rerum veram eſſe; ſed hanc exornari figmentis quibuſdam poeticis, ex quibus ſit illud Satanæ cum Deo colloquium. In hoc enim colloquio & adcuſatione rerum eſt ſumma, ac nodi ſolutio. Tantis hominum optimus jactatur malis, ut nec ipſe nec adverſarii expediant, quomodo tam crudeli equuleo virum bonum imponere tam benevolum numen poſſit; nec Deus conſilii rationes exponere dignatur, objurgans utroſque, quod de rebus nimis obſcuris diſputent. At autor libri nodum, omnibus his colloquiis non ſolutum, diluit, ut lectores intelligant, quam male ab his, qui ante geſta ignorant, nec totam rerum univerſitatem complectuntur animo, de conſiliis Dei, deque felicitate aut miſeriis mortalium ſententia dicatur. Jobi, generis humani univerſi, ipſiuſque pietatis honori conſulebat, ac tanquam defenſor exſiſtebat Deus, per breve tempus Jobum miſerum eſſe permittens, Satanæque refellebat, ipſo Satana opitulante, adcuſationes. Fac ergo, hæc, quæ de Satana narrantur, conficta eſſe, reliquam hiſtoriam veram: tota laborabit, eritque merus ſine ſolutione nodus. Quod autem de libris hiſtoricis Lowthus addit, in quibus ſimilia occurrant, 1. Reg. XXII. 19-22. hujus loci omnino non eſſe videtur. Non hiſtoria in libro Regum refertur, nec loquitur autor libri, ſed propheta viſionem exponit, cujus hæc ſumma erat, falſis vaticiniis deceptum iri Iſraelitas, id quod & factum eſt, nec illius viſi fictio a ſumma rerum aberrabat. At qui Jobi libro hiſtoriam contineri putant, iidem & volunt, primo & ſecundo in capite hiſtoricum loqui, qui quidem & narrare debet res, prout acciderunt, & ſi quid ei fingere detur, non ea confingere, quibus demtis totius libri ſumma ad nihilum redigetur. Deme enim hæc duo capita: habebis Jobum cum amicis andabatarum more diſputantem; intervenientem Deum, ſed a cujus interventu non ita recedas doctior, ut vel conjicere aliquid de conſiliorum ejus ſapientia, ac de nodi, quem nectebat liber, ſolutione poſſis. Mentitus videbitur ſcriptor, ut Deum excuſaret, qui ipſe cauſſam tueri ſuam non poſſet. Omnia ergo eodem loco habenda: aut hiſtoria, aut fabula, ſunto univerſa.

Deinde genus dictionis ubique poeticum, ac tam grandiſonum, ut quovis pignore certare auſim, nullos unquam ejus ingenii ac ſpiritus ſermones extemporaneos fuſos eſſe. Prudentiore excuſatione uſus noſter, ſermones poetice exornatos arbitratur, quod qui ſtatuunt, illos hac parte vix convinci erroris poſſe exiſtimem,

atque adeo unum argumentum lucrari facile patior. Nec tamen sunt omnes, qui historicæ veritatem tuentur, tam verecundi. Ipse Schultensius, vir magnus, & Orientalis eruditionis sua ætate princeps, ut persuaderet, rem non adeo incredibilem esse, laudat Arabum facultatem carmina non meditata fundendi. Hic vero, ut non negem, valde gentem poesi studuisse, ejusque etiam extemporalitati: nunquam tamen mihi persuadebo, id quod omnes ingenii humani vires superare præstantissimorum poetarum exempla docent, perfecta adeo carmina, quibus nihil sublimius nihilque lugubrius uterque orbis audivit, colloquendo effusa esse. Deos mihi fingit, non homines, qui talia ab illis sperat. Ac vero ridiculæ artis fuisset, in tanta rerum acerbitate facta adeo uti oratione; dirissimos dolores pulcherrimo carmine deplorare, & desperantem elaboratissimis solari versibus.

Hæc quidem, quæ dixi, veritati historiæ opponere, non infrequens interpretibus: sed sunt & alia, præter illa quodammodo tralatitia, quæ me ab historia ad fabulam deducunt. Tot numeri rotundi, atque jam duplicati, in vita Jobi narranda concurrunt, quod casu consistere non est opinabile. Decem ei liberi perierunt, filii septem (in quibus licet non rotundum, sacrum tamen & perfectum Orientalium numerum est agnoscere) tres filiæ: ad horum modum VII. ovium millia, III. camelorum. Mille præterea boves, & perfecte dimidiato numero asinæ quingentæ. Pro his redduntur deinde XIV. ovium, VI. camelorum, II. boum millia, ac mille asinæ, exacte duplicatis numeris: liberi totidem quot habuerat. VII. filii, III. filiæ, hosque ei parit una ex malis residua uxor, non certe juvencula, sed X. jam antea liberorum, & vero adultorum, mater. Annorum, quos post cladem felices egit Jobus, eadem ratio: duplicati sunt ex numero septuagenario. Hæc omnia artificem arguunt, historiæ conditorem, qui rotundos arripere numeros solet, quod eorum nobis primum in mentem venit; non illum casum, qui unus in omni rerum vere gestarum serie dominans, mira numeros varietate miscet, raro perfectos, plerumque imperfectos sortiens. Nomen etiam Jobi, quod Arabice *bene resipiscentem*, *Deumque laudantem* *, *& quidquid Deo injurium est detestantem*, sonat, atque ob hanc significationem Mosi cum Hebraico ישוב REVERTETUR, commutari solet *, adeo historiæ viri aptum, qui aspere Deo obloquutus, tandem resipuit, ut non a parentibus, fatorum suæ sobolis ignaris, inditum, sed a fabulæ conditore fictum videatur.

Accedit quartum argumentum, quod colloquia, in media Arabia atque ab Arabibus habita, ita tamen abundant imaginibus Ægyptiis, ut Ægyptus æque ac patria nota videatur fuisse ei, qui hoc carmen fudit, semperque menti ejus inerrasse. His quidem de imaginibus Ægyptiis in commentatione egi, societati Regiæ scientiarum Goettingensi ante aliquot annos recitata, cui titulum *de Jobo Ægyptio* ita feci, ut imitatorem Ægyptiarum imaginum, Homerum, aliqui *Ægyptium* dixerunt: quæ commentatio si quando prodibit, facile mihi dabunt lectores, talia colloquia ab Arabibus habita non esse, sed conficta ab autore Arabiæ & Ægypti æque gnaro.

Denique, quod caput rei est, aliqua in libro Jobi ita comparata sunt, ut omnino in vera historia locum habere nequeant. Eo tempore, quo jam infra ducentos annos prisca subsederat patrum longævitas, centum tamen & quadraginta annos post superatum morbum Jobus vixit, ideoque non valde grandævus esse potuit, cum in istum morbum incideret: & tamen amicis, qui juvenes non fuerunt, quippe quorum canitiem disputatorum ultimus, Elihu reveritus est **, juventutem exprobrat, additque, ne dignos quidem eorum patres sibi visos esse, quos canibus suis pastoritiis adderet ***. Et vero hi ipsi amici senectutem suam prædicare, utque ejus reverentia juniorem Jobum tandem subeat, exigere solent. Sic quippe Eliphazus, c. XIV. 10. *etiam senex etiam decrepitus ex nobis est*, *patre tuo diebus major*. Hæc ita aperta fronte secum pugnant, ut ex vera historia delibata esse nequeant: nec enim hominum juventus aut senecta ita latent, ut talia inter se disputaturi unquam amici sint. Natalium quoque deducus, amicis exprobratum, c. XXX. 1-6. a veri similitudine adhorret: incredibile enim, virum tam divitem & nobilem ex ista sentina abjectissime plebis amicos legisse.

La-

* Ab آب *reverti*, *resipiscere*, faciunt, أواب *bene resipiscens*, *qui serio se ad Deum convertit*, *eumque laudat*. Nempe in secunda conjugatione أوب est *Deum laudare*, & vero, ut volunt Arabes lexicographi, verbis سبحان الله *o laudem Dei*, quorum usus esse solet, ubi cogitationes blasphemas a sanctissimo numine abesse volunt, ac detestantur Arabes. Vide quæ ex Gjaurio excerpsit Golius p. 181. 182.

* Qui *Genes.* XXXXVI. 13. יוב *Juba*, vel *Jobus*, demta modo prima litera, idem *Num.* XXVI. 24. ישוב.

** *Job.* XXXII. 6. 7. 9.

*** *Job.* XXX. 1.

Laborare ita non historiæ modo veritatem, sed & fabulæ verisimilitudinem dixeris. Neque obnitor. Est hoc adhuc ex fabulæ infantia, atque ut ita dicam Orientalitate; minus enim, quam nos facimus, verisimilitudini fictionis & antiquitas studebat, & studet Oriens. Quamquam in hac excusatione non sunt omnia, nisi fabulæ tam veridissimili aliquid subsit historiæ veræ, atque sub Jobi & amicorum personis gentes integræ proponantur. Harum quippe est, controversias de sua antiquitate habere, dubias satis & incertas, quia populorum origines obscuræ esse solent. Eodem & nos deducit natalium turpitudo a Jobo exprobate amicis, nam & hanc objicere gentes sibi solent: estque in c. XXX. 1 --- *6.* graphica troglodytarum descriptio, a quibus maternam stirpem duxerunt Idumæi, mutuis etiam deinde matrimoniis cum troglodytis confusi, quo de loco & de cognatione utriusque populi, in commentatione de troglodytis nuper edita egi *. Hæc ergo indicia si sequamur, videbitur quidem quæstio de magnis bonorum miseriis tractari, sed cum respectu ad aliquem populum, veri Dei cultorem, mire miserum.

Sed antequam quo hoc pertineat explicem, necesse est, eam objectionem dilui, qua nos premunt veritatis historicæ defensores. Ab Ezechiele enim Jobum cum Noacho & Daniele, personis non fictis, componi, & a Jacobo exemplum proponi patientiæ ajunt: Ezech. XIII. 14. 20. Jac. V. 11. quasi vero indecens sit, ficta etiam perfectæ virtutis exempla ad imitandum commendare, aut alius sit ejusmodi fictionum in doctrina morum finis, quam ut virtutem in illustri aliqua imagine contemplandam imitemur. Quis quæso ægre feret, Lazari aut Samaritani exemplo moneri ecclesiam, licet utrumque nuspiam fuisse credat? Locus Ezechielis ipse quidem fictionem habet, & vero impossibilem; fieri enim omnino nequit, ut viri non coævi, Noachus, Jobus & Daniel, in eadem simul urbe vivant. Nec inauditum aut absurdum, veras personas & fictas in proponendo exemplo conjungi. Fac, patrem Lucretiæ & Pamelæ castitatem commendare filiæ, quis tam rigidus censor sit, ut id reprehendat?

Ad illud jam revertor, quod supra innui; tractari quidem hoc carmine universam de bonorum miseriis quæstionem, sed ita, ut populum veri Dei cultorem magnis malis oppressum solari scriptor cupiat, personamque Jobi illi quodammodo accommodet. Non ambigent lectores, quem populum dicam; Israeliticum, cui post præclaras promissiones Abrahamo factas accidit tamen, ut sub immiti Pharaonum tyrannide halitum vix ducere posset. Ad illam ergo sententiam dedecus natalium amicis exprobratum, juventusque Jobo ab amicis, & amicis a Jobo objecta me deduxit, quam col. CCCXXXIX vanissimam censuit Lowthus, quod morum, rituum, rerum Israeliticarum nullam speciem aut umbram sibi reperisse videbatur. De rebus quidem deinde, quando Jobi fabulam cum historia Israelitarum comparabo: mores vero toti sunt Abrahamici, seu quales esse solebant in gentibus ab illo ortis, Israelitis, Ismaelitis, Idumæis; perlucetque ubivis plurima antiquitatis Hebraicæ imago, ut non videam, quid hac parte desiderari possit. Ut exemplis utar, Goeli comparatur Deus, cognatum sibi pulverem aliquando a terra vindiciarum jure repetiturus: hospitalitas, summa virtus: in portis urbium judicia, & honoratiorum conventus: cibo & potu, quem quis domino parat, eum, qui parat, abstinere, nefas, ex qua æquitate fluxit etiam illud Mosaicum, de bove triturante non capistrando. Sed forte mores voluit privos Israelitis, quibus ab Arabibus distinguantur. Hos quidem intexuisse non magnæ laudi foret autori carminis, scenam in Arabia ponenti: nec fortassis Lowthus cogitavit, quam sit in tanta rerum antiquitate dictu difficile, quibus moribus conjunctissimæ ac germanæ gentes a se invicem distinctæ fuerint: denique si quos Israelitæ mores ab Ismaelitis sejunctos habuerunt, aut Ægypto illos debebant (Ægyptiarum autem rerum mentionem nemo temere desideret) aut sub Mose serius eos didicerunt, quam ut commemorari in libro queant, servitutem Ægyptiam solaturo. Hoc & de ritibus tenendum ac religionibus, quas si ab antiquis & Abrahamicis diversas habuere Israelitæ, institutæ demum a Mose sunt, nec potuerunt in libro ante exitum ex Ægypto scripto attingi. Quis enim in tali carmine paschalem agnum, quis festa Mosaica, quis sacerdotes in locum primogenitorum surrogatos, qui tabernaculum conventus quæret? At horum omnium locum supplet ad res Ægyptias allusio tam frequens, ut scena constitui in Arabia, agi in Ægypto, Ægyptumque in mente & pene in oculis habere autor videatur *.

Nec

* §. VI. Vide *Syntagma commentariorum* p. 193. seqq.

* Quoniam vix spero, fore, ut brevi prodeat mea de Jobo Ægyptio commentatio, annis 1753. & 1755. societati scientiarum Goettingensi prælecta, paucula ex illa delibare lubet.

1) Mor-

Nec Israelitarum dissimilis Jobus: perierunt his, ut Jobo, & opes, & Pharaonum tyrannide liberi; atque etiam late Ægyptiorum morborum, eorum quibus cutis infestatur, contagia inter illos serpsisse, certum habeo. Fabulosa sunt, fateor, ac ne verisimiliter quidem conficta, quæ habent exteri de Israelitis ob lepram Ægypto exturbatis. Quis enim sexcentis civium millibus hac sola carere caussa rex velit? idque in Ægypto, in qua hic morbus non adventitius erat ac novus, sed indigena? Subest tamen mendacio non parum veri: leges quæ Mosis, de lepra & gonorrhæa præcipientes, argumento sunt frequentiæ horum morborum. Ad curam enim legislatoris vix alii morbi pertinere solent, quam quorum late contagia grassata magnam populi partem adfecerunt. Nec dubitandum, quin hæc tam atrocia mala cognatis in Arabia populis, Ismaelitis, Midianitis, Idumæis, magni cujusdam delicti pœnæ visæ fuerint.

Sed de hoc utcunque statuant lectores, perinde erit ad libri intelligentiam: cum enim universa tractetur de ærumnis piorum quæstio, parum refert, quin illi tractationi occasionem dederit, & quem solari autori fuerint destinatum, populum aliquem, an pios in universum omnes.

Pendet tamen ex hac mea aut sententia, aut opinione, alia de Mose libri autore suspicio, quæ mihi Ægyptium poematis colorem cogitanti subnascitur. Est ne enim verisimile, homini in Idumæa nato & educato Ægyptias imagines æque ac domesticas in promtu fuisse? aut quem Arabiæ incolam (nam & aliqua Arabiæ priva habet liber Jobi) tale genus dictionis magis decet, quam Mosen, in Ægypto natum, educatum, scientiis imbutum? Cujus vero magis erat, divino jussu Israelitas solari in Ægypto oppressos, quam hujus exsulis, ex servitute eos aliquando Ægyptia liberaturi. His quoties addo insulas beatorum, Mosaico & Jobi carmini communes *, idque ipsum, quod utriusque carmine nihil habet poesis Hebraica excellentius; adblandientem mihi conjecturam severius repudiare nequeo. Nec equidem tam sum ad sensus poeticos percipiendos stupidus, ut non intelligam, plus in Jobi poemate quam in reliquis Mosaicis tragici esse adfectus, impetusque poetici, quod forte dicere voluit noster, stilum hujus poematis a poetico Mosis cha-

1) Morbus Jobi, elephantiasis, de quo infra, est Ægyptius.

2) Pap,ri bis mentio, semel sub nomine נמא, de quo vide *Celsii hierobatanicon*, l. II. inde a pag. 137. Prior locus c. VIII. 11. 12. 13. in quo explicando ex Arabismo sumo, נאה de rebus poni ita aridis, ut aquam retineant sorbeantque, & בצה non largum, sed tenuem ac parcum humorem indicare. Nempe papyrus largo humore destituta desuper arescit, flammis paratum pabulum, ut docet nos Heliodorus in Æthiopicis p. 10. & 54. Sic ergo Bibaldi verba verto:

> *Arescetne papyrus aqua non decrescente?*
> *Aut juncus crescet sine aqua?*
> *Virens adhuc carpitur,*
> *Et ante omne viride arescit.*
> *Sic sunt fata oblitorum Dei;*
> *Spes profani peribit.*

Illustrior alter de navibus papyraceis locus, c. IX. 26. de quo nemo dubitabit lecto Plinio l. VII. c. 56. XIII. c. 22.

3) Solent Ægyptii Nilum mare dicere, teste Diodoro Siculo l. I. c. 12. Lege & *Christ. Mulleri saturam observationum* p. 159. & adde Corani loca, *Sur.* VII. 12. XX. 39. XXVIII. 6. Hoc nomen subinde quidem in Hebraicis obvium, ut *Jes.* XVIII. 2. XIX. 5. *Ezech.* XXXII. 2. *Nahum.* III. 2. in solo Jobi carmine ter recurrere videtur c. VII. 12. XIV. 11. XXVI. 12. 13. Imagines hic a Nilo petitæ, non ab Oceano. Suas nempe post magnam felicitatem miserias c. XIV. 11. Nilo comparat Jobus, totam per aliquot menses Ægyptum mundanti, sed Martio & Aprili intra suas ripas tarde stagnanti, ac pestiferos etiam odores exhalanti. Ultimus locus reliquis duobus illustrior, atque etiam ad mythologiam & historiam Ægypti naturalem alludens. Nempe quæcunque Ægypti Nilo non merguntur, ea sterilia & deserta: illi vero deserto, quod Ægyptum ab Asia disterminat *Rahab* nomen esse, evictum dedit, quem modo citabam, Mullerus c. VII. saturæ suæ. Quo autem tempore pigrior stagnat Nilus, febres pestesque terræ incubant, fugandæ, ubi stantibus etesiis Nilus tumescit: quod Ægyptii ad mythologiam referentes fingebant, Typhonem, malum genium, cujus morbi & pestes erant, ab Horo, æstivo sole, vulnerari atque occidi. Iidem & sterile desertum Typhoni sacrabant, fingebantque ejus uxorem esse, cui stantibus pestiferis Euris improlis maritus incubet. His a Jablonskio in Pantheo Ægypti passim peroratis, qui & monet, crocodilum imaginem Typhonis fuisse, vix opus est, ut aliud addam, quam נחש בריח *serpentem infaustum* (sic enim verto ab Arabico ترح) crocodilum videri; quod utrumque satis me planum facere posse confido. Habebis jam laudem Dei prorsus Ægyptiam, accolas Nili decentem:

> *Robore suo reducit mare,*
> *Et sapientia sua percutit Rahab.*
> *Vento ipsius cœlum serenatur,*
> *Vulnerat manus ejus serpentem diri ominis.*

Id vero est, *Ægypto inducit iterum mare; at sterile desertum, ab eo non mergendum, anathemate percutit. Etesiis suis cœlum serenat, & ipse, non Horus, vulnerat Typhonem, morborum dæmonem.* De Nilo certe, non de alio mari sermonem esse, & reliqua adjuncta declarant, & quod alia maria non relinquere solent fundum, cui incubuerant, ac denique nomen רהב, quod parti Ægypti proprium esse, omnes viderunt. De verbo רגע, quod *reducere* verti, si quis dubitet, legat quæ habeo in *sententia de adjumentis linguæ Hebraicæ explicandæ* (Beurtheilung der Mittel &c.) §. XII. & XXXVI.

4) Leviathan, tam copiose descriptus, quin crocodilus sit, vix dubitandum: quod ipsum in commentatione de Jobo Ægyptio argumentis mihi confirmasse videor.

* p. 197. & 201.

charactere discrepare monens *: sed id scriptorem dialogi Jobæi a Mose nondum satis distinguit. Ut enim taceam, multo sæviores sententias, ac breviora incisa, fingi debere furentis & desperantis, quam ecclesiæ hymnos canentis; cogitemus, aliam vim esse ingeniorum in flore, aut in incipiente maturitate ætatis, quam plena & decidua tanquam autumnitate. Jobi fabulam si concinnavit Moses, fecit id XL. annos natus, id vero est, pro illius temporis ratione, juventute fervens: at reliqua quæ supersunt carmina ab octuagesimo anno usque ad centesimum & vigesimum meditatus est; in quibus tantum superesse vigoris poetici, sæpe mihi miraculo fuit. Aliam stili diversitatem non intelligo.

Antequam ad disputationum seriem pandendam pergam, rationes addere lubet, quibus ductus in eorum concedere partes nequeo, qui Israelitarum quidem solatio illud scriptum, sed multo putant esse recentius, exsiliique Babylonici acerbitatibus lenimen adferre. Est hæc plurium, fuit etiam *Hermanni van der Hardt*, sententia, sed quos omnes nominare & ab ejus libri, cui epimetra addo, consuetudine abhorret, & forte non magnam haberet utilitatem. Unum ergo ex illis mihi adversarium legam, & vero (ut puto) reliquis multo præstabiliorem, inque hoc argumento tractando diligentem, *Thomam Heath*, Anglum **. Hic quidem aliquem aliquando Jobum vixisse putat, pietate, miseriis, & restituta felicitate nobilem, gente Israelitam: cujus historiam, traditione acceptam, postquam diu vulgata per Orientem esset, incertus autor temporibus Babyloniis carmine exsequutus sit, ut solatii aliquid civibus adferret, quæstionemque simul pro viribus tractaret difficiliorem, qui populo Dei tam dira & atrocia evenire potuerint. Cum enim maximas haberent Israelitæ promissiones felicitatis in hac vita & florentis reipublicæ, inextricabilem aliquem nodum in hujus exsilii miseriis fuisse; quem tentet autor, solvere nequeat, quod immortalitatem animorum ignorarit: (hac enim parte Heathus, quod mirere, sequitur Warburtonium, vix aliud quidpiam incredibilius in *divina* sua *legatione Mosis* asserentem, quam, immortalitatis alteriusque vitæ spem a toto Jobi libro abesse).

Mihi vero Heathiana sententia minima videtur eligenda. Primo quod totius poematis ea est puritas, elegantia, sublimitas, qua nihil majus perfectiusque in toto Hebraico codice superest. Nec in Arabicis, quod ad eam propius accedat, legi. Hocne poema, auream ubique linguæ Hebraicæ & Mosaicam ætatem spirans, ad ferrea illa tempora detrudamus, quæ exstincto uno bono poeta, Jeremia, nihil perfecti, ac ne quidem mediocriter pulchri fuderunt? Deinde ejusmodi dubitationi ac disputationi exsilium Babylonium nullam dabat occasionem: constabat enim, ob gravissima peccata populum diuturnis ac quotidianis prophetarum vocibus repugnantem juste plecti, idque non solum prophetæ prædixerant, sed ille ipse Moses, de cujus solis promissionibus Heathus loquitur, magna adseveratione minatus erat. Hic si quis Judæus tam inverecunda fronte fuisset, ut miraretur, qui populo alia sibi omnia ex promissionibus Mosis canenti tanta immitti mala potuerint, Jeremias certe aliquis aut Daniel non multum laboraturus in nodo illo longe aliter solvendo erat. Huic vero Jeremiæ ac prophetis aliis insigni impietate contradixisset, si quis in illius temporis solatium talem librum scripsisset, idque tam impudenter, ut Israeliticam gentem sub persona proponeret hominis omnium mortalium optimi ac religiosissimi, in quem ne Satanæ quidem crimen, nisi fictum, suppeteret. Sola Jeremiæ lectio sufficit ad hanc sententiam jugulandam.

Nec tamen sine argumentis Heathus recentiorem multo librum fecit, quæ expendere eo magis nostrum est, quod Lowthus, summæ antiquitatis assertor, idem facturus fuisse videtur, si post Heathum scripsisset. Colligam illa ex præfatione & notis Heathi, atque sua certa capita referam numeris distincta.

1) Primo putat *, frequentem ad leges Mosaicas allusionem Israelitici quid in hoc carmine prodere: hac parte Lowtho maxime oppositus, qui rituum Israeliticorum nullam speciem umbramve reperit **. Quos inter quodammodo medius, multas leges Mosaicas diu ante ipsum consuetudine juris vim aut saltem æquitatis opinionem habuisse censeo; qua de re plura in jure Mosaico, quod paro. Hæc defensio plus quam sufficit exemplis, at vero quam paucis? quibus Heathus utitur. Nempe c. III. 19. ubi *manumissus* nominatur, & c. XL. 28.

* P. 312. Oxon. edit. 635. Goetting.

** Edidit Londini anno 1756. *an Essay towards a new English Version of the Book of Job from the original Hebrew. With a commentary, and some account of his Life.* Quo de libro in ephemeridibus Goettingensibus literariis sententiam dixi, pag. 484. 487. anni 1758.

* Præfat. p. VII. VIII.

** p. 312. Ed. Ox.

28. ubi *ſervus æternus*, alludi putat ad legem Exod. XXI. 1. de ſervo Hebræo ſeptimo anno dimittendo, ac ſi ſervire æternum velit, aurium perforatione ſignando: quaſi vero ulla gens fuerit, ſervos habens, quæ non & perpetuam aliorum ſervitutem, manumiſſionem aliorum habuerit. Quæ niſi ſufficerent, addere poteram, ipſam illam ſeptennem ſervitutem a majoribus tralatitiam ad Iſraelitas veniſſe, cujus exemplum in Jacobo, duo ſeptennia pro duabus uxoribus ſerviente, videamus.

Non multa ex hoc genere collegit Heathus, ut memoria lapſus videri poſſit, frequentiam ejuſmodi alluſionum in præfatione commemorans. Uni tamen loco maxime confidit, c. XXXI. 28. ubi idololatriæ crimen his exaggerari verbis putat: *etiam hoc eſt crimen judicum*. Nullas enim leges fuiſſe putat, præter Moſaicas, quæ idololatriæ pœnas decreverint, gentem nullam aliam, in qua hoc quis crimine judici deferri potuerit. Mihi vero nihil hoc verſu videtur languidius, ſi ab Iſraelitas fuſius ſit, cujus legibus capitis periculum idololatriæ proponebatur. Apud nos ſi quis Jobo comparandus inter alia teſtaretur, ab omni ſe latrocinio immunem eſſe, adderetque: *nam & hoc ex peccatis eſt, propter quæ actio datur:* aut ſi Virgilius poſt illud

Hic thalamum invaſit natæ vetitoſque hymenæos,

ita pergeret,

Hoc quoque prætori crimen, datur actio ....

quis tanto ſine faſtidio perferre languores poſſet? Augere poeta crimina & incendere debet, in quæ invehitur, non ejuſmodi carminis mediocritate diluere, omnemque illis horrorem demere. Adde, ne apte quidem ad leges grammaticas פלילי pluraliter ab Heatho converti, *judicum*. Mihi quidem, ut alia taceam veri non diſſimilia, quæ editoribus polyglottorum placuerunt *, עון non eſt עָוֹן *culpa*, ſed עֹוֵן, participium verbi ענן, *obliquis occulis obſervare*, quod Arabiæ non ignotum in textu quoque Hebraico occurrit 2. Sam. XVIII. 9. forte etiam, ut in collegio critico nuper edito ſuſpicatus ſum, Pſ. XL. 13. De occulto crimine loquitur Jobus, cultu ſolis, aut ſola nimi inclinatione, aut clandeſtina oſculi delibatione peracto; quod inſidioſis tanquam & obliquis oculis obſervaturus fuerit judex, idemque læſus, Deus: utque Prudentius

Speculator adſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus
Actuſque noſtros proſpicit
A luce prima ad veſperam:
Hic teſtis eſt, hic arbiter,
Hunc nemo fallit judicem.

ita & Jobus, ſed verborum parcior:

Illud ſi lumen ſpectavi, quia ſplendet,
Lunamque magnifice euntem,
Animuſque meus clam inclinatus eſt,
Manuque furtiva delibavi oſcula:
Etiam ille ſpecularetur, judex meus,
Abnegaſſemque Deum deſuper adſtantem.

2) Deinde multam putat Iſraeliticæ hiſtoriæ mentionem carmini intexi. -- Sola vero judicaturo ſufficit eorum locorum lectio, quæ huc trahit: jam enim pro arbitrio ita ea explicat, ut ad Iſraelitarum hiſtoriam referri poſſint; jam habent, fateor, aliquid, cui ſimile aliquid aliquando alicui Iſraelitarum accidit, ſed & accidere in omnibus populis ſolet. Huc refero c. IV. 16. V. 21. 22. XII. 17. 24. XV. 20. XXXIII. 23. 26. XXXIV. 20. 24. 25. XXXVI. 7. 8. 12. 30. XXXVIII. 14. 23. illuc c. XI. 10. XV. 19. XXVIII. 10. 11. XXXVI. 1. XXXVII. 13.

3) Multo pluris facio tertium argumentum. Ante Moſen, inquit, Jehovæ nomen inauditum: at hoc ipſum nomen in hiſtorica parte libri promiſſcue occurrit; in poetica ſolicite evitari vivetur, nec tamen ea diligentia, ut non aliquando irrepſerit. Legitur enim in editis libri c. XII. 9. inque non paucis manuſcriptis cap. XXVIII. 28.

Hæc quidem duo loca non multum momenti factura erant: poteſt enim c. XXVIII. 28. communis lectio אדני verior eſſe; ac qui codicum Hebraicorum erroribus conſuevit, ſuſpicari poſſit, etiam c. XII. 9. idem אדני reponendum. Sed de hiſtorica parte libri magis laborabimus: ita tamen, ut omnis vis argumenti ab illa quæſtione pendeat: utrum:

* *Etiam hæc iniquitas judicata*, i. e. iniquitas deciſa, ſeu, non dubium peccatum eſt.

utrum fuerit nomen יהוה ante Mosen missum prorsus inauditum, an Mosis tempore cœperint sensim aliqui Deum ita vocare, antequam nomen novum Deus suo oraculo probaret, faceretque sibi proprium. Qua de quæstione cum pœne impudens sit, aliquid certi statuere velle, totum quoque argumentum ex illa suspensum ruit.

4) Minoris faciendum quartum argumentum: malum genium in hoc libro proprie, & cum He articulari, vocari Satanam, השטן, cap. I. 6. quod nomen in antiquioribus scriptis nunquam ita ponatur, sed appellative adversarium denotet. --- Audas profecto & periculosum est, in tanta librorum Hebraicorum paucitate definire de singulis vocabulis, quo quæque eorum significatio tempore orta sit: atque, ut de hoc ipso nomine loquar, facile accidere potuit, ut ab omni jam retro ætate spiritus rebellis Hebræis Satanas diceretur, & tamen nuspiam in libris sacris hoc ejus nomen occurreret, quia rara ac pœne nulla in illis dæmonum rebellium mentio. Sed nec hac antiquitatis defensione opus Jobo: ex his enim, quæ de argumento libri agam, apparebit, appellative illud pro accusatore poni, quam personam aliquis ex angelis, malevolus certe, sustinere fingatur; atque hoc ipso forte ex loco recentiores Judæos adcusatori generis humani nomen *Satan* duxisse.

5) Quod ultimo loco pono argumentum, honoratiore non erat dignum, licet Heatho perquam grave videatur. *Plurimi* *, inquit, *Chaldaismi*, *Syriasmi*, *Arabismi*, *indicio sunt*, *multo recentiorem librum reliquis Hebraicis esse: quo enim propior a fonte lingua, eo manat purior, atque a dialectis reliquis sejunctior, quibus sensim demum mutuis gentium commerciis adsuescit. Hunc vero librum varias dialectos delibare, omnes agnoscunt interpretes*. Et deinde: ** *Chaldaismi*, *Syriasmi*, *Arabismi*, *argumento sunt*, *recentem librum esse, ac sequiore jam minusque pura linguæ Hebraicæ ætate scriptum*. Vera diceret, si hæ linguæ diversæ: at cum una tantummodo lingua istæ dialecti sint, ex una antiquiore Orientis dialecto paulisper mutatæ, sequitur, ut quo antiquiora earum monumenta consulamus, eo futuræ sint similiores. Quod ut Heatho exemplo illustrem: Gallica lingua hodierna, origine sua Latina, & Anglica, sunt diversæ, unde fiet, ut quo antiquiores consulat libros Anglicos, eo pauciora habeat Gallica, maxime ante Guilielmum Conquestorem; at secus eveniet, si cum Germanica lingua suam contulerit; quo antiquiora enim scripta evolvet, eo similiora erunt Germanicæ linguæ, etiam ex nostra non raro explicanda & intelligenda. Idemque & nobis accidere solet, qui quo antiquiores versamus reliquias Germanicas, eo frequentius incidimus in aliquid nobis desuetudine obliteratum, quod apud Suecos adhuc, Danos, Anglos viget. Sunt, fateor, aliquis Chaldaismi antiquis Hebræorum libris ignoti, quorum non singula exempla, sed usus frequentior, ætatem deteriorem libri Hebraici indicat, ut Schin præfixum: sed horum nihil in libro Jobi occurrit * nec is plus lucis Syriæ aut Chaldææ, quam Arabiæ debet. Arabicæ autem linguæ similitudo non est deterioris Hebraismi indicium; nec enim, ut Chaldæis, ita Arabibus servire sub Nabochodonosare coacti Hebræi, sed potius eorum a prima inde Abrahami stirpe germani fratres sunt.

Quidquid in libro Jobi peregrinum visum est Heatho, eo redit: poema & antiquissimum, & ipsa sublimitate insolentius, multa habet ἅπαξ λεγόμενα, ac verborum significationes rariores; hæc ergo ex reliquis dialectis illustrant interpretes, non quasi illis priva fuerint, sed quod plus habemus Arabicorum, Syriacorum, Chaldaicorum librorum, quam Hebraicorum, illasque linguas Hebraica longe perfectius callere possumus, maxime Arabicam. Hoc qui videt ab interpretibus fieri, nec ipse eas linguas perfectius didicit, facile suspicari incipit, Arabismos aut Syriasmos esse, si quid purissimi Hebraismi, sed rarius in exigua bibliotheca Hebraica obvii, ex Syriaca aut Arabica lingua lucem accipit.

Jam ad argumentum & seriem totius disputationis pergo. Tractatur, ut jam aliquoties dixi, intricata illa & difficilis quæstio:

* p. IX.
** p. XI.

* Magnopere fallitur Heathus ad c. XV. 30. arbitratus, ש in שלהבת præfixum hoc Chaldaizans esse ex אשר ortum. Est potius characteristicum conjugationis *Schaphel*, qua Syri in verbis multum utuntur, Hebræi in verbis rarius aut nunquam, at frequenter in nominibus ab illa conjugatione derivatis.

ſtio: qui ſub imperio juſtiſſimi & benignissimi numinis accidere poſſit, ut boni miſeriis excrucientur, non mediocribus illis, atque a quibus pauci mortalium immunes, ſed exquiſitiſſimis & diuturnis. Qui nodus, vel ſic ſatis implicatus, multo fit adſtrictior, ſi hæ miſeriæ ad finem uſque vitæ durent, neque ante obitum beati fiant, qui meliore ſorte digni videntur. Atrociſſimum enim ſpectaculum, diu cruciata, & ultimo adhuc halitu gemens innocentia ac pietas. Hic ergo tres amici Jobi, ſed nunc adverſarii, negant fieri, quod cur fiat non intelligunt; certe non uſque ad vitæ exitum in equuleo iſto manere bonos, ſed majorem ante obitum certo ſperare felicitatem poſſe diſputant: quod ſi cui ſecus accidat, occulto illum crimine conſtrictum teneri. Jobus contra, quem orthodoxe diſputaſſe pronuntiat litis arbiter Deus, experientiam teſtem citans, tenet, & malis in hac vita bene, & bonis male eſſe poſſe, nec raro contingere, ut utrumque ad ultimum uſque halitum duret: nulla ad pietatem aut impietatem habita certa & conſtante ratione felicitatem hujus vitæ & miſerias tanquam jactu & ſorte diſpertiri Deum: moleſtiſſimum id quidem bonis, ſibi maxime, qui tam artifici & diro impoſitus equuleo ſit; nec tamen cum juſtitiæ divinæ rationibus pugnare: alteram enim vitam eſſe, bonorum felicitati, malorumque ſuppliciis deſtinatam. Hæc ille vere, ſed non ſine verborum immodeſtia. Habet ergo illam nodi ſolutionem, quam Ratio in Halleriano carmine,

> Mach deinen Raupenſtand / und einen Tropfen Zeit /
> Den nicht zum letzten Zel / die nicht zur Ewigkeit /

bonam, veram, ſed nondum perfectam. Nec enim expedit, cur hunc, quem beatiſſimum aliquando eſſe jubebit, nec alium, cur Jobum, non Eliphazum, iſto equuleo dilacerari, doloribus noſtris intactus, lacrimis non adflens permittat Deus? Et tamen meliorem mortalibus, non totam rerum univerſitatem cogitatione complexis, ſua negavit imbecillitas. Quare qui Jobo tribuſque amicis novus ſupervenit diſputator, diſſimillimus reliquorum, damnans eos, Jobo æquus, confidentiæ plenus, ac tanta pollicitus, ut optime de eo ſperare lectores ſoleant, Jobum etiam ab ore ſuo pendulum tenens: nihil tamen adfert, quod ſatisfaciat, ac ne quidem, quod Jobi ſolutioni ſit æquiparandum. Eo enim redit finis dictorum, unde evecta erat primi diſputatoris oratio, bonis male eſſe poſſe in hujus vitæ aliqua parte, ſed ita, ut ante obitum major illis redeat felicitas, cujus ſenſus recordatione priſtini doloris augeatur.

Hic vero mihi in mentem venit Horatiani illius, quod Deum intereſſe ſcenæ vetat

> *niſi dignus vindice nodus*
> *Inciderit.*

Intervenit Deus, nube tonante vectus, ſed nodum non ſolvit, ac ne id quidem indicat, quod ex lectione hiſtoriæ omnes noſſe neceſſe erat: audaciam, imbecillitatem, ſtuporem, Jobo exprobrat, vetatque decretis ſuis obſtrepere, quorum rationem perſpicere nequeat. Ita ſine ſolutione nodi finitur diſputatio.

Eſt hoc quodammodo moleſtum, atque etiam indecorum videri lectoribus poſſit. Vellet enim lector, Elihuum bonum virum, qui tanta cum fiducia prodierat, aliquid deciſionis adferre: deque eo tam non ſperant aliqui interpretes, ſed confidunt, ut valde dicta ejus laudent, licet qua parte laudanda ſint, & quid tandem veri ſuperioribus intacti contineant, haud in promtu habeant dicere. At Deo ipſo ex nubibus reſpondente, quis non limpida exſpectat, Jobi etiam dictis meliora & ſoliviora? quis non immortalem illam vitam, quam recte Jobus præmiis pœniſque deſtinabat, clariſſimis verbis commemoratum, eaque proditum iri arcana, quæ hiſtoricus jam capite I. & II. evulgarat? Quis non præter hæc aliqua toti libro reliquo ignorata, litemque diremturo ſervata Deo? At quis non magna de ſpe dejectus indignatur ac pene iraſcitur, nihil horum in oratione Dei inveniens, ſed deſcriptiones equi, crocodili, elephantis, ac neſcio quarum præterea beluarum? Verum hoc ipſo, quod carpet imperitus fabulæ æſtimator, maximum ejus continetur artificium, pendetque ex eo totius ſcenæ decorum. Eo quippe pertinet, ut omnino nihil earum rationum aſſequi poſſimus, propter quas miſeros eſſe pios neceſſe eſt; nec illas a nobis inveſtigari, nec ipſe prodere mortalibus velit Deus, jubens nos ſuæ bonitati & ſapientiæ confidere. Optimum eſt, quod eſt, mundus egregie informatus, licet tu, quomodo aut cur id optimum ſit, non perſpicias, vermis nuci incluſus, qui ipſi mundus, nec ultra proſpiciens, præteritorum immemor, ignarus futuri.

Ut autem in uno illuſtri exemplo intelligeremus, quam juſtæ eſſe poſſint, quanta plenæ benevolentia, & tamen quam nobis reconditæ rationes; ob quas

Deus

Deus miserias bonorum decernit, evulgat historicus, quæ in disputando celat Deus. Scena fingitur augusta, Deus in curia sedens, potentibusque ab utraque parte stipatus cælicolis, jus dicturus. Senatores, seu magnates regni, angeli. Comparet enim, non Satanæ nomine proprio ita dictus, (cum eo enim, nisi aliquam aptam personam sustineat, Deum sermones miscere, ac curiosius eum tanquam veteris familiaritatis memorem percontari, ita indignum, ut hebetem oporteat esse, qui id non ægre forat) sed adcusator publice constitutus, qui quia unus est, cum He articuli השטן, ὁ κατήγορος, dicitur. Petita fictio ex republica sapienter informata, in qua legitimus aliquis constitui delator solet, legum custos, criminumque occultorum investigator, invidiosus quidem, sed tamen, quia leges hoc ei officium demandarunt, honestus. Hanc igitur personam unus ex angelis sustinet, non ille certe mortalium generi benevolus, quod & falso aliquando crimine defert, ubique suspiciosus, nec suppliciorum segnis exsequutor: ut veri dissimile neutiquam sit, & ipsi angelo immiti hanc personam tribui, cui deinde nomen Satanæ, fortassis ex hac fabula ductum, proprium hæsit. Sed tamen jam intelligitur, quomodo talis illo in cœtu persona comparere non indecore, atque a Deo interrogari de statu terrarum orbis possit. Nempe pro muneris sui ratione solemni aliquo curiæ die præsentem ultro percontatur Deus, ex qua vasti regni veniat regione? Respondet: ex orbe terrarum! Delaturus aliquem ex hominum genere videbatur: Deus autem, pro more benevoli regis, non delectati civium criminibus interrogat: Jobumne etiam observarit, mortalium optimum? certus, viro tam egregio crimen intentari nullum posse. Obmutescit hactenus adcusator, ut nullum ab eo scelus commissum proferat: ad suum tamen ingenium diuturna consuetudine exercitum, rediens, omnem in Jobo totius generis humani pietatem in suspicionem adducit: hunc enim unum, quem Deus & cælicolæ putabant, bonum virum, non alia fortassis caussa religiosum esse, quam quod præsentissimam ei Deus mercedem præstet, summam hujus vitæ felicitatem. Hunc vindicaturus Deus, primo omnia ejus bona & familiam, deinde etiam corpus, adcusatori permittit: bis enim ea scena agitur. Bona ergo omnia Jobi aut pereunt aut diripiuntur, filii male moriuntur, sed

Impavidum feriunt ruinæ:

deinde & ipsius corpus ulcere inflamma-tur pessimo, de quo mox plura. Vitæ parci jubet Deus, destinatum habens, in hac etiam vita Jobum remunerari. Hæc omnia si scivisset Jobus, si nosset, quantum a Deo propositus exemplum esset, suoque & omnis humanæ pietatis honori his ipsis vexationibus consuli: ingemuisset quidem sub malis, sed moderatius tulisset, ea sibi a Deo immitti. Quod si, ut supra suspicatus sum, Israelitarum infortunia sub persona Jobi proponuntur, figura demta hanc habebis sententiam: *nimis beatas fuisse res Israelitarum, aliisque cognatis gentibus nimis invidendas, suspicantibus, Deum adfectu potius quam consilio huic genti favere, eamque mercenario animo non pietate vera unicum Deum colere, a cujus cultu reliquæ gentes hanc maxime ob caussam desciscebant, quod hujus vitæ felicitatem a minoribus quibusdam diis, terræ præsidibus, tribui arbitrarentur. Quam suspicionem ut refelleret Deus, ostenderetque, habere se cultores non mercedis caducæ cupiditate, sed ratione & officio, & spe melioris mercedis ductos, permisisse, ut gravissima tyrannide vexarentur Israelitæ*. Hæc tamen, quæ de Israelitis suspicor, si lectoribus non probantur, demi possunt, nihil inde decedet scenæ decori aut veritati, si universam modo tractare quæstionem credatur.

At multum sane decederet toti fictioni, morbo Jobo ignorato. *Ulcus malum* (שחין רע) vocat historicus, c. II. 7. quod nomen morbi alicujus Ægypto proprii fuisse, ex Deuteron. XXVIII. 27. intelligitur: quod cogitans, atque memor, *totius corporis ulcus* veteribus medicis elephantiasin dici, eamque Ægypto propriam existimatam *, quis negabit Origeni, at vero auctori non pœnitendo, ubi de Ægyptiis rebus disserit, elephantiasi Jobum laborasse? Elephantiasin autem dico, non cui recentiores in Europa medici hoc nomen dederunt, sed veram Ægyptiam, a veteribus medicis, Aretæo Cappadoce, Cælio Aureliano Siccensi, & Paulo Ægineta, descriptam, recentiorum, qui in illas partes profecti sunt, *tumentes pedes Indicos* **. Nec forte unquam hac de re dubitatum fuisset, si, qui sacras literas tractarunt, cognitam habuissent elephantiasis historiam, medicique etiam insigniores, ut Bartholinus, non de hac quam in Europa dicimus, elephantiasi, diversæ fortassis naturæ, multo certe mitiore morbo, cogitassem. Sed hæc confirmandi non hic

* *Est elephas morbus, qui circum flumina Nili Nascitur Ægypto in media, nec præterea usquam.* Sic Lucretius. Plinius: *Ægypti peculiare hoc malum.*

** Germanice: Die dicken Indianischen Füsse.

hic locus est, postquam de hoc modo copiosius in *Jobo Ægyptio* §. IIII - XII. egi, cum veterum medicorum ac recentiorum in Ægyptum Indiamque profectorum commentariis solicite conferens, quæ ex c. II. 7. VII. 4-6. XIII. 14. 29. XVI. 14. 16. 22. XVII. 1. XVIII. 13. XIX. 17. 19. 20. 26. XXIII. 17. XXX. 10. 17-19. 27-30. de morbo Jobi colligi possunt. Fuit autem elephantiasis, turpissimus, dolorificus, molestissimus, ac detestabilis morbus, immedicabilis ex veterum sententia, ut vitæ pertæsi nisi præter mortem sperare aut optare elephantiaci dicantur: deinde idem impatientes & iracundos reddere, atque pene rabiem aliquam adferre solet omnia desperantibus, ægre omnia ferentibus. Quod nisi esset, nec decuisset virum pium tanta loquentem intemperantia fingere, ac tam ægre ferentem candidas Eliphazi consolationes: nec adpareret, quid in dictis ab Eliphazo c. IV. V. tantopere reprehendendum sit, ut solatia sputo corrupto similia se devorare posse Jobus neget, exque lenimine malis Jobi amicissime allatis derepente acerrima exardesceret disputatio.

Series disputationis hæc est

C. III. Rupto silentio Jobus diem suum natalem detestatur, id vero est, optat, se non natum esse: ita tamen, ut vocem in Deum injuriam non mittat. Nostrorum poetarum aliquis si quis similem scenam informasset, forte non imprecationes legeremus, Orientale quid sonantes *, sed lugubre ac sublime philosophema, querelasque eo redeuntes, melius nobiscum actum fore, si nati nunquam essemus. Auderet forte poeta illam nihil antiquæque noctis tranquillitatem tanquam jure suo a Deo repetere, quam ipsi non volenti nec conscio dies natalis eripuit. Est hac parte Jobus in initio minus philosophus, adfectu & figuris atrocior, erga Deum tamen adhuc modestior.

C. IV. V. Eliphazus, injuria ab interpretibus reprehensus, magna Jobum verecundia, pene ut patrem filius, solari audet, eadem adferens, quibus & nostri plerumque ecclesiastæ, partim pie magis quam vere, miserorum dolorem leniunt. Miratur, Jobum, alios erigere & confirmare solitum, jam solatii pene egere: impervias nobis esse monet providentiæ divinæ rationes: castigare Deum bonos, sed ad utilitatem; nec eos diu miseros fore. Eximium vero in piis Dei cultoribus Jobo locum tribuit, certa illum spe majoris felicitatis post has miserias demulcens. Ita pene vates prædicit, quod

* Jeremiæ hæc figura frequentior.

deinde evenit, licet non a Deo edoctus futura, sed ex suo de illis theologiæ systemate bene ominatus. Prophetam tamen etiam agnoscas ex oraculo, quod sibi aliquando redditum narrat, cujus hæc summa, vera, & divinæ decisioni litis consona: cum Deo neminem juste litigare, ac ne angelos quidem gubernaculis mundi aptos esse, multo minus ergo mortales ephemeros de sapientia aut justitia consiliorum Dei arbitrari sine insania posse. Hæc tam ad modum homileticarum & clinicarum consolationum sunt, ut plerique interpretes, non intelligentes, quid in illis reprehendi possit, verba Eliphazi detorqueant ad obscuras de Jobi virtute ac pietate suspiciones.

Vidit vero C. VI. VII. quod illi non assequebantur, melior theologus ac philosophus, ipsoque oculatior dolore Jobus. Sperare alteram sortem pectus debet bene præparatum, quando illa contingere sine naturæ perturbatione potest, non portenta, non insanabilium morborum miraculosam medicinam, Deumque eas naturæ leges migrantem, quas ipse sibi statuit. Sputo ergo corrupto * similia a se deglutiri posse negat solatia: nec intolerabili malorum magnitudini aliam relinqui spem, præter citam mortem; quam si decernat Deus, exsultaturum se gaudio certaque spe futuræ resurrectionis; sic enim נחמה ex Syriasmo verto **. Impatientius etiam exagitat amicum, explorata & multum meditata pollicitum ***, cum tamen omnino quid investigarit non appareat, nisi forte, quod verba captarit desperantis ****. Nec tamen dissimulat, plusculum se quam par erat dixisse, æquum putans, ut ab utraque parte nonnihil recedatur, quod quidem neutri turpe sit futurum *****. His peroratis ad Deum convertit orationem; peccasse se, pœnasque promeritum fatetur, sed libertatem sibi innoxiæ vocis expetit, deplorat miserias, queritur, sibi Deum non ignoscere, atque omnino tam solicite parvulorum mortalium delictis attendere, quæ despicere debeat.

C. VIII.

* VI. 6. Confer حلم *corrumpi*.

** Vide Beurtheilung der Mittel, die Hebr. Sprache zu erklaren. p. 47. 48.

*** c. V. 27. *Ecce hoc scrutati sumus: rectum est! Tu vero audi illud, & apud animum tuum depone.*

**** c. VI. 25. 26.

Quam morbida sunt verba orthodoxa!
Et quid explorat vestra investigatio?
Verbane scrutari statuistis,
Cum in ventum abeant voces desperantis?

הוכיח proprie est, *effodere altius*; idem quod c. V. 27. חקר.

***** VI. 28. *Revertimini! ne hoc putetur peccatum! Redibo & ego: versabitur in eo justitia mea.*

C. VIII. Nihil ejus verecundiæ, quam in Eliphazo laudaram, præ se ferens Bildadus, acriter in Jobum invehitur, quem Dei justitiam negare putat. Opponit ei tralatitia veterum carmina: filios ejus justas scelerum pœnas dedisse clamat: de Jobo ipso quid statuat incertum habens.

Cap. IX. X. Impatientior jam contradictione factus Jobus, id quidem non concedit solum, sed & inculcat gravissime, cum Deo sanum disputare neminem. Hunc enim pro infinita sua sapientia perspicere, quæ nos fugiant, universa: tantum etiam abesse, ut sibi videatur justus, ut hanc unam vocem, *justus sum, injuriam mihi facit Deus*, sibi damnando sufficere arbitretur. At idem nonnunquam recte dictorum immemor, dum conqueri flebiliter vult, injurius fit in Deum, quem ridere dolores mortalium ait, nisi satis diuturni sint, aliquando etiam non prorsus caussæ justitiam desperans, si sublato metu æquo disputare cum Deo jure possit. Quas contradictiones qui tollere laborant, prodigi hic sententiarum ac distinctionum systematis theologici, non cogitant, verba se legere desperantis, quæ nimis sana fingere, id vero inepti fuisset poetæ. Cæterum palmarium ac verum dogma claris & perspicuis in hac oratione verbis proditur *: bonos non minus quam malos a Deo diris cruciatibus permitti, qui nisi a Deo sint, quærit Jobus, unde esse queant?

C. XI. Proximæ in disputando vices Sophari sunt, qui parum amice, ac pene contemtim, loquacitatem Jobo & inanem verborum multitudinem exprobrat, qua sola sapientiores vincere audeat. Laudat & idem infinitam Dei sapientiam, sed alio rem deducit, quam quo Jobus voluerat. Omniscium enim Deum clandestina nosse putat Jobi, hypocritæ peccata; eorumque severas pœnas exigere, quibus admoniti alii sapere discant. Jobo, si priscorum eum scelerum pœniteat, eaque deprecetur, spem ostendit, & restituendæ in hac vita felicitatis, & beatioris in insulis mortuorum Auroræ **. Hic ergo primus, fervore disputandi abreptus, contradicentem impatientius Jobum clandestini sceleris reum agere, nec hujus modo sed & futuræ vitæ supplicia tanquam criminibus ejus debita ei decernere.

C. XII. XIII. XIV. Verissimam doctrinam, de felicitate hujus vitæ non solis bonis concessa, sed promiscue malis etiam distributa, quibus vis & dextera pro numine est, copiosius, quam hactenus fecerat, pandit Jobus. Hanc ipsam nos bestias docere, ex quibus quæ crudeles & tanquam injustæ sunt, mansuetiorum carnibus vesci natura instituit, hanc non novam esse nec a se inventam, sed antiquorum carminibus celebrari. Quæ quidem ita dicuntur, ut videatur amicos pungere velle, qui felices & beati ei injuriam maximam faciebant. In repetitis de miseriis hujus vitæ querelis verborum magna nonnunquam intemperantia, ita tamen, ut innocens sibi Jobus pœnasque Dei non promeritus neutiquam videatur, id unum lamentans, tam misero & fluxo mortalium generi tam severum intendere judicem.

C. XV. Reponit Eliphazus, multo quam antea acrior, ventosa Jobo verba & intolerabilem fastum exprobrans *, seque temni, ac divina quæ attulerat doloris lenimina sperni, ægre ferens **; servans tamen personam, quæ initio instituta erat, reliquisque disputantibus non parum verecundior, ut magni eum facere Jobum appareat. Namque nec sapientis nomen laudemque ab Jobo abjudicat, (v. 2.) & verbis illum uti ait, quibus non consuesset, & miratur, etiam Jobum, quippe a quo meliora sperasset omnia, impie philosophari; (v. 3. 4.) & veretur quodammodo sententiam contra Jobum ferre, unde memor eorum, quæ Jobus c. IX. 20. dixerat, *os tuum*, inquit, *te damnabit, non ego; tuaque contra te labia loquentur*. (v. 6.) Et hoc modestum, quod in carminibus Arabum citandis habet, v. 17. 18.

Indicabo tibi, (audi me)
Id quod vidi narrabo,
Quod philosophi profitentur,
Nec patribus dissimulant suis:

ut patris quodammodo loco habere Jobum videatur, & reverenter excusare, si quid ei minus placens promi necesse sit. Sunt tamen aliqua in oratione Eliphazi, sed obscuriuscula, quibus suspiciones in Jobum prodi videntur; ut, quæ ex Arabum carminibus de malo promit in rebus adversus desperante, v. 22. 23. Cæterum in magno errore versatur, Jobi theologiam, demtis pœnis præmiisque, omnem evertere pietatem & virtutem, v. 3. unde, hanc vitam a futura non distinguens, necessarium putat, tam impio contradicere dogmati. Ut autem Jobus majorum au-

* IX. 22.
** Vide pag. 201. Tomi I.

* v. 2. 7. 8. 9. 10.
** v. 10. 11. Confer vero quæ Jobus in Eliphazum dixerat c. VI. 6.

autoritate ac carminibus pugnarat, ita vicissim Eliphazus perpulcrum, &, quis neget? verissimum citat poema veterum Joktanidarum, philosophiæ laude inclytorum. Solent poetæ non philosophorum ἀκρίβεια ac solicitudine sententias efferre, nec vereri, ne aliquam a lege exceptionem negligant, sed imaginem cœptam vivis absolvere coloribus: unde fortunæ cœcitatem ac felix crimen canentes, ita agunt, ac si solus adversa & prospera talorum conjectus moderetur; at iidem providi numinis judiciis malorumque pœnis si quando attendunt animum, hæc etiam sola canunt, quæ canenda susceperunt. Non mirari ergo debebimus carminum contradictiones, quæ non universales leges explicant, sed tanquam mores providentiæ varios.

C. XVI. XVII. Nihil ad rem facere, nec novi quid aut reconditi continere ventosa Eliphazi verba, respondet Jobus, acerbe, ut solet, lamentans: & se loqui posse, si loquendum omnino sit: innocentem esse a proæreticis, quorum arguatur, clandestinisque criminibus, ejusque rei testem ipsum a se Deum excitari: nec pietatem ideo everti, quod innocens piusque miser sit. Hoc quidem v. 8. 9. ita:

Stupebunt boni propter hoc,
Et innocentes profanis irascentur.
Sed justus tenax erit viæ suæ,
Purusque manibus se confirmabit.

i. e. tale quid videntes justi, mirabuntur quidem, & irascentur malorum felicitati, (vide Psalmos, XXXVII. XXXIX. LXXIII.) nec tamen ideo a recto tramite declinabunt.

C. XVIII. Quæ sequitur Bildadi oratio, præter iracundas voces, Jobique, ut sine dubio impii, adcusationes, vix quidquam habet. Pœnæ malorum describuntur, iis verbis, ut Jobi infelicis vivam exprimi imaginem manifestum.

C. XIX. Ægre fert Jobus, longa se & inutili disputatione ab amicis fatigari, qui recte tacere tandem aliquando possent, quod criminum, quorum suspicione Jobum urgebant, pœnas ipse daturus esset, non illi. Ne tamen aut omnem sua philosophia tollere pietatem ac virtutem *, aut impiorum more, ut innuerat Eliphazus **, desperare videatur, aureis illis verbis, tanto dignis exordio, qui speret, profitetur:

Utinam scribantur verba mea!
In libro utinam exarentur!

* XV. 4.

** XV. 22. *non credit reditum ex tenebris, destinatus gladio. --- Certus est ipsi dies tenebrarum.*

*Stilo utinam ferreo **
Æternum duratura rupi incidantur.
*Ego enim novi, quod Goel ** meus vivat,*
Ultimusque pro pulvere sit surrecturus,
*Alia erit cutis mea, hæc laceratio ***;*
Exque meo corpore videbo Deum,
Quem ego videbo mihi,
Oculi spectabunt mei, non peregrini,
Desiderio mihi tabescunt viscera!
Vos enim dicitis, persequemur illum,
Et tamen radix religionis in me inventa.

Quæ viri sancti verba qui non de alia post mortem vita, sed de reddenda hujus vitæ felicitate explicant, totum impediunt quæstionis filum, in cujus jam summa, si eos audias, Jobus sibi contradicit, palinodiam canens, qua una audita omnes conticescere disputationes potuissent.

C. XX. Adfectus irarumque quam placidæ & sapientis philosophiæ plenior Sopharus sæpe dictam de malis non diu felicibus sententiam recoquit, nec post orationem viri superiorem, c. XI. narratam, obscurum, in Jobum ista dici. Vaga hæc & inaudito pene Jobo late errans disputandi ratio: cujus novissimam confessionem hoc unum spectat, quod & futuræ vitæ miserias Jobi similibus minatur ****, eamque illi spem eripit, qua una tantarum acerbitatum sensum deliniverat.

C. XXI. Quæ sequitur Jobi oratio, tam perspicue sententiam dicit quotidiana comprobatam experientia, ut valde fervidos esse disputatores oportuerit, quibus ne sic quidem audiendus Jobus videbatur. Præfatus, nullum se aliud solatium petere, quam ut silentio audiatur, reliquorum amicis officiorum gratiam facere, diversam esse docet providentiæ divinæ rationem, neque nimia philosophandi simplicitate ad unam revocari perpetuam legem posse. Esse malos, alios, quibus omnia ad vitæ usque exitum ex voto contingant (v. 7 - 15. 29 - 33.) alios, quos puniendos, inque exempli loco proponendos

* Omitto in vertendo ועפרת, *& plumbi*, quia non intelligo. In plumbo scribi literæ duraturæ consueverant, non stilo plumbeo, quod metallum ob mollitiem stilo ineptum.

** Retinui Hebraicum juris verbum, quod Latina lingua non perfecte reddi potest. Goel cognatione jus habebat vindiciarum, si quis ex ejus cognatis in alienam venisset potestatem. Deus ergo, animis humanis, ut videtur, cognatus, ipsum aliquando pulverem a sepulchro repetiturus sistitur.

*** Ex consuetis explicationibus satisfaciente nulla, legere vocales ausus sum, ואחר עורי נקפה זאת. Verbum נקף dilacerationem & districtionem cutis indicare, ex Arabismo docuit Schultensius. Sensus verborum: *hæc mea cutis, mera jam dilaceratio* (qualis esse in elephantiasi solet) *alia tunc & nova fiet*.

**** v. 11. 17. 23.

dos, Deus destinet. (v. 16.-21.) Stultum esse, Deum docere, quomodo judicare debeat: v. 22. optimum & sapientissimum habendum, quod ille statuat. Nec ita metum numinis ne in hac quidem vita tolli: felicitatem enim malorum non ab ipsis pendere, sed totam in potestate Dei esse; incerto, quem punire ante mortem velit, quem ultra mortem differre.

C. XXII. Evicta tandem iris & altercationibus verecundia, ad easdem cum reliquis amicis adcusationes Jobi descendit Eliphazus. Suspiciones omnes de eo, quod committi a Jobo poterat, in crimina vertit, magnaque illum asseverantia impietatis omnis & injustitiæ reum peragit: his denique accenset irrisoribus, qui justitiam rerumque humanarum curam a Deo omnem abjudicant. Addit exhortationes ad resipiscendum, qua conditione meliorem illi sortem promittit.

C. XXIII. XXIV. Cum Deo disputare Jobus optat, quem multo sperat fore æquiorem, quam amicos expertus erat; atque ab illo doceri, cur felices esse malos patiatur. Subnectit idem supplicia malorum, post mortem certa; omnemque ita suspicionem negatæ Dei justitiæ refellit. Justum esse Deum credit, sed judicia non semper in hac mortalium vita exercere.

C. XXV. Bildadus præter breviculam comparationem infiniti Dei cum minutis & inquinatis mortalibus, nihil reponit: incertum quo fine, utrum ut deterreat Jobum a disputando cum Deo, an ut metu tanti numinis exprimat illi confessionem, occultorum, propter quæ puniatur, criminum. Hoc vero similius; quia una cum reliquis amicis caussa cecidit, judice Deo.

Cap. XXVI. Respondet Jobus; nihil a Bildado, quod ignorarit, solatii nihil allatum esse: Deique laudes copiosius ac sublimius canit, ut tanquam poeticum certamen inire cum adversario videatur.

C. XXVII. XXVIII. Nemine porro contradicente, atque amicis, sive responsionum inopia, sive obstinatione Jobi ad silentium redactis, sive denique ejus precibus hoc dantibus, ut taceant, nova Jobus oratione suam de hujus vitæ miseriis & felicitate pandit philosophiam, verissimam illam, & in qua quod reprehendas vix invenies. Primo enim professus, defensionem vitæ integre actæ nunquam se abjecturum, caram sibi per omnem ætatem pietatem fuisse, cujus laude exsui nolit, qui virtutem & pietatem non spernat: explicat, quæ sint in summo felicitatis apice metuenda impiorum tormina: qua oratione efficit, ut pietatis incitamenta, metusque scelerum, superiore disputatione non sustulerit. Florent illi, prosperis omnibus a Deo cumulantur, sed conscientiæ agitati furiis, uno destituuntur voluptatum omnium condimento, lenimine adversorum, spe *, certum habentes, precibus suis Deum non attendere. Nempe,

Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem.

Fruantur illi, ut sæpe accidit, ad ultimum usque halitum divitiis suis ac voluptatibus; repentina etiam & dolorum experte morte opprimantur: non ideo felices credi debent. Per totam enim vitam læto aliquo decepti somnio, vix tandem instante morte conniventes aperiunt oculos **, seque quales sint, & quid ipsis exspectandum, vident, cùm exspirant. Tunc vero justitiæ & irarum divinarum tempus: tunc denso agmine supplicia ingruunt, formis in hoc orbe ignotis, quo gravius percellant. Quid tamen in illo mortalibus inviso oculis carcere agatur, suspicari ex suppliciis possumus, quæ hoc etiam in orbe posteros & memoriam sceleratorum insectantur. Providentiæ autem occulta scrutari consilia, & cur huic bene sit, illi male, expedire, nobis negatum. Habet animus humanus divini quid, nec quidquam in rerum natura tam reconditum, quin id assequi conetur audax Japeti genus: in viscera etiam itum terræ, ac tanquam coarctati tenebrarum fines; quæque nec alte volantes in montium fastigiis alites, nec spectra *** detexerant, humo adfixum mortale genus mira arte investigavit metalla. At sapientiam, eam qua mundus a Deo gubernatur (providentiam dicunt theologi), fugientem mortales visus, insequi nemo nedum prehendere potest: auro, gemmisque non parabilem. Est illa, famaque ejus vel apud inferos percrebuit, sed ipsa nemini visa, nisi Deo, late cœlum terrasque omnes uno oculorum conjectu contemplanti. Hic cum mathematica solicitudine & certitudine naturæ leges conderet, vento futuro ponderaret aera, aquam æstimaret, fulminis jactus rationibus prosequeretur, hanc & invenit, statuit, in fatorum libros retulit, multo sublimiorem philosophiam: mortalibusque edixit, ut loco hujus sapientiæ timorem habeant numinis, cui rerum omnium moderatori parentes omnia assequentur, quæ a nimis recondita philosophia frustra petuntur.

C. XXIX

* XXVII. 8. 9. ** v. 19.
*** c. XXVIII. 8. בני שחץ *filii apparitionis*, a verbo شخص *apparuit*, e. g. Deus, spectrum &c.

C. XXIX. XXX. XXXI. Finita diſputatione poſt breve Jobus ſilentium priſcam felicitatem, mala præſentia, vitamque integre actam deſcribit: tandemque victoria de amicis, & recte factorum conſcientia, audacior quam par erat factus, Deum provocat, ut ſecum litiget, cauſſaſque exponat, cur tam crudeliter in ſe ſtatuatur. Quod ſi facere Deus dignetur, nil ſibi exoptatius honorificentiuſve contingere poſſe: ex ipſa enim Dei accuſatione intellectum iri, nullius ſe culpæ reum eſſe, a qua alii mortalium immunes ſint. Audaciores vero voces in tota diſputatione non miſit Jobus, dignas, quæ hic legantur, quod & Elihuum ad ordiendam de novo diſputationem ſolicitarunt, & Deus illas potiſſimum caſtigavit, reliqua irreprehenſa dimittens:

Utinam haberem audientem me arbitrum:
Ecce ſigillum meum! Cœleſte numen reſpondeat mihi,
Scribatque ut adverſarius adcuſationem.
Super humeros meos tollam illam,
Alligabo mihi ut ornatum.
Greſſus meos numeratos indicabo,
Principis more accedam ad illum.

Intoleranda hæc humani aut doloris, aut philoſophiæ licentia. Oportet nos de vitæ noſtræ integritate certos eſſe: nec nego cum quibuſdam nimis religioſis ac timidis, jus aliquod nobis cum Deo intercedere, per quod illi non liceat in nos, quidquid injuriarum animo humano concipi poteſt. Quidquid enim Deus ſibi fieri nollet, ſi ſua a nobis penderet felicitas, id eum in nos ſtatuere, iniquum erit. Hac æqualitatis fictione omne quod natura docet jus continetur: nec verbum in diſputationibus de Deo refugiſſent aliqui, ſi, quid jus ſit, animo & cognitione ſatis explicuiſſent. Certe ſi Deo in nos licent omnia, etiam ut nobis non conſentientibus, nec noſtra culpa, æternum miſeros nos fingat, negetque, quod optare debebamus, tranquillum illud & tutum otium, quod erat, antequam nati eſſemus; hæc ſi illi omnia in nos juſta, quæ nemo mortalium, niſi impietate & crudelitate amens, Deo meditaretur, ſi inverſo ordine rerum Dii eſſemus: concidat omne æternum jus ac fas neceſſe eſt. Nec vero aut impia aut inutilis philoſophiæ de jure divino diſputatio, ut, cum quæritur, quo illos jure naſci juſſerit, quibus melius erat, nunquam naſci, æternas ſuorum ſcelerum pœnas luituris, aut ſintne hujus vitæ voluptates, ærumnis comparatæ, tantæ, ut huic uni vitæ juſtus nos Deus deſtinare potuerit? Verum oportet illas primo magna inſtitui verecundia, memoremque eſſe philoſophum, de maximi & optimi patris, cui nos & omnia noſtra debeamus, jure anquiri. Deinde quam inquinati peccatis ſimus, tertio quam ignari & ſtupidi meminiſſe in diſputando debemus: nec Deum damnare, ubi nos de jure ejus coecutimus. Denique univerſa quæſtio tractanda, poſſintne mala hujus vel futuræ vitæ cum juſtitia Dei conſiſtere, in qua aliquid videbit prudens ac cautus philoſophus: nunquam deſcendendum ad ſingula, nec ratio a Deo repetenda, cur illo felice hic miſer ſit, quippe quam reddere nemini, ſi vellet, poſſet, niſi totam rerum univerſitatem ſcientia complexo. Quid ergo jam errarit Jobus, αὐτοκατάκριτος ſi caput XXVIII. relegas, manifeſtum.

C. XXXII. XXXIII. Nec tulit audacter dicta Elihu, novus diſputator ac muſteus, magna ſui fiducia diuturnum ſilentium rumpens. Iraſcitur Jobo, quod a Deo ſibi injuriam fieri queſtus erat, & triumviris, quod Jobum impietatis reum egerunt, nec quidquam ei ſolidi reſponderant: utriuſque recte; ſed quam de ſe ſpem facit lectoribus, eam non implet. Difficilis quæſtionis hanc affert ſolutionem: non omnes impios quidem cenſendos, qui graviſſimis malis colluctentur, nec proæretici ab illis ſceleris pœnas exigi; ſed tamen ſerpere in illis, quantumvis piis, aliquod peccati latentis contagium, cujus ne ipſi quidem ſibi ſint conſcii. Id tam atroci medicina compeſcendum, ne ſenſim graſſante malo ad impietatem prolabatur bonus: caſtigationes has ſalutares eſſe, non pœnas, non ſupplicia. Pii autem cum ipſi, quid peccarint, ignorent, Deum interprete * angelo uſum per ſomnum indicare homini, quid emendare debeat, cui momenti ſi pareat, humilique Deum prece adoret, ad priſtinam rediturum felicitatem.

Sunt

* Non veriſimilis mihi eorum ſententia, qui angelum interpretem Meſſiam intelligunt, pro piis deprecantem, ſuamque pro illis juſtitiam profeſſum. *Indicare homini rectum* v. 23. niſi fidiculis utaris, non eſt, pro homine juſtitiam ſuam apud Deum profiteri, imputandam homini, ſed, indicare homini, quid rectum ſit, & quam morum partem emendare debeat. Nec qui angelus dicitur unus ex millenis, ex reliquorum angelorum ordine tanquam Deus eximitur, ſed componitur illis, & licet præſtans in ordinem tamen redigitur. Doctrina quidem de Chriſto minus olim nota quam in luce evangelii fuit, unde nec temere loquentibus tribuenda, niſi certis indiciis conſtet, hæc ab illis myſteria & cognita fuiſſe, & promi. Atque etiam vereor, ne laboret decus totius fictionis, arcana hac & veriſſima doctrina, de qua Deus vocem non mittit, ab Elihu evulgata. In diſputatione, cui Deus intervenit, melius arcanorumque peritius nemo diſputaret debet Deo.

Sunt in his bona & vera non pauca, quamquam forte, quæ de angelo interprete Dei habet, ex theologia decerpta nimis angelorum plena, qualis ſenſim cultui angelorum feneſtram aperuit. Nos quidem a ſolicita animorum noſtrorum exploratione ſperare ſolemus, quæ Elihu ab angelo. Verum poteſt aliquando Deus ita cum piis agere, ut Elihu fingit; ſed cum Jobo non ita egerat, teſte hiſtoria: non eum revocare ab impietate, ſed pietatis in eo honorem defendere volebat Deus. Hic ergo ipſe Elihuo tributus & artificioſe intextus libro error eo pertinet, ut omnino providentiæ divinæ rationes inveſtigare nequeamus, nec rem unam omnium maxime variam & compoſitam, gubernationem mundi, & mali permiſſionem, ad paucas aliquas leges, nobis cognitas, nimio ſimplicitatis ſtudio revocare debeamus. Manebat præterea alius error, Elihuo cum triumviris communis: piis non uſque ad vitæ exitum male eſſe poſſe; igiturque Jobo poſt hunc morbum novam juventam certo ſperandam eſſe. Oppugnarat eum tot veriſſimis diſputationibus Jobus, ut mirum ſit, Elihuum in re tam manifeſta adhuc coecutire, miraculoſumque a Deo exſpectare, quod facere quidem poterat, ſed nec promiſerat piis, nec debebat. Sed nimia felicitatis hujus vitæ admiratio, animis mortalium non depellenda, antequam evangelium Chriſti, immortalitatem ubivis & vitam æternam inſonans, eccleſiam ad ſpem melioris felicitatis totam erexiſſet, docuiſſetque hæc caduca contemnere, hujus ſtuporis inque errando pertinaciæ cauſſa fuit.

C. XXXIV. Silentio auditus Elihu, jam valde de ſua delectari oratione, novamque ordiri, verecundam quidem & amoris erga Jobum plenam, ſed parum aut rei aut veritatis habentem. Præmia pietatis a Jobo tolli putat: multa igitur de bonitate, æquitate, juſtitia Dei diſputat, a quæſtione, quæ agitabatur, alieniſſima.

C. XXXV. Poſt aliquod ſilentium noſtram pietatem non Deo utilem, ſed nobis, docet Elihu: cujus rei conſequens eſt, ut bonis præmia non debeat. Addit, miſeros, dum lamentantur, magnorum plerumque Dei beneficiorum obliviſci, quibus facile compenſari hujus vitæ miſerias exiſtimat.

C. XXXVI. XXXVII. Nova oratione effundit Elihu, quidquid vindiciarum Dei ſupereſſe putabat: juſtitiam ejus & magnitudinem prædicat, adverſorumque Jobo evenientium inde a verſu 8. capitis XXXVI. eandem reddit rationem, quam aliis verbis cap. XXXIII. reddiderat.

C. XXXVIII. XXXIX. Deus intervenit, immodeſtæ diſputationi finem facturus, non rationem redditurus conſiliorum ſuorum, quod licet hic facile factu fuiſſet, monendi tamen mortales, quæſtiones ejuſmodi plerumque & infinitas & ſtultas eſſe. Quidquid ergo reſpondet, eo redit: orbi condendo, legibuſque motus ac corporum ſtatuendis non interfuiſſe Jobum, naturæque pleraque artificia penitus ignorare: quæ cum longe facillima & expeditiſſima pars ſit ejus ſapientiæ, qua mundus regitur, ſtultum omnino eſſe, eum, qui hic cœcutiat adque omnes greſſus titubet, de rebus multo obſcurioribus ac difficilioribus diſputare aut omnino a Deo doceri velle. Sunt enim infinitis modis implexi mundi moralis nexus, quos qui quodammodo perſpicere cupit, eum & totam perſpectam habere oportet corporum naturam, ex qua voluptatum ac dolorum magna pars pendet, & matheſin tanquam & ſcientiam magnitudinum horum ipſorum dolorum & voluptatum, ut mala bonis exacte comparare queat, & receſſus noſſe omnes animorum humanorum, momentaque eorum & mechaniſmum, tam obſcurum, ut multa hic fortuito arbitrio contingere non ratione ſufficiente multi etiam philoſophi ſomniarint, nexum porro hominum omnium cum rebus univerſis, æternitatemque quam degent animi immortales, & in qua ex voluptate & dolore brevi hujus vitæ alia omnia effloreſcent, infinita complecti cogitatione.

C. XL. XLI. Reſipiſcentem Jobum, & quæſtionum deprecatum audaciam, novo majeſtatis & potentiæ ſuæ terrore percellit Deus, quam ex hiſtoria naturali illuſtrat. Cum tali numine quis, niſi deſipiens, tam inverecunda oratione, ut fecerat Jobus, diſputet?

Finita diſputatione Deus arbiter edicit, vera dixiſſe Jobum, quamquam immodeſte & irreverenter; erraſſe triumviros: quodque ſperare nemo potuiſſet, non priſtinam ſolum ſed & majorem Jobo reſtituit felicitatem.

PRÆ-

PRÆLECTIO TRIGESIMA TERTIA:

POEMA JOBI NON ESSE JUSTUM DRAMA.

De Jobi Carmine eo potissimum consilio instituta nobis est disputatio, ut de ejus natura & constitutione accuratius paulo quæreretur, utque in poematum Hebræorum censu suus ei certusque tribueretur locus: quod ipsum otiose & præter necessitatem fecisse forsan videbimur; cum res jamdiu constituta sit & præjudicata, ut poema hoc apud eruditos fere omnes & habeatur & appelletur dramaticum. Verum cum hæc ipsa appellatio, uti antea notavi, sit valde ambigua, non una hoc in loco oritur quæstio; etenim quærendum est primo, qui de hoc loquuntur dramate, quam notionem ei voci subjiciunt; quod si certo investigare possimus, nusquam enim quid velint clare explicant, erit tum postea disceptandum, an id nomen sub ea notione jure recteque huic poemati imponatur.

Poemata appellantur dramatica, vel ex sola enunciationis forma, cum personæ loquentes ac veluti agentes inducuntur sine poetæ interlocutione; quæ erat antiquis recepta vocabuli notio: vel, quod hodie potissimum obtinet, cum sub eadem forma actio etiam quædam, sive fabula, exponitur. Prius si volunt, qui Jobi poema dramaticum vocant, non repugno; neque vero operæ pretium esset ejusmodi quæstionem pluribus agitare. Profecto qui litigiosus esset, contendere posset, universum opus esse ex forma narrativa & dramatica mixtum, cum pars historica ex autoris persona prolata negligi non debeat: verum cum ea omnia sint soluto sermone, ut mihi videantur argumenti solum loco esse ad explicanda reliqua, neque poematis partem ullam constituere; quæ autem singulis orationibus præmittuntur vix quidquam majus contineant, quam si nuda loquentium nomina præfigerentur; habeant per me licet quod petunt; sit poema forma dramatica compositum. Hoc autem ut concedamus, vix erit satis; sunt qui majus quiddam postulare videntur: loquuntur enim de rerum constitutione, de catastrophe dramatis, θεον απο μηχανης induci dicunt; quidam etiam actus fabulæ numerant: iisdem certe vocibus utuntur, ac si de tragœdia aliqua Græcorum sermo esset; adeoque cum carmen Jobi dramaticum vocant, de ea specie dramatis loqui censendi sunt, quæ Athenis maxime & exculta est & perfecta. Restat itaque quærendum, an poema Jobi præcipuas habeat Græci dramatis proprietates, ita ut ad eandem speciem jure referri possit.

Majorem hanc ac legitimam dramatici carminis speciem eo potissimum nomine ab altera illa minore & communi sejungi statuimus, quod præter formam dramaticam justam atque integram etiam actionem sive fabulam contineret. Atque id quidem ex mente Aristotelis: nam quanquam plures statuat tragœdiæ partes, fabulæ tamen primas tribuit *; hanc principium, hanc finem, hanc omnium maximum, hanc animam tragœdiæ appellat, sine qua nec nomen suum obtinere, nec omnino esse potest. Fabula autem est actionis imitatio, sive rerum gestarum compositio; quod post explicat distinctius: tragœdia, inquit, est imitatio, non hominum, sed actionum, & vitæ, & felicitatis, & infelicitatis: hoc est, præcipuum est hujus poematis munus, non mores humanos imitari; nam nec sola morum imitatio constituit tragœdiam, & tragœdia potest esse sine moribus; sed actiones, & viam humanam exprimere; compositam nimirum aliquam rerum gestarum atque eventuum seriem exhibere, ex quibus ipsis efficitur agentium felicitas & infelicitas. Nam felicitas in actione est; & finis hominis est actio quædam, non qualitas: quoad mores tales quidam, boni puta aut mali, habemur; quoad actiones autem felices, aut contra, sumus. Igitur poeta non eo constituunt actionem, ut mores imitentur, sed actionis gratia mores una complectuntur. Hactenus imitationem actionis ab imitatione morum accurate distinxit. Præterea autem eam actionem ** oportet unam esse, integram, & idoneæ magnitudinis. Porro, ut fabulæ naturam clarius perspiciamus, notandum est duas esse ejus præcipuas species ***: est enim vel implexa vel simplex; quarum altera continet, vel subitam rerum in contrarium mutationem, vel personæ ignoratæ agnitionem, vel etiam utrumque; altera neutrum

* *Arist.* Poet. Cap. VI.
** Ibid. Cap. VII.
*** Ibid. Cap. X.

trum habet, sed continuo quodam & æquabili rerum tenore procedit. Omnis autem fabulæ, adeoque & simplicis, etsi nihil habeat in eventis valde admirabile & improvisum, est tamen aliquis rerum * nexus & solutio, & ab una ad alteram harum partium transitus: quod fieri non potest, nisi aliud ex alio sequatur, nisi sit rerum & eventuum diversorum ordo quidam & series, quæ gradatim ad exitum aliquem producit.

His omnibus probe expensis, non dubito affirmare, poema Jobi nullam omnino, ne simplicem quidem, actionem continere; sed posito rerum statu certo ac definito, cui ne minima quidem commutatio ab initio usque ad finem carminis accidit, mores, affectus, sententias, quæ ex eo statu probabiliter vel necessario consequuntur, solummodo imitari. Quid enim? inducitur Jobus e summo felicitatis gradu dejectus, & in gravissimis miseriis constitutus; exponuntur tum Jobi tum amicorum in eo rerum statu sensus & affectiones. Hoc enim in loco nova oritur Jobi tentatio, deque ejus constantia durissima omnium quæstio exercetur, quæ verum atque unicum totius poematis argumentum constituit: nam, qui gravissimas calamitates subito & cumulate ingruentes, paupertatem, orbitatem, & asperrimos corporis dolores, integritatis suæ conscientia fretus, tam fortiter sustinuisset, ut nihil in dictis indecorum sibi extorqueri, nihil de summa sua erga Deum reverentia detrahi, pateretur; quæritur, an idem innocentiam suam ac virtutem, cui nimium fortasse tribueret ac plus æquo confideret, in suspicionem & crimen vocari æque patienter ferret. Jobus, acerbissimo doloris sensu pene oppressus, sortem suam impotentius luget: amici ejus intolerantiam castigant, de ejus virtute scrupulum ac dubitationem injiciunt, Dei justitiam in puniendis improbis amplificant. Acrius commovetur Jobus; apertius criminantur amici. Alter ad Deum provocat, cum Deo animosius expostulat; alteri interea jam concitato instant, atque urgent, acerbius accusantes, & indignationem ejus & confidentiam paulo intemperantius se efferentem vehementius exagitantes. Intercedit Elihuus, controversiæ arbiter: amicorum acerbitatem, & inique conceptas suspiciones, Jobi audaciam & nimium elatos sui fiducia spiritus, castigat. Jobus monentem æquo animo fert, ejus nimirum reprehensione sedatior factus, nec quanquam sæpius expectanti quidquam respondet: Deo autem, suam ipsi temeritatem, debilitatem, & ignorantiam ob oculos ponenti, semel atque iterum humillime se submittit, & pœnitentiam agit. Finitur hoc in loco, uti videtis, Jobi tentatio, in qua periculnm erat ne laberetur; & poemati simul finis necessario imponitur, manente adhuc eodem sine ulla mutatione rerum ac fortunarum ejus statu. Est sententiarum magna varietas, sunt morum pulchræ imitationes, sunt affectuum insignes motus; magna lis, controversia, disputatio; sed nulla rerum motio aut conversio, nulla actio.

Vide autem, annon ipse argumenti conditio omnem actionem excludat. Ex hoc ipso enim rerum statu, ex cumulatissimis Jobi miseriis, nascitur de ejus integritate dubitatio, eæque suspiciones & criminationes, quibus Jobi indignatio exagitatur & incenditur, quibusque ad expostulandum cum Deo, deque sua virtute fidentius gloriandum stimulatur; & par erat, ut manente eodem rerum statu ad humilitatem Deique reverentiam revocaretur. Fuisset enim valde παρα το πρέπον, si prius in integrum esset restitutus, quam animos submisisset & pœnitentiam egisset. Jobi autem pœnitentia poemati finem imponit. Neque vero erat necesse, ut quæstio de Dei providentia & justitia in ipso poemate solveretur, vel felici rerum Jobi exitu, vel etiam inducta divinorum consiliorum explicatione; non enim id primario agitur, neque argumentum poematis ipsa per se constituit isthæc quæstio, sed ei potius deservit atque subjicitur. Est enim, ut ita dicam, instrumentum tentationis: infertur ea disputatio ad explorandos intimos Jobi sensus, & nudandam latentem superbiæ labem, quæ in ejus animo insederat. Quamobrem eo minime spectat, uti nec spectare debuit, Dei oratio: neque enim res ipsa aut poematis ratio postulabat, ut divinæ providentiæ instituerετur defensio, sed ut Jobi confidentia reprimeretur.

Porro si rerum statum mutas, mutabitur simul argumenti ratio. Si priorem historiæ partem, si posteriorem, si utramque includis; jam habes patientiæ in miseriis omnibus externis ferendis spectatæ, & a Deo tandem amplissimis proemiis affectæ, insigne documentum: a quo tamen haud paulum discrepat universa poematis ratio, quod Jobi, amicorum contumelias & probra intemperanter ferentis, impatientiam potius exhibet: atque id quidem ex argumenti necessitate; irritatur enim Jobus, excandescit, de sua sanctitate fidentius, de Dei justitia contentiosius, loquitur, Elihui nimirum monitis

* Ibid. Cap. XVIII.

nitis Deique caſtigatione corrigendus: ut hominibus etiam ſanctiſſimis ταπεινοφροσυνη, & fides in Deum cum ſumma reverentia conjuncta commendaretur.

Quod ſi quis queratur, nos nimium curioſa vocabuli interpretatione calumniari, & hanc Jobi tentationem, hanc ipſam diſputationem, actionis cujuſdam ſpeciem habere contendat: alio ſane rem deducamus, videamuſque, ſi quis e Græcis tragicus poeta ſimile argumentum eodem modo tractaviſſet, quid fuiſſet conſecuturum. Non eſt opus, ut vobis notum faciam, quo artificio Sophocles Œdipi tyranni fabulam compoſuit; quanto cum ingenii & judicii acumine, paulatim ac per continuos gradus novorum eventuum, ex ipſo rerum ſtatu exſurgentium, horrendum illud arcanum retegitur, quo patefacto, ſibi ipſi Œdipus oſtenditur, & ex felici ſit miſerrimus. Ponamus jam Sophoclem alia plane ratione eandem rem tractaviſſe, & totum poema eo argumento confeciſſe, quod nunc extremo fabulæ actu continetur. Exhibetur hic Œdipus in ultimis malis conſtitutus: patent affectuum loci pulcherrimi & τραγικωτατοι: infandi caſus miſerrima lamentatio; cæcitatis, dedecoris, exilii, calamitas; præſentis doloris acerbitas; præteritorum acerbior memoria; filiarum commiſeratio; ſui ſuorumque omnium deteſtatio, maxime eorum, qui expoſitum ſuſtulerant, ſervaverant, eduxerant: quæ omnia poeta pro re attigit:

Ιω Κιθαιρων, τι μ' εδεχȣ; τι μ' ȣ λαβων
Εκτεινας ευθυς; ——

quæque ſequuntur παθητικωτατα. Poterat hæc ipſa dilatare, & uberius fuſiuſque exornare: poterat adjicere, deferveſcente paulum primo luctus ardore, culpæ purgationem, innocentiæ obteſtationem, ignorantiæ & fatalis neceſſitatis excuſationem, in Deos & fortunam effuſiſſimas querelas. Exſurgit, uti videtis, argumentum grande, ſplendidum, varium, copioſum, quæſtioque graviſſima a ratione Jobææ diſputationis non valde disjuncta. Poterat eam ipſam forma drammatica iiſdem inductis perſonis exequi, & juſtam menſuram drammatis, ejuſque omnes ferme numeros & partes explere; una tamen fabula excepta, qua maxime ipſa drammatis eſſentia continetur, & ſine qua reliquæ omnes in legitimo drammate conſtituendo nihil valuiſſent: nam ejuſmodi poema Græci θρηνον fortaſſe, aut κομμον, aut uidvis potius quam tragœdiam appellaviſſent.

Quod ipſum magis adhuc confirmatur ejuſdem Sophoclis exemplo atque autoritate: nam cum Œdipum denuo in ſcenam proferret, & eodem fere in loco, quem modo propoſui, argumenti ſedem poneret, longe tamen alia ratione tractavit. Œdipi Colonei nomen habet iſthæc fabula; eſtque ſimplex, ne videar Jobum voluiſſe obruere iniqua & invidioſa comparatione cum pulcherrima implexarum. Inducitur Œdipus cæcus, exul, miſeriis confectus: in promtu ſunt omnes ii loci, quos indicavi; ſortis ſuæ lamentatio, numinum ac fati accuſatio, purgatio criminis, cæterique; quorum nullum prætermiſit, nullum non egregie exornavit poeta: nec tamen hos morum, affectuum, ſententiarum locos ipſum poematis argumentum conſtituit, ſed argumento ſuperinduxit; ſeu potius ex ipſa actione depromſit, quam invenit & contexuit pulcherrimam. Œdipus a filia manu ductus Colonum venit, ibi moriturus & ſepeliendus, oraculi monitu; ita enim fore, ut Athenienſes Thebanis bello ſuperiores evaderent. Cum locus ſacer eſſet, ægre eum illic conſiſtere patiuntur Athenienſes, Theſeus tamen eum in hoſpitium ac tutelam recipit. Advenit altera filiarum fratrum diſcordias nuncians, item adfuturum jam Creontem, ut ex decreto Thebanorum eum in patriam reducat. Adeſt Creon; Œdipo ſuadet, ut Thebas redeat; recuſanti vim intentat: Theſeus Œdipum protegit: intervenit Polynices, ut in bello contra Thebanos patrem ſibi ſocium adjungat, quæ erat victoriæ conditio: abnuit Œdipus, filiumque diris execratur: poſtremo communicatis cum Theſeo Deorum reſponſis, mortem obiit, & ibidem ſecreto ſepelitur. Inſtruitur hoc modo actio juſta, integra, maximique momenti; cujus omnes partes eodem ſpectant, & ad eundem finem perpetuo diriguntur, in quo poſita ſunt Thebarum & Athenarum fata. Mores, affectus, ſententiæ exornant, non ſuſtinent fabulam: iſta ſi tollantur omnia, actio nihilominus reſtabit, ſeque tragœdia ſuſtentabit; ſublata autem actione, cætera utcunque reſtent, una tollitur & omnino extinguitur tragœdia.

Satis ex jam dictis conſtare exiſtimo Jobi poema cum utrovis Œdipo Sophoclis, vel cum alia quavis Græcorum tragœdia, recte componi non poſſe, ita ut ad eandem ſpeciem referatur, niſi vel Hebræi vel Græci poematis conſtitutio funditus mutetur, niſi vel illuc accedat, vel hinc detrahatur actio: quod autem ea parte omnino deſtituitur, qua maxime continetur drammatis eſſentia, id pro juſto drammate falſo haberi.

Quan-

Quanquam autem huic poemati legitimi drammatis titulum abjudicem, nihil de ejus pretio derogatum eo; quod ii potius faciunt, qui ad alienam normam id inique exigere voluerunt; unde necesse est vitiosum & mancum videri, quod sane in suo genere est pulcherrimum & perfectissimum. Quæ enim potest concipi in ejusmodi argumento, difficili & recondito & ab omni actione abstracto, elegantior œconomia? quæ distributio ordinatior? quæ, quantum in tantis vetustatis tenebris cernere possumus, accuratior & subtilior & ad finem consequendum aptior rerum deductio? Profecto qui reputabit modo, quam parva habuerit initia, quam tarda incrementa ceperit, Græcorum tragœdia; is nunquam poterit sine summa admiratione intueri tot ante sæculis natum poema, tam pulchre inventum, tam solerter dispositum, tam perfecte expletum, tam singularis exempli; quod similitudinem atque imaginem quandam drammatis statim arripuit, unde non difficile fuisset ad ipsum absoluti operis exemplar ascendere; quale certe Græca poesis multorum annorum studio atque usu ante Æschylum nondum erat adsecuta. Verum utcunque ea se res habet, quicunque tandem Jobo assignandus esset in Græcorum poetarum choro locus, quibus dispositionis & artificii laudem facile concedimus, apud suos certe principem in hoc genere obtinet: nec refert quo appelletur nomine, sive didacticum, sive ethicum, sive patheticum, forma drammatica poema, modo in summo Hebrææ poeseos fastigio & culmine, singulari ac sibi propria sede, collocetur.

PRÆLECTIO TRIGESIMAQUARTA

DE POEMATIS JOBI MORIBUS, CONCEPTIBUS, ET STYLO.

Cum poema Jobi pro vero ac legitimo drammate, cujusmodi sunt Græcorum tragœdiæ, minime haberi posse contenderem, eidem tamen non modo formam drammaticam, & in universa dispositione quandam justi drammatis imaginem ac quasi anticipationem attribui, sed ejus præcipuas etiam, fabula duntaxat excepta, partes concessi: in his primum locum habet morum imitatio.

Mores sunt, secundum quos tales quasdam esse personas dicimus; quibus declaratur, quale sit loquentis propositum, qualis vivendi, agendi, sentiendi ratio. Princeps est in hoc poemate Jobi persona, qua exhibetur virtutis exemplar, quantum humana recipit debilitas, absolutæ; quod indicat operis argumentum, plenius autem & perfectius exprimunt ipsius sermones. Sanctus est, pius, Dei reverentissimus; integer, & conscius suæ integritatis; patiens dolorum, sed stoica απαθεια, seu potius immanitate & stupore haudquaquam præditus: gravissimis enim malis oppressus luget, queritur, mortem exoptat, hoc est, naturæ cedit & obtemperat; iniquis autem amicorum suspicionibus & acerbis accusationibus irritatus, vehementius excandescit, & in parum decoras cum Deo expostulationes nimia suæ virtutis fiducia abripitur.

Observandum est, primam Jobi orationem, quanquam ardentissimo affectuum impetu erumpentem, meras tamen querimonias continere; esse solummodo * מלים ולרוח אמרי ניאש, *verba inania, & dicta desperati ad respirationem quærendam effusa*; qua excusatione ipse mox utitur; nullam habere cum Deo actionem, nullam de divina justitia quæstionem, nullam suæ integritatis commemorationem: nec video, cur tam dure de hoc loco pronuntient quidam interpretes. Mihi quidem videtur poeta summo cum judicii acumine pariter atque ingenii vi id ipsum effecisse, quod necessario postulabat poematis ratio: ita enim expressit Jobi mœrorem sane humanitus erumpentem, & habita rei ratione condonabilem, & in summa carentem delicto, ut hucusque virtus ejus illæsa constaret; sed imaginibus adeo atrocibus amplificatum, sententiis tam crebris fervidisque exaggeratum, ut censoribus non deesset occasio & materia calumniandi: adeoque nec occasioni desunt censores; hanc enim ipsam doloris intemperantiam castigat Eliphazus, & Jobum solummodo ut parum fortem aperte corripit, graviora oblique significans. Porro Eliphazi increpatione semel etiam lacessitus Jobus, cum de Dei in se severitate jam queritur, adhuc tamen ab acrioribus illis cum Deo expostulationibus sese abstinet, lenioribus querimoniis contentus, & peccatum simul agnoscens. ** Quocirca quæ in se postea admittit jam aliquantum labescens viri virtus,

* *Job.* VI. 26.
** Vide Cap. VII. 20.

virtus, duræ illæ & pervicaces integritatis ſuæ obteſtationes, divinæque juſtitiæ obmurmurationes, ea omnia ſunt affectus potius quam morum: arguunt enim, non impium, ſed conſcium quidem ſuæ integritatis, nimiumque confidentem, multo autem magis acerbiſſimis corporis animique cruciatibus oppreſſum, & vehementi doloris æſtu longius æquo evectum. Cum autem cauſam ſuam veluti abjiciunt triumviri, & ab importunis criminationibus tandem abſtinent, quanquam nihil quidquam de ſua pertinacia adhuc remittit Jobus, ſubſidente tamen aliquantum iracundiæ & doloris æſtu, redit jam quodammodo ad ſeſe, atque animi ſui ſententiam ſedatius paulo & apertius exponit: & profecto, etſi erga Deum fortaſſe arrogantior, eſt tamen contra Eliphazi accuſatione juſta & vera pro ſe viri defenſio. Videte autem primo, quam mirifice exprimitur Jobi confidentia & perſeverantia, in cauſa ſua tuenda contra obtrectationes amicorum*:

חי אל הסיר משפטי
ושדי המר נפשי:
כי כל עוד נשמתי בי
ורוח אלוה באפי:
אם תדברנה שפתי עולה
ולשוני אם יהגה רמיה:
חלילה לי אם אצדיק אתכם
עד אגוע לא אסיר תמתי ממני:
בצדקתי החזקתי ולא ארפה
לא יחרף לבבי מימי:
יהי כרשע איבי
ומתקוממי כעול:

Ut vivit Deus, qui jus meum amovit;
Et omnipotens, qui amarore imbuit animam meam;
(Nam omnino adhuc mens mihi conſtat,
Et ſpiritus Dei eſt in naribus meis:)
Ita nunquam labia mea rem iniquam loquentur,
Nec lingua mea quod falſum eſt proferet:
Abſit, ut a vobis jus ſtare pronunciem:
Donec expiravero, non amovebo a me integritatem meam.
Juſtitiam meam firmiter retineo, nec eam dimittam;
In omni vita cor meum nunquam me probro adficiet;
Fiat, ſicut improbus, inimicus meus;
Et qui ſeſe incitat contra me, ſicut injuſtus.

Quam autem magnifica, quam auguſta, quam pulchra atque amabilis jam effulget imago virtutis, cum vitæ anteactæ memoriam omnem repetit! Quæ viri majeſtas & autoritas *

בצאתי שער עלי קרת
ברחב אכין מושבי:
ראוני נערים ונחבאו
וישישים עמו עמדו:
שרים עצרו במלים
וכף ישימו לפיהם:
קול נגידים נחבאו
ולשונם לחכם דבקה:

Cum egrederer ad portam, ſuper urbe;
Cum in foro tribunal meum conſtituerem:
Viderunt me juvenes, & ſeſe occultarunt;
Et ſenes aſſurrexerunt, ſteterunt:
Principes cohibuerunt ſermonem,
Et ori ſuo manum impoſuerunt:
Vox nobilium obmutuit;
Et lingua eorum palato adhæſit:

Quæ beneficentia, liberalitas, in ope ferenda promtitudo **!

כי אזן שמעה ותאשרני
ועין ראתה ותעידני:
כי אמלט עני משוע
ויתום ולא עזר לו:
ברכת אבד עלי תבא
ולב אלמנה ארנן:

Profecto auris audiebat, & beatum me prædicabat;
Et oculus videbat, & teſtimonium mihi perhibebat:
Quoniam ſtatim vindicabam inopem vociferantem;
Et pupillum, & cui nullus opitulator:
Benedictio pereuntis ſuper me ſemper deſcendebat;
Et cor viduæ ut caneret efficiebam.

Quæ judicis ſanctitas & integritas ***!

צדק לבשתי וילבשני
כמעיל וצניף משפטי:
אב אנכי לאביונים
ורב לא ידעתי אחקרהו:
ואשברה מתלעות עול
ומשניו אשליך טרף:

Juſtitiam indui, & ipſa me veſtivit;
Inſtar pallii & tiaræ judicium meum:—
Pater eram egenis;
Et in cauſam etiam ignoti ſolebam inquirere:
Confringebam molares oppreſſoris;
Et e dentibus ejus excutiebam prædam.

Quæ

* Cap. XXVII. 2.—7.

* Cap. XXIX. 7.—10.
** Cap. XXIX. 11.—13.
*** Cap. XXIX. 14. 16. 17.

Quæ puritas & firmiſſimis principiis fundata numinis reverentia! quæ benevolentia denique & humanitas *!

ומה חלק אלוה ממעל
ונחלת שדי ממרומים:
הלא איד לעול
ונכר לפעלי און:
הלא הוא יראה דרכי
וכל צעדי יספור:
אם אמאס משפט עבדי
ואמתי ברבם עמדי:
ומה אעשה כי יקום אל
וכי יפקד מה אשיבנו:
הלא בבטן עשני עשהו
ויכוננו ברחם אחה:

Quæ enim portio a Deo deſtinata deſuper;
Et hæreditas ab omnipotente de excelſis?
Annon excidium injuſto?
Et abalienatio operantibus iniquitatem?
Nonne Ille ſemper videt vias meas?
Et omnes greſſus meos dinumerat? —
Si ſprevi cauſam ſervi mei,
Et ancillæ meæ, cum mecum lite contenderent;
Quid tum facerem, cum ſurgeret Deus;
Et cum viſitaret, quid illi reſponderem?
Nonne in ventre, qui me fecit, idem illum fecit?
Nonne formavit nos in utero unus?

Animadertit Ariſtoteles **, exemplum viri egregie probi ex rebus proſperis in adverſas incidentis tragœdiæ minime convenire; cum ſit μιαρον, fœdum potius & plane indignum, quam vel miſerabile vel terribile: quod quanquam Græcorum ſcenæ & ethnicorum hominum ſenſui valde accommodatum, apud nos tamen ſemper locum habere, aut in Jobi poema transferri, vix poteſt. *Miſeratio oritur*, inquit Ille, *cum immerenti res adverſæ eveniunt*: itaque egregia virtus in infelicitatem incidens tantum abeſt ut ſit a miſeratione aliena, ut potius ad eam commovendam ſit imprimis comparata. *Metum incutiunt ejus miſeriæ, qui nobis eſt ſimilis*: unde efficitur, terrorem non habere valde improborum quidem infortunia; idem vero de eximie bonorum miſeriis haud æque conſequitur: nam ſi nobis timemus, cum virtus mediocris affligitur; multo ſane magis, cum egregia ***. Ea itaque mihi videtur eſſe mens Ariſtotelis, non ut prorſus exiſtimet, viri egregie probi valdeque infelicis exemplum ſua natura male comparatum eſſe ad commovendum vel miſerationem vel terrorem, ſed potius virtutem infelicem eſſe rem in ſe ipſa indignam planeque deteſtabilem, & quæ in ſcenam proferri non debet: quæ philoſophi ſententia oritur ex inſana illa humanæ virtutis æſtimatione, in qua eximenda Jobi poema potiſſimum occupatur. Sane perſona Jobi, quanquam ad virtutis conſummationem tam probe accedens, ſatis tamen in ſe humanæ debilitatis admixtum habere videtur, ut nec probabilitate careat, neque certe in terrore commovendo ſuo effectu deſtituatur. Etenim ſi mortalium integerrimo in graviſſimas miſerias incidenti divinæ juſtitiæ omnino obmurmurare ſit nefas, quis eſt, qui coram Deo conſiſtet? quis, qui ſe malorum immunem & exſortem fore confidet? Minime autem alienus eſt terror a fine poematis, ſiquidem hoc præcipue inculcatur documentum, μη υψηλοφρονει, αλλα φοβȣ. Et ſuorum malorum exemplum quam vim habere deberet, præclare docuit ipſe Jobus *.

ישמו ישרים על זאת
ונקי על חנף ותערר:
ויאחז צדיק הרכו
וטהר ידים יסיף אמץ:

Super hoc ipſum attoniti ſtupebunt integri;
Et innocens adverſus hypocritam zelo flagrabit:
Sed obſtinate perſiſtet in via ſua juſtus;
Et puro manuum augebitur conſtantia.

Triumviri tales omnino exhibentur, quales poematis ratio poſtulabat; cenſores acerbi, ſeveri, irritabiles, a pio ſolandi propoſito in objurgationes & contumelias facile abrepti. Statim ab initio την προαιρεσιν δηλȣσιν, &, quid ab iis expectandum ſit, ſatis clare indicant: primus quidem ſub ipſo ingreſſu aliquam præ ſe fert lenitatem **:

הנסה דבר אליך תלאה

Si tentemus te adloqui, an ægre laturus es?

Sed

* Cap. XXXI. 2. —— 4. 13. —— 15.
** Vide de Poet. Cap. XIII.
*** Και τȣς ομοιȣς ελεȣσι, καθ' ηλικιαν, κατ' ηθη, καθ' εξεις, κατ' αξιωματα, κατα γενη· εν πασι γαρ τȣτοις μαλλον φαινεται και αυτω αν υπαρξαι· ολως γαρ και ενταυθα δει λαβειν, οτι οσα εφ' αυτων φοβȣνται, ταυτα επ' αλλων γιγνομενα ελεȣσιν. —— Και μαλιστα το σπȣδαιȣς ειναι, εν τοις τοιȣτοις καιροις οντας, ελεεινον· απαντα γαρ ταυτα, δια το εγγυς φαινεσθαι, μαλλον ποιει τον ελεον· και ως αναξιου τε οντος, και εν οφθαλμοις φαινομενȣ τȣ παθȣς. *Ariſtot.* Rhet. II. 10.

* Cap. XVII. 8. 9.
** Cap. IV. 2.

Sed vincit protinus indignatio;

ועצר במלין מי יוכל׃

At cohibere ſermones quis valeat?

Alter ſubito excandeſcit *:

עד אן תמלל אלה
ורוח כביר אמרי פיך׃

Quouſque proloqueris iſta,
Et verba oris tui erunt inſtar venti vehementis?

Audi vero tertium **:

הרב דברים לא יענה
ואם איש שפתים יצדק׃
בדיך מתים יחרישו
ותלעג ואין מכלם׃

Annon multitudini verborum reſpondebitur?
Numquid vir loquax habebitur juſtus?
An mendacia tua hominibus ſilentium imponent?
Et cum irriſeris, nemo tibi pudorem incutiet?

Iniqui, contentioſi, omnia in pejorem partem rapientes ***:

האל יעות משפט
ואם שדי יעות צדק׃

An Deus pervertet jus?
Anne omnipotens diſtorquebit juſtitiam?

ubi nota, Jobum nihil quicquam adhuc de divina juſtitia intemperantius effudiſſe ****.

אף אתה תפר יראה
ותגרע שיחה לפני אל׃

Quin tu irritam facis religionem,
Et minus precationem coram Deo;

invidioſum habes alterius conſectarium. Superbi, faſtuoſi, ſuæ ſapientiæ plurimum tribuentes *****:

מדוע נחשבנו כבהמה
נטמינו בעיניכם׃
טרף נפשו באפו
הלמענך תעזב ארץ
ויעתק צור ממקומו׃
גם אור רשעים ידעך

* Cap. VIII. 2.
** Cap. XI. 2. 3.
*** Cap. VIII. 3.
**** Cap. XV. 4.
***** Cap. XVIII. 3. — 5.

Quamobrem reputamur inſtar bruti pecoris;
Impuri habemur in oculis veſtris?
O lanians ſeipſum in ira ſua!
Ergone propter te derelinquetur tellus?
Et revelletur rupes e loco ſuo?
Imo vero improborum lumen extinguetur. —

Nec verecundior Bildado ſuccinens Zopharus *:

לכן שעפי ישיבוני
ובעבור חושי בי׃
מוסר כלמתי אשמע
ורוח מבינתי יענני׃

Profecto cogitationes meæ ad reſpondendum me ſtimulant,
Et propterea feſtinus me impellit impetus:
Caſtigationem mihi ignominioſam audiero?
Ergo ſpiritus intelligentiæ meæ me cogit reſpondere.

Cenſores autem eandem cauſam eodem fere modo omnes agunt: Eliphazus quidem, qui leniſſime omnium inceperat, in acerbiſſima deſcendit convicia, & graviſſimas accuſationes directe & ſpeciatim Jobo intentat, a quibus cæteri ſibi temperant: nam Bildadus locum de Dei majeſtate & ſanctitate bis antea ab altero ornatum, ne nihil diceret, breviter tantum retractans, & Zopharus ad ſilentium confugiens, ſocium pariter deſtituere, & Jobo cauſam cedere videntur. Satis commode tribus committuntur obtrectandi partes: nimis anguſtum fuiſſet & exile, perſona ſingularis; confuſum plane & importunum, cenſorum turba. Cæterum triumvirorum mores, quantum quidem video, parum inter ſe diſcriminantur: affectuum ſane gradationi, quam morum diverſitati, impenſius ſtudetur. Quod ſi aliquam hac in parte varietatem deſideret delicata eſt faſtidioſa recentiorum critica, excuſanda eſt naſcentis poeticæ ſimplicitas, rerumque gravitate & ſententiarum pondere compenſanda.

Veruntamen cenſorum aſperitati & intemperantiæ pulchre opponitur & adverſatur Elihui lenitas & moderatio: mitis eſt, pius, æquus, ab acerbitate & adulatione pariter alienus, ſingulari ſapientia præditus, quam Dei gratiæ unice tribuit; quæ omnia multum inſuper commendat ætas juvenilis. Uti vero præclare comparati erant cenſorum mores ad irritandum

* Cap. XX. 2. 3.

Jobi animum, ita ad eundem ſedandum pulcherrime accommodatur perſona arbitri: in hoc ipſo autem poſita eſt argumenti ſedes; in hoc veluti cardine totius poematis conſilium & finis vertitur.

Quem finem haberet Dei actio, quam conſentaneum univerſæ poematis rationi & propoſito, antea notavi: id modo jam addam, quanquam plurimis tota oratio incongrua, & a re de qua agitur plane aliena, temere viſa ſit; nemo tamen ſententiarum gravitatem a perſona abhorrere, aut tanta majeſtate ullo modo indignam eſſe, unquam exiſtimavit.

Altera pars quæ in hujuſmodi poemate præcipue ſpectari debet eſt ſententia; quam oportet argumento convenire & apta dictione explicari: διανοιαν vocat Ariſtoteles, & in drammatis partibus recenſet; non quidem, quaſi ejus ſpeciei propriam, ſed ut omni poemati communem, & in omnibus maximi momenti. Mores ſunt ſolummodo perſonarum, & poema omne, quod perſonas habet, habere etiam debet mores: ſententia autem eſt & poematis omnis, & orationis. Habet rationem cum perſonarum tum rerum: quod ad perſonas attinet, potiſſimum verſatur in moribus & affectibus exprimendis: quæ jam protuli ſunt ſenſuum exempla, quoad mores exprimunt. Reſtant itaque affectuum imitationes, & rerum deſcriptiones: de quibus cum generatim antehac differerem, fieri non potuit, quin aliqua ex hoc ipſo poemate proferrem; dictio autem poetica quam vim haberet in animi motibus incitandis, non aliunde melius demonſtrare valui, quam petitis ibidem exemplis: quocirca quod ſupereſt expediam breviter.

In vehementioribus affectibus maxime verſatur Jobi poema, dolore, iracundia, indignatione, acerrimiſque concertationibus, ad terrorem concitandum potiſſimum comparatum, & ſublimitatem imprimis ſpirans: quo in genere ſufficiant exempla antehac allata. Nec tamen deſunt leniores animorum motus; luctus & querimonia ad miſerationem commovendam *:

אדם ילוד אשה
קצר ימים ושבע רגז:
כציץ וצא וימל
ויברח כצל ולא יעמוד:
אף על זה פקחת עיניך
ואתי תביא במשפט עמך:
שעה מעליו ויחדל
עד ירצה כשכיר יומו:

Homo natus de muliere,
Brevis eſt dierum, & ſatur tumultus:
Ut flos emicat, & langueſcit;
Fugitque ut umbra, & non ſubſiſtit.
Etiamne ſuper hunc oculos tuos aperuiſti?
Et me adduces in judicium tecum? —
Remove conſpectum ab eo, ut remiſſionis aliquid habeat;
Et acquieſcat diei ſuo ſicut mercenarius.

totuſque ille locus pulcherrimis imaginibus depictus, & in genere elegiaco perfectiſſimus. Acrius poſtea inſurgit dolor, ſed flebilis identidem & queribundus *:

עד אנה תגיון נפשי
ותדכאונני במלים:
זה עשר פעמים תכלימוני
לא תבשו תהכרו לי:
חנני חנני אתם רעי
כי יה אלוה נגעה בי:
למה תרדפני כמו אל
ומבשרי לא תשבעו:

Quouſque vexabitis animam meam,
Et conteretis me ſermonibus?
Jam decem vicibus me contumeliæ affeciſtis;
Non erubeſcitis, in me uſque obſirmari eſtis. —
Miſeremini mei, miſeremini mei, o vos amici mei!
Nam Dei manus me plaga affecit.
Quianam inſectamini me, ut Deus;
Neque carne mea ſatiati eſtis?

Quantum ſibi indulget ſpes, in poſteræ felicitatis imaginibus formandis quam ingenioſa ſit, in fovendis quam credula, in ornandis deſcribendiſque quam læta & geſtiens, perfecte expreſſit Jobus poſt vitæ anteactæ commemorationem **:

ואמר עם קני אגוע
ומחול ארבה ימים:
שרשי פתוח אלי הים
וטל ילין בקצירי:
כבודי חדש עמדי
וקשתי בידי תחליף:
לי שמעו ויחלו
וידמו למו עצתי:
אחרי דברי לא ישנו
ועלימו תטף מלתי:
ויחלו כמטר לי
ופיהם פערו למלקוש:

Proinde dicebam, in nido meo expirabo;
Et ut arenam multiplicabo dies:
Radix mea ſeſe dilatabit ad aquas;
Et

* Cap. XIV. 1. 2. 3. 6.

* Cap. XIX. 2. 3. 21. 22.
** Cap. XXIX. 18.–23.

Et ros commorabitur in ramo meo:
Gloria mea ſemper erit mecum recens;
Et arcus meus in manu mea renovabitur:
Me audient, & expectabunt;
Et ad conſilium meum intenti tacebunt:
Poſtquam locutus fuero, nihil iterabunt;
Et ſuper eos ſtillabit oratio mea:
Et expectabunt me, ut pluviam;
Et os ſuum diducent ad imbrem ſerotinum.

Referri poſſunt etiam ad imitationem affectuum adjuncta quædam, ex intima natura, veriſque humanæ animæ motibus depromta, quibus quævis illuſtratur deſcriptio: uno ex multis exemplo contentus ero. Ita a natura comparatum eſt, ut quæ maxime ex votis, ſed præter ſpem, eveniunt, ea videntes etiam & ſentientes vix credamus: de Deo Jobus *:

אם קראתי ויענני
לא אאמין כי יאזין קולי:

Si invocavero, & mihi reſponderit,
Non crederem, quod exaudiverit vocem meam:

quo egregie expreſſit cum Dei majeſtatem & ſeveritatem, tum ſuam humilitatem & deſperationem **.

אשחק אליהם לא יאמינו

Adridebo eis, non credent:

inquit Jobus de ſuis clientibus: quo amplificatur ipſius ſumma gravitas dignitaſque cum facilitate conjuncta, ſimul horum erga ipſum intemerata veneratio. Uno denique atque eodem adjuncto ad equum bellatorem translato mirifice depingitur ardor ejus atque alacritas, pugnæque arrecta cupido ***:

ברעש ורגז יגמא ארץ
ולא יאמין כי קול שופר:
בדי שפר יאמר האח
ומקחוק יריח מלחמה
רעם שרים ותרועה:

Cum trepidatione & fremitu vorat terram;
Nec credit, quod tubæ ſit ſonitus:
Pergente jam tuba, dicit, euge;
Et a longinquo odoratur prælium,
Tonitru principum & clangorem.

* Cap. IX. 16.
** Cap. XXIX. 24.
*** Cap. XXXIX. 24. 25.

Quo ex loco omnium admiratione celebratiſſimo abunde cernitur, quantum etiam valet in rerum deſcriptionibus hoc poema: ſimul exiſtimare licet in aliis nonnullis non minus evidentem fore ſenſuum cum rebus convenientiam & proprietatem, ſi de ipſis animalibus eorumque natura æque conſtiterit. Ut de deſcriptione aliqua recte judicetur, æque claram ac plane eandem atque ipſe ſcriptor rei ipſius notionem habere oportet. Omnibus ſane mortalibus communis eſt tonitrus perceptio; videamus quomodo eam expreſſit Elihuus *:

אף לזאת יחרד לבי
ויתר ממקומו:
שמעו שמוע ברגז קלו
והגה מפיו יצא:
תחת כל השמים ישרהו
ואורו על כנפות הארץ:
אחריו ישאג קול
ירעם בקול גאונו
ולא יעקבם כי ישמע קולו:

Ob hoc etiam expaveſcit cor meum,
Et ſubſultim trepidat e ſede ſua:
Audite audiendo vocis ejus fremitum,
Et murmur quod ex ore ejus egreditur!
Sub omne cœlum rectus ejus impetus,
Et lumen ejus in extremas oras terræ.
Poſt illud rugit vox;
Intonat voce majeſtatis ſuæ.
Neque inveſtigari poterit, cum audita fuerit, vox ejus.

Non eſt neceſſe, ut in ſingulis diutius immoremur, cum in hoc poemate abunde ſuppetant, & paſſim occurrant, in omni virtutis atque elegantiæ genere, ſenſuum, imaginum, ac dictionis pulcherrima exempla. Ut verbo dicam, ſtyli majeſtas argumenti granditati, vis atque impetus affectuum incitationi, reſpondet; utque cæteris omnibus Hebrææ poeſeos monumentis facile antecellit hoc poema rerum diſpoſitione & œconomia, ita ſublimitate elocutionis totiuſque ſcriptionis elegantia nulli concedit. Imprimis autem, ut nec illud omittam, accurata eſt & perfecta conſtructio poetica, quod in antiquiſſimis fere Hebræorum monumentis maxime cernitur: ejus vero rei artificium, uti convenerat poematis cum dignitati tum etiam longitudini, ſitum eſt potius in juſta totius periodi conformatione, & & accurata diſtributione membrorum, quam in contrapoſitione vocum, aut nimium eleborata paralleliſmi concinnitate.

Hæc

* Cap. XXXVII. 1.---4. In ultima linea legendum videtur יעקב, cum *Vulgato* & *Symmacho*: quam emendationem propoſuit Vir Doctiſſimus *Richardus Grey*, de hoc poemate præclare meritus.

Hæc erant, quæ de sacra Hebræorum poesi differenda proposueram: quibus exequendis si quid industria consecutus sum, id vobis, academici, imprimis deberi profiteor, qui conatus meos boni consulere, & studium meum vestro etiam studio & favore sustentare dignati estis. Profecto cum mecum reputarem argumenti hujusce magnitudinem & difficultatem, quam & antea prævideram, & magis etiam indies expertus sensi; in quo antecessorum vestigia, & doctorum etiam monita, persæpe deficerent; recondita esset vel in se, vel propter vetustatem, rerum natura, investigatio ardua, subtilis explicatio, anceps assertio, periculosus error: ne conciderem plane animo, vestra fecit humanitas. Intelligebam enim viris gravissimis atque eruditissimis probari institutum meum, ut neque ab hujusce disciplinæ consilio, neque a loci dignitate, neque a studiosæ juventutis utilitate, alienum: inter auditores meos eos sæpe numerabam, unde me potius & in hoc & in omni literarum genere præcepta petere decuisset: juvenes autem, ad quos unice pertinebat hujusce muneris ac præceptionis ratio, semper habebam mei consiliis studio suo & frequentia faventes: quæ mihi impertita vestræ voluntatis testimonia nisi in beneficii loco ponerem, sane de me arroganter, de vobis contumeliose sentirem. Vobis itaque omnibus, academici, maximas & ago gratias & habeo: semper mihi jucundissima erit vestræ erga me benevolentiæ recordatio; neque verendum est, ne id patiar ex animo meo excidere, quod mihi præcipuo honori esse semper existimabo.

Ut autem istuc revertar, quo maxime spectavit universum præceptionis meæ consilium, vos, juvenes ornatissimi, mihi jam postremo monendos atque hortandos arbitrarer, nisi laudandi potius essetis. Nam linguam Hebræam, nimium diu neglectam & pœne obsoletam, his proximis aliquot annis ita sedulo coluistis, & in cæterarum literarum societatem & communionem tanto studio & consensu revocastis, ut jam iterum summo in honore & celebritate versetur; ut vestro beneficio post longum exilium, statum, existimationem, dignitatem, quasi postliminio recepisse videatur. Pergite itaque his studiis eadem qua cœpistis diligentia, eadem ingenii felicitate, incumbere; nihilque prius habete, quam ut illustretis porro atque propagetis has literas; cum suaves, elegantes, jucundas, tum summe utiles & fructuosas; rerum copia locupletes, gravitate admirabiles, sanctitate venerandas; homine ingenuo & liberali imprimis dignas, ad theologiæ scientiam adspiranti omnino necessarias; vobis ipsis laudi, academiæ honori, ecclesiæ emolumento, futuras. Habetis ducem *, qui autoritate, exemplo, præceptis, assiduitate, nunquam vestris commodis atque utilitati deerit; cum excellenti ingenio virum, & singulari eruditione, tum summo morum candore, summa facilitate atque humanitate præditum. Vobis ille immensos orientis thesauros, amplissimumque scientiæ campum, cursumque ad laudem patefaciet: mihi suffecerit, Hebrææ poeseos copiam & divitias aliquantum indicasse, & amœniora quædam hujusce Paradisi spatia aperuisse, si forte illuc studia vestra allicere atque excitare possem: quod si intelligerem, vos in hoc literarum curriculum meo hortatu promtiores unquam descendisse, uberrimum me laboris mei fructum percepisse existimarem.

* Virum *Cl. Thomam Hunt* S. T. P. Linguæ Hebrææ regium, & Arabicæ Laudianum, Professorem.

METRICÆ HARIANÆ
BREVIS CONFUTATIO. (139.)

CUm viri admodum reverendi *Francisci Harii*, nuper episcopi *Cicestrensis*, de Metrica Hebræa hypothesis ita se doctis quibusdam probaverit, ut persuasum habeant, præsulem eruditissimum germanam veterum Hebræorum poesin, ab annis plus bis mille intermortuam, feliciter jam instaurasse; suamque de hac re sententiam rationibus tam validis firmavisse, ut plane extra omnem controversiam posita sit: profecto qui eam ita adoriri velit, ut solummodo de parte aliqua quæstionem inferat, dubitationem ac scrupulum subinde injiciat, aut unum atque alterum ejus argumentum convellat, *frustra* * *speraverit se opinionem eorum animis tam alte infixam, tantique viri autoritate munitam, exempturum: nedum is fidem impetrabit, qui affirmet se reperisse quod doctissimum præsulem latuit, nisi validissimis rationibus illius hypothesin evertat, suam confirmet. Missis igitur ambagibus ad rem illico deveniam, & exemplo, quod unum probationis genus incredulis hac in causa assensum extorquere possit, clarissimo & certissimo ostendam, me jam primum de facto deprehendisse poeseos hujus naturam & regulas, easque plane contrarias & pugnantes in quas ille constituit.* Exemplum quo utar erit Psalmus CXI., is ipse quo utitur Harius; qui probe expensus nostram sententiam satis aperiet & probabit, simulque illius rationes omnes funditus evertet.

P S A L M U S CXI.

Vers.		Period.
1.	odeh javoh becol lebab,	I.
2.	besod jesarim veyedah.	
3.	gedolim mayase javoh,	II.
4.	derusim lecol chephzehem.	
5.	hod vehadar poyalo,	III.
6.	vezidkatho yomedeth layad.	
7.	zecer yasah leniphlothav;	IV.
8.	chanun verachum javoh.	
9.	tereph nathan lireav,	V.
10.	jizcor leyolam beritho.	
11.	coach mayasav higid leyamo,	VI.
12.	latheth lahem nachalath goim.	
13.	mayase jadav emeth umispat;	VII.
14.	neemanim col pikudav:	
15.	semucim layad leyolam,	VIII.
16.	yasuim beemeth vejasar.	
17.	peduth salach leyamo,	IX.
18.	zivah leyolam beritho.	
19.	kadof venora semo;	X.
20.	resith chocmah jirath javoh.	
21.	secel tob lecol yosehem,	XI.
22.	tehilatho yomedeth layad.	

* Vide *Harii* Prolegomena in Psalmos sub initio.

Ex hoc Psalmo alphabetico secundum literas initiales in suos versiculos distincto, & numeris suis, sine ulla textus emendatione, sine ulla etiam Masoreticarum vocalium mutatione, (nisi quod cum Hario *javoh* legam,) restituto, colligendi sunt ac statuendi canones Hebraici carminis.

I. * Primo igitur in Hebræa poesi pedes non sunt omnes dissyllabi: nam in versibus, 3. 11. 16.—lim maya—coach maya—, —im bee—, sunt dactyli; in versibus 13. 14. mayase, neema—sunt anapæsti: contra Harii canonem I.

II. Quantitatis syllabarum semper habetur ratio: nam eadem vox, quotiescunque recurrit, semper est ejusdem quantitatis; exempli gratia, javoh, lecol, semper sunt Jambi, layad semper Trochæus, mayase Anapæstus; leyolam perpetuo est Amphimacer, beritho, yomedeth Amphibrachys: contra canonem II.

III. Versiculi sunt vel Trochaici, qui admittunt Dactylum, vel Jambici, qui Anapæstum: sed neutiquam colligi potest, ver-

* Præcipui Canones Hariani:

I. *Primo in poesi Hebræa pedes sunt omnes dissyllabi.*
II. *Quantitatis syllabarum nulla ratio habetur.*
III. *Ubi par est syllabarum numerus, ejus generis versiculi Trochaici sunt, in prima syllaba acuendi.*
IV. *Si impar sit syllabarum numerus, pro Iambicis censendi sunt, & syllaba secunda, ut rhythmus servetur, acuenda.*
V. *Periodi plerumque constant duobus versiculis, sæpe tribus quatuorve, aliquando pluribus.*
VI. *Versiculi ejusdem periodi, exceptis perpaucis, sunt ejusdem generis.*
VII. *Versus Trochaici plerumque pedum numero conveniunt, sed sæpe etiam discrepant.*
VIII. *Versus Iambici plerumque discrepant, sed sæpe etiam conveniunt.*
IX. *Singuli versiculi singulos sensus non exponunt.*

Vide *Harii* Prolegom. pag. 27. &c.

versum ex hoc vel illo genere esse, eo quod impari vel pari numero syllabarum constet: nimirum qui pari syllabarum numero constant, sunt sæpius quidem Jambici, vers. 1. 2. 7. 13. 14. 15. 20.; sed interdum Trochaici, vers. 3. 4. 10. 18. 21.; & qui impari, sæpius quidem sunt Trochaici, vers. 5. 8. 9. 11. 16. 19.; sed interdum Jambici, vers. 6. 12. 17. 22.: contra III. & IV.

IV. Versiculi ejusdem periodi sunt diversi generis, Period. III. IV. VI. VIII. IX. X. XI.; paucis exceptis, Period. I. II. V. VII.: & qui genere conveniunt, raro conveniunt numero syllabarum & pedum; nimirum in Periodo II. & V. primus versus est Trochaicus dimeter catalecticus, secundus vero Trochaicus dimeter acatalecticus; in periodo VII. primus est Jambicus dimeter hypercatalecticus, secundus vero Jambicus dimeter catalecticus: unicum datur exemplum, ubi versus genere convenientes syllabarum etiam & pedum numero conveniunt, in periodo I.; iique sunt Jambici: contra VI. VII. VIII.

V. Periodi omnes duobus tantum versiculis constant: nam rectius *koph* & *resh* penultimam *shin* & *tau* ultimam, periodum constituunt; quod vidit doctissimus Cappellus *: contra V.

VI. Singuli versiculi singulos sensus semper exponunt: contra IX.

Hæc autem quæ dixi vera esse, ut sunt verissima, constat exemplis hic adductis, & cuivis Psalmos inspicienti facile liquebit, cum quavis fere pagina exempla legenti in oculos incurrent. **

* Vide *Cappelli* Crit. Sacr. Lib. I. Cap. XII. 11.

** Vide *Harii* Prolegom. p. 31. Animadvertit procul dubio lector, ad constituendos duos ultimos canones nostros, ut & reliquos fortasse plerosque, propositionem universalem ex particulari deduci: nimirum, sic se res habet in hoc psalmo, ergo sic habet in omnibus Hebraicis carminibus quibuscunque: in quo Harium sequor; nam ut quod res est plane dicam, ex hac argumentandi ratione, simulque ex petitione principii, tota pendet illius hypothesis.

Quæ cum ita sint; cum reconditas Metricæ Hebrææ regulas ex hoc Psalmo feliciter eruerim, vel potius ultro sese offerentes luculenter exposuerim, easque ad artem facilem, perfectam, sibique constantem redegerim; principiis æque claris & certis innixus, sed minime mihi eam licentiam permittens, quam sibi prolixe indulget Harius, ut unam eandemque vocem nunc Trochæum, nunc Jambum, nunc dissyllabam, nunc trissyllabam, faciat; id jam meo jure ab æquo lectore postulaturus videor, ut meam hypothesin Harianæ præferat: hoc certe me facile impetraturum confido, ut utramque eodem in locu habeat, utrique parem tribuat autoritatem; hoc est, omnino nullam.

Simili quodam modo omnem, quæcunque ea fuerit, hypothesin, quæ Metricæ Hebrææ leges tradere, & versuum numeros, pedes, & scansionem definire, aggredietur, facile everti posse existimo: nam ei hypothesi aliam contrariam & omnino repugnantem, sed æque validis argumentis confirmatam, opponi posse persuasum habeo.

Quod ad eorum attinet sententiam, qui Hebraici carminis artificium in ὁμοιοτελεύτοις, unice ponunt, sive in versuum clausulis similiter desinentibus; eam, quanquam multos habuerit fautores, & eruditos propugnatores, Clericum, Garofalum, Fourmontium, multo tamen esse arbitror omnium vanissimam, quippe cujus vanitas tam manifesto deprehenditur. Nam cum in carminibus alphabeticis nonnullis certo definiuntur versuum clausulæ, cumque in iis plane apparet, versuum clausulas non esse similiter desinentes, nullam adhibitam fuisse circa ὁμοιοτέλευτα curam aut cogitationem; clare id vincitur, Hebraici carminis artificium in ὁμοιοτελεύτοις positum non esse.

NOTÆ EDITORIS.

(139) De metrica Hariana pluribus agere, quam autor fecit, ejusque aut historiam aut leges copiosius promere, non opus est, cum utrumque in nostra fecerit Germania Christianus Weisius, programmate anno 1740. scripto, cui titulus, *systema Psalmorum metricum a Francisco Hare nuper adornatum*. Simile quid plures tentarunt, sed nec eorum historia digna libro, qui totus gustus est & elegantiæ, non eruditæ & jejunæ disputationis: in cujus fine cum Hardtio aliquo solicite contendere indecorum, שמעו זאת הזקנים ita canente.

∪ –∪–∪ – ∪ –∪–∪–

Schimuuuu fot baskeniiiim.

ORATIO ANNIVERSARIA

IN MEMORIAM PUBLICORUM BENEFACTORUM ACADEMIÆ OXONIENSIS,

EX INSTITUTO

HONORATISSIMI DOMINI

ET PATRIS ADMODUM REVERENDI

NATHANIELIS DOMINI CREWE,

NUPER BARONIS DE STENE ET EPISCOPI DUNELMENSIS,

HABITA IN THEATRO SHELDONIANO

VI. NONAS JULII A. D. MDCCLI.

A ROBERTO LOWTH

A. M. E COLL. NOV. POETICÆ EXPRÆLECTORE, ARCHIDIACONO WINTONIENSI.

QUOD pie ac prudenter a majoribus nostris olim provisum est, academici, ut in singulis collegiis virorum de unoquoque privatim bene meritorum annua fieret recordatio, id jam tandem Viri Illustrissimi sanctissimique Præsulis autoritate atque instituto in academia pariter obtinet, ut eorum omnium, quorum munificentia res nostra communis in hunc amplitudinis gradum pervenit, grata ac solennis commemoratio communiter & publice concelebretur. Sensit profecto vir ille sapientissimus, nostrique tum commodi tum dignitatis studiosissimus, non modo ad academiæ pietatem imprimis pertinere, ut officii hujusce religioni quoad posset sancte augusteque satisfaceret, sed & ejusdem plurimum interesse, ut, per quos potissimum profecerit, quasi præconis alicujus voce palam testaretur; neque plus gloriæ in illustrissimos hujus academiæ patronos ex ipsorum liberalitate, quam honoris in ipsam academiam ex tot tantorumque virorum patrocinio, redundatorum. Hoc vero Illum vel præcipue in animo habuisse arbitror, quod vos ut ex animis vestris excidat nunquam commissuros esse confido; nimirum omnem magni alicujus beneficii commemorationem simul in se continere admonitionem officii, accerimosque ingenuorum hominum mentibus admovere laboris, industriæ, virtutis stimulos: ita fore, ut quoties fieret tot tantorumque erga vos meritorum enumeratio, toties attentius cogitaretis, quid horum autoribus, quid academiæ, quid patriæ, quid humano denique generi, eo nomine debeatis; toties animi vestri gratiæ non verbis, sed re factisque, referendæ flagrantiore quadam cupiditate ac desiderio incenderentur.

Cujus ego ut paream voluntati, autoritate vestra ex ipso discessu huc revocatus, post missionem, quam mihi lætiorem dubito an acerbiorem reddiderit vestra, academici, erga me perspecta benevolentia, etsi nihil aliud, hoc certe, quod non ultimum est in hoc negotio, & in quo nemini facile concesserim, affero, animum huic academiæ longo usu, suavissimo commercio, sanctissima necessitudine, multis magnisque beneficiis cum privatim tum publice acceptis, meritissimo divinctum atque deditum; ejusque salutis, existimationis, famæ, conservandæ, tuendæ, propagandæ, incredibili quodam studio ardentem. Neque porro defuturam mihi in hoc argumento orationem vererer, si rei ipsius amplitudinem ac dignitatem, quantam mente & cognitione complector, tantam verbis exprimere & dicendo consequi possem.

Equidem cum ex ultima memoria academiæ nostræ origines atque incrementa repeto,

peto, video ejus initia ipsis hujusce nationis primordiis ætate finitima, res ejus cum ipsius reipublicæ fortunis fere conjunctas: in difficillimis temporibus maximisque rerum conversionibus, hanc summis hominibus atque potentissimis non parvi æstimatam, hanc optimis præcipuæ curæ habitam; hanc semper primarios in ecclesia & in republica viros, hanc præsules, optimates, principes, reges, ut quisque de patria bene mereri voluit, ita academiam propensissimo quemque animo amplexum fuisse, eique servandæ, augendæ, amplificandæ, consilia, officia, operas, liberalitatem, promtissime studiosissimeque contulisse. Hanc enim studiorum fuisse domicilium hanc literarum sedem hanc fontem scientiæ atque virtutis; hujus præcipue salute totius regni salutem contineri, unde artes atque disciplinæ, unde humanitas, doctrina, religio, in omnes reipublicæ partes derivarentur.

Quod si usque a magno illo *Alfredo*, academiæ nostræ vel conditiore vel certe instauratore, initium ducamus, quod fuisse unquam tempus reperiemus, quo non Regum potissimum nostrorum in eadem vel sublevanda, vel tutanda, vel ornanda, eximiam quandam curam ac solicitudinem, favorem etiam & propensissimam voluntatem, testatam fuisse videbimus? Hi academiam barbarorum populorum incursionibus afflictam erexerunt; hi civilibus discordiis concussam stabiliverunt; hi intestinis dissidiis distractam atque dilaceratam autoritate, consilio, intercessione, præsentia, composuerunt: ab his concessæ immunitates, leges constitutæ, præmia proposita, factæ donationes: hi collegiorum partim conditoribus præsidio fuerunt, partim ipsi condiderunt. Quid dicam, qui disciplinas novas constituere, constitutas amplioribus stipendiis augere; qui exercitationibus nostris coram interesse, & labores nostros atque diligentiam monitis, hortationibus, præmiis, multoque magis oculis atque aspectu ipso, incitare dignati sunt: quid, qui literis ipsis favendo, nostræ simul industriæ & honori verissime faverunt? Quos omnes si singulatim recensere vellem, annales nostros ab ultima memoria ad hunc usque diem percurrere, fastorumqne codicillos ordinatim vobis recitare, necesse haberem. Hæc autem quorsum pertinent, nisi ut cogitemus, isthæc omnia, quæ videmus quibusque fruimur, ex eodem sancto augustoque fonte & manasse primum, & perpetuo profluxisse? hanc academiam regiæ autoritatis veluti fundamento conditam esse, ejusque præsidio etiamnum niti atque consistere; regii favoris aura ad hunc dignitatis atque opulentiæ portum pervenisse, ejusdemque custodia tutam & securam stationem obtinere: his non modo ejus decus, existimationem, felicitatem, sed salutem, sed vitam ipsam atque spiritum contineri? Neque immerito majores nostri hanc sibi primam laudem & quasi propriam vendicaverunt, ut singulari pietate tantis beneficiis responderent; atque erga regiam majestatem fidei, honoris, observantiæ gloria, cæteris omnibus antecellerent, suæque nationi perfectum quoddam proponerent documentum atque exemplar. Tuemini itaque, academici, per famam atque fortunas vestras vos obtestor, tuemini hanc laudem illibatam atque illæsam; atque providete, ne ulla unquam hac in parte labes, quam ab animis vestris longissime abesse certo scio, ne vel tenuissima suspicionis macula, nomini vestro inhærescat.

Proxime ab regibus nostris *Collegiorum Fundatoribus*, inter quos sunt ei regii nominis, academiæ grates debentur; qui beneficiis privatim collatis, incredibile dictu est, quantum rem ejus communem atque dignitatem publicam amplificaverunt. Revocate enim animos vestros, academici, ad illorum temporum memoriam, cum sine certa sede, sine laribus propriis, homines hic loci literis operam dantes fusi per urbem ac dispersi licenter vagabantur; tabernarum potius ac popinarum inquilini, quam musarum hospites aut academiæ cives. Ut commorandi, perinde erat vivendi ratio, neque habitatio, quam mores, solutior. Piget pudetque referre, quæ tum sæpe domiminabatur in hoc disciplinæ atque humanitatis domicilio libido atque immanitas; quæ factionum barbaries, qui discordiarum furor, quæ pugnarum atque etiam cædum rabies & licentia; cum in confusa & infinita multitudine, nec satis noti, neque in certos ordines descripti, neque ulli regimini domestico obnoxii effrænate passim grassarentur. Jam si temporum notis institerimus, reperiemus hanc feritatem tum demum mitescere atque obsolescere cœpisse, cum magni illi literarum patroni vel potius parentes, quorum laudes ad sempiternam memoriam ipsorum in patriam merita propagaverunt, ædes hic complures condidissent ac sodalitia constituissent, ubi doctrinarum studiis dediti, non modo sumtibus necessariis atque etiam honestis sustentarentur, sed publicis academiæ institutis non minus utentes, privata tamen & sua interea disciplinæ descriptiones & certa vivendi ratione continerentur; atque in sui moderatoris quasi patrisfamilias tutelam traditi, propriusque habentes artium non magis quam morum præceptores, ad omnem humanitatem, virtutem, & pietatem attentius sanctiusque infor-

informarentur. His itaque viris non modo debemus magna ex parte academiæ nostræ amplitudinem & splendorem, sed quæ academiam multo magis decorant, vitæ civilioris atque humanioris cultum, tranquillitatem, concordiam, ordinem, moderationem, totiusque institutionis liberalis accuratiorem normam, his debemus peculiarem illam accademicæ reipublicæ formam, quæ ad gentis etiam Anglicanæ gloriam pertinet, quamque cum una florentissima academia Cantabrigensi, dilectissima nostra socia atque compare, communem habemus. Utramque sane academiam Anglicanam intuens, quot video collegia, tot numero justas & perfectas academias, quasi plures civitates uno communis fœderis & societatis vinculo conjunctas; quarum plurimæ multis non minimi nominis apud exteras nationes integis academiis, ædificiorum splendore, possessionum amplitudine, literariæ supellectilis copia, &, quod maximum est, graviter sancteque constituta institutionis disciplina, singulæ antecedunt. Cogitate modo, academici, quos ex tot tantisque, quibus præter cæteros fruimini, commodis & facultatibus, industriæ, honestatis, atque virtutis fructus, non modo patria vestra, sed universus etiam orbis expectat atque efflagitat. Animadvertite autem atque tenete eam potissimum boni regiminis rationem & viam, quam vobis aperit ipsa reipublicæ vestræ forma, vobisque præcipue facilem & proclivem reddit. Inde nimirum repetenda est, vel conservatio, vel si qua est opus, emendatio disciplinæ, unde primum instituendæ data est facultas; a singulis in universos, & familiis in civitatem, & collegiis in academiam, necesse est emanent boni mores. In vos itaque, viri venerabiles, collegiorum præfecti, quibus eo nomine primæ etiam regiminis publici partes dantur, in vos omnium conversi sunt oculi, in vos ipsa spectat academia: vobis se suam integritatem & salutem imprimis debere profitetur; malevolorum convitiis vexata ad vestram fidem & vigilantiam confugit: cum academiæ fama vestra conjuncta est existimatio; ad vos præcipue pertinet disciplinæ academicæ bene administratæ gloria, neglectæ atque jacentis in vos potissimum redundabit dedecus.

Plurimis jam constitutis amplissimeque constructis collegiis, atque hoc modo a privatis mœnibus in publicum inducta saniore disciplina, privatam etiam magnificentiam similiter consecutus est *Publicorum Ædificiorum* splendor. Qui quidem inde primum, unde decuit maxime, initium habuit, atque a rebus sacris & ad religionem pertinentibus quasi auspicato incepit. Primum enim ædificium, quod sumptuosius & augustius molita est academia, scola erat theologica; in quo opere egregiam experta est munificentiam singularis sui patroni, celsissimi principis *Humfredi Ducis Glocestriæ*, regis Henrici quinti fratris, cui a moribus & naturæ benignitate cognomen bono vulgo erat inditum. In eodem postea perficiendo larga usa est liberalitate utriusque *Kempii*, alterius archiepiscopi Cantuariensis, alterius Londinensis episcopi. Ad scolam facta est accessio bibliothecæ, quæ ejusdem optimi principis beneficio superstructa est, & libris pro ea ætate magnifice ornata; accepit enim codices manu exaratos sexcentos, quos ipse in hunc usum ex diversis orbis partibus conquisiverat, ingenii pecunia, uti facile computare possitis ex eo, quod ex illorum numero soli centum viginti novem, quos primos donaverat, mille librarum pretio æstimarentur. Eidem bibliothecæ haud multo postea codices plus centum manu scriptos contulit *Richardus Litchfieldus* archidiaconus Midlesexiæ: præterea autem idem grandem nummorum summam dedit reparando atque ornando Beatæ Mariæ templo, uti honestius & pro sua proque rei dignitate rem divinam faceret acedemia.

Hæc initia optimis auspiciis facta magnis postea incrementis aucta sunt. Nam occasione reformatæ religionis cum bibliothecam Humfredinam qui vehementiore, uti fit, studio purgare aggressi sunt, vastassent potius, suoque instrumento prope omni orbatam reliquissent, huic tandem reficiendæ intentus Illustrissimus *Bodlejus* ea iniit consilia, quæ exitus habuerunt supra quam ipse sibi primo proposuerat, vel quisquam tum sperare ausus esset, felices. Instaurata enim suis impensis antiqua bibliotheca, librisque impressis per totam Europam coemtis abunde instructa, suadere cœpit Bodlejus multis viris primariis, literatis & literarum fautoribus, uti, si quos haberent libros rariores & codices manu exaratos, huc eos in publicam utilitatem & fidelem custodiam reponerent. Tantum effecit cum apud amicos suos viri autoritas, tum ipsius perpetua in conquirendis libris diligentia, in donandis liberalitas, ut brevi opus esset novis ad vetus ædificium accessionibus. Quas cum ipse ample fieri curasset, ejusdem porro consiliis, præsidio, benignitate adjuta academia magnum insuper molita est opus: inchoatæ sunt scholæ publicæ; pecuniæ a præsulibus & optimatibus large collatæ. Bodlejus interea moriens hæredem testamento instituit academiam, operique fastigium imposuit; nam tertiam contignationem adjiciendam curavit in perpetuam crescentis bibliothecæ suæ accessionem. Ita unius viri studio autoritate, & consiliis, eximia liberalitate, paratum

ratum est academiæ nostræ domicilium, ædesque instructæ, quibus commoditatum amplitudine, ædificiorum magnificentia, literarii instrumenti copia, vix alia habet, aut sane unquam habuit, pares. Neque immerito is Bodlejo proprius ac singularis honos tribuitur, ut illius egregia erga academiam merita anniversaria oratione celebrentur; utque eos * potissimum habeat laudum suarum præcones, qui ingenio, eruditione, copia, usu, facultate, ei officio ornatissime cumulatissimeque satisfacere possint.

Quid ego vobis singula enumerem splendoris incremento, quæ plurima ex illo tempore academia accedit; quæ vobis ante oculos stersantur, quæque ipsa, me tacente, & loci majestatem prædicant, & patronorum munificentiam veluti clarissima voce testantur? Quid vobis musæum Ashmolianum commemorem, ipsius academiæ impensis pulcherrime ædificatuш, scientiæ physicæ promovendæ commode adornatum, amplissima officina chymica instructum, ingentique copia rerum rariorum ad naturalem historiam pertinentium a viro clarissimo *Elia Ashmolio* potissimum dotatum? Quid hortum botanicum Illustrissimi *Henrici Comitis Danbiensis* sumtibus extructum, Clarissimi *Sherrardi* beneficio, atque ipsius academiæ larga liberalitate, haud ita pridem eousque auctum, ut celeberrimorum hortorum Leydensis atque Patavini cæterorumque omnium plane obscuret splendorem, utque nulla in toto orbe academia quidquam habeat in eo genere simile aut secundum? Quid typographeum Clarendonianum, a magno *Clarendonio* conscriptæ, emissæque in publicum academiæ cura, immortalis historiæ, fructum; ab academia Illustrissimo *Hydiorum* nomini merito dicatum; ex qua familia nec adhuc defuerunt viri spectatissimi, quos sibi inter præcipuos patronos semper adoptaret, neque, uti augurari libet, unquam defuturi sunt, quos porro adoptabit? Quid splendidissimam bibliothecam *Radclivianam*, quam, ne quid aliud jam dicam, vos ipsi nuperrime summa hominum celebritate, summa amplissimorum virorum frequentia, apparatu in omni genere eleganti atque magnifico, hoc ipso in loco dedicavistis? Quid denique hoc ipsum theatrum, viri gravissimi atque sanctissimi *Gilberti Sheldoni* Cantuariensis archiepiscopi singulari constructum munificentia? munus dignum autore, dignum his comitiis celebrioribus, hac ipsa solennitate, hac amplissima atque ornatissima spectantium corona; dignum his auditoribus, alio dicente: quod cum intueor & circumspicio, videor mihi in ipsa Roma, vel in mediis Athenis, antiquis illis & cum maxime florentibus, versari; nisi quod, fidenter hoc dico, neque Roma neque Athenæ tale tantumque gymnasium musis & Apollini suo consecratum unquam habuerunt.

Quibus etsi diutius libuisset immorari, alio tamen me revocaret illorum eximia liberalitas, qui *Lectiones Publicas* instituendo, studentium commodis ipsarumque literarum saluti consuluerunt atque incremento. Quod ne altius repetam, neve ab Alfredo deducam, aut a lectionibus linguarum orientalium Clementis quinti Romani pontificis autoritate sancitis; aut artium scientiarumque universarum ab Illustrissimo Principe Johanne Bedfordiæ Duce, Humfredi illius Glocestriensis, & natura & animo in literas benevolo, germano fratre, aut sacræ theologiæ ab Eduardo quarto rege, constitutis: quæ omnes jampridem ætate absolverunt atque perierunt: primum sane quod extat hujusmodi institutum debemus pietati Illustrissimæ fœminæ, *Margaretæ Richmondiæ Comitissaræ* regis Henrici septimi matris, quæ in utraque suæ nationis academia lectionem theologicam dotavit; munus pro illis quidem temporibus satis amplum, sed postea *Caroli* I. *Regis* pientissimi benignitate auctius redditum, & cum in se, tum exemplo suo utilissimum; cujus forte imitatione prælectiones suas publicas septem instituit postea *Wolseius*, elati vir animi summeque excelsi, nihil non magnificum cogitantis; quod cogitaverat, nihil non exequi audentis; cujus infra gloriam consistere vel reges, qui maxime æmulari vellent, facile patiebantur. Verum hac quidem ex parte *Henricus* VIII. *Rex*, cum Wolseii omnia fisco addicerentur, caducam laudis hæreditatem & libenter adiit, & procurando auxit: nam etsi ex eo numero quinque tantum cathedras hic loci instituerit, totidem tamen alteri academiæ dedit; omnibusque honoraria pro ea ætate ampla assignavit, quamquam postea earum plerasque reges *Jacobus* & *Carolus* I. pro sua in literas benevolentia liberalius & honerificentius dotandas censuerunt. Quæ deinde amplissimorum virorum in promovendis scientiis æmulatio & pene certamen? eum prope uno atque eodem tempore philosophiam naturalem educandam atque alendam susciperet *Seldejus*, moralem *Withus*: cum *Camdenus* historiam, quam ipse immortalibus scriptis illustraverat, prædiis perpetuis donaret; cumque *Savilius*, quam ipse geometriæ cathedram magna cum laude impleverat, eandem cum altera astronomiæ summis viris in posterum implendam curaret. Qui viri, academici! quanta in mathesi nomina! Savilio debemus Briggium, Wallisium, Hallejum; eidem Savilio, Greavium, Wardum, Wrennum, Gregorium; Keilum; ne nominem, quem poste-

posteri nunquam tacebunt. Nec multo post lectionem Arabicam fundavit *Laudus*, nunquam hoc in loco sine eximio præconio memorandus: magnus vir, ad literas ornandas & propagandas natus; omnique invidia major, si ex civilibus turbis, ad quas minus erat a natura comparatus, & ex istis infelicissimorum temporum procellis in otium & tranquillitatem academiam veluti in portum confugisset: ad academiæ salutem promovendam unice compositus, studiorum fautor, disciplinæ stator, legum & lator & vindex; qui ita cancellariatum gessit, ut simul gravissimi censoris severitatem, parentis amantissimi pietatem, præstaret. Quæ & quanta erat perpetua ejus erga eandem munificentia, testantur insuper mille trecenti codices manu exarati, variis linguis, sed præsertim Arabica, Persica, cæterisque Orientalibus conscripti, ingenti studio & pretio undique conquisiti, & bibliothecæ Bodlejanæ donati: quo in genere nulla alia bibliotheca Europæa parem thesaurum jactat.

Magna equidem sunt hæc, sed alterius sæculi; — verum bonas literas etiamnum summis uti fautoribus, neque res nostras augustissimo patrocinio carere, nuper indicavit amplissimum in eodem liberalitatis genere *Georgii* I. *Regis* munus; honorarium historiæ recentiori ex fisco assignatum. Neque mihi sane hoc in loco prætereundum est, Illustrissimum *Crewium*, in distribuendis, uti maxime opus esse existimavit, legatis quibus suam in academiam voluntatem testatam fecit, aliquos ex publicis lectoribus suæ munificentiæ magna ex parte participes esse voluisse.

Quod si rem recte æstimemus, cur alio jamdudum fere deflexit beneficiorum in nos collatorum cursus, hæc maxime in causa fuisse reperiemus; partim scientiarum docendarum præmia satis ample antehac constituta, partim ipsius academicæ disciplinæ conditio, studiorumque ratio (dicam quod verum est) in melius mutata. Nam cum primum institui cœperunt hæ ipsæ quas memoravi lectiones publicæ, non erat, uti bene nostis, adeo communis & pervulgata scientiarum interior & perfectior cognitio, neque ubivis occurrebat qui artium elementa paulo subtilius & copiosius explicare posset: accedebat bonorum librorum magna paucitas: cogebantur igitur foris quærere quod non habebant domi. Itaque boni adolescentes turmatim itabant ad scholas; publicum professorem quasi oraculum quoddam audiebant, *intentique ora tenebant*: elapsa propemodum hora, ad alium ac deinde alium sursum deorsum protinus cursitandum erat, hunc e dialecticæ spinetis sese explicantem, illum fortasse rhetoricæ flosculos legentem: tandem aliquando domum se conferebant plenos reportantes codicillos, unde, nescio quomodo, magno certe cum labore ex magna rerum farragine, pauxillum tamen quiddam extricabant, quod esset ex usu. Alia autem hodie rerum est facies, longe major studiorum commoditas: vigent literæ variæ, multiplices, pervagatiores, latiusque diffusæ; suppetit in omni genere librorum copia, cum in collegiorum bibliothecis, tum in privatis studentium scriniis; non desunt multi in singulis collegiis præceptores omni eruditionis laude florentes, quibus juvenes domi commodius, constantius, diligentius, ordinatius, multo majore denique cum fructu, operam dant: ita ut jamdudum publici professoris munus merito plerumque habeatur eximiæ potius eruditionis insigniumque in literas meritorum præmium, quam magni aut assidui laboris merces. Faciunt itaque perverse & inique, qui ab illis veteres istas elementarias & pene quotidianas præceptiunculas reposcunt; cum nos in studiorum rationem & viam minus utilem minusque expeditam revocatum eunt, vel id ab iis postulant, quod, cum revera maxime volunt, non tamen possunt, non datur exequi. Id potius agant viri omni ingenii & doctrinæ gloria cumulatissimi, nec suorum antecessorum vel clarissimis quicquam inferiores, id curent, quod nunquam desinunt curare: teneant in literis principatum; studiis nostris præsint; juventuti academicæ exemplo, autoritate, hortatu, monitis, ad omnem eruditionis laudem sese duces præbeant; si quibus major quædam atque eminentior inesse videatur ingenii & virtutis indoles, hos alant, foveant, incitent, præceptis atque institutis, cum publice tum præcipue privatim, adjuvent; edant in publicum egregia suorum studiorum monumenta; proferant interdum in scholas pro sua quisque disciplina aliquid de meliore nota, accuratius & perfectius elaboratum, quod sine graduum ac togulæ discrimine communiter omnes audiamus. Istud quidem ordinare & lege constituere haud scio an vobis, academici, usquequaque sit liberum; in eorum certe situm est potestate, qui, si ipsi velitis, neque vobis defueritis, omni modo huic academiæ benefacere, cum possunt, tum maxime etiam volunt.

Hæc idcirco liberius & fidentius dixi, quia, cum vos omnes eadem mecum privatim sentire persuasum habeo, tum video idem esse academiæ ipsius de hac re judicium non obscure significatum. Nam cum haud ita pridem vir ornatissimus *Henricus Birkheadus*, quem honoris causa nomino, prædia quædam lectioni poeticæ hic loci instituendæ liberaliter assignavisset, cumque ea de re legem ferret academia, totumque hujus

in-

institutionis negotium ordinaret, quid quæso fecit? Num ita tulit, uti more illo antiquo atque obsoleto, altero quoque die, prælector poetam aliquem, Ovidium puta aut Phædrum, sumeret tyronibus infimæ classis in scholis prælegendum atque interpretandum; quem singulos versiculos grammatice resolventem, & digitis dimetientem, circulus omnis, siquem forte convocare unquam potuisset, e vestigio reliquisset? Minime: sed cavit, uti commodis intervallis solenniores quasdam haberet lectiones; & relicto argumenti delectu libero, libera tractandi ratione, satis ei suum officium commendavit, monuitque, sedulo daret operam, ut quoad posset aliquod vestris omnium auribus dignum promeret. Quod cum vir summo ingenio & doctrina præditus, qui primus ei muneri præpositus est *, ita exequutus esset, ut omnium votis faceret satis, neque vel ab adolescentium utilitate, vel ab eruditissimorum hominum judicio & comprobatione abhorrerent ejus præceptiones; id credo, advertens Nobilissimus *Crewius*, institutionis hujusce opportunitatem, quique inde in literas fructus redire posset, experimento edoctus, inter cætera, quæ multis academiæ munia obeuntibus consilio summe prudenti præmia distribuit, huic quoque negotio ampliorem mercedem proponendam censuit.

Ea profecto summi viri gravissimique præsulis in academiam nostram supremis tabulis testata benignitas spectatæ ejus per omnem vitam munificentiæ, perpetuoque in literas favori, omnino consentiebat. Erat illi animus excelsus, liberalis, & imprimis beneficus, cum generis nobilitate, munerumque, quæ in republica & in ecclesia sustinuit, dignitate, præclare congruens. Politiorem omnem humanitatem artesque elegantiores, quibus ipse abunde instructus erat, præcipue diligebat; severiorum literarum, quas interea diligentissime coluit, non minus fautor: cujus rei indicio sunt multæ atque honestæ pensiones studentibus in collegio Lincolniensi, quod ipse aliquando rexerat, olim ab eo assignatæ. Domus ejus antiqua erat hospitalitate, omnibus patens, egentibus juxta atque illustrissimis hospitibus referta: oderat privatam luxuriam, publicam magnificentiam unice amabat, non levitate atque inani ostentatione, sed generosa quadam animi elatione atque instinctu. Bene itaque & ad illius mentem & consilium valde accommodate facitis, academici, qui hac frequentia, his lætitiæ grataque voluntatis significationibus, hoc apparatus splendore & magnificentia, hunc ornatis atque celebratis diem: in quo honoris & gratiarum præcipua quædam pars Illi merito debetur, qui inter alia multa, quibus academiæ prospexit, beneficia, hoc etiam providit, uti cæteris omnibus ejusdem munificentissimis patronis debiti honores gratesque persolverentur.

De me, post tantorum virorum recordationem, nihil sane dicerem, nisi turpe & indignum esset, qui publica gratiarum actione fungatur, eum suo nomine ingratum videri. Ego vero, academici, importunus haberi in hoc officio malim, quam negligens; neque facile ullum unquam aut locum aut tempus alienum putabo, quo testari possim, quantum vobis atque huic academiæ debeam. Nunc certe cum vos postremum publice alloquor, non possum facere, quin pro vestra perpetua erga me humanitate atque benevolentia, pro favore etiam & studio vestro, quod sæpius compertum habui, gratias quas possum maximas agam, majores etiam habiturus; meque huic academiæ sanctissimis fidei, amoris, observantiæ, pietatis vinculis, magnorumque beneficiorum gratissima memoria, obstrictum esse suprema voce palam profitear. Hanc ex animo meo religionem nulla unquam delebit oblivio; & quanquam inter vos versari, vestrumque numero adscribi desinam, non minus tamen voluntate atque animo & vester ero & academicus. Vos itaque, academici, valere, plurimumque salvere jubeo, vobisque omnibus fausta omnia & felicia comprecor; deumque optimum, maximum, sanctissime veneror, ut hanc academiam salvam, florentem, perpetuam præstare velit; utque ita ei bene prospereque omnia eveniant, uti ea de literis, de religione, de republica, de ecclesia, de patria, deque humano genere, & merita est, & meretur.

* Vir Clarissimus *Josephus Trapp* S. T. P.

PRÆLECTIONUM ARGUMENTA.

PRÆLECTIO PRIMA.

De Poeticæ fine & utilitate.

Poeticæ propositum, prodesse delectando; ut finis sit utilitas, medium delectatio. Quod illustratur exemplis petitis ex diversis poeseos generibus; Didactica, Epopæia, Tragœdia, Oda, Elegia; ex poesi leviore, quæ vel ad otii oblectamentum, vel ad literarum ornamentum, comparata est. Attingitur poesis sacra; unde ad argumentum speciatim tractandum aditus aperitur. col. CLXVI

PRÆLECTIO II.

Argumenti propositio & distributio.

Argumenti dignitas, utilitas, & cum instituti ratione convenientia. Poesin divinitus inspiratam non positam esse extra provinciam criticæ. Hinc petendam esse artis ipsius originem; hinc æstimandam ejus dignitatem; hinc ortum duxisse, quæ apud Græcos de poeseos divinitate opinio percrebuit. Critice agendum: vitandæ disquisitiones theologicæ. Argumenti distributio generalis in tres partes, ratione Metrorum, Styli, & Dispositionis. CLXXXII

PARS PRIMA.

מזמור

SIVE DE METRIS HEBRÆIS.

PRÆLECTIO III.

Poesim Hebræam metricam esse.

De natura Hebræi carminis disquirendi necessitas. Poesis Hebræa Metrica esse probatur, ex carminibus alphabeticis; versuumque hoc modo definitorum æqualitate & congruentia; ex dialecto poetica. Horum versuum proprietates quædam maxime obviæ. Rhythmus autem & scansio omnino ignota penitusque deperdita: quod ex rei natura evincitur. Poetica sententiarum conformatio. Græca & Latina poesis hac in parte ab Hebræa multum discrepat, ex linguarum natura. Hinc oritur peculiaris conditio versionum ex Hebræo carmine oratione soluta quæcunque, vel Græcis Latinisque versibus, expressarum. col. CLXXXVII

PARS SECUNDA.

משל

SIVE DE STYLO PARABOLICO.

PRÆLECTIO IV.

Styli parabolici origo, usus, characteres; ac de sententioso genere.

Stylus poeticus Hebræis משל, sive parabola, dicitur. Ejus partes, sententiosum, figuratum, & sublime. Styli parabolici origo, ususque primævus: apud exteros; apud Hebræos. Ejus exempla quædam antiquissima in Mosis scriptis conservata. I. Genus sententiosum; ejusque ratio & effectus. CXCIX

PRÆLECTIO V.

De genere figurato; ejusque partitio.

II. Genus figuratum: ejus tractandi ratio, ad mentem Hebræorum potius quam ad rhetorum formulas accomodata. Ejus definitio: præcipuæ partes, metaphora, allegoria, comparatio, prosopopœia. Hujus tractationis consilium: Hebræorum poesin legentibus quæ ex hac parte incommoda obveniunt; quomodo tollenda. 1. De metaphora agetur generali disquisitione de poeticis imaginibus: quarum natura explicatur; & quatuor præcipui fontes statuuntur: Natura, vita communis, religio, historia. CCXI

PRÆLECTIO VI.

De Imaginibus poeticis, ex rebus naturalibus.

Frequens usus metaphoræ dictionem grandem reddit, sed sæpe obscuram: Hebræi vates frequenti ejus usu sublimitati consulunt sine imminutione perspicuitatis. Cujus rei tres causæ statuuntur: primo, imagines transferunt notissimas; tum in earum accomodatione consuetudinem & analogiam sequuntur; postremo iis præcipue licentius utuntur, quæ maxime sunt

ſunt familiares, & notiſſimæ poteſtatis. Confirmantur hæc exemplis imaginum (1) ex rebus naturalibus: quæ ſunt omnibus hominibus communes; quæ ſunt Hebræis magis quam cæteris familiares; quæque ſunt iiſdem propriæ. col. CCXVIII

PRÆLECTIO VII.

De Imaginibus ex communi vita.

Eadem illuſtrantur exemplis imaginum (2) ex communi vita. Ea apud Hebræos admodum ſimplex erat, qui in agricultura & pecuaria potiſſimum occupabantur. Harum artium dignitas; & imaginum exinde deſumtarum ſplendor: Tritura, torcular. Imaginum maxime vulgarium ex ipſa proprietate ſublimitas. Explicatur Hebræorum infernum poeticum, cujus imaginem ex conditoriis ſive Cryptis ſepulchralibus, quarum aliquæ in Oriente adhuc viſuntur, petitam fuiſſe, oſtenditur. CCXXX

PRÆLECTIO VIII.

De Imaginibus ex rebus ſacris.

Imagines (3) ex religione offenſioni & obſcuritati præcipue obnoxiæ. Exempla quarundam, quæ valde deformes haberi poſſent, tum aliarum, quarum præcipua lateret elegantia, niſi ex ſuis ſacris illuſtrarentur. Exponitur *Pſalmi* CIV. exordium. Interpretationibus vel accuratiſſimis parum fidendum: ipſi ſunt fontes adeundi. CCXLII

PRÆLECTIO IX.

De Imaginibus ex hiſtoria ſacra.

Imagines (4) ex hiſtoria ſacra ſunt plerumque omnium maxime perſpicuæ & illuſtres. Hujuſmodi tranſlationum ratio exponitur; quæ Hebræis vatibus eſt propria. Quocirca earum loci præcipui ordine recenſentur: Chaos & creatio; diluvium; Sodomorum excidium; exitus Iſraelitarum ex Ægypto; Dei in Sinam deſcenſus. Hoc genus tranſlationis poeſi ſacræ, maximeque propheticæ, ſua natura præcipue accomodatum eſſe; poeſi profanæ haud facile competere. CCL

EPIMETRON EDITORIS I.

De Imaginibus ex fabula poetica.

Fabulæ Hebraicæ Græcarum Latinarumque ſimillimæ. Earum communis fons Ægyptus. Exempla: Sol mari immerſus, nocturno ibi hoſpitio exceptus, amoribuſque etiam per noctem indulgens; aurora alata; volucris Jovæ currus, tonanteſque equi; ſæculum aureum; inſulæ beatorum, inferorumque flumina. col. CCLXVI

PRÆLECTIO X.

De Allegoria.

II. Allegoriæ tres formæ: (1) Continuata metaphora; quam vix eſt operæ pretium a ſimplici metaphora ſejungere. Sed notatur licentia Hebræorum in miſcendis inter ſe metaphoræ, allegoriæ, & comparationis formis; item hujuſmodi allegoriæ forma quædam perfectior uno alteroque exemplo proponitur. (2) Parabola: ejus præcipuæ conditiones, ut fiat ex imagine nota, apta, & apertæ definitæque ſignificationis; ut ex imagine eleganti & venuſta; ut ejus partes omnes & adjuncta perſpicua ſint & propoſito conducant; ut ſibi conſtet, nec tranſlatis propria admiſceat. Parabolæ prophetarum, maximeque Ezekielis, ad has leges exiguntur. CCLXXVIII

PRÆLECTIO XI.

De Allegoria myſtica.

(3) Allegoriæ myſticæ definitio. Ejus fundamentum; in allegoria Judaicæ religionis poſitum. Quid inter hanc & duas priores allegoriæ formas intereſt; ratione materiæ: illæ quovis imaginum genere utuntur, hæc unice locum habet in iis, quæ Hebræorum ſacris aut conjuncta ſunt, aut oppoſita; in illis imago proxima nullam per ſe habet veritatem; in hac & proximæ & remotiori æque competit veritas. In modo tractandi quid intereſt. Pulcherrimus tractandi modus, cum geminæ imagines per totum poema deducuntur, ſibi invicem perpetuo reſpondentes, & ſeſe mutuo illuſtrantes. Cujus generis exempla ſunt *Pſalmi* II. & LXXII. Styli parabolici natura huic generi allegoriæ valde accommodata: hujus allegoriæ ratio enuntiandis vaticiniis aptiſſima. In ſe valde obſcuram eſſe; ſed rerum prædictarum eventu, & uberiore divinæ revelationis luce inducta, temporis longinquitate ſemper clariorem effici. CCLXXXVII

PRÆLECTIO XII.

De Comparatione.

III. Comparationum tres causæ: Illustratio, amplificatio, varietas. Prima postulat imaginem notam, perspicuam, accurate congruentem; an grandis sit aut venusta, parum sollicita: hinc comparationibus humilibus & sordidis parata defensio. Altera imaginem grandem aut venustam, etsi minus accurate congruat: unde ab aliis obscuritatis & dissimilitudinis crimen amovetur. Tertia sectatur imaginem splendidam, venustam, elegantem, cum re cui componitur apte congruentem in adjunctis, genere autem ipso ab eadem plane diversam. Perfectissimum comparationis genus in quo harum trium permista est virtus. Comparationum forma peculiaris apud Hebræos vates; ex natura styli sententiosi. Sunt frequentes, breves, simplices, in uno plerumque adjuncto insistentes. Diversæ imagines parallelis sententiis expositæ plura comparationum paria simul efficiunt: vel diversa ejusdem imaginis adjuncta in una comparatione per plura sententiarum paria distribuuntur. col. CCXCIV

PRÆLECTIO XIII.

De Prosopopœia.

IV. Prosopopœiæ duo genera: cum rebus inanimis vel fictis persona datur; cum veræ personæ probabilis oratio tribuitur. De personis fictis & inanimis: de veris personis. Explicatur prosopopœia matris Siseræ ex Deboræ cantico: item, Israelitarum Επινικιον in occasum regis Babylonii, apud Isajam, prosopopœiis unice constans, & omnia personarum exempla exhibens. CCCIII

PRÆLECTIO XIV.

De sublimi genere, ac de sublimitate dictionis.

III. Quomodo משל continet in se notionem sublimitatis. Sublimitas dictionis & conceptuum. Quid habet dictio poetica apud Hebræos, cum in se spectata; tum cum soluta oratione collata, quo mereatur nomen a sublimitate impositum. Sublimitas dictionis poeticæ oritur ex affectibus. Quantum discrepet dictio poetica a soluta oratione apud Hebræos. Singulares quædam poeticæ dictionis ac constructionis formæ ex *Jobi* Cap. III. exhibentur. CCCXI

PRÆLECTIO XV.

De Sublimitate dictionis.

Poeticæ dictionis character porro illustratus diversi generis exemplis petitis ex cantico Mosis *Deut.* XXXII. Personarum frequens & subita mutatio; ejusque causa & effectus. Temporum ratio a vulgari usu sæpe abhorrens: ejus finis evidentia. Linguæ Hebrææ in hac parte natura quædam peculiaris. Futura sæpe efferuntur in tempore præsenti perfecto; & præterita in futuro: quorum alterum facile explicatur; alterius magna est difficultas, quam nec interpres, nec grammatici expediunt. Ejus rei exempla quædam præferuntur, & tentatur explicatio. Hujusce constructionis frequens usus pro certa poeticæ dictionis nota haberi potest. col. CCCXXII

PRÆLECTIO XVI.

De Sublimitate conceptuum.

Sublimitas conceptuum oritur, vel ex animi elatione, vel ex vehementi affectu; utroque, sive naturali, sive divinitus infuso. Animi elatio cernitur in rerum, adjunctorum, imaginum, magnificentia. Exempla proferuntur ex descriptionibus divinæ majestatis; operum & attributorum Dei; cum Dei potentia per interrogationem & Ironiam exprimitur. Anthropopatheja ab Hebræis vatibus ita tractata, ut sit plerumque valde sublimis; ac tum maxime, cum imagines in se spectatæ a Dei majestate alienissimę videri possint: ejus rei causa investigatur. CCCXXXV

PRÆLECTIO XVII.

De Sublimitate affectuum.

Conceptuum sublimitas ex vehementi affectu. Quod vulgo dicitur enthusiasmus, est motus effectuum naturalis: verus enthusiasmus est ex impulsu divino, & vatum sacrorum proprius. In affectibus exprimendis maxime cernitur poeseos vis: affectus concitando poesis finem suum optime consequitur; sive is sit utilitas, sive delectatio. Quomodo fit utilis affectuum concitatio; quomodo jucunda, etiam eorum, qui dolorem secum habent conjunctum. Sublimis & pathetici differentia & cognatio. Sacræ poeseos sublimitas, orta ex imitatione affectuum, admirationis, gaudii, indignationis, mœroris, terroris, exemplis illustratur. CCCXLVI

PARS

PARS TERTIA.

POEMATUM HEBRÆORUM VARIÆ SPECIES.

נבואה

SIVE POESIS PROPHETICA.

PRÆLECTIO XVIII.

Prophetarum scripta pleraque esse poetica.

Hebræorum poemata, argumenti accuratius tractandi causa, in suas species tribuenda sunt; ex rei potius ratione, quam ex ipsorum Hebræorum sensu. Poesis prophetica. Prophetarum scripta pleraque vere poetica esse & metrica. Judæorum recentiorum & Hieronymi in hac quæstione autoritas elevatur. In prophetarum vaticiniis eadem cernuntur metrorum indicia, quæ in libris poeticis: dialectus, stylus, constructio poetica. Quorum satis apparent duo priores; posterior fusius explicanda, & exemplis illustranda. Promittitur poeseos & prophetiæ cognatio. Prophetarum collegia; quorum ex disciplina erat, Hymnos canere cum fidium syphonia; quod vaticinari dicitur: adeoque eadem vox prophetam & poetam sive musicum æque denotat. Elisæus oraculum editurus fidicinem sibi adduci postulat. Poesis ad usum prophetiæ valde accomodata. Recensentur oracula antiquiora in libris historicis extantia, quæ vere esse poetica ostenduntur. col. CCCLIX

PRÆLECTIO XIX.

Poesin Propheticam esse sententiosam.

Hebræorum Hymnodia. Hymnos alternis choris canendi ratio: unde deducitur origo poeticæ constructionis, qua Hebræorum carmina formam amoebaeam fere induunt, in disticha & versiculos parallelos plerumque distributa. Explicatur sententiarum parallelismus: cujus tres statuuntur species; parallela synonyma, antitheta, synthetica: quorum exempla proferuntur, primum ex libris, qui poetici habentur, deinde similia & paria ex scriptis prophetarum. Azariæ Judæi sententia proponitur & expenditur: mensuras scilicet canticorum Hebraicorum non syllabis aut pedibus constare, sed partibus positionis & sensuum. Magni momenti esse accuratam poeticæ sententiarum compositionis observationem. CCCLXX

EPIMETRON EDITORIS II.

De usu hujus Parallelismi Hermeneutico.

Probatur hic usus exemplis ex *Psalm.* XXII. 31. XXV. 3. CXXXIX. 20. CXLVII. 9. *Jes.* XXVI. 14. XLVII. 11. XLIX. 6. & 16. petitis. col. CCCLXXXIV

PRÆLECTIO XX.

Poeseos Prophetarum generalis character.

Ex vaticiniis poeticis excipiuntur libri integri Danielis & Jonæ; & in cæteris prophetarum scriptis partes quædam historicæ; & quæ ibidem occurrunt poemata nonnulla diversi generis. Reliqua constituunt corpus quoddam poeseos propheticæ. Hujus speciei character ex ipsius prophetiæ natura & fine investigatur. Justi poematis prophetici exemplum ex Isaia profertur & explicatur: item aliud ex Balaami vaticiniis Latino carmine conversum exhibetur. CCCXC

PRÆLECTIO XXI.

Prophetarum singulorum proprii characteres.

Singulorum prophetarum peculiaris character & stylus notatur: quæque eorum partes poeticæ sint, quæ secus. Græcorum poesin in hoc genere nihil habere dignum mentione. Apud Latinos valde notabilis est Virgilii Ecloga IV.; quæ multo obscurior est, quam vulgo habetur, & a nemine hactenus satis intellecta. CCCCII

קינה

SIVE ELEGIA.

PRÆLECTIO XXII.

De Elegiæ Hebrææ origine & forma; ac de Threnis Jeremiæ,

Elegiæ Hebrææ origo & ratio investigatur ex solennibus luctus significationibus in exequiis defunctorum, cum naturalibus, tum artificiosis. Præficæ in funeribus mercede conductæ: earum Næniæ breves, numerosæ, singulis sententiis enuntiatæ; in quarum imitationem confictæ lamentationes, quæ apud prophetas sæpe eduntur. Jeremiæ threni ad eandem formam compositi. De ejus poematis universa natura & forma; de metrorum ratione; deque argumento & stylo. CCCCXII

PRÆ-

Hæc formam Idyllii perfectam exhibent: proferuntur alia quoad ſtylum & charactera non minus abſoluta Idyllii exempla. Cleanthis ſtoici Hymnus laudatur. *Pſalmus* CXXXIX. verſibus hexametris Latine exprimitur. col. CCCCLXXXVI

POEMATA DRAMATICA.

שיר השירים

CANTICUM CANTICORUM.

PRÆLECTIO XXX.

Canticum Salomonis non eſſe juſtum Dramma.

Poeſeos diſtributio Platonica in narrativam, drammaticam, & mixtam, non magnæ utilitatis; ſed hoc loco notanda, ut drammatica poeſeos, ratio accuratius definiatur, & appellationis ambiguitas a recentioribus inducta tollatur. Conſtituuntur duæ ejus ſpecies: una minor, quæ formam tantum habet imitativam, & in qua perſonæ loquentes inducuntur ſine poetæ interlocutione; altera major, quæ fabulam inſuper continet. Prioris exempla quædam apud Hebræos: ad poſteriorem nulla Hebræorum poemata aſpirare poſſunt, niſi fortaſſe duo; canticum Salomonis, & poema Jobi. Quæritur, an canticum Salomonis fabula in ſe contineat. Eſt epithalamium: ejus perſonæ: fundamentum poematis poſitum in Hebræorum ritibus nuptialibus. Proponitur & explicatur Boſſueti ſententia: Poematis nimirum conſtitutionem ſumtam eſſe ex Hebræorum nuptiali convivio per ſeptem dies celebrato, totumque in totidem partes ſeu dies diſtribuendum. Hæc ſententia maxime omnium iis favet, qui hoc poema pro juſto drammate habent: nec tamen inde ſequitur, eo contineri fabulam. Fabulæ definitio. Nihil juſtæ fabulæ ſimile in cantico Salomonis; non eſt itaque legitimum dramma, ſed ad minorem drammaticæ poeſeos ſpeciem referendum. Chorus puellarum cum Græcorum choro tragico valde congruit: cui tamen originem præbere nullo modo potuit. CCCCXCIV

PRÆLECTIO XXXI.

De cantici Salomonis Argumento & Stylo.

De cantico Salomonis dubitatur, ex ſenſu proprio an allegorico intelligi debeat: defenditur ſenſus allegoricus ex analogia parabolicæ dictionis. Fundamentum & ratio hujus allegoriæ explicatur. Diluuntur offenſiones, ex imaginis indignitate exortate, autoritate ſacrorum ſcriptorum ferme omnium cum veteris tum novi teſtamenti. Interpretatio allegorica ſatis confirmatur analogiæ argumento: ex interna operis ſtructura haud æque facile probatur. Allegoriam hanc tertiæ eſſe ſpeciei, nimirum myſticam; deque veris Salomonis nuptiis agi. Eam explicantibus duæ adhibendæ cautiones. Stylus poematis eſt paſtoralis: perſonæ paſtores eſſe finguntur; quam accomodate ad ſenſum Hebræorum. Locorum elegantium, deſcriptionum, comparationum exempla quædam proferuntur. col. DIII

איוב

POEMA JOBI.

PRÆLECTIO XXXII.

De Poematis Jobi argumento & fine.

Ut de natura hujus poematis ſatis clare diſputare quiſpiam poſſit, inter tot diſcrepantes ſententias quænam ſit ſua de univerſo opere opinio exponenda eſt. Librum Jobi inter ſacra monumenta ſingularem eſſe, neque ullam habere cum Hebræorum rebus neceſſitudinem. Hiſtoriæ ſedem eſſe Idumæam; qui loquuntur, pleroſque eſſe Idumæos ex Abrahami familia; autorem Idumæum eſſe videri, cui vernaculus ſermo Hebræus. Nec Elihuum fuiſſe, nec Moſem; ſed Jobum ipſum, vel aliquem ei ætate ſupparem. Omnium librorum qui extant hunc eſſe antiquiſſimum: in vera hiſtoria fundari, neque ullam in ſe allegoriam continere. Quanquam ſit valde obſcurus, tamen univerſi poematis argumentum & finis ſatis clare percipi poteſt. Exponitur totius brevis quædam analyſis; in qua, quantum fieri poteſt, loca obſcuriora minime urgentur. Unde deducitur, 1. Argumentum controverſiæ inter Jobum & amicos. 2. Argumentum univerſi poematis ſimul ſumti. 3. Ejuſdem conſilium & finis. Vitantur aliæ quæſtiones, quæ ad hanc rem neceſſario non pertinent. DXVIII

EPIMETRON EDIT. IV.

Diſputatur, utrum Jobi carmen fabulam contineat, an Hiſtoriam? It. de Poematis antiquitate, ſcopo, argumento. Analyſis Libri. DXXVII

PRÆLECTIO XXXIII.

Poema Jobi non eſſe juſtum dramma.

Poema Jobi vulgo appellatur drammaticum; & multis cenſetur ejuſdem eſſe gene-



DAVIDIS LYRA
SEU NOVA
HEBRÆA S. SCRIPTURÆ
ARS POETICA

Canonibus suis descripta,

Et exemplis sacris, & Pindari ac Sophoclis parallelis, demonstrata:

Cum selectorum DAVIDIS, SALOMONIS, JEREMIÆ, MOSIS, *&* JOBI *poematum analysi poetica.*

A U T O R E

FRANCISCO GOMARO.

Reverenda pietate ac doctrina clarissimis sacræ Theologiæ Doctoribus:

D. ANTONIO THYSIO,

E T

D. CONSTANTINO L'EMPEREUR

AB OPPYCK: illi, Theologiæ; huic, controversiæ Judaicarum & H.L. Professori Academiæ Leydensis,

SALUTEM A SALUTIS AUTORE.

NOn ignota est (reverendi ac clarissimi viri) ea Homeri sententia, qua consuetam vulgi de poematum præstantia sententiam, Odysseæ primo ita describit;

Τὼ γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ᾽ ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Hoc est ad verbum;

Illud enim canticum maxime celebrant homines,
Quodcunque auditoribus recentissimum existit.

Idemque, non minori elegantia secutus Pindarus, acute hoc modo expressit;

—— αἶνει δὲ παλαιὸν
Μὲν οἶνον, ἄνθεα δὲ ὕμνων
Νεωτέρων.

Lauda autem vetus quidem vinum, flores vero hymnorum recentium. Verum tamen non immerito longe præferendi ſunt iis, antiquiſſimi hymni & cantus ſacri; qui cœleſtis Spiritus afflatu in Hebræis ſacrarum literarum monumentis, ad Dei laudem hominumque doctrinam ſalutarem continentur. Eorum enim flores nunquam decidunt, nec ſuavitas eorum, ulla temporis injuria evaneſcit: ſed perpetuum recreandis hominum ſpiritibus odorem diffundunt. Cujuſmodi ſunt inter cætera, Moſis, Salomonis, & Jeremiæ cantica, & Davidis Pſalmi. In quibus ſublimis ac poeticus ſtylus, citra ullam controverſiam, elucet: quamvis de *poeſis* eorum *certitudine* & *cognitione*, doctiorum judicia ſint diverſa. Diſquiritur enim,

I. *An ulla in S. literis extent carmina, metricis legibus adſtricta.*

Quemadmodum enim, communi pene omnium ſententia, hoc *aſſeritur*, ſic a quibuſdam παραδόξως *pernegatur*.

Aſſertores autem ſunt primum antiqui ſcriptores: ut ex *Hebræi Joſephi* & *Patrum Chriſtianorum* teſtimoniis apparebit.

Joſephus enim Antiquitatum Judaicarum libro ſecundo capite ultimo, de primo Moſis cantico (quod Exodi XV. deſcribitur) ſic ait; Καὶ μωϋσῆς ᾠδὴν εἰς τὸν θεὸν, ἐγκώμιόν τε καὶ τῆς εὐμενείας εὐχαριστίαν περιέχουσαν, ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ συνέθηκεν. *Et Moſes oden in Deum (encomiumque ac gratiarum actionem in Deum continentem) hexametro verſu compoſuit.*

De *ſecundo* vero ejuſdem *cantico*, (quod Deuteronomii XXXII. recenſetur) ſimiliter ibidem libro quarto capite ultimo atteſtatur hoc modo, Ἔπειτα ποίησιν ἑξάμετρον αὐτοῖς ἀνέγνω, ἣν καταλέλοιπεν ἐν τῷ βιβλίῳ τῷ ἱερῷ. *Deinde poema hexametrum iis recitavit: quod in ſacro libro reliquit.* Denique de Pſalmis Davidis metro conſcriptis in eodem opere monet libro ſeptimo editionis Genevenſis capite XII. Ἀπηλλαγμένος δὲ ἤδη πολέμων ὁ δαβίδης καὶ βαθείας ἀπολαβὼν τὸ λοιπὸν εἰρήνης ᾠδὰς εἰς τὸν θεὸν, καὶ ὕμνους συνετάξατο μέτρου ποικίλου· τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πεντομέτρους ἐποίησεν. *Ceterum David perfunctus jam bellis & in alta pace degens, odas in Deum & Hymnos metro vario compoſuit: quoſdam quidem trimetros, alios vero pentametros fecit.* Hæc *Joſephus* Hebræus: cui *Patres* Chriſtiani conſentiunt.

Ex *Græcis* enim, *Euſebius* de præparatione evangelica libro undecimo cap. 3. (editionis Græcæ Rob. Stephani) ſic ait, Εἶεν δ' ἂν αὐτοῖς καὶ ἔμμετροι ποιήσεις, ὡς ἡ μεγάλη μωσέως ᾠδὴ καὶ τοῦ δαβὶδ ὁ ριη ψαλμὸς, τῷ καλουμένῳ παρ' ἕλλησιν ἡρῴῳ μέτρῳ συντεταγμένοι· φασὶ γοῦν ἑξάμετρα εἶναι ταῦτα δι' ἑκκαίδεκα συλλαβῶν πεποιημένα· καὶ τὰ λοιπὰ δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς, δι' ἐπῶν λέγεται τριμέτρων τε καὶ τετραμέτρων τε καὶ τετραμέτρων κατὰ τὴν οἰκείαν αὐτῶν συγκεῖσθαι φωνήν. *Sunt etiam apud eos poemata metrica: ut magna Moſis ode, & Davidis Pſalmus* CXVIII. (Hebr. CXIX.) *vocato apud Græcos heroico metro compoſita. Ajunt igitur hæc eſſe Hexametra, ſedecim ſyllabis facta: & reliqua etiam*

apud

apud eos carmina, trimetris & tetrametris versibus, proprio eorum sermone, condita esse dicuntur.

Deinde *Theodoretus* tom. 1. in cant. cant. c. 1. vers. 1. ait; *Beatus David carmina composuit.* Et præfatione commentariorum in Psalmos; *Sacra* [inquit] *Scriptura, temperans utilitatem, carminis suavitate, gratam admodum & amabilem doctrinam hominibus proposuit.*

Denique *autor Græcus* Quæstionum & Responsionum ad Orthodoxos [quæ inter Justini martyris opera continentur] ad quæst. & respons. LIV. *Mosis canticum* & carmine conscriptum asserit, & quonam fine expresse declarat. Atque hæc de *Græcis*.

Inter *Latinos* vero *Patres*, primas merito obtinet *Hieronymus:* qui & sæpius & copiosius idem, de Hebræis Scripturæ metris, tradit. *Primum* enim tom. 3. epistola ad Paulinum de Jobo ait; *Prosa incipit: versu labitur: pedestri sermone finitur.* Ac de Davide ibidem; *David* [inquit] *Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus atque Cerenus, Christum lyra personat, & in decachordo Psalterio, ab inferis excitat resurgentem.* Denique in præfatione in Jobum ait; *Quod si cui videtur incredulum, metro scilicet apud Hebræos, & in morem nostri Flacci, Græcique Pindari & Alcæi, & Sapphus, vel Psalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia fermæ Scripturarum cantica comprehendi; legat Philonem Josephum, Originem, Cæsariensem Eusebium, & eorum testimoniis, me verum dicere comprobabit.*

Huic etiam consentit *Augustinus* tom. 2. epist. 131. ad Mumerium quum ait; *Quibus numeris constent versus Davidis, non scripsi, quia nescio. Neque enim ex Hebræa lingua [quam ignoro] potuit etiam numeros interpres exprimere, ne metri necessitate, ab interpretandi veritate amplius, quam ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur. Certis tamen eos constare numeris credo illis, qui eam linguam probe callent. Amavit enim vir ille sanctus musicam piam, & in ea studia, nos magis ipse, quam ullus alius, accendit.*

Hisce accedit *Isidorus* Hispalensis episcopus, qui lib. 1. Originum cap. XVIII. de carmine Heroico ait; *Omnibus quoque metris prius est. Hoc primum Moses in cantico Deuteronomii, longe ante Pherecydem, & Homerum cecinisse probatur. Unde & apparet antiquius fuisse apud Hebræos studium carminum, quam apud gentiles. Siquidem & Job, Mosi temporibus adæquatus, hexametro versu, dactylo spondeoque decurrit.* Hæc de priscis carminum sacrorum assertoribus: quibus eatenus pene omnes posteri adstipulantur, quod Hebræa in Sacris literis carmina, metricis legibus adstricta, contineri agnoscant.

Quidam vero illud acriter negant, sed diverso animi studio. Ex *antiquis* enim scriptoribus primus & [ut Genebrardus censet Chronologiæ pag. 107.] solus compertus est *Julianus* imperator *apostata*. Qui capitali impioque adversus religionem Christianam odio, in Hebræos prophetas invectus, hanc metrorum laudem, iis detrahere contendit. Verba enim illius, a Cyrillo episcopo Alexan-

drino, libro adverſus Julianum ſeptimo ſectione ſecunda propoſita, hæc ſunt, *Diſciplinarum ſtudium, & in liberalibus artibus exercitatio, non ut Hebræorum, ſunt rudia & barbara, quamvis malus Euſebius, velit eſſe quædam apud eos hexametra.*

Ad recentiores vero quod attinet autores, rariſſimi ſunt, quibus ea arridet ſententia: & ſi qui ſunt, autoritati tamen Scripturæ, nihil derogant, ſed eandem reverenter amplectuntur. Quibus præire videtur vir doctiſſimus Auguſtinus Steuchus epiſcopus Eugubinus [Rabbi Moſche ben Chabib in libro דרכי נעם ſeu proſodiæ ſecutus] quum ſua præfatione in Pſalmo ait quidem; *Moſes omnium vetuſtiſſimus carmen Deo cecinit:* ſed vera carmina, ſeu metricis legibus devincta, in S. literis extare, minime agnoſcit. Sic enim paulo poſt, mentem ſuam plenius exponit; *Carmen autem Hebraicum non idem eſt atque Græcorum Latinorumque: ut neque Italicum, ſive Etruſcum, idem atque Latinum. Ac potius cum Italico, quam cum Latino ſimilitudinem habet Hebraicum. Latinum, ad imitationem Græci, tempora ſyllabarum obſervat: Hebraicum nulla tempora; ſed numerum duntaxat atque ſimilitudinem cadentium ſyllabarum. Ut non eſt in Italico carmine ſpondeus, trocheus, dactylus, ſed numeratio tantum ſyllabarum, & obſervatio ut ſimiliter deſinant: ſimile quiddam ſequitur Hebraicum. Quare quum Hieronymus ſcribit, aut Job aut Pſalmos, dactylo ſpondeoque decurrere: & quum in præfatione de Job dicit; verſu labitur; quæque Auguſtinus cum cæteris, de carminibus Hebræorum teſtantur, noris non ipſos præciſe pedes noſtrumque carmen ab eis, ſed ſimile quiddam deſignari. Itaque neque Heroicum carmen apud Hebræos extat, neque jambicum aliaque genera, ſed ſimile quiddam, & quale barbari diverſis ritibus canunt. Pſalmi, Job, libri Salomonis & Prophetarum, rationem carminis præ ſe ferunt, ſed neque Latini, neque Græci. Numeroſum quiddam, & ab oratione ſoluta parumper recedens ſermonis genere figuriſque poeticis, verbiſque minus uſitatis obſcuriores. Pſalmi præterea, non eodem autore, nec eodem fortaſſe tempore, nec eodem modulatu, ut nec eodem ſubjecto ſemper perſpiciuntur.* Hactenus Auguſtinus Steuchus: qui eadem ſtrictim præfatione in Jobum proponit.

Quam ſententiam vir ſummus, in eximiis ad Euſebii chronicum Animadverſionibus [ut & alibi] comprobavit. Nam ut pauca excerpamus, ſic pag. 6. in Notis ad Hieronymi epiſtolam ait; *De Pſalterio magis miror: quum neque in eo, neque in Threnis, ullum canticum ſit, metricis legibus adſtrictum; ſed mere ſoluta oratio ſit, charactere poetico animata. Quin Jeſaiæ & aliorum Prophetarum oratio, inſtar poeſeos aliquando figurata eſt: quam tamen propterea poeſin eſſe non recte dixeris. Solum canticum Moſis extremo Deuteronomio, Proverbia Salomonis, & totus fere liber Job, quadam rythmi neceſſitate cohibentur: qui rythmus eſt inſtar duarum dimetriarum jambicarum & tinnulus accedit ad aures. Sed aliquando pauciorum ſunt ſyllabarum, aliquando plurium: quales Græcorum* ςίχοι καταληκτικοὶ, βραχυκαταληκτικοὶ, ὑπέρμετροι, *&c. Nam ut in Hebraico, Syriaco, Arabico, & Abyſſino idio-*

mate

mate ulla metri ſpecies concipi poſſit, nemo efficere poſſit: quia id natura ſermonis non patitur.

Hactenus contrarias de Hebræis S. literarum carminibus ſententias expoſuimus: neque juſtam videor obſervaſſe rationem, cur a priori declinemus: quemadmodum contra ex ſequentibus in omni carminum genere exemplis Hebræorum ac Græcorum parallelis, perſpicue in *Arte poetica* apparebit, Hebræam linguam a rectis carminum legibus minime alienam.

Cæterum inter eos, qui carmina metricis pedibus adſtricta S. literis contineri ſtatuunt, diſquiritur.

II. *An carminum ſacrorum ratio ſit nota?*

Veteres enim ſcriptores [ut Joſephus & Euſebius, ſicut ex ante dictis liquet] non ſolum carminum ſacrorum genera, nota eſſe indicant; ſed ea etiam in Moſe & Pſalmis diſerte definiunt. *Hieronymus* vero eorum judicio fretus, multis in locis ulterius etiam proceſſit. *Primum* enim tomo 2. præfat. in Jobum; *A principio* [inquit] *voluminis uſque ad verba Job, apud Hebræos proſa oratio eſt: porro a verbis Job, in quibus ait, Pereat dies, in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt conceptus eſt homo, uſque ad eum locum ubi ante finem voluminis ſcriptum eſt; Idcirco ipſe me reprehendo & ago pœnitentiam in favilla & cinere, hexametri verſus ſunt, dactylo ſpondeoque currentes & propter linguæ idioma crebro accipientes & alios pedes, non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum. Interdum quoque rythmus ipſe dulcis & tinnulus fertur, numeris pedum ſolutis: quod metrici magis, quam ſimplex lector, intelligent.*

Deinde tom. 5. Præfatione commentariorum in Lamentationes Jeremiæ; *Habes* [inquit] *in Lamentationibus Jeremiæ, quatuor Alphabeta: e quibus duo prima, quaſi Sapphico carmine ſcripta ſunt, quia tres verſiculos, qui ſibi connexi ſunt, & ab una litera incipiunt, Heroicum comma concludit. Tertium vero Alphabetum, trimetro ſcriptum eſt & alternis literis, ſed iiſdem, trini verſus incipiunt. Quartum Alphabetum ſimile eſt primo & ſecundo. Proverbia quoque Salomonis, extremum concludit Alphabetum: quod Tetrametro Jambico ſupputatur, ab eo loco ubi dicitur; Mulierem fortem quis inveniet?*

Denique in Præfatione, in Chronicum Euſebii ait; *Quid Pſalterio canorius? quod in morem noſtri Flacci, & Græci Pindari, nunc Jambo currit: nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet: nunc ſemipede ingreditur.*

Quid Deuteronomii & Iſaiæ Cantico pulchrius? Quid Salomone gravius? Quid perfectius Job? Quæ omnia Hexametro, & Pentametris verſibus [ut Joſephus & Origenes ſcribunt] apud ſuos compoſita occurrunt.

Atque hæc *veterum autorum*, de ſacrorum carminum *notitia*, aſſertio: quæ plus hactenus admirationis quam aſſenſus, apud peritiores obtinuit. Ac propterea *alii* notitiam eorum, poſt tempora Prophetarum paulatim, pudenda Judæorum negligentia, obliteratam arbitrantur. Sed rurſum exurgit quæſtio.

III. *An*

III. *An ea porro notitia, per constantem ac diligentem investigationem, recuperari possit?*

De hac enim re doctissimi viri, judiciis inter se adversis, dissident. *Quidam* enim concepta quadam desperatione, non solum id acriter negant; sed alios etiam, ab omni investigationis studio absterrere, conantur. *Nonnulli* vero generosiori animo præditi, nequaquam desperandum prudenter judicarunt. Quemadmodum præ ceteris, magnus ille *Mercerus*: cujus in Commentariis in Jobum cap. 3. memorabilis extat oratio. Sic enim ait; (*Pereat dies*) *Hic est initium metrorum Jobi, usque ad versiculum sextum capitis* XLII. *infra* על כן *Propterea*, &c. *Conatus sum* (*juxta ea, quæ monet Hieronymus*) *multos versus ad dimensionem pedum revocare. Sane plerosque dimensus, hexametros esse comperi: verum ubi pro dactylo & spondeo, passim alii pedes, juxta linguæ idioma* (*ut dicebat Hieronymus*) *occurrunt. Multi sunt versus spondaici, & primus statim, qui desinit* הורה גבר *procreatur est vir. Sed hoc sæpe hic turbat quod metra plerumque a fine versuum* (*ut ab Hebræis sunt distincti*) *incipiunt. Quod argumento est, eos carminum rationem non intellexisse, nisi sensum magis, quam dimensionem sunt secuti. Accepi D. Vatablum* (*laudandæ memoriæ*) *rationem intellexisse versuum omnium Jobi & Psalterii, & quosdam* CANONES, *ad facilius eorum rationem intelligendam, præscripsisse. ut;* QUOD NULLA SIT HEBRÆIS POSITIO: QUOD SCEVA, NE GEMINUM QUIDEM, PRO ALIQUO COMPUTETUR: *& alia hujusmodi: quæ speramus aliquando proditura.* NEQUE DESPERO, *si quis diligenter attenderit*, QUIN POSSIT METRORUM RATIO INVENIRI: ID EGO (*si quando per otium licuerit*) PERVESTIGARE CONABOR. Hactenus præclara viri longe doctissimi oratio: in qua, ut prima sui parte (Hieronymi præjudicio abreptus) nonnihil aberravit, sic in altera, qua *Vatabli canones* recenset & *spem* suam ac *conatum* describit, egregie aliis omnibus, ad rectam sacrorum metrorum investigationem præluxit. Quemadmodum etiam hac oratione, jam olim ad Jobi & Davidis poesin perscrutandam, studium nostrum accendit, & ad Lyricorum Pindari ac Sophoclis carminum collationem stimulavit: ut vires gravioribus laboribus fatigatas, hac amæna studiorum varietate, per feriarum otium recrearem, & me meosque in Hebræa Jobi praxi auditores amplius erudirem. Neque, uti spero, conatus exspectationem fefellit. Hoc enim certo comperisse arbitramur, Lyrica sacra & profana [distincto parumper linguarum genio] probe inter se convenire. Idque cum alibi in Jobi explicatione, ante annos viginti quatuor, tum postea in hac Academia auditoribus, brevi specimine demonstravi. Non eo animo, ut illud Archimedis Εὕρηκα arroganter usurparem; sed ut candorem, in iis quæ observaram communicandis, patefacerem: eaque re ad alios delata, ad accuratiorem explicationem ipsos excitarem. Quod tamen tanto temporum intervallo hactenus pro voto non successit: sed hoc

ſolum obtinui, quod quidam eruditi e Belgio & Germania literis, ut ſi quid de poeſi Hebræa Prophetarum, ſcriptis conſignatum haberem, ipſos participes redderem, ſerio poſtularunt. Cui honeſtæ petitioni parere conantem tenuitatis ac ruditatis obſervationum conſcientia abſterruit. Tandem hortatu tuo (clariſs. D. Thyſi) quaſi celeuſmate provocatus, & orientalium linguarum peritiſſimi D. Golij monitu accedente preſſus, opellam meam, Deo ſoſpitante, promiſi. Quam deinde ad rem, doct. ac reverend. D. Ludovicus de Dieu, & coram & per literas ſtimulos non leves adiecit. Quare paulatim per interrupta feriarum otia poeſin Hebræam meditari cepi: & parallelis Pindari ac Sophoclis illuſtrare, & analyſin poematum ſacrorum olim conceptam recolere, ut exſpectationi veſtræ pro modulo meo ſatiſfacerem.

Vobis vero clariſs. & doctiſs. viri, immaturum hunc fœtum ſuſcipiendum, pro antiqua ac fida inter nos amicitia, offero ac cenſuræ veſtræ ſubjicio. Tecum enim clariſs. D. Thyſi ante annos quinquaginta & amplius inita eſt arctiſſima familiaritate amicitia, & mutua animorum ac ſtudiorum conjunctione hactenus ſtabilita. Tecum etiam doctiſs. D. Conſtantine, inde ab ornatiſs. p. m. parentibus tuis, amicitia propagata, & mutuis officiis ac ſtudiorum (in quibus præcellis) conſenſione roborata, & plus quam viginti quinque annos exculta perdurat. Quare ut hanc opellam noſtram boni conſulatis non ſolum rogo: ſed officium veſtrum idem poſtulare videtur. Nam ut prior veſtrum, ad illius editionem tandem commovit: ſic poſterior, ante annos complures tenuia ejuſdem initia, non contempſit, ſed ſibi communicari petivit. Quod reliquum igitur eſt [reverendi ac clariſs. viri] Deum precor, ut vos cum familiis veſtris clementer conſervet, & ſanctis ac præclaris veſtris laboribus ſuo Spiritu Sancto adſpiret, ad ſui nominis gloriam, & Academiæ veſtræ atque Eccleſiæ Chriſti incrementum. Groening. An. 1636. Oct. x.

Reverendæ dignitati veſtrum addictiſſimus,
F. GOMARUS.

D A-

DAVIDIS LYRA

SEU NOVA

HEBRÆA S. SCRIPTURÆ

ARS POETICA.

ARS poetica, eſt methodica canonum, de principiis ac generibus carminum, ad poematis conſtitutionem, comprehenſio: ut Græcis & Latinis, ſic etiam Hebræis.

Principio autem illius ſunt duo, ſyllabarum quantitas, & ex iis orti pedes metrici.

CAPUT PRIMUM.

De ſyllabarum, in Hebræa S. literarum poeſi, quantitate canones.

1 *SYllabarum quantitas, brevis eſt, aut longa.*
2 *Ea autem a ſolis vocalibus, ex recta Grammaticæ norma, dependet.*
3 *Brevis enim ſyllaba eſt, qua habet brevem, ſeu ſimplicis temporis, vocalem.*
4 *Vocales breves, per ſe quidem ſunt quinque: per accidens vero tres breviſſimæ, quas Raptas vocant.*
5 *Harum brevium omnium, in poeſi par eſt poteſtas.*
6 *Scheva vero non vocalis eſt, ſed illius, ſua conſonante mobili, abſentia nota.*

Atque huc pertinet, laudatus a Mercero doctiſſimi *Vatabli* canon; *Scheva, ne geminum quidem, pro aliquo computatur.*

7 *Syllaba autem brevis, Poſitione non fit longa.*

Cujus origo eſt, ab Hebrææ linguæ a Græcis & Latinis diſcrepante genio: quod longa vocalis (niſi accentus intercedat) ante duas conſonantes poſitione, mutetur in brevem: non vero brevis, in longam:

Atque ita huic canoni, reſpondet alter Vatabli; *Hebræis nulla eſt poſitio.*

8 *Longa vero ſyllaba eſt, quæ habet longam, ſeu duplicis temporis, vocalem: quales ſunt quinque tantum.*
9 *Communis ſyllaba eſt nulla: prout neque vocalis.*
10 *Ultima tamen cujuſque verſus, libera eſt: ut ſine diſcrimine brevis eſſe poſſit, aut longa.*

Quemadmodum de Græca poeſi Hephæſtio de metris (pag. 14. editionis Pariſinæ) ait; *παντὸς μέτρȣ ἀδιάφορός ἐςιν ἡ τελευταία συλλαβὴ, ὥςε δύνασθαι εἶναι αὐτὴν, ϗ βραχεῖαν ϗ μακράν.*

Ex quibus canonibus (quos exemplorum inductio poſtea confirmabit) clare elucet, quam multis modis, Hebræa S. literarum poeſis, Græca (ut & Latinæ) hac perfectione antecellat. In Hebræa enim (ob accuratam omnium vocalium, in breves & longas, diſtinctionem) ſyllabarum quantitas anceps non eſt, ſed certa: nec variis mutationibus obnoxia, ſed perpetuo ſibi conſtans: denique non multis neque dubiis, ſed paucis firmiſque canonibus comprehenſa.

Contra vero in Græcorum poeſi, hæc omnia deſiderantur. Primum enim (ob vocalium, in tribus ancipitibus, confuſionem) quantitas ſyllabarum, non raro incerta eſt: ita ut ea vix aliter, quam poetarum autoritate ſive exemplis, ſit expiſcanda. Deinde neque quantitas ſtabilis eſt, ſed mutationibus variis intricata. Verbi gratia, Vocalis longa, brevi ſequente, modo corripitur, modo producitur. Quod idem brevi accidit, ut quæ Poſitione fit longa; vel communis, ſi altera conſonantium ſit liquida. Imo etiam abſente Poſitione, brevis ante unicam liquidam, modo corripitur, modo producitur, etiam in eodem verſu. Ut Theocriti Idyllio ſexto;

Πολλάκις ὦ πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.
Sæpe, o Polypheme, quæ bona non ſunt bona videntur.

Sic

Sic etiam Homeri Iliados quinto, versu trigesimo;

Ἄρες ἄρες βροτολοιγέ.
Mars, Mars, hominum pernicies.

Id quod notissimo Martialis libro nono, epigrammate duodecimo notatum;

Dicunt Earinon tamen poetæ,
Sed Græci, quibus est nihil negatum:
Et quos ἄρες ἄρες decet sonare.
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui musas colimus severiores.

Denique ut de miranda Græcorum poetarum licentia (quam doctiores observarunt) sileamus, regulæ ac præceptiones de syllabarum quantitate, apud Græcos adeo sunt *lubricæ*, ut exceptionibus variis, & quidem inconstantibus abundent: adeo *numerosæ*, ut laboriosos etiam fatigent: ita denique *imperfectæ*, ut insignes etiam poetas, non raro dubios dimittant. Quæ omnia, non temere a nobis dici, peritiores compertum habent. Si quis vero de ea re ambigat, accuratiores de re metrica scriptores (inprimis Aldus Manutius, Jac. Micyllus, M. Crusius aliique) abunde suo testimonio atque exemplis demonstrabunt.

Quemadmodum etiam de Latina poesi (licet Martialis judicio, *musas colat severiores*) iidem statuunt. Quod similiter ὁ μακαρίτης Henricus Smetius (non solum doctor medicinæ excellens, sed etiam poeta scriptis clarus) in præfatione suæ prosodiæ, ingenue agnovit & luculenter comprobavit.

Ex hac igitur collatione prima *Hebrææ poesis præstantia* conspici potest. Atque hisce *de quantitate syllabarum* expositis, ad *pedes metricos* (qui e syllabis, certa quantitate instructi constant) procedimus.

CAPUT II.

De carminum pedibus canones.

1 *Pedes metrici, vel sunt primarii, vel secundarii.*
2 *Primarii sunt, e quibus solis ac per se, non vice alterius positis, carmen absolvi potest.*

Id quod egregie Hephæstionis de metris Scholiastes pag. 83. declaravit.

3 *Sunt autem hi numero novem: partim simplices, partim compositi.*
4 *Simplices, sunt vel dissyllabi, vel trisyllabi.*
5 *Dissyllabi, ex brevi & longa constant: & brevi quidem vel antecedente, ut Jambus* ∪ –, *vel sequente, ut Trochæus* – ∪.
6 *Trisyllabi, ex longa & duabus brevibus: & longa quidem prima, ut Dactylus* – ∪ ∪, *vel ultima, ut Anapæstus* – ∪ ∪.
7 *Compositi vero, sunt tetrasyllabi, pari brevium & longarum numero, vel dispari.*
8 *Pari quidem, vel conjunctis, vel disjunctis longis.*
9 *Conjunctis, vel initio, ut Jonicus a majori* – – ∪ ∪; *vel in fine, ut Jonicus a minori* ∪ ∪ – –: *vel in medio, ut Antispastus* ∪ – – ∪.
10 *Disjunctis vero longis, choriambus,* – ∪ ∪ –.
11 *Dispari vero numero constat Pæon, tribus brevibus & una longa, citra discrimen: sive longa præcedat, ut Pæon primus* – ∪ ∪ ∪, *sive sequatur, ut pæon quartus* ∪ ∪ ∪ –, *per synaresin utriusque Creticus* – ∪ –.
12 *Secundarii porro pedes sunt, qui in carmine ad illius complementum, vel cum primario juncti, vel pro eo substituti.*
13 *Inter quos, spondeus* – – *excellit.* Idque postea patebit.
14 *Pedibus autem tres affectiones accidunt; synæresis seu contractio, dialysis seu dissolutio, & commutatio.*
15 *Contractio, est affectio pedis polysyllabi, qua duæ syllabæ breves in unam longam (ob duplicis temporis utrimque paritatem) reducuntur.*
16 *Dialysis est contraria priori affectio, qua longa cujusvis pedis syllaba, in duas breves (ob eandem paritatem mutuam, resolvitur.*
17 *Commutatio denique est, quum pedis unius loco, affinis vel usu ferente alienus, substituitur.*

Quæ tres affectiones, ut Græcis (præter alias, quas metrici scriptores observarunt) sunt communes, sic etiam sacrorum ac profanorum carminum exemplis consentaneis postea probabuntur.

Atque hæc quidem *de syllabarum quantitate & pedibus* tanquam duobus *carminum principiis*, diximus, reliquum igitur est, ut ad *carmina* (quæ ex artificioso pedum numero ac modo constant) explicanda procedamus.

Quam ad rem, observanda primum carminum genera atque affectiones: deinde poematum sacrorum, ex iis structorum, ratio.

CAPUT III.

De carminum generibus canones.

1 *Carminum genera (quorum terminis poesis sacra continetur) sunt novem: a totidem primariis pedibus, & nomen, & ab aliis distinctionem, sortita.*

Quemadmodum etiam de Græcis versibus idem Hephæst. Scholiastes pag. 83. explicavit; & Latinus Diomedes lib. 3. Reliqua enim ἀνομάλως ad hæc novem referuntur.

2 *Ea autem genera, vel simplicibus pedibus primariis constant, ut Jambica, Trochaica, Dactylica, Anapæstica; vel compositis, ut Choriambica, Jonica a majori, & Jonica a minori, Antipastica & Pæonica.*

3 *Quæ licet inter se differant: pro diversa tamen syllabarum distributione, ad diversa interdum genera referri possunt.*

Cujus rei exempla apud Sophoclem, Demetrius Triclinius, de metris illius, plurima recenset: nec pauca Aristophanis Scholiastes: idque carminum examen docet.

4 *Porro hæc carmina, vel pura sunt, vel mixta.*

5 *Pura, quæ ex solo primario pede constant.*

6 *Mixta sunt, quæ alios pedes recipiunt: suntque vel analoga, vel anomala.*

7 *Analoga sunt, quæ pedes habent primariis consentaneos: anomala* vero, quæ *dissentaneos.*

8 *Carmen deinde vel perfectum est, vel imperfectum.*

9 *Perfectum est in quo ad metri complementum nihil deest, nihilque superest.*

Id quod ab Hephæst. de metris pag. 12. (ut & vulgo) ἀκατάληκτον nominatur.

10 *Imperfectum vero est, quod defectum, vel excessum habet in fine.*

11 *Defectum habet, quum pars pedis, vel integer deest.*

Unde prius, apud Hephæstionem καταληκτικὸν: posterius, βραχυκατάληκτον appellatur.

12 *Excessum vero, quum pars pedis superflua est.*

Id quod ab eodem Hephæstione aliisque ὑπερκατάληκτον, & a nonnullis aptius ὑπέρμετρον dicitur.

13 *Mensura carminis, uno quidem pede in Dactylicis, gemino vero simplici pede, in reliquis continetur.*

Quæ gemini pedis mensura, a Græcis συζυγία, & a Prisciano, de metris comicis, *conjugatio* appellatur.

14 *Pro mensuræ autem disparitate, carmen distinguitur: ut vel unius sit mensuræ, & monometrum vocatur: vel plurium, quod pro diversis gradibus Dimetrum, trimetrum, tetrametrum, pentametrum aut hexametrum dici solet.*

15 *Sacra vero carmina (exceptis, ob mensuræ brevitatem, Dactylicis) Trimetri terminos non excedunt.*

Id quod frequentius etiam a Pindaro, & Sophocle in Lyricis observatur.

16 *Dactylica vero, tetrametra interdum: pentametra (& quidem καταληκτικά, rarissima: hexametra vero nulla in Hebræa poesi sacra apparent.*

Idque poematum sacrorum examen accuratum in canticis, Psalmis aliisque libris poeticis, comprobabit.

17 *Carmina autem sacra, postremas suas voces integras servant.*

Ac propterea Lyricos Græcorum versus, accuratione sua longe superant. Hi enim voces ultimas, non raro inconcinne dividunt: ita ut prior pars versum finiat, posterior sequentem inchoet. Quemadmodum prima Olympiorum Pindari ode, triginta & tria exempla hujusmodi complectitur. Ac licet pauciora, frequentia tamen etiam apud Sophoclem passim occurrunt. Adeo ut una pagina trecentesima sexagesima sexta (editionis Henrici Stephani, quam in hac opella sequimur) quinque appareant.

18 *Carminum quoque sacrorum membra, inter se, absque ulla periodi aut coli intercessione, cohærent.*

A qua rursus elegantia, Græci poetæ sæpius aberrant, dum versus continuitatem, inter-

intercedente periodo aut colo, divellunt: ut innumera Pindari & Sophoclis exempla evincunt.

19 *Denique ſingula carmina ſacra, majori aut minori diſtinctione, illeſo rei ſenſu finiuntur.*

Quod eorum examen & exempla (quæ poſtea proferentur) omnia confirmant. Quam præſtantiam Græci non ſunt aſſecuti, ut vel ex prioribus aliquot Pindari & Sophoclis pagellis (in quibus prima verſuum membra, diſtinctione interdum majori, a poſtremis diſtrahuntur) ſole clarius evadit.

Atque hæc, de carminum generibus eorumque affectionibus, generatim dicta: ideoque ad ſingula eorum ſpecialius explicanda accedemus, ab Jambicis exorſi.

CAPUT IV.

De carmine Jambico canones.

1 *PUrum jambicum carmen raritate & elegantia, mixta omnia antecellit.*

2 *Mixtum autem analogum, cum jambo, vel pro eo, ſecundariis pedibus legitimo ordine diſpoſitis conſtat.*

3 *Secundarii quidem ſunt pedes, jambo vel pares tempore, ut choreus ſeu tribrachys* ∪∪∪: *vel diſpares, ut ſpondeus, & ex ejus longæ dialyſi orti, anapæſtus & dactylus.*

4 *Legitimus vero horum ordo, ex locorum quibus diſponuntur diſtinctione, oritur.*

5 *Imparibus enim locis (hoc eſt, primo, tertio, quinto pede) præter jambum, ex ſecundariis quoſvis admittit.*

6 *Paribus vero (hoc eſt, ſecundo, quarto, ſexto pede) præter jambum, tribrachys recta ratione (ut jambus ſolutus) & frequentius; ſed anapæſtus præter rationem, autoritate tantum poetarum ac rarius uſurpatur.*

Nam ut Hephæſtio de metris p. 17. de jambico carmine ait, *Si vero ſpondeum paribus locis non recipit, neque anapæſtum, qui ex eo ſolutus eſt, recipere debet.*

7 *Ex mixtis autem jambicis, ſecundum, poſt pura, elegantiæ locum videntur obtinere ea, quæ alternis ſpondeum & jambum collocatum habent.*

8 *Anomala vero mixta ſunt, quæ contra canonem ſextum, unum (loco pari, ſecundo vel quarto) ſpondeum admittunt.*

9 *Quum autem ſecundo loco hoc fit, diſtinctionis cauſa Doricum vocare liceat: quum vero loco quarto, Alcmaicum nominatur.*

Utrumque enim ex *Pindari ſcholiaſte* patet, ad Nemeorum Oden ſextam.

Prius quidem, pag. 375. (editionis Pauli Stephani: quam hic & in ſequentibus intelligimus) de primo Strophes verſu, (ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος, ἐκ: *unum hominum, unum Deorum genus, ex*) ait: *Jambicum acatalectum: in ſecundo autem loco eſt ſpondeus.* πολὺ γάρ τοῦτο παρὰ τοῖς δωρικοῖς, *id enim frequens Dorienſibus. Poſterius* vero liquet ex pag. 376. de nono Epodi verſu (ἔπαυσε λάθαν σωκλείδα. *Suſtulit oblivionem Soclidæ*) ubi ait, *Jambicum dimetrum acatalectum Alcmaicum.*

Sic etiam *Priſcianus* de metris comicis libro, hujuſmodi carmina, jambica ſtatuit, eorumque, ex illuſtribus Græcis Latiniſque poetis atque metricis ſcriptoribus, exempla non pauca producit.

Denique *Hephæſtionis* etiam *Scholiaſtes* Græcus pag. 61. idem agnoſcit, & unam ſolum in tali carmine jambico anomaliam eſſe aſſerit. Ac revera unica duntaxat ſyllaba longa, pro brevi poſita, a norma aberrat.

Ideoque licet *Demetrius Triclinius*, de metris Sophoclis diſſerens, hujuſmodi carmina ad Antiſpaſtica referat; prior tamen ſententia (quæ jambica eſſe tradit) majoribus autoribus & rationibus nixa, merito videtur *præferenda*, itaque eandem non temere, in hiſce canonibus & ſequentibus, ſecuti ſumus. Si cui tamen ſecus videatur, ſecundam pro libertate judicii amplectatur.

Quare expoſitis jambici carminis canonibus, operæ pretium videtur, ut Hebræorum Scripturæ, & Græcorum Pindari ac Sophoclis, carminum collatione mutua illuſtremus ac confirmemus. Hoc autem obſervandum ſicubi occurrat יהוה Ihova legi, ac ſpondeum ſtatui: & ניהוה legi vihova prima longa, neglecta Judæorum ſuperſtitioſa lectione: quæ linguæ præceptis adverſatur. Eadem ſimilium ratio: ut theſibus de Nominibus Dei, oſtendimus.

CAPUT V.

Carmina jambica, exemplis Hebræis & Græcis Pindari ac Sophoclis parallelis, demonstrata.

PRIMUM ANALOGA.

I. MONOMETRA perfecta seu acatalecta.

1. Pura, seu e solis jambis.

Prov. 5. 2. לשמר מומות
Ad observandum multiplicem solertiam.
Psal. 33. 12. אשרי הגוי
Beata ista gens:
& 47. 8. זמרו משכיל
Psallite scite.

∪ – ∪ –

G R Æ C A.

Soph. pag. 141. Φθίνει φθίνει
Absumit, absumit.
& 318. Ἔχω φράσαι.
Habeo dicere, vel quod dicam.
& 385. Ἰὼ ξένοι.
Io hospites.

∪ – ∪ –

2. Mixta cum alio pede.

Prov. 22. 11. אהב טהר - לב
Amans mundum corde.
Psal. 48. 5. עברו יחדיו:
Transeunt pariter.
& 109. 4. ואני תפלה: ∪ ∪ – ∪ –
Cum esse in *oratione:*

– – ∪ –

G R Æ C A.

Soph. 12. Μόμφαν ἔχων – – ∪ –
Conquerendi causam habens.
& 157. Θύγατερ διὸς ∪ ∪ – ∪ ∪
Filia Jovis.

MONOMETRA IMPERFECTA.

1. Defectu syllabæ, catalectica.

Psal. 119. 4. לשמר מאד: ∪ – ∪
Ut observent valde.
& 102. 28. ואתה הוא ∪ – ∪
Tu vero idem es.

G R Æ C A.

Soph. 412. Τί φὴς παῖ
Quid dicis puer.
& 55. Ξυνᾳδῶ
Assentior.

∪ – ∪

& 362. Ξυνὲς δὲ ∪ – ∪
Animadverte autem.

2. Excessu, Hypercatalecta.

1. Pura.

Prov. 1. 18. יצפנו לנפשתם׃
Abscondunt se adversus proprias animas.
Psal. 65. 7. נאזר בגבורה
Accinctus potentia.
∪ – ∪ – | ∪̄

G R Æ C A.

Pind. 38. Βροτῶν ἔλεγχος
Mortalium demonstratio.
& 281. Ἕτοιμος ὕμνων.
Paratus hymnorum sc. thesaurus.
Soph. 300. Περῶσι δῆτα.
Transgrediuntur tandem.
∪ – ∪ – | ∪

2. M I X T A.

Job. 28. 28. וסור מרע בינה
Et recedere a malo est *intelligentia.*
Psal. 108. 13. ושוא תשועת אדם
Vanitas est *auxiliatio humana.*
– – ∪ – | –
Prov. 16. 18. לפני שבר גאון ∪ – ∪ ∪ – | –
Ante confractionem superbia.

G R Æ C A.

Pind. 209. Σοφίας ἄειστον ∪ ∪ – ∪ – | ∪
Sapientiæ (sc. sortem habere cum divitiis) *præstantissimum.*
& 314. Θεῶν τελεσάντων ∪ – ∪ ∪ – | –
Diis id *exequutis.*
Soph. 141. Χωρεῖ γεγηθώς. – – ∪ – | –
Incedit lætus.
& 12. Ἐτίσατο λώβαν. ∪ – | ∪ ∪ – | –
Ultus est acceptam injuriam.

II. D I M E T R A.

PERFECTA, SEU ACATALECTA,

1. P U R A.

Job. 17. 6. והציגני למשל עמים
Ut instituat me ad præsidendum populis.
Prov. 10. 21. שפתי צדיק ירעו רבים
Labia justi pascent multos.
& vers. 23. בשחוק לכסיל עשות זמה ∪ – ∪ – | ∪ – ∪ –
Prout ludus stolido, facere scelus.
∪ – ∪ – | ∪ – ∪ –

G R Æ C A.

Pind. 94. Ὀδῶν ὁδοὶ περαίτεραι.
Viis viæ transitu faciliores.
Soph. 311. Φόνοι, στάσεις, ἔρις, μάχαι.
Cædes, seditiones, contentio, pugnæ.
& 51. Πόνος πόνῳ πόνον φέρει.
Labor labori laborem cumulat.
∪ – ∪ – | ∪ – ∪ –

2. Mixta.

Prov. 12. 16. אויל ביום יודע כעסו ∪–∪–|∪∪∪∪̄
Quod ad ſtultum, eodem die agnoſcitur indignatio ipſius.

& 15. 12. לא יאהב לץ הוכח לו –∪∪,∪–|––∪–
Non diligit deriſor corrigentem ſe.

& 16. 17. שמר ופשו נוצר דרכו
Conſervat ſeipſum qui obſervat viam ſuam.

& 19. 16. שמר מצוה שמר נפשו
Obſervans præceptum conſervat animam ſuam.

(––∪–|––∪–)

Græca.

Soph. 54. Ἐγὼ δ' ὁ πάντα κωφὸς ὁ πάν-
τ'
Ego vero omnium ignarus, omnium.

& 56. Γελᾷ δὲ τοῖσι μαινομένοις
Ridet autem furentes.

(∪–∪–|∪–∪∪∪̄)

& 88. Βήματι μολόντα τῶδε γᾶν· ∪∪,∪–|∪–∪–
Greſſu profectum in hanc terram.

Pind. 47. Καὶ δορὶ μάρνασθαι· τὸ κ̓
Et ad haſta pugnandum, quod etiam

Soph. 36. Λειμωνία μήλων πόα.
Pratenſi pecorum herba.

(––∪–|––∪–)

Imperfecta.

1. Defectu Catalectica.

1. Pura.

Prov. 24. 3. בחכמה יבנה בית ∪–∪–|∪–,∪
Sapientia ædificatur domus.

Græca.

Pind. 38. Τροφαῖς ἕτοιμον ἵππων ∪–∪–|∪–,∪
Alendi ſtudioſum equorum.

Soph. 16. Ποδοῖν κλοπὰν ἀρέσθαι. ∪–∪–|∪–,∪̄
Pedibus fugam ſuſcipere.

2. Mixta.

Prov. 15. 21. אולת שמחה לחסר־לב ∪∪∪∪–|∪∪∪,∪̄
Stultitia lætitiæ eſt dementi.

& 30. 5. כל־אמרת אלוה צרופה ∪∪∪∪–|∪–,∪̄
Totum ſermo Dei purgatiſſimus eſt.

Job. 4. 10. שאגת אריה וקול שחל ∪∪∪∪–|––,∪
Rugitu leonis, & voce ferocis leonis.

Prov. 12. 14. ושמע לעצה חכם׃ ––∪–|––,∪̄
Et auſcultans conſilio ſapiens eſt.

Græca.

Pind. 17. Εὐωνύμων τε πατέρων. ∪–∪–|∪∪∪,∪̄
Clarorumque progenitorum.

Soph. 105. Ἔλιπεν ἐκ τοῦ δ' οἴκου. ∪–∪–|––,∪̄
Defecit ex hac domo.

& 261. Ὦ πῦρ πνεόντων ἄστρων ––∪–|––,∪̄
O ignivomarum ſtellarum.

BRACHYCATALECTA.

I. PURA.

Prov. 8. 1. הלא חכמה תקרא
Nonne ſapientia clamat?
& 13. *6.* רשעה חסלף הטאת
Improbitas pervertit peccati virum.
∪ - ∪ - | ∪ -

GRÆCA.

Pind. 288. Τις ἐκ δόμων φέροι.
Aliquis ex ædibus aſportet.
Soph. 105. Πρὸ τῶν δέτοι μ' ἔχει.
Præ iſtis autem me tenet ſpes.
∪ - ∪ - | ∪ -

2. MIXTA.

Prov. 30. 2. ולא בינת ארם לי׃ - - ∪ - | - -
Nec eſt *intelligentia hominis mihi.*
& verſ. 3. ולא למרתי חכמה - - ∪ - | ∪ -
Neque didici ſapientiam
& 14. *29.* וארך אפים רב תבונה
Et longanimis abundat intelligentia.
& 15. 18. וארך אפים ישקיט ריב
Longanimis autem ſedat litem.
∪ ∪∪, ∪ ∪∪ | -

GRÆCA.

Pind. 289. Ἥρωας ἐν μάχαις
Heroas in præliis,
Soph. 104. αἰ-χίςαις ἐν αἰκίαις
Indigniſſimis *contumeliis.*
- - ∪ - | ∪ -
& 105. πρόῤῥιζος ἐκειφθεὶς - - ∪ - | - -
Prorſus ejectus.
& 180. Ὅ, τι πύματον ὀμοίμαν ∪ ∪∪, ∪ ∪ ∪ | - -
Funditur peream.

IMPERFECTA EXCESSU, HYPERCATALECTA.

Job. 38. *6.* על-מה ארניה הטבעו ∪ - ∪ - | ∪ - ∪ - | -
Super quid baſes ejus demerſæ ſunt?
Prov. 16. 18. ולפני כשלון גבה רוח ∪ - ∪ - | - - ∪ - | ∪
Et ante lapſum altitudo ſpiritus.
& 19. 5. ויפיח כזבים לא ימלט
Et qui conflat mendacia non proripiet ſe.
Pſal. 147. 5. גדול ארונינו ורב-כח
Magnus dominus noſter, & multus viribus.
- - ∪ - | - - ∪ - | -

GRÆCA.

Soph. *90.* Κενοῖς δ' ἐφίςαμαι τραπέζαις. ∪ - ∪ - | ∪ - ∪ - | -
Vacuis autem aſſiſto menſis.
Pind. 303. Τερπνὼν γάμων κραίνειν τελευτάν. - - ∪ - | - - ∪ - | -
Jucundum nuptiarum perficere exitum.

III. Trimetra.

Perfecta in poematibus sacris nondum observavi, sed quædam

Imperfecta defectu.

1. Catalecticum unum.

Psal. 141. 8. כי אליך יהוה ארני עיני --υ-|--υ-|--υ
Quum ad te Jova Domine oculi mei.

Græca.

Pind. 285. Κάλλιστον ὦ μεγαλοπόλεες Ἀθᾶναι --υ-|υυυ υυυ|υ-,ῡ
Pulcherrimum grandiurbes Athenæ.

Soph. 135. Ἐπαξιώσας ὧ δὲ μοι φανῆναι υ-υ-|υ-υ|υ-,ῡ
Dignatus hic mihi apparere.

& 159. Φλέγει με περιβόητος ἀντάζων. |υ-υυυ|υ-υ-|υ-ῡ
Urit me famosus adversarius.

2. Brachycatalecta.

Psal. 141. 2. חבון חפלתי קטרת לפניך υ-υ-|--υ-|υ-
Statuatur oratio mea suffitus coram te.

Prov. 21. 20. אוצר נחמר ושמן בנוה חכם --υ-|-υυ,υ-|--
Thesaurus desideratus & unguentum, in habitaculo sapientis.

Psal. 18. 32. כי מי אלוה מבלעדי יהוה --υ-|υυυ,υ-|--
Nam quis Deus præter Jovam?

Græca.

Pind. 112. Εὐθεῖα γλῶσσαν ὀρνύει λέγειν --υ-|--υ-|υ-
Recta linguam incitat ad dicendum.

Soph. 159. παλίσσυτον δράμημα νωτίσαι υ-υ-|υ-υ-|υ-
Retrogrado cursu terga vertere.

& 267. Ἄγετέ μ' ὅτι τάχος, ἄγετέ μ' ἐκ ποδῶν. υυυυυυυυυ,υ-|υ-
Ducite me cito, ducite procul.

Anomala, quæ spodeum habent, pro jambo.

I. Secundo loco.

Monometra perfecta.

Psal. 22. 4. ואתה קרוש
Ac sanctus es.

& 23. 3. נפשי ישובב
Animam meam convertet. υ-,--|

Prov. 26. 10. רב מחולל-כל
Plurimum dolore afficit omnes.

Græca.

Soph. 21. Ἰώ μοι μοι
Hei mihi mihi.

& 53. Ἰώ τλήμων
Heu me infelicem. υ-,--|

Imperfecta excessu, hypercatalecta.

Job. 38. 2. :במלין בלי לערך
Sermonibus inscitis.
Prov. 10. 23. חכמה לאיש תבונה
Sapientia viro intelligenti.
& 22. 10. וישבת דין וקלון
Et cessabit litigium & ignominia.
Psal. 82. 3. שפטו דל ויתום
Judicate tenuem & pupillum.
| ∪-,--|-

G R Æ C A.

Soph. 36. Ἴδαια μίμνω.
Ad montem *Idam maneo.*
& 180. κακὰ προσψαύσει.
Mala accedent.
| ∪---|-

DIMETRA perfecta acatalecta.

Job. 22. 10. על-כן סביבותיך פחים
Ideoque-circumstant te laquei.
Prov. 24. 23. הכר פנים במשפט בל-טוב
Agnoscere personam in judicio non est bonum.
| ∪---|∪-∪-
& 7. 2. ותורתי כאישון עיניך ----|--∪-
Et doctrina mea ut pupilla oculorum tuorum.

G R Æ C A.

Soph. 22. Ἀρωγὼ τέχνας, ἁλίαν ∪---|--∪-
Antistes artis, mare sc. agitans.

Est protasis: cui hæc antapodosis respondet jambica pag. 21.

Μόνοι ἐμῶν φιλῶν μόνοι.
Soli meorum amicorum, soli.
Pind. 85. Κᾶπον· κεῖναι γὰρ ὤπασαν ----|∪-,∪∪
Hortum: illæ enim præbent.
& 379. Ἀοιδοὶ ϗ λόγιοι τὰ καλά. ∪---|∪∪-,∪∪∪
Poetæ & oratores præclara divulgarunt.

DIMET. IMPERFECTA.

1. Defectu, catalectica.

Prov. 18. 12. :ולפני כבוד ענוה
Ante honorem humilitas.
& vers. 16. מתן אדם ירחיב לו
Donum hominis dilatat eum.
| ∪---|∪-∪̄
& 11. 17. :ועכר שארו אכזרי ----|∪-∪̄
Turbat carnem suam crudelis.
& 22. 24. :ואת-איש חמות לא תבוא ∪---|--∪̄
Et cum viro iracundo ne congrediaris.

G R Æ C A.

Soph. 83. Ἰώ μοι μοι δύστηνος ∪---|--∪
Heu me me miseram.
& 307. Σπέργω διπλᾶς ἀρωγᾶς ----|∪-∪̄
Obsecro ut duplici auxilio.

2. Brachycatalecta.

Job. 30. 31. ועֻגבי לקול בוכים ∪–,––|––
Et organum meum ad vocem flentium.

Prov. 20. 20. מקלל אביו ואמו ∪–,––|∪–
Maledicens patri ſuo aut matri ſuæ.

& 10. 19. וחושך שפתיו משכיל ––,––|∪–
Sed cohibens labia ſua intelligens.

& 18. 3. כבוא רשע בא גם בוז ––,––|∪–
Adveniente improbo advenit etiam contemtus.

Græca.

Soph. 52. Τίς ἂν δή μοι τίς ἂν ∪–,––|∪∪
Quiſnam igitur mihi, quiſnam?

& 179. Οὐ τὸν πάντων θεῶν ––,––|∪–
Non per illum omnium Deorum, &c.

Anom. exceſſu, hypercatalecta.

Prov. 29. 19. בדברים לא-יוסר עבד ∪–,––|∪–∪–|∪
Verbis non caſtigabitur ſervus.

Job. 38. 7. ויריעו כל-בני אלוהים ∪–,––|∪–∪–|–
Et vociferati ſunt omnes filii Dei.

Græca.

Soph. 86. Ὄλοιτ' εἴ μοι θέμις τάδ' αὐδᾶν
Pereat, ſi mihi fas iſta optare.

& 238. Κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν.
Volvit ex imo nigrum.

∪–––|∪–∪–|–

Anom. quarto pede ſpondeo.

1. Perfecta, acatalecta.

Prov. 10. 32. שפתי צדיק ידעון רצון ∪–∪–|––,––
Labia juſti cognoſcent benevolentiam.

Pſal. 149. 4. יפאר ענוים בישועה׃ ∪–∪–|––,––
Ornat manſuetos ſalute.

Græca.

Pind. 378. Ἔπαυσε λάθαν σωκλείδα ∪–∪–|––,––
Suſtulit oblivionem Soclidæ.

Soph. 254. ὑπὲρ πάγου, θεῶν ἡ παῖς ∪–∪–|∪–,––
In colle, deorum filia.

2. Imperfecta.

Exceſſu, hypercatalecta.

Prov. 15. 7. שפתי חכמים יזרו דעת ∪–∪–|––,––|∪
Labia ſapientum ſpargunt ſcientiam.

& 25. 17. איש-עונה ברעהו עד שקר ––∪–––,––|∪
Vir teſtans contra proximum ſuum teſtimonium falſum.

Job. 13. 23. פשעי וחטאתי הודיעני׃ ∪–∪–|––,––|–
Defectionem meam & peccatum meum notum fac mihi.

& 15. 6. ירשיעך פיך ולא-אני ∪–∪–|––,––|–
Condemnabit te os tuum, non autem ego.

Græca Hypercatalecta nulla, neque in Pindaro neque in Sophocle obſervata. Atque hac ratione, primo carminum genere demonſtrato, ad ſecundum procedimus.

CAPUT VI.

De Trochaico carmine canones.

1 *Trochaicum mixtum analogum, secundarios habet pedes, tribrachyn (ex longa trochæi in duas breves soluta) & spondeum, ac per hujus dialysin, dactylum & anapæstum legitimo ordine collocatos.*

2 *Ordo autem legitimus est, ut locis imparibus, præter trochæum, sit tribrachys aut dactylus: paribus vero, præter illos tres, spondeus aut anapæstus.*

Quæ omnia ab Hephæstione pag. 13. similiter de versibus Græcis trochaicis tradita.

3 *Inter trochaica mixta, elegantiora cæteris videntur, quæ trochæo & spondeo alternis constant.*

4 *Anomalum vero est, quum uno tantum loco, primo vel tertio, spondeus pro trochæo collocatur.*

Nam licet Dem. Triclinius, de metris Sophoclis agens, ea sæpius ad antispastica referat; nonnunquam tamen, trochaica esse affirmat, ut pag. 442. metrum hoc Sophoclis pag. 104. ἑλλάνων ἄναξ, *græcorum rex*, ait esse *Trochaicum penthemimeres: sin velis, antispasticum monometrum, hypercatalectum*. Et pag. 447. carmen Sophoclis pag. 180. ψυχάν. κὴ τάδ' ἐι κακοῖς, *animum* sc. *cruciat: & hæc si malis*, &c. absolute ait, *trochaicum hephthemimeres Euripedeum*. Ac sane antapodosis illius est trochaicum quoque anomalum, sed primo pede analogo trochæo, tertio vero contra anomalo spondeo, pag. 181. ἀλύσ-ταν κατ' ὀρθὸν ὤρησας, *mœstam erexisti*. Quale omnino est illud pag. 24. τιν' ἐς ὄνησιν ἀνθρώπων quen*dam, ad utilitatem, hominum*, sc. intueri: quod diserte Triclinius ait esse *Trochaicum Hephthemimeres*, pag. 437. a.

Similiter Scholiastes Hephæstionis pag. 61. ait, *Immanifesta vero, ubi in quodam metro sinistre, hoc est, extra locum suum collocatur pes. Ut si in Jambo inveniatur pari spatio spondeus, aut in trochæo, impari loco. Tunc enim toto æqualiter se habente, una tantum regio est anomala.* ἀπεμφαίνοντα δέ, ὅταν ἐν τινὶ μέτρῳ κακῶς, τουτέστι παρὰ τὸν τόπον κεῖται πούς. οἷον εἰ ἐν ἰάμβῳ εὑρεθείη ἐν ἀρτίᾳ βάσει σπονδεῖος, ἢ ἐν τροχαίῳ ἐν περιττῇ. τότε γὰρ τοῦ ὅλου μονοειδοῦς ὄντος, μία μόνη χώρα ἐστὶν ἀνώμαλος. Quare hæc anomala vocat ille ἀπεμφαίνοντα quæ Latini (Teste Rufino de metris comicis) *immanifesta vocant*: quod licet sint ejusdem generis, cum suis analogis, carminis tamen ratio, non ita sit manifesta: sed per anomaliam quasi obscuretur. Quæ nonnihil explicare visum, ne temere atque inepte, partim ante de anomalis jambicis, partim de anomalis trochaicis statuisse videremur.

Sed ut hi canones amplius declarentur, *Hebræorum & Græcorum harmoniam* ostendemus.

CAPUT VII.

Carmina Trochaica exemplis parallelis demonstrata.

Primum ANALOGA.

I. MONOMETRA perfecta, seu acatalectica.

Psal. 48. 8. ברוח קדים
Vento Orientali.

& *66. 6.* שם נשמחה בו:
Illic lætabimur in eo.

| – ᴗ, – –

Deut. 32. 1. ואדברה ᴗᴗ ᴗ, – –
Et loquar.

GRÆCA.

Pind. 192. 4. Καλλινίκου.
Egregii victoris.

& 196. Τὰν πρὸ κύμας.
Quæ ante Cumam.

Soph. 354. Ἀλλὰ θείας.
Sed divinas.

| – ᴗ – –

& 424. μετρίαζε – ᴗ – ᴗ
Sis moderatus.

Monometra imperfecta.

1. Defectu catalectica.

Job. 14. 4. :לא אחר
Non unus.
Psal. 140. 10. ראש מסבי
Venenum circumdantium me. | – ∪, –.

Græca.

Soph. 105. Τᾷ δὲ γᾷ.
Huic terræ.
& ibidem. Οὔτις πω.
Nulla unquam. | – ∪, –

2. Excessu, hypercatalecta.

1. Pura.

Prov. 3. 22. :וחן לגרגרותיך – ∪ – ∪ –
Et gratia faucibus tuis..
& 25. 9. וכוד אחר אל-תגל – ∪ – ∪ ∪
Et arcanum alterius ne retegito.
Psal. 46. 5. :קדש משכני עליון
Sanctum, habitacula Excelsi.
Job. 23. 14. כי ישלים חקי
Quia perficit statutum de me? | – ∪ – ∪ | –

Græca.

Soph. 25. Ποῖ τις οὖν φύγῃ;
Quo quis igitur effugerit?
Ibidem. ποῖ μόλων μενῶ;
Quo veniens manebo?
& 26. Οὐκέτ' ἄνδρα μὴ
Nequaquam amplius virum. | – ∪ – ∪ | –
Ibidem. Τόνδ' ἴδητ'. ἔπος. – ∪ – ∪ | ∪
Hunc videbitis. verbum

2. Mixta.

Psal. 48. 12. למען משפטיך ∪∪∪, – ∪ | –
Propter judicia tua.
& 95. 8. כיום מסה במדבר – ∪ – ∪ ∪ | ∪
Ut tempore tentationis in deserto.
Prov. 15. 16. טוב מעט ביראת יהוה – ∪, ∪ ∪ – | –
Melius est parum cum reverentia Jovæ.
& 23. 18. כי אם-יש אחרית – ∪ – ∪ ∪ | –
Quinimo est merces.
Job. 28. 12. ואי זה מקום בינה – ∪ – – | –
Quisnam est locus intelligentiæ?

Græca.

Soph. 26. Τινα τροίᾳ στρατῷ ∪∪∪ –, – ∪ | ∪
Aliquem Troja in exercitu, sc. vidit.
& 237. Οἷς γὰρ ἂν θεόθεν – ∪ – ∪ ∪ | ∪
Quibus enim divinitus
& 187. Οὐ δὲ γηράσκει – ∪ – – | –
Neque cosenescit.
Pind. 2. Ἄλλο θαλπνότερον – ∪ – ∪ ∪ | ∪
Aliud calidius.

II. Di-

II. Dimetra.

Perfecta, acatalecta.

1. Pura.

Job. 24. 17. כי יכיר בלהות צלמות׃ –⏑–⏑|–⏑–⏑
Quum cognoſcit quis, *terrores* ſunt *lethalis umbræ*.
& 41. 19. לא־יבריחנו בן־קשת –⏑–⏑|–⏑–⏑
Non fugat eum ſagitta.
Pſal. 106. 27. ולהפיל זרעם בגוים –⏑–⏑|–⏑–⏑
Et dejecturum ſemen eorum in gentibus.
& 72. 12. כי־יציל אביון משוע –⏑–⏑|–⏑–⏑
Quoniam eripiet egentem vociferantem.

Græca.

Pind. 2. Μηδ᾽ ὀλυμπίας ἀγῶνα
Neque Olympico certamen, ſc. præſtantius.
& 108. Οὔτ᾽ ἐρίβρομοι λέοντες
Neque graviter rugientes leones.
Soph. 91. Τοιάδ᾽ ἀνύσαντες ἔργα
Talia qui perfecerunt facinora.
& 136. Φιλτάτην ἔχων πρόσοψιν.
Suaviſſimum habens aſpectum.

(Pind. 2. – Soph. 136.) –⏑–⏑|–⏑–⏑

2. Mixta.

Job. 14. 4. מי־יתן טהור מטמא –⏑––|–⏑––
Quis dabit mundum ex immundo.
Prov. 24. 4. ובדעת חדרים ימלאו –⏑, ⏑⏑–|–⏑––
Et ſcientia penetralia implebuntur.
& 27. 3. וכעס אויל כבד משניהם ⏑⏑⏑, ––|–⏑––
At indignatio ſtulti gravior iſtis duobus.

Græca.

Pind. 68. πῦρ πνεόντων ἀρχὸς ἵππων –⏑––|–⏑––
Ignem ſpirantium dux equorum.
& 195. Πείθεό μοι ποινὰν τεθρίππων –⏑⏑, ––|–⏑––
Obſequere mihi, præmium quadrigarum.
& 198. Πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων ⏑⏑⏑, ––|–⏑––
Hoſtibus viris defunctis.

Imperfecta.

1. Defectu catalectica.

1. Pura.

Prov. 1. 30. נאצו כל־תוכחתי –⏑–⏑|–⏑, –
Contemſerunt omnem correctionem meam.
Job. 22. 13. ואמרת מה־ידע אל –⏑–⏑|–⏑, –
Et dixiſti, quid noſceret Deus?
Pſal. 89. 10. בשוא גליו אתה תשבחם –⏑–⏑|⏑, –
Quum attollunt ſe fluctus ejus, tum reprimis eos.

Græca.

Pind. 6. Μάρτυρες σοφώτατοι
Teſtes ſapientiſſimi.
Soph. 25. Εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι
Si quidem illa pereunt, amici.

(Pind. 6. – Soph. 25.) –⏑–⏑|–⏑, –

2. Mix-

2. MIXTA.

Prov. 6. 1. :חקעת לזר כפיך –∪–∪–|–∪∪,–
Complosisti extraneo manus tuas.

& 12. 3. לא חכון ארם ברשע –∪––|–∪,∪̲
Non stabilitur homo improbitate.

& 10. 31. פי צדיק ינוב חכמה –∪––|–∪,–
Os justi abunde profert sapientiam.

& 20. 6. :ואיש אמונים מי ימצא –∪––|–∪,–
Virum autem veracem quis inveniat?

& 12. 4. אשתחיל עטרת רעלה –∪,∪̲∪̲∪|∪̲∪̲∪,–
Uxor strenua corona est mariti sui.

GRÆCA.

Soph. 15. Καὶ βοτῆρας ἱπποσνόμους –∪–∪|–∪∪,–
Et pastores equis præfectos.

Pind. 70. Τ' ἔννομοι Βοιώτιοι –∪––|–∪,–
Certamina*que legitima Bœotia.*

Soph. 128. Δύο φέρειν ἔνιγε λόγῳ ∪̲∪̲∪–∪|∪̲∪̲∪,–
Ut duo reportares uno sermone.

II. DIMERRA BRACHYCATALECTA.

1. PURA.

Prov. 29. 22. איש-אף יגרה מרון
Iracundus miscet contentionem.

& 14. 17. ואיש מימות ישנא
Et vir machinationum odio habebitur.

–∪–∪|–∪̄

GRÆCA.

Pind. 349. οἴκοθεν μάτευε
E domo quære.

Soph. 88. Προσμένουσ' ἄτεκνος
Expectans absque liberis.

–∪–∪|–∪

& 90. Ἦν ὁ ταῦτα πράσσων –∪–∪|–∪̄
Erat qui ista facit.

MIXTA.

Prov. 4. 20. בני לדברי הקשיבה –∪,–∪∪|–∪̄
Fili mi, ad verba mea atttende.

& 10. 8. זכר צדיק לברכה ∪∪∪,–∪|–∪̄
Memoria justi est benedicta.

& 24. 5. ואיש רעת מאמץ-כח –∪,∪̲∪̲∪|–∪
Vir sciens fortificat vires.

GRÆCA.

Pind. 2. Ἔλδεαι, φίλον ἦτορ –∪,–∪∪|–∪
Cupis, amicum pectus.

Soph. 25. Ἄν με χειρὶ φονεύοι –∪, –∪∪|–∪̄
Ut me manu interficiat.

Dimetra excessu imperfecta, hypercatalecta.

Psal. 8. 5. ולא יזכר שם ישראל עוד –∪––|–∪––|–
Et non memorabitur nomen Israelis amplius.

Prov. 7. 21. :בחלק שפתיה חריחנו –∪–∪|–∪–∪|–
Blanditia labiorum suorum impellit eum.

& 10. 9. ומעקש דרכיו יורע –∪––|–∪––|∪̲
Qui pervertit vias suas agnoscetur.

& 21. 6. פעל אוצרות בלשון שקר –∪––|–∪––|∪̲
Confecti thesauri lingua falsitatis.

Græca talia, nec in Pindaro neque in Sophocle, observata.

III. DI-

III. Trimetra perfecta, non apparent in poematis sacris; sed

Defectu brachycatalecta.

Psal. 136. 12. ביד חזקה ובזרוע נטויה -∪--|-∪-∪|--
Manu robusta & brachio extento.

Prov. 2. 16. מנכריה אמריה החליקה ∪∪∪-∪|-∪-∪|--
Ab extranea quæ dictis suis blanditur.

Græca nec in Pindaro nec in Sophocle comperi, sed catalectica.

Pind. 419. Ἐν τὶν ἔργων· οὐδ' ἀμόχθῳ καρδίᾳ -∪--|-∪--|-∪-
Successus *in te est operum: neque alieno a laboribus corde.*

& 432. 8. Κερδέων δὲ χρὴ μέτρον θηρεύεμεν -∪-∪|-∪--|-∪∪
Lucrorum autem oportet mensuram venari.

Soph. 200. Παιδὶ καὶ πατρὶ θαλαμηπόλῳ πεσεῖν -∪--|∪∪∪-∪|-∪-
Filio & Patri nuptiarum consorti, cadere.

ANOMALA.

I. Primo pede spondeo.

1. Monometra, excessu hypercatalecta.

Prov. 10. 6.	ברכות לראש צדיק *Benedictiones capiti justi.*	---∪|-
& vers. 7.	ושם רשעים ירקב : *Nomen autem improborum putrescet.*	
& 24. 20.	נר רשעים ירעך *Lucerna improborum extinguetur.*	

GRÆCA.

Pind. 40.	Τῶν Ὀλυμπίᾳ *Illorum in Olympia.*	---∪|-
Soph. 104.	Ἑλλάνων ἄναξ *Græcorum rex.*	
Ibidem.	Ἀμφήκης γένυς. ---∪|- *Anceps bipennis.*	

2. Dimetra Perfecta.

Prov. 8. 11. כי טובה חכמה מפנינים ---∪|-∪--
Quia melior sapientia carbunculis.

& 10. 2. וצדקה תציל ממות: ---∪|-∪-∪
Et justitia eripit a morte.

& 13. 18. ריש וקלון פורע מוסר ----|-∪--
Paupertas & ignominia averruncantis eruditionem.

& 17. 13. לא-תמוש רעה מביתו: ----|-∪--
Non recedet malum a domo ejus.

& 23. 21. כי-סובא וזולל יורש ----|-∪--
Quia ebriosus & commessator pauper fiet.

GRÆCA.

Soph. 187. Τεκνωθέντες· ὧν Ὄλυμπος ---∪|-∪-∪
Prognati: quorum cælum, &c.

& 218. Τὸν λεύκασπιν Ἀργόθεν πρὶν ---∪|-∪-∪
Albo scuto Argivum antea.

& 228. Ἱππείῳ γένει πολεύων ---∪|-∪--
Equino genere exercens.

IM-

IMPERFECTA.

1. Defectu Catalectica.

Prov. 11. 4. לא-יועיל הון ביום עברה ----|-ᴗ-
Non prodest substantia die furoris.

& 28. 27. נותן לרש אין מחסור ----|-ᴗ-
Ei qui dat pauperi, non erit egestas.

GRÆCA.

Soph. 180. Ψυχάν· ϗ τάδ' ἑ κακοῖς ---ᴗ|-ᴗ-
Cruciat *animam: & hæc siquidem malis*, &c.

& 188. Δυσπότμȣ χάειν χλιδᾶς ---ᴗ|-ᴗ-
Infelicis gratia voluptatis.

BRACHYCATALECTA.

Prov. 14. 11. בית רשעים ישמר ---ᴗ|-ᴗ̄
Domus improborum perdetur.

Imperfecta excessu, hypercatalecta.

Job. 6. 22. ומכחכם שחדו בעדי: -ᴗ-ᴗ|ᴗᴗ-ᴗᴗ|-
Et ex facultatibus vestris largimini mihi.

Græca nec brachycatalecta, nec hypercatalecta, apud Pindarum, aut Sophoclem invenimus.

ANOMALA tertio pede spondeo.

Dimetra perfecta.

Psal. 148. 8. רוח סערה עשה דברו -ᴗ--|----
Ventus turbineus efficiens verbum ejus.

Prov. 21. 22. עיר גברים עלה חכם -ᴗ--|----
Civitatem potentium conscendit sapiens.

GRÆCA.

Pind. 59. Ἔνδον ἀμπέλȣ καγχλάζοι-σαν
Intus vitis bullientem rore.

-ᴗ-ᴗ|----

& 349. Δι-κας ἄωτος ἐσλῶς αἰνεῖν.
Justitiæ flos, probos laudare.

Soph. 254. Ἀλλ' ὑφ' αἱματτηραῖς χερσί.
Sed a cruentis manibus.

Ibidem. Ἀλλὰ κ' ἀπ' ἐκεῖνα μοῖραι.
Sed & in illam fata.

-ᴗ-ᴗ|----

IMPERFECTA.

Defectu catalecta.

Prov. 3. 33. מארת יהוה בבית רשע -ᴗ--|--,-
Execratio Jovæ incumbit domui improbi.

& 19. 1. מעקש שפתיו והוא כסיל: -ᴗ--|--,-
Præ perverso labiis suis, qui est stolidus.

Psal. 78. 48. ומקניהם לרשפים: |-ᴗ-ᴗ|--,-
Et pecora eorum prunis ignitis.

GRÆ-

GRÆCA.

	Ti-	
Soph. 24.	ν' ἐς ὄνησιν ἀνθρώπων	
	Quendam, cum utilitate, hominum.	
& 196.	Σοὶ δὲ ταῦτ' ἀρέσ' ἔιη	-∪-∪|--,-
	Tibi autem hæc placeant.	
Ibidem.	Αἷσι πλεῖστα συμπαίζει.	
	Quibuſcum plerumque ludit.	

Imperfecta exceſſu, hypecatalecta.

Pſal. 25. 4.	דרכיך יהוה הודיעני	-∪--|----|-
	Vias tuas Jova notas fac mihi.	
Prov. 28. 5.	ומבקשי יהוה יבינו כל	-∪--|----|-
Bonus eſt Jova expectantibus eum:
2. לנפש תדרשנו ∪∪∪,∪-
Animæ requirenti ipſum.

Primum, dactylicum trimetrum catalecticum.
Secundum, jambicum monometrum.

26. ט

1. טוב ויחיל ודומם --|--|-
Beatus cum expectans, tum acquieſcens,
2. לתשועת יהוה ∪-∪-|-
In ſalute Jovæ.

Primum, dactylicum trimet. catalecticum.
Secundum, jambic. monometrum hypercatalectum.

27. ט

1. טוב לגבר -∪∪∪
Bene eſt viro iſti;
2. כי-ישא על בנעוריו -∪-|-∪-|-
Quum tulerit jugum in pueritia ſua.

Primum, pæonicum monometrum purum.
Secundum, pæonicum Creticum dimet. hypercatalectum.

28. י

1. ישב בדד וידם ----|∪-
Qui *ſedens ſolitarius acquieſcit,*
2. כי נטל עליו: --∪-|-
Quia impoſuit ipſi.

Primum, jambicum dimetrum brachycatal. Doricum: ut Pſal. 34. 4. car. 2.
Secundum, jambic. monometrum hypercatalectum.

29. י

1. יתן בעפר ויהו ∪-∪-|--,∪̄
Indit pulveri os ſuum;
2. אולי יש תקוה -∪-∪|-
Quod *forte ſit expectatio.*

Primum, jambicum dimetrum, brachycat.
Secundum, trochaicum monometr. hypercatalectum.

30. י

1. יתן למכהו לחי ∪-∪-|-∪-
Præbet percutienti ſe genam,
2. ישבע בחרפה: ∪∪∪-
Satiatur opprobrio.

Primum, antiſpaſt. dimet. catalect. periodicum.
Secundum, pæonicum monometrum purum.

31. כ

1. כי לא יזוח --∪-
Quia non rejicit.
2. לעולם ארני: --∪-|-
In ſeculum Dominus.

Primum, jambic. monometrum.
Secundum, idem hypercatalectum,

32. כ

1. כי-אם הוירה -∪--
Quod ſi affecit mœſtitia,
2. ורחם כרב חסריו: ∪∪-∪-|-
Et miſeretur pro amplitudine benignitatum ſuarum:

Primum, trochaicum monometrum.
Secundum, jambicum monomet. hyercatalectum.

33. כ

1. כי לא ענה מלבו --∪-|∪∪-
Quia non affligit ex animo ſuo,
2. וינה בני-איש: ∪∪∪-|∪̄
Et mœſtitia afficit filios viri.

Primum, epionicum a minori dimet. catalecticum.
Secundum, Pæonicum monomet. hypercat.

34. ל

1. לרכא תחת רגליו ∪-∪∪∪|-
Conterere ſub pedibus ſuis
2. כלאסירי ארץ: -∪--|-∪
Omnes vinctos terræ.

Primum, jambicum monomet. hypercatalectum.
Secundum, trochaicum dimet. brachycatalectum.

35. ל

1. להטות משפט וּבר ∪-∪∪-|∪
Detorquere jus viri
2. נגר פני עליון: ∪∪-∪-
Coram facie ſuperioris.

Primum, jambicum monomet. hypercatalectum.
Secundum, idem acatalectum.

36. ל

1. לעות אדם בריבו ∪---|--
Pervertere hominem in lite ſua;
2. ארני לא ראה: ∪---|--
Dominus non probat.

Utrumque jambicum Doricum dimetrum brachycatalectum, ut Pſal. 37. 22. car. 2.

37. מ

1. מי זה אמר ותהי -∪-∪-|∪∪-
Quis iſte, quo *dicente res extiterit;*
2. ארני לא צוה ∪---|∪-
Domino non præcipiente.

Primum, jonicum a minori catalecticum.
Secundum, jambicum dimet. brachycat. Doricum: ut Pſal. 34. 20. car. 1.

38. מ

1. מִפִּי עליון לא תצא ∪-∪-|--∪̄
Ex ore excelsi nonne prodit
2. הרעות והטוב ---∪|-
Malum quodque & bonum.

Primum, jambicum dimetr. catalecticum.
Secundum, trochaicum monomet. hypercatal. pede primo spondeo pro trochæo: ut Psal. 145. 9. carm. 1.

39. מ

1. מה-יתאונן אדם חי ∪∪---|--
Cur quiritatur homo vivens?
2. נבר על חטאו: ∪∪∪∪-|-
Vir propter peccata sua quiritetur.

Primum, anapæst. dimetrum brachycatalectum.
Secundum, jambic. monomet. hypercatalectum.

40. נ

1. נחפשה דרכינו ונחקרה ∪---|-∪-
Perscrutemur vias nostras & pervestigemus;
2. ונשובה עד-יהוה: ---∪|-∪̄
Atque revertamur usque ad Jovam.

Primum, antispasticum dimet. catalecticum.
Secundum, trochaicum dimet. brahycat. ut Psal. 34. 12. car. 1.

41. נ

1. נשא לבבנו אל-כפים ∪---|-∪∪-|∪
Attollamus cor nostrum cum manibus,
2. אל-אל בשמים: ∪-∪-|-∪
Ad Deum in cœlis.

Primum, epicoriambicum hypercatalectum.
Secundum, jambicum dimetr. brachycatalectum.

42. נ

1. נמנו פשענו ומרינו ∪--∪|----|-
Nos defecimus & rebellavimus:
2. אתה לא סלחת ∪---|∪-
Tu non condonasti.

Primum, antispasticum dimet. hypercatal. ut Psal. 25. 17. car. 2.
Secundum, jambicum dimet. brachycat. Doricum: ut Psal. 34. 20. car. 1.

43. ס

1. סכתה באף ותרדפנו ∪---|∪∪∪--
Obtegis ira & persequeris nos;
2. הרגת לא חמלת: -∪--|-∪-
Interficis, non uteris clementia.

Primum, antispasticum dimetrum ex epitrito primo & trochaica syzygia
Secundum, trochaicum dimet. catalecticum.

44. ס

1. סכתה בענן לך ∪--∪|---
Obtegis nube te,
2. מעבור תפלה: -∪-∪|-
Ne pertranseat oratio.

Primum, antiſpaſt. dimet. catalecticum.
Secundum, trochaicum monometrum hypercatalectum.

45. ס

1. סחי ומאום תשימנו --|--|--|-
Purgamentum & rejectamentum ſtatuis nos,
2. בקרב העמים: ∪∪-∪-
In medio populorum.

Primum, dactylicum tetrametrum catalecticum.
Secundum, jambicum monometrum.

46. פ ante ע.

1. פצו עלינו פיהם --|--|--|∪̲
Dilatant contra nos os ſuum
2. כל-איבינו: ∪--∪̄
Omnes inimici noſtri.

Primum, dactylicum tetrametrum catalecticum.
Secundum, antiſpaſticum monometrum: ut Pſal. 25. 2. car. 2.

47. פ

1. פחד ופחת היה לנו ∪∪-∪∪-|--,-
Pavor & fovea adeſt nobis,
2. השאת והשבר ∪-∪-|∪
Vaſtatio & contritio.

Primum, anapæſticum dimet. catalecticum.
Secundum, jambicum monomet. hypercatalectum purum.

48. פ

1. פלגי-מים תרד עיני ∪-∪∪-|∪--
Rivis aquarum delabitur oculus meus:
2. על שבר בת-עמי: ∪∪̲∪̲,∪∪∪̄
Propter contritionem filiæ populi mei.

Primum, jambic. dimet. catalecticum.
Secundum, jambicum monometrum.

49. ע

1. עיני נגרה ולא תדמה --∪-|-∪∪̲
Oculus meus defluit nec deſiſtit,
2. מאין הפגות: --∪∪-|
Quod nullæ ſint intermiſſiones.

Primum, antiſpaſticum dimet. catalect. periodicum: ut Pſal. 25. 2. car. 1.
Secundum, anapæſticum monometrum.

50. ע

1. עד ישקיף וירא ∪∪-,-∪̲
Donec proſpiciat & videat
2. יהוה משמים: --∪-|-∪̲
Jova e cælis.

Primum anapæſticum monometrum.
Secundum, jambic. dimet. brachycatalectum.

51. ע

1. עיני עוללה לנפשי ----|∪-
Oculus meus afficit animam meam,
2. מכל בנות עירי: ∪---|-
Præ omnibus filiabus civitatis meæ.

Pri-

Primum, jambicum dimet. brachycatalectum Doricum: ut Psal. 34. 4. car. 2.
Secundum, simile monomet. hypercatalectum: ut Psal. 25. 13. car. 1.

52. צ

1. צור צדוני רצפור ----|∪∪-
Venando venantur me tanquam avem
2. :איבי חנם -∪∪-
Inimici mei immerito.

Primum, anapæsticum dimet. brachycatalectum.
Secundum, choriambicum monometrum.

53. צ

1. צמתו בבור חיי --∪-|∪-
Excindunt in fovea vitam meam;
2. :וידו-אבן בי ∪∪-∪∪-
Et projiciunt lapidem in me.

Primum, jambicum dimet. brachycat.
Secundum, anapæst. monometrum purum.

54. צ

1. צפו-מים על-ראשי --∪∪∪|--
Inundant aquæ supra caput meum:
2. :אמרתי נגזרתי -∪-∪|-∪̄
Dico, succisus sum.

Primum, jamb. dimet. brachycatalectum.
Secundum, trochaicum dimet. brachycat.

55. ק

1. :קראתי שמך יהוה ---∪|---
Invoco nomen tuum Jova,
2. :מבור תחתיות ∪-∪∪∪̄
Et lacu inferorum.

Primum, antispasticum dimet. catalecticum ex epitritis quartis.
Secundum, jambicum monometrum.

56. ק

1. קולי שמעת --|--|-
Vocem meam exaudivisti:
2. אל תעלם אזנך ∪∪-∪-
Ne occultes aurem tuam;
3. לרוחתי לשועתי ∪--∪|--
Ad anhelationem meam, ad vociferationem meam.

Primum, dactylicum trimetrum catalecticum.
Secundum, jambicum monometrum.
Tertium, antispasticum dimetrum brachycatalectum.

57. ק

1. קרבת ביום אקראך -∪--|∪-∪-
Appropinquabas quo die invocabam te:
2. :אמרת אל-תירא -∪-∪|--
Dicebas, ne timeto.

Primum, antispasticum periodicum dimetrum.
Secundum, trochaic. dimet. brachycatalectum.

58. ר

1. רבת אדני ריבי נפשי ∪-∪-|---∪|-
Agebas, Domine, causas animæ meæ:

2. גאלת חיי -∪-∪|-
Redimebas vitam meam.

Primum, antiſpaſticum dimet. hypercatalectum.
Secundum, trochaicum monomet. hypercatalectum purum.

59. ר

1. ראיתה יהוה עותתי ----|-∪--|-
Vidiſti, Jova, perverſitatem meam;
2. שפטה משפטי: ∪-∪-|∪̄
Judica judicium meum.

Primum, trochaicum dimetrum, primo ſpondeo pro trochæo: ut Pſal. 145. 3. car. 1. hypercatalectum.
Secundum, jambic. monomet. hypercatalectum purum.

60. ר

1. ראית כל-נקמתם --|-∪∪|--
Vides totam ultionem iſtorum;
2. כל-מחשבותם לי: ∪∪-,--
Omnes cogitationes iſtorum contra me.

Primum, dactylicum trimetrum.
Secundum, anapæſticum monometrum.

61. ש

1. שמעת חרפתם יהוה -∪-∪|---
Audis probrum iſtorum Jova;
2. כל-מחשבותם עלי: ∪∪---|-
Omnes cogitationes iſtorum contra me.

Primum, trochaicum dimetrum, tertio ſpondeo: ut Pſal. 25. 4. car. 1.
Secundum, anapæſticum monomet. hypercatalectum.

62. ש

1. שפתי קמי והגונם ∪--∪|∪--
Labia inſurgentium in me, & meditationem iſtorum,
2. עלי כל היום -∪∪,∪-
Contra me, toto die.

Primum, antiſpaſticum dimet. catalecticum purum.
Secundum, jambicum monometrum.

63. ש

1. שבתם וקימתם הביטה ∪---∪|-∪--
Sedere iſtorum, & ſurgere iſtorum intuere,
2. אני מנגינתם: ∪-∪-|--
Me eſſe modulationem iſtorum.

Primum, antiſpaſticum dimetrum: ut Pſal. 112. 1. car. 1.
Secundum, jambicum dimet. brachycatalectum.

64. ת

1. תשיב להם גמול יהוה ---∪|---
Redde eis retributionem, Jova:
2. כמעשה ידיהם: ∪∪--∪̱
Secundum opus manuum ipſorum.

Primum, antiſpaſt. dimet. catalect. ut Pſal. 34. 15. car. 2.
Secundum, anapæſt. monomet. ut verſ. 19. car. 2.

65. ח

1. חחן להם מונח לב ∪--∪|∪∪-
Adhibe his protectionem cordis;
2. תאלתך להם ∪∪---|∪
Execrationem tuam illis.

Primum, antiſpaſticum dimet. catalect. ut Pſal. 34. 17. car. 2.
Secundum, anapæſticum monomet. hypercatalectum.

66. ח

1. תרדף באף ותשמידם ∪-∪∪-|-
Perſequere ira & perde ipſos,
2. מתחת שמי יהוה׃ ∪∪∪--|-
Ne ſint ſub cœlis Jovæ.

Primum, jambic. monometrum hypercatalectum.
Secundum, trochaic. monom. hypercat.
Hæc de alphabethicis poematibus: ſequuntur ex Moſe & Jobo diverſa.

CAPUT X.

Analyſis poetica cantici primi Moſis Exodi XV.

Verſiculi hujus cantici ſunt novemdecim: conſtant autem (pro diſpari longitudine) quatuor eorum, diſticho, ut III. XII. XIV. XVIII. quinque triſtico, I. V. VIII. IX. XV. octo, tetraſticho, ut II. IV. VI. VII. X. XIII. XVI. XVII.: denique nonum pentaſticho, & decimum nonum hexaſticho.

VERSUS I.

1. אשירה ליהוה --|--|--
Cantabo Jovæ,
2. כי-גאה גאה --|--|-
Quia excellendo excelluit;
3. סוס ורכבו רמה בים׃ --|--|-∪∪̄
Equum & ſeſſorem ejus dejecit in mare.

Primum, dactylic. dimetrum.
Secundum, ſimile catalecticum.
Tertium, trimetrum ſimile.

2.

1. עזי וזמרת יה ∪-∪-|-
Robur meum & carmen Jah,
2. ויהי לי לישועה ∪---|--
Quia fuit mihi ſaluti:
3. זה אלי ואנוהו ∪--∪|--
Hic eſt Deus meus, cui tabernaculum parabo,
4. אלהי אבי וארממנהו׃ ∪---|-∪∪-|∪-
Deus patris mei, quem exaltabo.

Primum, jambic. monomet. hypercatalectum.
Secundum, jambic. dimet. brachyc. Doricum: ut Pſal. 37. 21. car. 2.
Tertium, antiſpaſticum dimet. brachycatalectum.
Quartum, epichoriambicum trimet. brachycat.

3.

1. יהוה איש מלחמה ---∪|--
Jova eſt vir bellicoſus:
2. יהוה שמו׃ --|-
Jova nomen ejus.

Pri-

Primum, trochaicum dimet. brachycat. ut Psal. 34. 12. car. 1.
Secundum, dactylicum dimetrum catalecticum.

4.

1. מרכבות פרעה וחילו ‑‑|‑ᴗ‑ᴗ
Currus Pharaonis, & copias ejus,
2. ירה בים ‑‑|ᴗ‑
Præcipitavit in mare:
3. ומבחר שלישיו ‑|‑‑|ᴗᴗ‑
Et delectus præfectorum ejus,
4. טבעו בים סוף: ‑ᴗ‑ᴗ
Demersus est in mare algosum.

Primum, jambic. dimet. brachycatalectum.
Secundum, jambic. monometrum.
Tertium, dactylicum trimet. catalect.
Quartum, jambic. monomet. purum.

5.

1. תהמת יכסימו ‑‑ᴗᴗ‑
Abyssi operuerunt eos:
2. ירדו במצולות ‑‑ᴗ‑|‑
Descenderunt in profunda,
3. כמו אבן: ᴗ‑‑
Instar lapidis.

Primum, anapæsticum monometrum: ut Psal. 37. 7. car. 3.
Secundum, jambic. monomet. hypercatal.
Tertium, jambic. monomet. catalecticum.

6.

1. ימינך יהוה ‑‑|‑‑
Dextera tua, Jova,
2. נאדרי בכח ᴗᴗ‑‑|ᴗ‑ᴗ
Magnifica est, virtute:
3. ימינך יהוה ‑‑|‑‑
Dextera tua, Jova,
4. תרעץ אויב: ᴗ‑ᴗ‑ᴗ
Confringis hostem.

Primum, dactylic. dimetrum.
Secundum, epionicum a minori dimet. catalecticum.
Tertium, dactyl. dimetrum.
Quartum, jonicum a minori monometrum.

7.

1. ובלב גאנך ‑‑|‑‑
Et magnitudine excellentiæ tuæ,
2. תהרם קמיך ᴗᴗ‑‑|ᴗᴗ
Subvertis insurgentes contra te.
3. תשלח חרנך ᴗᴗᴗ‑‑
Imittit furorem tuum,
4. יאכלמו בקש ‑‑‑ᴗ|ᴗ
Qui *consumat eos ut stipulam.*

Primum, dactylicum dimetrum.
Secundum, jonicum a minori dimet. brachycat. purum:
Tertium, trochaicum monometrum.
Quartum, idem monom. hypercatalect. Doricum: ut Psal. 25. 13. car. 1.

8.

1. וברוח אפיך --∪∪∪|-
Et flatu narium tuarum
2. נערמו מים ∪∪-∪∪
Concervatæ ſunt aquæ,
3. נצבו כמו-נר נזלים ∪---|--
Conſtiterunt velut cumulus, fluida:
4. קפאו תהמת בלב-ים ----|∪-
Concreverunt abyſſi in intimo maris.

Primum, jambicum monomet. hypercatalectum.
Secundum, jambicum monometrum.
Tertium, jamb. dimet. brachycatalectum, Doricum: ut Pſal. 37. 21. car. 2.
Quartum, ſimile: quippe ſecundo pede ſpondeo, pro jambo.

9.

1. אמר אויב ארדף אשיג -∪--|∪-∪-
Dixerat hoſtis, perſequar, aſſequar;
2. אחלק שלל ∪∪---
Divinam prædam:
3. תמלאמו נפשי ∪---|∪-
Explebitur eis anima mea,
4. אריק חרבו --∪-
Exeram gladium meum,
5. הורישמו ידי --|--|--
Depauperabit eos manus mea.

Primum, antipaſticum dimetrum periodicum.
Secundum, anapæſt. monometrum.
Tertium, jambic. dimet. brachycat. Doricum: ut Pſal. 34. 20. car. 1.
Quartum, jambic. monometrum.
Quintum, dactylicum trimetrum.

10.

1. נשפת ברוחך -∪--|∪∪
Flaviſti vento tuo,
2. כסמו ים ∪--∪
Operuit eos mare:
3. צללו בעפרת ∪--|-∪∪
Profunda petierunt tanquam plumbum,
4. במים אדירים: ∪∪∪,--
In aquis validis.

Primum, jonicum a minori ex trochaica ſyzygia & jonico a minori brachyc.
Secundum, antiſpaſticum monometrum.
Tertium, trochaicum dimetrum catalecticum.
Quartum, trochaic. monometrum.

11.

1. מי-כמכה באלים יהוה --|--|--|--|-
Quis ſicut tu in Diis, Jova?
2. מי-כמ-ה נאדר בקדש ----|∪∪-∪-|∪
Quis ſicut tu magnificus in ſanctitate?
3. נורא תהלות עשה-פלא --∪-|--∪∪
Reverendus laudibus, mirificus?

Primum, dactylicum pentam. catalecticum.
Secundum, jambic. dimetrum hypercatalectum Doricum, ſecundo ſpondeo pro jambo: ut Pſal. 145. 15 car. 1.
Tertium, jambicum dimetrum.

12.

1. נפית ימינך --|--|-
Extendisti dexteram tuam,
2. תבלעמו ארץ ∪---|-∪̲
Deglutivit eos terra.

Primum, dactyl. trimet. brachycatalectum.
Secundum, jambic. dimet. brachycat. Doricum: ut Psal. 37. 21. car. 2.

13.

1. נחית בחסדך ---∪|-
Ducis benignitate tua
2. עם-זו גאלת ∪---|-
Populum quem redemisti:
3. נהלת בעזך -∪-∪|-
Commode ducis robore tuo
4. אל-נוה קדשך ∪-∪∪-
Ad habitaculum sanctitatis tuæ.

Primum, trochaicum monomet. hypercat. ut Psal. 145. 9. car. 1. primo spondeo.
Secundum, antispast. monom. hypercat.
Tertium, trochaicum, hypercat.
Quartum, jambic. monomet.

14.

1. שמעו עמים ירגזון ∪-∪-|∪--
Audiverint populi, commovebuntur:
2. חיל אחז יושבי פלשת --∪-|--∪
Dolor corripiet incolas Philistææ.

Primum, jambicum dimet. catalect.
Secundum, simile.

15.

1. אז נבהלו אלופי אדום -∪∪-|∪--∪|-
Tunc turbabuntur duces Edomæorum,
2. אילי מואב יאחזמו רעד ----|-∪--|-∪
Potentes Moabitarum, corripiet eos tremor:
3. נמגו כל יושבי כנען --|--|--|∪̲
Diffluent omnes incolæ Cananææ.

Primum, epichoriambicum dimet. hypercatalectum.
Secundum, trochaicum trimetrum, brachycatalectum, primo spondeo pro trochæo.
Tertium, dactylicum tetrametrum.

16.

1. תפל עליהם אימתה ופחד ∪-∪-|∪---|-∪∪̲
Irruet super eos formido & pavor:
2. בגדל זרועך ידמו כאבן ∪--∪|-∪--|-∪
Magnitudine brachii tui conticescent tanquam lapis:
3. עד-יעבר עמך יהוה ∪̲∪̲∪-∪|--,--
Donec transierit populus tuus, Jehova,
4. עד-יעבר עם-זו קנית: ∪̲∪̲∪-∪|----
Donec transierit populus quem acquisivisti.

Primum, antispasticum trimetrum catalect.
Secundum, antispast. trimet. brachycatalectum.
Tertium, trochaicum dimet. catalect. tertio spondeo, pro trochæo: ut Psal. 25. 12. car. 1.
Quartum, troch. dimet. tertio quoque spondeo.

17.

1. חביאמו ותטעמו ‒ ‒ ‒ ◡ | ‒ ‒ ‒
Introducens eos & plantabis eos.
2. בהר נהלתך ◡◡ ◡ , ‒ ‒
In montes possessionis tuæ,
3. מכון לשבתך פעלת יהוה ‒ ‒ ◡ ‒ | ‒ ◡ ‒ ‒ | ‒
Loco quem *ad habitationem tuam operatus es, Jova;*
4. מקדש אדני כוננו ידיך : ◡ ‒ ◡ ‒ | ‒ ‒ ‒ ‒ | ◡ ‒
Sanctuario, Domine, quod *stabiliverunt manus tuæ.*

Primum, antispasticum dimetrum catalecticum.
Secundum, trochaicum monometrum.
Tertium, antispasticum dimetrum hypercatalectum.
Quartum, jambicum trimet. brachycatalectum Alcmaicum, quarto pede spondeo, pro jambo: ut Psal. 25. 20. car. 1. & 37. 14. car. 2.

18.

1. יהוה ימלך ‒ ‒ ◡ ‒ ◡ ‒
Jova regnabit
2. לעלם ועד ‒ ‒ ‒ ◡
In seculum & sempiternum.

Primum, jambicum monometrum.
Secundum, dactylicum monometrum.

19.

1. כי בא סוס פרעה ‒ ‒ ‒ ◡ | ‒
Etenim processit equus Pharaonis,
2. ברכבו ובפרשיו בים ◡ ‒ ‒ ‒ | ‒ ‒ ◡ ‒
Cum curru ejus & equitibus ejus in mare;
3. וישב יהוה עליהם ◡ ‒ ◡ ‒ | ‒ ◡ ‒ ◡
At reduxit Deus super eos
4. את-מי הים ◡ ‒ ◡ ‒
Aquas maris:
5. ובני ישראל הלכו ביבשה ‒ ‒ ◡ ‒ | ‒ ‒ ‒ ◡ | ◡ ‒ ‒
Sed filii Israelis iverunt per aridam,
6. בתוך הים : ‒ ◡ ‒
In medio maris.

Primum, trochaic. monomet. hyperc. ut Psal. 145. 9. car. 1. primo spondeo pro trochæo.
Secundum, jamb. dimet. Doricum: ut Psal. 25. 13. car. 1.
Tertium, antisp. periodicum: seu periodus pura, ex diiambo & ditrochæo.
Quartum, jambicum monometrum.
Quintum, antispast. trimetrum catalect.
Sextum, pæonicum creticum monometrum.

CAPUT XII.

Cantici secundi Mosis, Deuteronomii Cap. XXXII. analysi poetica.

Versiculi hujus cantici sunt quadraginta tres: ac constant disticho, sedecim: 3. 5 9. 12. 16. 18. 19. 23. 26. 28. 29. 31. 33. 34. 37. 40. tetrasticho, viginti-quatuor reliqui: præter 1. qui tristichum: & 14. & 39. qui pentastichum continent.

VERSUS 1.

1. האזינו השמים ◡ ◡ ‒ ‒ | ◡ ‒ ◡ ◡
Præbete aures cœli,
2. ואדברה ◡◡ ◡ ‒ ‒
Et eloquar:

3. והשמע הארץ אמרי פי: ∪∪––|∪∪––
Et audito terra sermones oris mei,

Primum, epionicum a minori, dimetrum.
Secundum, trochaicum monometrum.
Tertium, jonicum a minori, dimetrum purum.

2.

1. יערף במטר לקחי ∪∪–∪–|–∪–
Stillabit tanquam pluvia disciplina mea,
2. תזל כטל אמרתי ∪∪̲∪̲∪∪–|–
Fluet tanquam ros sermo meus:
3. כשעירים עלי-דשא ∪––∪|–∪∪̲
Ut tenues pluviæ super herbulam,
4. וכרביבים עלי-עשב: ∪––∪|––∪
Et sicut imbres super herbam.

Primum, atispasticum dimet. catalect. ex jambica & trochaica syzygia periodicum.
Secundum, jambicum monomet. hypercatalectum.
Tertium, antispast. dimet. catalect.
Quartum, simile ex antipast. & jambica syzygia catalect.

3.

1. כי שם יהוה אקרא ––––|∪–
Quia nomen Jovæ prædicabo:
2. הבו גדל לאלהינו –––∪|–––∪̄
Tribuite magnitudinem Deo nostro.

Primum, jambicum dimet. brachycatalect. ut Psal. 34. 4. car. 2.
Secundum, antispast. dimet. ut Psal. 25. 20. car. 2.

4.

1. הצור תמים פעלו ∪–––|∪∪–
Illi rupi cujus opus perfectum,
2. כי כל-דרכיו משפט –∪–|–∪–
Quia omnes viæ ejus sunt *jus:*
3. אל אמונה ואין עול –∪––|––∪
Deus fidei, & expers iniquitatis,
4. צדיק וישר הוא: ∪–––|–
Justus & rectus est.

Primum, antispast. dimet. catal. ex epitrito primo & pæone tertio catalectico, pro antispasto.
Secundum, pæonicum dimet. Creticum purum: ut Prov. 31. 11. car. 1.
Tertium, antispast. dimet. catalect. periodicum, ex trochaica & jambica syzygia.
Quartum, jambicum Doricum monomet. hypercatal. ut Psal. 25. 13. car. 1.

5.

1. שחת לו לא בניו מומם ∪–––|–––∪̄
Corrupit se, non filii ejus, eorum macula:
2. דור עקש ופתלתל –∪–|–∪–
Generatio perversa & contorta.

Primum, antispast. dimet. ut Psal. 25. 20. car. 2.
Secundum, pæonicum creticum dimet. purum.

6.

1. הליהוה תגמלו-זאת ∪–––|∪–∪̄
An Jovæ rependetis istud?
2. עם נבל ולא חכם ∪–––|––
Popule stulte & insipiens.

3. הלא-הוא אביך קנך ∪---|---∪|-
Nonne est pater tuus, redemptor tuus?
4. הוא עשך ויכננך: ---∪|-∪-
Ipse fecit te & concinnavit te.

Primum, jambic. dimet. catal. Doricum: ut Psal. 34. 15. car. 2.
Secundum, idem brachycatalectum: ut Psal. 37. 21. car. 2.
Tertium, antispast. dimetrum hypercatalectum: ut Psal. 25. 20. car. 2.
Quartum, trochaic. dimet. (ut Psal. 37. 16. car. 2.) catal.

7.

1. זכר ימי עולם --|--
Recordare dierum seculi,
2. בינו שנות דור ודיר --|--|--
Animadvertite annos cujusque ætatis:
3. שאל אביך ויגדך ∪---|∪∪-
Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi;
4. זקניך ויאמרו לך: -∪--|-∪̄
Seniores tuos, & dicent tibi.

Primum, dactyl. Dimet. ex spondeis:
Secundum, idem trimetrum.
Tertium, antispast. dimetrum catal. ut vers. 4. car. 1.
Quartum, trochaic. dimetr. brachycat. ut Psal. 37. 24. car. 1.

8.

1. בהנחל עליון גוים ∪-∪-|-∪̲
Quum possessionem distribueret Excelsus gentibus;
2. בהפרידו בני אדם ∪---|--
Quum dispararet filios Adami;
3. יצב גבלות עמים ∪-∪-|∪-
Statuit terminos populorum,
4. למספר בני ישראל: ∪∪-∪-|-
Pro numero filiorum Israelis.

Primum, jambic. dimet. brachycatalectum.
Secundum, jambic. dimet. brachyc. Doricum: ut vers. 6. car. 2.
Tertium, jamb. dimet. brachyc. purum.
Quartum, jamb. monomet. hypercatalectum.

9.

1. כי חלק יהוה עמי --∪-|-∪-
Quia portio Jovæ est populus ejus:
2. יעקב חבל נחלתו ∪∪-∪∪|∪∪--
Jacob funiculus possessionis ejus.

Primum, antispast. dimet. periodicum: ut Prov. 31. 10. car. 2.
Secundum, jonicum a minori dimet. cum dialysi secundæ longæ syllabæ.

10.

1. ימצאהו בארץ מדבר ∪---|∪∪∪-
Invenit eum in terra deserti.
2. ובתהו ילל ישימן --|--|--
Et in vastitate lamentabilis solitudinis;
3. יסבבנהו יבוננהו -∪--|-∪̄
Circumdedit eum, erudivit eum,
4. יצרנהו כאישון עינו ∪∪---|--
Custodivit eum tanquam pupillam oculi sui.

Primum, antispast. dimet. catal. ut Psal. 34. 4. car. 1.
Secundum, dactylicum trimetrum.
Tertium, trochaic. dimet. brachycatalectum.
Quartum, anapæst. dimet. brachycat.

11.

1. כנשר יעיר קנו ∪∪--|∪∪̄
Ut aquila excitans nidum ſuum,
2. על-גזליו ירחף ∪---|--
Super pullis ſuis leviter motat ſe,
3. יפרש כנפיו יקחהו ∪---|∪---
Pandens alas ſuas aſſumit eum,
4. ישאהו על-אברתו ∪---|∪∪--
Portaturus eum ſuper ala ſua;

Primum, jonicum a minori dimet. brachyc. purum.
Secundum, jambic. dimet. brachycat. Doricum: ut Pſal. 37. 21. car. 2.
Tertium, antiſpaſticum ex Duplici epitrito primo.
Quartum, epionicum a minori dimetrum: ut Pſal. 37. 3. car. 1.

12.

1. יהוה בדד ינחנו ----|∪∪-
Jova ſolus duxit eum;
2. ואין עמו אל נכר: -∪--|-∪̄
Nec fuit cum eo Deus peregrinus.

Primum, anapæſt. dimet. brachycatalectum.
Secundum, trochaicum dimet. brachycatalectum.

13.

1. ירכבהו על-במותי ארץ ∪∪--|∪-∪-|-∪
Vexit eum ſuper excelſa terræ,
2. ותאכל תנובת שדי ∪-∪-|--∪̄
Adeo ut comederet reditus agrorum:
3. וינקהו דבש מסלע ∪-∪-|-∪∪,∪∪
Datque ei ſugendum mel, e petra,
4. ושמן מחלמיש צור: ∪∪-∪-|-
Et oleum e ſaxo rupis.

Primum, epionicum a minori trimet. brachyc.
Secundum, jambicum dimet. catalecticum.
Tertium, idem dimetrum acatalectum.
Quartum, idem monomet. hypercatalectum.

14.

1. חמאת בקר וחלב צאן ∪∪--|∪∪--
Butyrum ex armento, & lac gregis,
2. עם-חלב כרים ∪-∪-|-
Cum adipe agnorum,
3. ואילים בני-בשן ועתודים ----|-∪--
Et arietum Baſanæorum, ac hircorum,
4. עם-חלב כליות חטה ∪-∪∪-|∪-
Cum adipe renum tritici:
5. ודם-ענב תשתה-חמר ∪--∪|∪-∪
Etiam ſanguinem uvæ bibis merum.

Primum, jonicum a minori dimetrum purum.
Secundum, jambic. monomet. hypercatalectum.
Tertium, trochaic. dimetr. primo ſpondeo: ut Pſal. 145. 3. car. 1.
Quartum, jambic. dimet. brachycatalectum.
Quintum, antiſpaſticum dimet. catalecticum.

15.

1. וישמן ישרון ויבעט ∪∪∪-|∪∪∪
Sed ſaginatus Jeſchuron recalcitravit,

2. שמנת עבית כשית -⏑--|----|-
Sed ſaginatus es, obeſatus es, adipem obduxiſti:
3. ויטש אלוה עשהו ⏑⏑-⏑-|⏑---
Ita deſeruit Deum, qui *fecerat eum,*
4. וינבל צור ישעתו: ⏑⏑---|⏑-⏓
Et vilipendit rupem ſalutis ſuæ.

Primum, jambic. dimet. brachycatalectum.
Secundum, trochaic. dimet. hypercatalectum: ut Pſal. 25. 4. car. 1.
Tertium, jambicum dimet. Alcmaicum: ut Pſal. 25. 3. car. 1.
Quartum, epionicum a minori dimet. catalecticum.

16.

1. יקניאהו בזרים ⏑-⏑-|--
Ad zelotypiam commoverunt eum extraneis;
2. בתועבת יכעיסהו: ---⏑|-⏑-
Abominationibus irritaverunt eum.

Primum, jambicum dimet. brachycat.
Secundum, trochaicum dimet. catalect. primo ſpondeo: ut Pſal. 37. 30. car. 2.

17.

1. יזבחו לשדים לא אלה ⏑-⏑-|--⏑-|⏑
Sacrificaverunt dæmonibus, non Deo,
2. אלהים לא ידעום ⏑---|--
Diis quos *non noverant:*
3. חדשים מקרוב באו ⏑--⏑|---⏓
Novis qui e *propinquo advenerant,*
4. לא שערום אבתיכם: ---⏑|--⏑
Coram *quibus non exhorruerant majores veſtri.*

Primum, jambicum dimetrum, hypercatalectum.
Secundum, jamb. dimet. Doricum brachyc.
Tertium, anapæſt. dimet. ut Pſal. 25. 17. car. 2.
Quartum, antiſpaſt. dimet. catalect. ex epitrito quarto & jamb. ſyzygia catalectica.

18.

1. צור ילדך תשי ---⏑|-
Rupis quæ genuit te oblitus es:
2. ותשכח אל מחללך: ⏑⏑⏑-|-⏑-
Et oblivioni tradidiſti Deum formatorem tuum.

Primum, trochaic. monomet. hypercat. ut Pſal. 145. 9. car. 1.
Secundum, pæonicum dimet. ex pæone & cretico: ut Pſal. 25. 2. car. 3.

19.

1. וירא יהוה וינאץ ⏑⏑--|⏑⏑-
Quod videns Jova, ſprevit
2. מכעס בניו ובנתיו: ⏑⏑⏑--|---
Præ indignatione filios ſuos & filias ſuas.

Primum, jonicum dimet. catalect. purum.
Secundum, trochaic. dimet. catalect. ut Pſal. 25. 12. car. 1.

20.

1. ויאמר אסתירה פני מהם ⏑-⏑⏑-|--⏑-|⏑
Et dixit, Abſcondam faciem meam ab iis,
2. אראה מה אחריתם ⏑⏑-⏑⏑-|-
Videbo, quis finis eorum:
3. כי דור תהפכת המה --⏑⏑⏑|--⏓
Quia generatio perverſitatum ſunt,
4. בנים לא אמן בם: ----|⏑-
Filii in quibus nulla fides.

Pri-

Primum, jambic. dimet. hypercatalectum.
Secundum, anapæst. monomet. hypercat.
Tertium, jambicum dimet. catalecticum.
Quartum, jambic. dimet. brachycat. ut Psal. 34. 4. 2.

21.

1. הם קנאוני בלא-אל −∪−−|−−
Ipsi ad zelotypiam commoverunt me per non Deum,
2. כעסוני בהבליהם ∪∪−−|∪−∪
Irritaverunt me vanitatibus suis:
3. ואני אקניאם בלא-עם ∪∪−∪−|−−∪̄
Similiter commovebo eos per non populum,
4. בגוי נבל אכעיסם: −−−∪|−∪̄
Per gentem stultam irritabo ipsos.

Primum, trochaic. dimet. brachycatalectum.
Secundum, epionicum dimet. catalecticum.
Tertium, jambic. dimet. catalecticum.
Quartum, trochaic. dimet. brachyc. ut Psal. 34. 12. car. 1. primo spondeo.

22.

1. כי-אש קרחה באפי −−−−|∪−
Nam ignis flagrat ira mea,
2. ותיקד עד-שאול תחתית ∪−∪∪−|∪−
Qui ardet usque ad sepulcrum imum:
3. ותאכל ארץ ויבלה ∪−∪∪∪|−∪−
Absumitque terram & proventum ejus:
4. ותלהט מוסדי הרים: ∪∪−−−|−−
Et inflammat fundamenta montium.

Primum, jamb. dimet. brachycat. Doricum: ut Psal. 34. 4. car. 2.
Secundum, jamb. dimet. brachycat.
Tertium, antispast. dimet. catal. periodicum: ut Psal. 25. 2. car. 1.
Quartum, anapæst. dimet. brachycatalectum.

23.

1. אספה עלימו רעות ∪∪−−−|−−
Accumulabo super eos mala:
2. חצי אכלה-בם: ∪∪∪,∪∪∪̄
Sagittas meas consumam in eos.

Primum, anapæst. dimet. brachycatal.
Secundum, jambicum monomet.

24.

1. מזי רעב ולחמי רשף −−−−|∪−∪∪
Exustos fame & exesos anthrace,
2. וקטב מרירי ∪∪−−
Ac lue amarissima:
3. ושן-בהמות אשלח-בם ∪−−∪|∪∪−
Dentes etiam bestiarum immittam in eos,
4. עם-חמת זחלי עפר: ∪∪∪−∪|−−−
Cum veneno serpentum terrestrium.

Primum, jambicum dimet. Doricum: ut Psal. 25. 15. car. 2.
Secundum, jonicum a minori monometrum.
Tertium, antispast. dimet. catalect. ut Psal. 34. 17. car. 2.
Quartum, trochaicum dimet. catalect. tertio spondeo.

25.

1. מחוץ תשכל-חרב ∪−∪∪∪−|∪
Foris orbabit gladius,

2\. ומחדרים אימה --∪-|--,-
Et in conclavibus terror:
3\. גם-בחור גם-בתולה ∪--∪|--
Cum juvenem, tum virginem,
4\. יונק עם-איש שיבה: --∪-∪|--
Lactentem cum viro cano.

Primum, jambicum monom. hypercat.
Secundum, jambic. dimet. catalect.
Tertium, antiſpaſticum dimetrum brachycatalectum: ut Pſal. 25. 13. car. 2.
Quartum, jambic. dimet. brachycat.

26.

1\. אמרתי אפסיהם -∪-∪|-∪
Dixiſſem, Angulatim profligabo eos:
2\. אשביתה מאנוש זכרם: ∪---|∪-∪-
Faciam ut ceſſet ex homine memoria eorum.

Primum, trochaicum dimet. brachycat. purum.
Secundum, jamb. dimet. Doricum: ſecundo ſpondeo, pro jambo.

27.

1\. לולי כעס אויב אגור --∪∪-|---
Niſi indignationem inimici metuiſſem,
2\. פן-ינכרו צרימו ∪∪---|-
Ne alios ſe hic præberent hoſtes eorum:
3\. פן-אמרו ודינו רמה ∪---|---∪̄
Ne dicerent, Manus noſtra excelſa fuit.
4\. ולא יהוה פעל כל-זאת: ----|∪∪-
Nec Jova operatus eſt totum hoc.

Primum, anapæſt. dimet. catalecticum.
Secundum, idem monomet. hypercat.
Tertium, antiſpaſt. dimet. ut Pſal. 25. 20. car. 2.
Quartum, anapæſt. dimet. brachycat.

28.

1\. כי-גוי אובד עצוש דמה ---∪|---∪̄
Quia gens inops conſiliorum ſunt:
2\. ואין בהם תבונה: --∪-|-
Nec ulla in eis intelligentia.

Primum, antiſpaſt. dimetrum: ut verſ. 27. car. 3.
Secundum, jambicum monometrum hypercat.

29.

1\. לו חכמו ישבילו זאת ---∪|---
Utinam ſaperent, intelligerent iſtud:
2\. יבינו לאחריתם ---∪|∪--
Attenderent ad finem ſuum.

Primum, antiſpaſt. dimet. catalect. ut Pſal. 37. 9. car. 1.
Secundum, idem ex epitrito quarto & antiſpaſt. catalect.

30.

1\. איכה ירדף אחד אלף --∪-|∪-∪∪̲
Quomodo perſequeretur unus mille,
2\. ושנים יניסו רבבה -∪∪|--|--|-
Et duo fugarent myriadem:
3\. אם-לא כי-צולם מכרם ∪---|--∪̄
Niſi hoc eſſet, *quod rupes eorum vendidit eos,*

4\. ויהוה

4. ויהוה הסגירם: ---u|-ū
Et Jova tradidit eos?

Primum, jamb. dimetrum.
Secundum, dactylicum tetrametrum catalecticum.
Tertium, jambic. dimet. catalect. Doricum: ut Psal. 119. 2. car. 1.
Quartum, trochaic. dimetr. brachyc. ut Psal. 34. 12. car. 1.

31.

1. כי לא כצורנו צורם --|--|--|-
Non enim ut rupes nostra, rupes illorum.
2. ואיבינו פלילים: --|--|-
Et inimici nostri, testes.

Primum, dactylic. tetrametrum catalect.
Secundum, dactyl. trimetr. catalect.

32.

1. כי מגפן סדם גפנם -uuu|-u-
Sed ex vite Sodomi, vitis eorum,
2. והשדמת עמרה -uu-|u-ū
Et ex vitibus Gomorræ:
3. ענבמו ענבי ראש u---|u-ū
Uvæ eorum uvæ venenosæ,
4. אשקלות מררת למו: u---|--
Botri amari sunt eis.

Primum, pæonicum dimetrum ex pæone & cretico.
Secundum, choriamb. dimet. catalect.
Tertium, jambicum dimet. catalect. Doricum: ut Psal. 34. 15. car. 2.
Quartum, idem brachycat. ut Psal. 37. 21. car. 2.

33.

1. חמת חנינם יינם uuu-u|-ū
Venenum draconum vinum eorum;
2. וראש פתנים אכזר: ---u|-
Et venenum aspidum sævum.

Primum, trochaicum dimetrum brachycatalect.
Secundum, idem monom. hypercatalectum: ut Psal. 25. 13. car. 1.

34.

1. הלא-הוא כמס עמדי u---|uu--
Nonne illud reconditum est penes me?
2. חתום באצרתי --|--|-
Obsignatum in thesauris meis?

Primum, epionicum dimetrum: ut Psal. 37. 3. car. 1.
Secundum, dactylicum trimetrum catalecticum.

35.

1. לי נקם וחלם ---u|-
Mea est ultio & retributio;
2. לעת חמוט רגלם ---u|-
Quo tempore vacillabit pes eorum:
3. כי קרוב יום אירם --|--|--
Quum propinqua erit dies existii eorum,
4. וחש עתרת למו -uu|--|-
Et festina eventurorum eis.

Primum & secundum, trochaic. ut vers. 33. car. 2.) monomet. hypercat.
Tertium, dactylic. trimetrum.
Quartum, dact. trimetrum catalecticum.

36.

36.

1. כי ידין יהוה עמו --|--|-⏑⏓
Cum judicaverit Jova populum ſuum,
2. ועל-עבריו יתנחם ⏑⏑--|⏑⏑-
Tandem ſuper ſervis ſuis pœnitebit ipſum:
3. כי יראה כי-אילת יד -⏑⏑-|-⏑⏓
Quum viderit abiiſſe potentiam,
4. ואפם עצור ועזוב ⏑⏑---|-
Et nihil eſſe concluſum cum derelicto.

Primum, dactylicum trimetrum: ultima communi.
Secundum, jonicum a minori, dimet. catalect. purum.
Tertium, choriambicum dimet. catalect. purum, ultima communi.
Quartum, anapæſt. monometrum hypercatalectum.

37.

1. ואמר אי אלהימו -⏑-⏑|---
Et dixerit; Ubi dii eorum:
2. צור חסיו בו --|--|-
Rupes cui committebant ſe?

Primum, trochaic. dimet. catalecticum.
Secundum, dactylicum dimetrum hypercat.

38.

1. אשר חלב זבחמו יאכלו ⏑⏑-⏑-|----|-
Quorum victimarum adipe veſcebantur.
2. ישתו יין נסיחם ⏑---|-
Quorum bibebant vinum libaminis?
3. יקומו ויעזרכם --|-⏑⏑|⏓
Surgant & opitulentur vobis.
4. יהי עליכם סתרה -⏑-⏑⏑|-
St vobis latebra.

Primum, jamb. dimet. hypercat. Alcmaicum: ut Lament. 3. 42. 1.
Secundum, jambic. monometrum hypercat. ut Pſal. 25. 13. car. 1.
Tertium, dactyl. trimetrum catalecticum.
Quartum, trochaicum monomet. hypercatalect.

39.

1. ראו עתה כי אני אניהוא -⏑--|⏑-⏑-|-
Videte nunc, me me ipſum eſſe,
2. ואין אלהים עמדי -⏑-|-⏑-|-.
Et nullum Deum mecum:
3. אני אמית ואחיה ⏑---|⏑⏑⏑,⏑
Ego morte afficio, & vitæ reſtituo,
4. מחצתי ואני ארפא -⏑-⏑|⏑-⏑-
Vulnero & ſano,
5. ואין מידי מציל -⏑--|-⏑-
Nec eſt qui e manu maa eripiat.

Primum, antiſpaſt. dimet. hypercat. periodicum.
Secundum, pæonicum dimet. hypercatal. creticum purum: ut Pſal. 111. 1. car. 1.
Tertium, jambic. dimet. catalectum Doricum.
Quartum, antiſpaſt. dimet. periodicum.
Quintum, pæonicum Creticum dimet. purum.

40.

1. כי אשא אל-שמים ידי -⏑-⏑|-⏑⏑,--
Nam attollo ad cælos manum meam:

2. ואמרתי חי אנכי לעולם: ‎-∪-∪|----|-
Et dico, vivo ego in seculum.

Primum, trochaicum dimet. acatalectum.
Secundum, trochaic. dimet. hypercat. ut Psal. 25.4. car. 1. tertio spondeo pro trochæo

41.

1. אם שנותי ברק חרבי ‎∪∪--|∪∪-
Si acuero coruscantem gladium meum,
2. ותאחז במשפט ידי ‎--∪-|--
Et arripuerit judicium manus mea:
3. אשיב נקם לצרי ‎--|--|--
Reddam ultionem hostibus meis,
4. ולמשנאי אשלם ‎∪∪∪,∪∪∪̄|
Et osoribus meis rependam.

Primum, jonicum dimet. catalect. purum: ut vers. 19. 1.
Secundum, jambicum dimet. brachycatalectum.
Tertium, dactylic. trimetrum.
Quartum, jambicum monomet. ut Lament. 3. 48. car. 2.

42.

1. אשכיר חצי מדם ‎∪-∪∪∪|-
Inebriabo sagittas meas sanguine,
2. וחרבי תאכל בשר ‎∪--∪|--
(Et gladius meus exedet carnem:)
3. מדם חלל ושביה ‎∪∪--|∪∪̄
Sanguine confossi & captivitatis;
4. מראש פרעות אויב ‎--∪-|--
Ab initio, ultiones inimici.

Primum, jambicum monometrum hypercatalectum.
Secundum, antipasticum dimetrum brachycatalectum.
Tertium, jonicum a minori dimet. brachycat. purum.
Quartum, jamb. dimet. brachycatalectum.

43.

1. הרנינו גוים עמו ‎∪---|∪∪-
Cantate gentes, populus ejus,
2. כי דם-עבדיו יקום ‎∪∪-|-∪∪̄
Nam sanguinem servorum suorum ulciscetur:
3. ונקם ישיב לצריו ‎--|--|--
Et ultionem reddet hostibus suis,
4. וכפר אדמתו עמו: ‎∪∪∪-|-∪-
Et expiabit terram suam, populum suum.

Primum, antispast. dimet. catalecticum: ut vers. 4. car. 1.
Secundum, choriamb. dimet. catalect. ut Psal. 37. 31. car. 1.
Tertium, dactylicum trimetrum.
Quartum, pæonicum dimetrum: ut Psal. 25. 2. 3.

CAPUT XIII.

Analysis poetica Capiti III. Jobi, quo primum ac distinctum libri poema continetur.

HOc Caput constat versiculis (seu periodis) viginti sex. Quorum quatuor, 4. 5. 6. & 9. tristicho constant: reliqui omnes disticho. Initium autem carminum est a versiculo tertio.

VERSUS 3.

1. יאבד יום אולד בו -u-u|-u-

Periisset dies quo nasciturus eram:

2. והלילה אמר הורה גבר : uu--u|--u

Et nox qua dictum est, conceptus est mas.

Primum, trochaicum dimet. catalecticum, purum.
Secundum, antispasticum dimetrum ex duobus epitritis quartis, primæ longæ dialysi.

4.

1. היום ההוא יהי חשך u-u-|--u

Dies ille fuisset tenebricosus,

2. אל ידרשהו אלוה ממעל uu--|u-uuu|u

Ne requisivisset cum Deus superne:

3. ואל תופע עליו נהרה u-u-|--u

Neque illuxisset ei splendor.

Primum, jambic. dimet. catalecticum.
Secundum, epionicum a minori dimet. hypercatalectum.
Tertium, jambicum dimet. catalecticum.

5.

1. יגאלהו חשך וצלמות u-u-|-uu-|u

Vendicassent eum sibi tenebræ & umbra lethalis:

2. תשכן-עליו עננה uu--|u-u

Incubuisset ei nubes:

3. יבעתהו כמרירי יום : uu-u-|--

Perturbassent eum ardores diei.

Primum, choriabicum dimet. hypercatalectum.
Secundum, epionicum a minori dimet. catalect.
Tertium, jambicum dimet. brachycatalectum.

6.

1. הלילה ההוא יקחהו אפל uu-u-|u---|-u

Noctem istam abstulisset caligo,

2. אל יחד בימי שנה uu-u--|-u

Ne fuisset gavisa in diebus anni:

3. במספר ירחים אל-יבא uu--|--u

In numerum mensium ne venisset.

Primum, jambicum trimet. brachycat. Alcmaicum quarto spondeo.
Secundum, trochaicum dimetr. brachycatalectum.
Tertium, epionicum dimetr. catalecticum.

7.

1. הנה הלילה ההוא יהי גלמוד u-uu-|u--u|-

O si ista nox fuisset solitaria:

2. אל-תבא רננה בו : u--|--

Ne evenisset cantus in ea.

Primum, antispast. dimet. hypercatalectum.
Secundum, jambic. dimetrum brachycatalectum. Doricum: ut Psal. 25. 13. car. 3.

8.

1. יקבהו אררי יום uu---|-

Execrati fuissent eam illustrantes diem:

2. העתידים עורר לויתן -u--|--u-|-

Parati excitare balænam.

Primum, anapæst. monomet. hypercatal.
Secundum, antispast. dimet. hypercatal. periodicum: ut Psal. 37. 2. car. 1.

9.

1. יחשכו כוכבי נשפו ◡---|◡-
Tenebrosæ fuissent stellæ diluculi ejus,
2. יקו־לאור ואין ◡--◡|◡
Expectasset lucem, & non adfuisset:
3. ואל־יראה בעפעפי שחר: ◡◡◡◡◡-|-◡
Neque vidisset palpebras auroræ.

Primum, jamb. dimet. brahycat. Doricum: ut Psal. 34. 20. car. 1.
Secundum, antispasticum monomet. hypercatalectum.
Tertium, jambic. dimet, brachycat.

10.

1. כי לא סגר דלתי בטני ---◡|◡-◡-
Quia non clausit fores uteri mei:
2. ויסתר עמל מעיני: ◡◡---|--
Nec abscondit molestiam ab oculis meis.

Primum, antispasticum dimet. ut Psal. 34. 3. 1.
Secundum, anapæst. dimet. catalecticum.

11.

1. למה לא מרחם אמות ----|◡◡-,-
Cur non inde a vulva mortuus sum?
2. מפטן יצאתי ואגוע: ◡◡◡,--|-◡-
Ex utero exiens expiravi?

Primum, anapæst. dimet. catalecticum.
Secundum, trochaicum dimet. catalecticum.

12.

1. מדוע קרמוני ברכים ◡-◡◡-|-◡-◡
Quamobrem prævenerunt me genua?
2. ומה־שדים כי אינק: -◡-◡|◡---
Et quare ubera ut sugerem?

Primum, antispasticum dimetrum periodicum.
Secundum, antispast. dimet. ut Psal. 37. 32. carm. 2.

13.

1. כי־עתה שכבתי ואשקוט -◡--|◡-◡-
Quia nunc jacerem & quiescerem:
2. ישנתי אז ינוח לי: -◡--|--◡-
Dormirem, tunc quies esset mihi.

Primum, antispast. dimet. periodicum.
Secundum, idem, ut Psal. 37. 2. car. 1.

14.

1. עם־מלכיה ויעצי ארץ ◡---|◡--◡
Cum regibus & consiliariis terræ:
2. הבנים חרבות למו ◡--◡|---◡̄
Qui reædificabant vastitates sibi.

Primum, antispast. dimetrum.
Secundum, idem: ut Psal. 25. 17. car. 2.

15.

1. או עם־שרים זהב להם -◡--|---◡
Aut cum principibus, quibus erat aurum:
2. הממלאים בתיהם כסף ◡◡--|-◡-◡
Implentibus domos suas argento.

Pri-

Primum, trochaicum dimet. ut Psal. 25. 12. car. 1.
Secundum, jonicum a minori, dimetrum.

16.

1. אהיה לא חמון וכנפל -∪∪|--|-∪∪
Aut sicut abortus abditus, non essem,
2. כעללים לא־ראו אור: --|--|--
Ut infantes, qui *non viderunt lucem.*

Primum, dactylicum trimet.
Secundum idem, ex spondeis.

17.

1. שם רשעים חדלו רגז --|--|--|∪̄
Illic improbi desistunt a commotione:
2. ושם ינוחו יגיעי כח: --|--|--|-∪̄
Et ibi quiescunt defessi viribus.

Primum, dactylicum tetramet. catalecticum.
Secundum, idem, tetram. acatalectum.

18.

1. יחד אסירים שאננו ∪∪∪--|∪∪--
Pariter vincti tranquille agunt:
2. לא שמעו קול נגש: --|--|--
Non audiunt vocem exactoris.

Primum, jonicum a minori dimetrum.
Secundum, dactylicum trimetrum.

19.

1. קטון וגדול שם הוא --|--|--
Parvus & magnus illic est:
2. ועבד חפשי מאדניו ∪∪∪-|-∪-|-
Et servus liber a domino suo.

Primum, dactylicum trimetrum.
Secundum, pæonicum dimet. hypercat. ut Psal. 37. 3. car. 2.

20.

1. למה יתן לעמל אור --∪-|--∪̄
Quare dat ærumnoso lucem?
2. וחיים למרי נפש: ∪---|-∪
Et vitam amaris animo?

Primum, jamb. dimet. catalecticum.
Secundum, jamb. dimet. brachycatal. Doricum: ut Psal. 37. 21. car. 2.

21.

1. המחכים למות ואיננו ∪∪-∪-|∪-∪-
Præstolantibus mortem, neque adest *ipsis?*
2. ויחפרהו מטמונים: ∪∪∪-∪|∪--
Tamen perscrutantur eam plusquam thesauros abditos.

Primum, jambicum dimetrum.
Secundum, antispast. dimet. catalecticum cum dialysi primæ longæ.

22.

1. השמחים אלי־גיל ∪--∪|--
Qui lætantur usque ad exultationem;
2. ישישו כי ימצאו־קבר: ----|∪--∪
Gaudent, cum inveniunt sepulchrum.

Pri-

Primum, antiſpaſt. dimetrum brachycatalectum.
Secundum, antiſpaſt. dimetrum: ut Pſal. 37. 7. car. 1.

23.

1. לנבר אשר-דרכו נסתרה ⏑⏑⏑⏑⏑–|⏑–⏑̄
Viro cujus via eſt abdita:
2. ויחך אלוה בערו: ⏑––⏑|–⏑⏑,⏑–
Et quem obtexit Deus?

Primum, jambic. dimet. catalecticum.
Secundum, antiſpaſt. dimet. ut Pſal. 34. 2. 1.

24.

1. כי-לפני לחמי אנחתי תבא –⏑–⏑|–⏑––|–⏑̄
Nam coram pane meo gemitus meus advenit:
2. ויתכו כמים שאגתי: ⏑⏑–⏑⏑⏑|⏑⏑––
Et effenduntur ut aquæ rugitus mei.

Primum, trochaic. trimet. brachycatalectum.
Secundum, epionicum a minori dimetrum.

25.

1. כי פחד פחדתי ויאתיני –⏑⏑–⏑|–⏑,⏑⏑–|–⏑̄
Quia pavor quo expaveram acceſſit me:
2. ואשר יגרתי יבא לי ⏑⏑⏑––|––––
Et quod formidaveram obvenit mihi.

Primum, trochaic. trimetrum brachycatalect.
Secundum, idem dimet. tertio ſpondeo: ut Exod. 15. 16. car. 4.

26.

1. לא שלותי ולא-שקטתי ––⏑–|––⏑–
Non quieſcebam, nec eram tranquillus:
2. ולא-נחתי ויבא רגז –⏑–⏑|–––⏑
Nec requieſcebam, tamen obvenit commotio.

Primum, jambic. dimetrum.
Secundum, trochaicum dimet. tertio ſpondeo: ut verſ. 1. 1. car. 1.

Hactenus abſolutum eſt primum poema, primam Jobi querelam continens.

Atque hinc apparet hujus capitis carmina eſſe jambica tredecim: trochaica, ſex: dactylica, ſex: anapæſtica, tria: choriambicum, unum: jonica a minori, analoga duo; ſed anomala ſeu epionica, etiam quatuor: antiſpaſtica, quatuordecim: pæonicum, unum. Quæ (pro Lyricorum Pindari & Sophoclis obſervatione) promiſcue ponuntur: & quidem ſine ulla ſimilium antapodoſi, ut de carminum ſacrorum ratione ſupra oſtendimus: & Sophoclis poematibus illuſtravimus.

Atque hactenus hac poetica Hebræorum Sacræ Scripturæ poematum analyſi, artem poeticam illius clarius demonſtrare ſtuduimus. Faxit autem DEUS, ut ad elegantiam poeſis divinæ & indagationem illius accuratiorem meditandam inſerviat: & ad gloriam DEO tribuendam inflammet.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ

C. L' EMPEREUR

Ad Lectorem.

INitio hyemis præteritæ, in examinanda Hebræorum poesi veteri dies aliquot insumpseram : idque ex antiquioribus & recentioribus Hebræorum Magistris, cum ecce commodum, suum consilium mihi per literas aperit Reverendissmus vir FRANCISCUS GOMARUS. Etenim adeo adhortationibus nostris & precibus responderat, ut absoluta poeseos istius indagine, perfectoque & absoluto opere ad nos trasmisso, ejus editionem procurari expeteret. Ego statim inceptum meum agere remissius cepi, & collatis iis quæ Cl. Gomarus invenerat, cum Rabbinorum placitis, illius sententia placere, horum vero displicere merito incipit. Idque demirari subiit, qui vir tot negotiis distractus, tanto munere gravatus, in ista Nestorea senectute, cum totam ætatem in omni etiam alio scientiarum genere occupatissimam habuisset; is inquam in poesi peregrinæ gentis multo acutius cernere potuerit, quam longissima illa Magistrorum series in propria gente & lingua : hic cæcutiens inde ferme a proximis post captivitatem Babylonicam temporibus. Tantum, DEO aspirante, potest admiranda vitæ moderatio, improbus labor, & ingenii sagacitas. Neque quemquam futurum credo, nisi plane contumacem vel invidiæ livore occupatum, vel denique scepticum, qui jam poeseos veteris rationem in dubium vocare audeat. Sane vel sola illa Græcorum & Hebræorum carminum collatio æquis lectoribus satisfacere queat, qui enim fieri possit, ut in tot versuum generibus accuratissime utrique scriptores secundum leges easdem congruant; si casu quodam similia exhibuerint? Fateor quidem apud Oratores etiam carmen aliquod jambicum aliudve reperiri posse : nam & suus est oratori numerus, uti ex Tullio & Fabio constat, certosque pedes certo ordine & loco collocandos præcipiunt rhetores. Sed ut quis tantam convenientiam inter oratorem & poetam inveniat, adeoque multiplicem, prout vir magnus hic oculis subjecit in ista poeseos collatione, admodum vereor : imo neminem id facturum assero. Verum omne tollit dubium pars operis posterior : quia integra Bibliorum capita ac poemata ad istos revocavit canones, quorum praxin in Grecis poetis antea demonstraverat. An hic ullum χρησφύγετον reperire est? Neminem itaque futurum qui hac nostri autoris sententia meliorem afferat, mihi persuasissimum habeo. Ut tamen nemo obloquatur, istud an pariter sperari queat, vehementer dubito. Sunt enim nonnulli quasi in Pyrrhonis istius Eliensis schola educati: qui absque dubitandi fundamento, quæ recenter inveniuntur & in lucem proferuntur, faciunt dubia; cum vero similiora non afferant, de quibus Laertius l. 9. διετέλουν δὲ τὰ τῶν αἱρέσεων δόγματα πάντα ἀνατρέποντες, αὐτοὶ δὲ οὐδὲν ἀποφαίνοντες δογματικῶς, *perstabant sectarum dogmata omnia evertere, nihil ipsi dogmatis asserentes*. Qui sibi in eo placent, ut aliis saltem inventionis gloriam non concedant. Sed isti cum Euripide etiam quærant: τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν, Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν νομίζεται βροτοῖς; *Quis autem novit, an hoc quidem vivere sit emori, An emori vero vivere censeatur mortalibus*? Adversus istos contentus sum testimonio, quod carmine præmisit nobilissimus & amplissimus vir Daniel Heinsius, quem una mecum suspicit orbis. Ad alia pergo, quæ lubens supprimerem, nisi expressis literis ea palam fieri, petiisset autor ipse tam præclari operis. Cum in mediam ferme hyemem differretur editio, interea quid in opere isto adhuc desiderari autumarem, autori epistolio indicavi. Puta, cum Græcorum, tum Hebræorum carminum versionem addendam. Etenim quotusquisque invenitur, qui Græca poetarum fragmenta, nedum Hebraica, sine interprete intelligat, quum ex circumstantiis percipi nequeat sensus? Non desunt etiam utriusque linguæ satis gnari, quibus tum magna sæpe incidit dubitandi causa. Imprimis, cum citantur carmina, quæ a media dictione sive ultimis vocum syllabis inchoantur, & in priores syllabas desinunt, cujusmodi defectus syllabarum ad carmen ipsum non pertinentium, hic creber erat. Cum itaque quamplurimi reperiantur viri cordati, utriusque linguæ, Græcæ & Hebrææ sic satis periti, quorum multi gravissimis reipublicæ negotiis & curis immersi, quibus minime tantum otii suppetit, ut loca in

Pin-

Pindaro, Sophocle, contextuque Hebræo quærentes evolvant & cum antecedentibus ac sequentibus conferant, omissasque syllabas suppleant, qui tamen poesi afficiuntur: omnino interpretatio passim istis fragmentis, imo totis poematibus Hebraicis addenda videbatur, & restituendæ vocibus syllabæ prætermissæ. Quis enim animi paulo generosioris ista producta loca, eaque quamplurima multas paginas occupantia, sine tædio legat; si sensum non percipiat? Alphabetarius aliquis in infimo pulvere scholastico, vix credo, syllabas & pedes metiri sustineat: nisi intelligat quid scribatur. Mens humana altius exsurgit, quam ut sine summo tædio lectioni acquiescat, ex qua nonnisi quantitas vocalium percipiatur. Quocirca prudentissimus vir, præclarissimum inventum versionis omissione minus distractum iri, minusque utilitatis allaturum ratus, defectum resarciendum existimavit. Ego autem expensis periculis, in quæ opus illud auro non æstimandum incidere posset, dum media hyeme multorum dierum itinere huc illuc mitteretur, operam meam obtuleram, si aliud exemplar sibi non reservasset. Quod in me recipere paratus eram, non invite imposuit: idque humanissime, dum id ipsum a me per literas peteret, sibique gratissimum fore significaret. Quapropter exacte singula in autoribus suis examinans, cumque prioribus & posterioribus conferens, eam concinnavi versionem, quam hic vides, lector humanissime: syllabasque desideratas eo quem hic cernis modo reposui. In Pindaro versioni vulgatæ adhæsi, cum ipsa placeret; subinde recessi: ita in Hebraicis vertendis a Junio & Tremellio non raro abire debui. Hoc enim in ista bibliorum versione sæpe observavi, conceptam animo analysin veluti normam statui, ad quam in vertendo respiceretur: cum hoc modo a vero sensu sæpe recedatur. In Sophocle majorem libertatem assumere debui, & mihi pluscululum indulgere: quia ista editio Sophoclis, cujus pagina annotatur, nullam versionem adjunctam habebat, adeo ut Scholiastes Græcus margini additus plurimum mihi in istis vertendis profuerit; uti & in Pindaro, ipsius Scholiastes multa aperuit. Si alicubi aberravi, nescio: curam saltem adhibui, ne tibi imponerem, quamvis id me latere non possit, in istis poetis Græcis & Hebræis multa occurrere, in quibus ne doctissimi quidem consentiunt. Itaque in istis suum cuique esto judicium: donec certo de errore constet. Quod vero correctionem typographicam concernit, nonnulla sphalmata irrepsisse in tam intricatum opus & multis quantitatis syllabicæ notis ac signis distinctum, facile mihi ignoscet æquus lector: cum eodem tempore variis occupationibus distractus fuerim, imprimis in edendo codice meo de legibus Hebræorum, neque difficile sit unicuique non plane ignaro, ea suo nitori restituere. Quorum etiam primaria subjeci. Deinde subinde contingere solet, ut quæ tertia etiam vice correcta sunt, in typographia ab operariis negligantur, & festinando detorta maneant. Sed ne quis arbitretur, statim erratum esse, quod prima fronte esse videbitur: exempli gratia, dagesch in literis בגדכפת invenies initio dictionis post vocales & א vel ה. Hoc inde ortum, quod in contextu sacro istas literas præcedat accentus regius, quem dages lene sequi solet: licet in hoc opere, ubi maximæ pausæ tantum exprimuntur, isti accentus sæpissime adscribendi non fuerint. Porro susceptum & exantlatum laborem lubenter sustinere tenebar, cum viro isti omni laude majori plurimum me debere agnoscam, utpote cujus consilio in studiis instituendis per multos annos adjutus fuerim, cujus me nunquam pænitebit, & si quid publico jam prosim, est quod ipsi post Deum ascribatur. Adeoque in Hebraicis hanc imprimis operam merito præstiti: cum ab ipso quatuordecim dierum spatio linguæ sanctæ primordia & fundamenta ita edoctus fuerim, ut aliorum opera, nulla necessitate uti debuerim. Id largiebatur isti amicitiæ & familiaritati, quam cum meo parente p. m. olim in Germania coluerat. Et quicquid feci, vel eo solo meruit, quod honori meo, inscriptione sua voluerit consultum. Cæterum Lector, si quid & ego hac opella mea, quam in alieno navavi opere, vobis prodesse potui, adeoque de te bene mereri, mercedis loco apud Patrem Domini nostri Jesu Christi intercede, quo vitam & Spiritum gratiam ad reliqua, quæ in usum vestrum molior, feliciter proficienda, benigne largiatur.

Lugd. Bat. Id. Sept. An. partæ salutis 1637.

Tibi addictissimus
C. L' E.

ABBATIS FLEURY EXERCITATIO IN POESIM UNIVERSAM, ET HEBRÆORUM POTISSIMUM.

QUemadmodum in rerum quibusdam articulis ad motus, licet minime simplices facilesque, saltandi, canendi, clamandique, natura urgente, impelli solemus; ita pariter magnis quandoque animi æstibus agitati ad ea ciemur, quæ sedato mentis oculo intuentibus audacia in figuris & similitudinibus, insueta in sermone & exaggerata videntur. Quo vero impetu ad cantum movemur, eo pariter ad servandas certas in sermone regulas ducimur, ut observata dimensione syllabarum, atque harmoniæ & musices numeris, facilior cantus & commodior fluat. Hinc versus, & odarum strophæ; uti e sublimibus verbis, vividisque figuris oritur illud orationis genus, quod maxime omnium poesin sapit. Non est igitur, cur vehementer miremur, si nulla unquam tempora, nullæ per Orbem gentes poeseos ignaræ, quemadmodum nec canendi mirum est nec saltandi, reperiantur. Nec ipsi omnium confessione barbaris moribus incultissimi populi eum cultum a se alienum duxere: quemadmodum olim Gallos & Germanos Musicen & Poesin amasse, Prisci observavere; uti nostra ætate Nigritas, Caribas, & Iroquos amare scimus.

Cum Orientales omnium primi vitæ cultui expoliendo studuerint semper, & acri polleant ingenio, tum & vividioribus animi motibus agitentur, omnium primi insitam hanc naturæ propensionem ad artis regulas redigendam curarunt. Ægyptiorum & Syrorum memoriam in scriptis suis ea in re maxime Græci servaverunt. Extat etiam apud Poetas Græcos carmen in obitu Adonidis (1), quod ab eo videtur expressum, cujus est in *Ezechiele* VIII. 14. mentio, & Syriacam habet, quemadmodum & tota illa fabula, originem. Floruisse autem pariter apud eas gentes musicen, satis indicant Dei per eumdem *Prophetam* XXVI. 13. in Tyrios oracula, minitantis, omnia se & cantica & citharas esse ablaturum. Huc etiam spectat illud *Isaiæ* XXIII. 16. Tyrias meretrices hortantis, ut citharam pulsantes canentesque vias Urbis percurrant.

(1) *Theocrit. & Bion.*

Apud Ægyptios, teste Platone (1), Musica, quo nomine etiam Poesin ipse complectitur, a vetustissima ætate apud eas gentes viguit, summoque semper studio, veluti Religionis avitæ Legumque portio, culta est. Singula musicæ & chorearum genera numinibus quibusdam illi dedicaverant, certis constitutis diebus & cæremoniis, quibus singula illa exercerentur; iis ritibus inviolatis adeo, & sanctis, ut si quis novum aliquid inducere tentaret, a Sacerdotibus tam viris, quam mulieribus, implorata Magistratuum ope, prohiberetur, impietatisque nota reliquo vitæ spatio inureretur, siquidem pervicacius obsisteret.

Veterum omnium Orientalium scripta, unde aliquid de Poesi disceremus, omnia, præterquam Hebræorum, interciderunt; quamobrem veteris apud eosdem Orientales Poeseos unum superest Sacræ Scripturæ specimen. Ejus lectione intelligimus, consecratam ab illis poesin fuisse in usus Religionis: & quamvis profana apud illos carmina non deessent, colligendum tamen videtur, easdem obtinuisse penes hosce populos, quæ apud Ægyptios, leges, sive illæ in Ægyptum ex Hebræis derivatæ fuerint, sive ad utrosque ex eodem fonte deductæ. Paria philosophari licet de cæteris gentibus vetustissimæ originis; Græcorum enim Poesis maximum erat Religionis ejusdem gentis momentum, & in ipso sui exordio tanquam sacrum aliquid & Divinum suspiciebatur.

Quidquid Poeticum habetur in Sacra Scriptura, sive Cantica sunt, quibus variæ animi affectiones exprimuntur, vel sententiarum Collectiones, quibus docemur. Prolixum vetustissimumque Carmen exhibet Liber Jobi, utriusque generis Poesin complectens, cum eo potissimum spectet, ut doceat, viros quandoque probos exerceri a Deo, non ut puniantur, sed probentur, probatique præmio donentur. Itaque fusius in eo traduntur dogmata, ad

(1) *De Legibus lib.* 2.

ad justitiam & providentiam Divinam, tum ad præmium virtutis & criminum pœnam, ac tandem ad subjectiones jussionibus Divinis debitam, bonæque conscientiæ securitatem pertinentia; neque hæc tantum, sed vivida etiam tum malorum Jobi, cum indignationis amicorum ipsius, imago exhibetur.

Salomonis Proverbia, uti & Psalmorum plures, solas moralis disciplinæ regulas præscribunt, ac major Psalmorum pars, & Cantica omnia, passim in Scriptura occurrentia, intimos animi affectus vel erga Deum, vel erga homines perseferunt. Quæ ad Deum pertinent, in iis leguntur sive majestatis ipsius admiratio, laudes, obsequium, sive pro acceptis beneficiis gratiarum actio, seu veniæ criminum imploratio, vel denique preces, pro aliquibus sive spiritus sive corporis commodis: quæ quatuor res omnium ferme hujusmodi sacrorum carminum argumentum faciunt. Pinguntur etiam dolor, gaudium, indignatio, ira, aliæque animi cupiditates, sive ad ipsum qui loquitur, sive ad alios homines, plerumque tamen sub piorum impiorumve imagine, pertinentes.

Porro tam pathetica poeseos ratio fieri non potest, quin acres plurimas figuras & locutiones exhibeat, siquidem figurarum vis & vera orationis majestas ex affectuum motu oritur. In eo igitur maxima spectatur Poeseos Hebraicæ gravitas, & decor, ut nihil sit ejus generis, quod Lucubrationes illas vel æquet vel superet. Nihil in illis nisi figuratum, & crebro raptimque aliam alia figuram excipit; nec minus crebro raptimque loquentium personæ aliæ aliis substituuntur.

Modo Propheta loquitur, statim Deus, deinde vir justus, vel impius, sæpe ea, quæ anima carent, veluti montes & flumina, vocem simul & motum usurpant. Quam vividis coloribus Deus majestatis depingitur, Cherubinis insidens, & nubibus vectus, uno oculorum ictu terram concutiens, cujus furore ipsa montium fundamenta quatiuntur, qui profundum abyssi intuetur! Crebras adhibent Sacri Vates comparationes, ex rebus maxime familiaribus apud illos, ad quos diriguntur carmina, deductas. Quid enim, præsertim in Palæstina, communius, quam palmæ, cedri, leones, aquilæ? Non est igitur, cur ad nostrum ingenium comparationes ejusmodi metiamur, ut certum de illarum dignitate judicium feratur; neque statuendum est, singula comparationis verba cum re comparata congruere oportere. Plerumque enim tota comparatio unam partem spectat, reliquis, quæ adjiciuntur, non comparationi servientibus, sed rei, ex qua ducta est comparatio, sub oculis exhibendæ. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas*, idest, dentes tui albo sunt decore micantes, æquales, & inter se juncti atque compacti.

Stilus adeo a prosa oratione abhorret, ut aliud plane linguæ genus videatur. Quamobrem qui tantum Hebraicas literas callet, quantum ad historiam satis est, evoluta Genesi, cum benedictiones Jacobi legit, nihil prorsus assequitur; nihilque ex Libro Jobi, præter exordium & finem.

Hujus rei causa sunt voces, aliæ plane in soluta, aliæ in stricta oratione familiares, & frequens metaphoræ atque audacior usus; syntaxis etiam sine lege vagans, qua verba plurima, a legentibus supplenda, resecantur. Est etiam oratio repetitionibus redundans, ut eadem res geminata & diversa verborum circumlocutione repetatur. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam: & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam* (1). In reliquis etiam ejusdem Psalmi versiculis eadem spectes. Id autem sibi præstandum ducebant, quo singulæ sententiæ commodius gustarentur, sive quod Cantica duplici choro alternis canerentur, sive alia ex causa, quam ignoramus.

Quicquid tamen sit, repetitiones illæ apertissimus sunt & familiaris poeticæ orationis character. Eo indicio, sermonem Lamechi cum utraque uxore sua de occiso a se Caino, poeticum agnosco; quod si vere opinor, hoc omnium, quæ noverimus, carmen vetustissimum habendum est. Quæ hoc verborum & figurarum apparatu panduntur sententiæ, non ad veritatem modo, gravitatem, & utilitatem compositæ sunt, utpote Spiritu Sancto afflante inspiratæ, sed nihil illis interdum elegantius est, & nitidius, sublimius nihil & exquisitius.

Illustre hujus exemplum præfert *Psal.* CXXXVIII. scientiam Dei, quam nihil latet, veluti ob oculos exhibens. *Psal.* XVIII. Vir justus inducitur, intima animæ suæ aliorumque peccata ad se attinentia scrutans. In CIII. magnifica simul & jucunda Naturæ, &, quæ illam gubernat, Providentiæ Divinæ descriptio. Longus essem, si cæteros hujus naturæ percurrerem. Nec temere sacros Vates sententias suas effudisse credas, cum omnia maximo artificio disposita sint. Quilibet Psalmus, & Carmen quodcumque lucubratio est absolutis-

(1) *Psalmo* L.

lutiſſima, in qua ſuus ſingulis partibus ordo, & naturalis connectio eſt. Interdum alter cum altero continuatur, ut *Pſalmi* CII. CIII. CIV. CV. CVI. unius ejuſdemque Carminis in gratiarum actionem exarati partes; Pſalmus enim CII. Deum laudat pro bonis gratiæ acceptis, CIII. pro bonis naturæ, CIV. pro impetratis a Deo beneficiis, CV. implorat criminum veniam; & duo hi Pſalmi unam hiſtoriæ ſeriem continuant; CVI. grates Deo rependit omnium mortalium nomine, pro collata ipſis ope in quatuor graviſſimis vitæ humanæ calamitatibus, fame, captivitate, morbo, & naufragio. Speciale argumentum maxime proſequuntur *Pſalmi* XVII. XVIII. XXI. LXXVII. LXXXVIII. & XC. duo item Cantica Moyſis, alterum in Exodo poſt transfretationem Erythræi, alterum in Deuteronomio, paulo ante obitum ipſius.

In carminibus, quorum nullus niſi ad arbitrium ordo eſt, utpote quæ ſive affectuum motus exprimunt, ſive quæ morales aliquas regulas, nullo inter ſe neceſſario vinculo connexas, referunt, acroſtichum artificium, nempe ſeries literarum alphabeti, juvandæ memoriæ gratia, ſervatum eſt. Hujus ſunt generis Lamentationes Jeremiæ, *Pſalmi* XXXIII. & XCVIII. aliique nonnulli; ac tandem, *Mulier fortis*, in exitu Libri Proverbiorum.

Nec prætereundum eſt, in Libro Proverbiorum, cæteriſque Carminibus ad moralem facultatem pertinentibus, veluti in *Pſalmis* I. XIV. XXXVI. aliiſque pluribus, & in maxima Libri Jobi parte, parum quidem pathetici eſſe, plures autem metaphoras, ſimilitudines, vividaſque deſcriptiones, unde nomen Parabolarum, Proverbiorum, Ænigmatum derivatum eſt. Aliqua eſt orationis obſcuritas, quæ exercendis grata occupatione ingeniis ſervit: eadem tamen oratio magnas illas veritates vividis ſimplicibuſque imaginibus exhibens, menti altius imprimit. Quamobrem ita ego judicaverim, Moyſis poeſim acriorem eſſe, & magis virilem, Salomonis vero, ſuaviorem comptioremque. Videat, ſi cui libet, quo artificio in variis Præfationis ſuæ in Proverbia locis varias muliercularum artes capiendis incautis adoleſcentibus, malaſque impudici amoris appendices pingat. Nihil ibi deſideratur, non igniculi amoris, non vincula, non ſpicula, quibus corda ſauciantur, non alæ, quibus incauti amatores in retia feruntur; nihilque quod in profana poeſi molles ſpirat amores, prætermiſſum eſt: eo tamen diſcrimine, quod in illa turpes amores inſinuantur, apud Salomonem vero abſterrendis adoleſcentulis hæc exprimuntur. Hæc ſunt, quæ de Hebræorum carminibus ſciri queunt, argumentum, ſententiæ, figuræ, elocutio, de qua tamen elocutione judicium vix alius, quam qui Hebraicæ linguæ myſteria omnia habet explorata, ferre poterit; cum cæteri nonniſi per expanſum Translationis velum inſpicientes, totam illius elegantiam ſpectare oculis nequeant, maxime in Pſalmis duplicis velo tectis: vulgata enim illorum Verſio ex Græca Septuaginta Interpretum expreſſa eſt. Periculum ejuſdem rei fiat in literali aliqua Translatione locorum quorumlibet elegantiſſimorum, quæ apud Latinos Poetas occurrunt. Et quo melius comparatio deducatur, in vernaculam linguam Interpretationes Latinas Poetarum Græcorum transfer; ſtatim ſenties, quam horrida oratio ac minime ferenda ſit. Eodem igitur judicio æſtimanda eſt elegantia Poeſeos Hebraicæ; cujus tamen ſaporem aliquem vel illi ipſi ſentiunt, qui nonniſi Latinis literis traditam guſtant.

Plures adhuc erant olim, nec minoris momenti, in ea Poeſi lepores, quos nemo noſtra ætate, ne Judæi quidem, rerum ſuarum peritiſſimi, norunt. Cum enim, ut in cæteris linguis, quarum deſiit uſus, contigit, ita pariter Hebraicæ linguæ vetus pronunciandi ratio perierit, omnis quoque verborum harmonia, & ſyllabarum quantitas, unde tota carminum ſuavitas oritur, inexplorata eſt. Deſiderantur etiam regulæ, quibus, ut in Græco & Latino fit, certa ſyllabarum quantitas, nomina, & numerus pedum, ac verſuum conſtructio teneatur; quæ omnia ſervata fuiſſe ab Hebræis, ignorat nemo. Spectantur enim in illorum carminibus adjectæ literæ vel reſecatæ in fine dictionis, ut menſuræ ſyllabarum ſervirent; occurrit etiam ſæpe vox *Sela*, quam vacuo ſpatio replendo poſitam eſſe crediderim. Tandem S. Hieronymus (1), veluti explorate ſciens, de verſibus Hebraicis ita loquitur, ut Jobi carmina hexametris, Pſalmos, Lamentationes, Cantica, carminibus Horatii, Pindari, cæteriſque Lyricorum Græcorum comparet. Verum poſt S. Doctoris ætatem vetus ars metrica apud Judæos penitus intercidit, locuſque alteri, ex Arabibus deſumptæ, datus eſt.

Magis etiam latent, quæ ad Muſicam & choreas, a carminibus Hebræorum nunquam diviſas, pertinent. Non enim niſi canendi gratia carmina exarabantur; quemadmodum ex ipſo nomine *Sir*, ſeu Canticum, & *Mizmor*, ſive Pſalmus, exprimitur.

(1) *Præfat. in Job.*

mitur. Ipsa pariter Sacra historia decantata quandoque narrat carmina, ut in transitu Maris rubri docemur; ac tandem idem plane demonstrant Psalmorum inscriptiones, nomina quorumdam musices Præfectorum præseferentes. De ejus musices suavitate ex ipsa carminum elegantia, cæterisque quæ huc usque deduximus, non iniquum judicium ferendum est.

Junctas etiam cantilenis choreas quis nesciat? cum chori quorum sæpe in Scriptura mentio fit, ex mulieribus virisque saltandi peritis constarent. Sermo est etiam in eadem Scriptura de choreis in publica aliqua solemnitate, ut puta relata victoria, ipsisque Religionis cæremoniis, veluti in solemni Arcæ Fœderis in Sion translatione sub Davide, in dedicatione Jerosolymæ sub Nehemia, cum scilicet duo canentium chori, alternatis modulis in mœnibus Urbis canentes, juncto deinde simul cœtu, in Templo cecinerunt. Multa sunt igitur nobis de Poesi Hebræorum incognita, cum nudam tantum literam omnibus externis ornamentis destitutam spectemus. Alia profecto erat species carminis in ore Musicorum, in ipsa solemnitatum pompa. In medio Templi Salomonici, & inter populorum turbas, aulas omnes & Templum complentes, versari oportuisset; videndaque coram fuisset Ara victimis onusta, candida Sacerdotum corona cincta; & paulo remotius Levitæ aspiciendi in plures choros distributi, alii instrumentis, alii cantilenis, alii modestis gravibusque choreis ludentes: horum, inquam, medium versari oportuisset, ut decora illius Poeseos omnia explorata haberentur.

Nunquam apud Hebræos, quantum scimus, obtinuerunt Comœdiæ, Tragœdiæ, carmina Epica, neque aliud ejus Poeseos genus, quod Plato Imitationis appellat. Canticum Salomonis dramatici carminis genus est, in quo variæ loquentes personæ inducuntur. Idem & in Psalmis aliisque Poeticis Scripturæ lucubrationibus, nulla excepta, spectatur. Ad hæc, Cantica intimos animi sensus exprimunt, non aliquam rerum seriem; quæ series omnibus carminibus, quæ in imitatione consistunt, peculiaris est. Nihil poeticum in Scriptura est, quod non Cantica sint, Psalmi, Odæ; quæ poeseos genera a primis sæculis sola obtinuisse, Plato testatur. Nec aliunde quidem accepisse Græci Dramatica carmina videntur, omnesque ejus generis Vates captivitate Babylonica recentiores sunt.

Psalterium Collectio est CL. Carminum variorum Scriptorum, variique argumenti; quæ si quis animo minus advertens percurrerit, eadem semper se legere crediderit; quo vero accuratior seriaque magis lectio fuerit, eo plura deprehendentur & varia, novisque figuris ornata. Hæc porro varietas in optimis quibusque vetustis carminibus regnat: rarior est apud Recentiores, quorum plerumque Lucubrationes poeticæ plurimum habent morositatis. Figuræ vividæ quidem sunt, sed quas natura ipsa parit: interrogationes, apostrophæ, exclamationes.

Psalmi, qui aliquod indicant Scriptoris consilium, certam habent connexamque rerum seriem. Ita in *Psalmo* XVII. quo gratiarum actiones Deo ob pulsum hostium metum a Davide persolvuntur; I. Vates ærumnas suas exhibet; II. Ad preces convertitur; III. Exauditum se a Deo profitetur; IV. Decretam cœlitus sibi opem esse narrat. Hic vero Dei vires exornat, naturam omnem concutientis. V. Actos in fugam a Deo hostes; VI. Seque metu liberatum canit. VII. Cur hæc fecit Deus? ut scilicet justitia & virtus Davidis suo præmio donarentur. VIII. Versa oratione, florentem rerum suarum statum; IX. Deque hostibus suis in ultimas calamitates redactis prostratisque victoriam Deo refert acceptam. X. Plura deinceps sperat; XI. Ac tandem ad laudes rediens, similem exordio orationi epilogum imponit. Hæc omnia eodem hoc ordine Psalmus ille complectitur; quo nihil concinnius mihi videtur, ut scilicet primo omnium oppressio exponatur, deinde preces, tum impetratæ opis confessio: quænam illa? nimirum superati hostes; innocens erectus, ipse non ab eorum injuria tantum, sed supra illos evectus; paria mala in hostes ipsos conversa.

In Psalmis historicis narrationis series alia plane quam in vulgatis historiis texitur. Illustria tantum facta & majoris momenti adducuntur; & si quid occurrat, quod aptum poeticis conatibus sit, in eo Poetæ ingenium probe exercetur.

Josephi historia *Psalmo* CIV. ita describitur: *Deus vocavit famem super terram, omne firmamentum panis contrivit; misit ante eos* (filios Jacobi, de quibus egerat in superioribus) *virum. In servum venumdatus est Joseph*. Sublimitatem narrationis inspice, ipsum Dei consilium attingentis, ac figuræ nobilitatem. Fami præcipit, eamque veluti mortalium aliquem alloquitur Deus. Quæ de *firmamento panis* dicuntur, nulla vernaculi sermonis voce satis æquantur. Hic enim Scriptura, uti & alibi, panem, idest cibos, comparat scipioni, cui nixus senex fessa membra sustentat; ut panem homini subducere perinde habeatur, ac senem, quo sustinetur,

tur, ſcipione privare. Hos verborum circuitus reſecans Scriptura, conciſe pro ingenio linguæ ait, famem omne panis firmamentum (ſcipionem) conterere.

Exhibet deinde Pſalmus Joſephum catenis onuſtum, ut uno verbo ejus moram in carcere deſcribat; tum ad Deum redit, qui Joſephum verbo & ſapientia ſua donatum, libertati reſtituit: *Miſit Rex, & liberavit eum, Princeps populorum, & dimiſit eum: conſtituit eum dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ: ut erudiret principes ejus ſicut ſemetipſum, & ſenes ejus* (viros Reipublicæ ampliſſimos) *prudentiam doceret*. En tota Joſephi hiſtoria, captivitas, liberatio, poteſtas a Deo data, omnia denique ſub oculis expoſita. Hujus generis narrationes apud Virgilium ſpectantur, qui nobiliſſima Romanæ hiſtoriæ monumenta in deſcriptione clypei Æneæ ſub uno veluti conſpectu exhibet.

Sublimes ingenioſaſque ſententias ſi quis velit, illud animadvertat: *Domine, probaſti me, & cognoviſti me: tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam*. *Seſſionis* nomine quies deſignatur; *reſurrectionis* vero, actio, juxta illud: *Surge, Domine, in requiem tuam* (Hebr. *poſt requiem*) id eſt, poſt requiem ad agendum ſurge. Deus igitur externos actus habet exploratos; neque eos tantum, ſed *Intellexiſti cogitationes meas de longe; ſemitam meam & funiculum meum inveſtigaſti*. Ad hæc: *Et omnes vias meas prævidiſti, quia non eſt ſermo in lingua mea* (me etiam ſilente). *Ecce, Domine, tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua*, (futura & præterita): & ex communibus ad ſingularia deſcendens: *Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam*, ut me ſervares pariter, & deduceres. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me;* immenſa eſt adeo, ut cogitatione illam aſſequi non poſſim. Tum novo raptus œſtro repente exclamat: *Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam?* Omneſque late Mundi dimenſiones complexus: *Si aſcendere in Cœlum, tu illic es; ſi diſcendero in infernum, ades*. Tum figura ſplendidiore uſus: *Si ſumpſero pennas meas diluculo; & habitavero in extremis maris*, (in extremis Orbis qui pelago terminatur) ſive juxta Hebræum, *Si ſumpſero pennas Auroræ*. Quid vero tum cum ad extrema Orbis Vates receſſerit? Non modo hic, quemadmodum in ſuperioribus, inventurum ſe Deum dicit; ſed exquiſita magis doctaque phraſi mentem ſuam ita exprimit, quaſi ab aliquo temeritatis & ſtultitiæ accuſetur, quippe qui latebras ab obtutu Dei quærat; minime enim omnium a Deo ſeſe ſubducere poſſe; quin potius, inquit, *Illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Quantumvis cogitatione aſſequi poſſim, nunquam tamen eo perveniam, ut abſque Deo me aliquid præſtiturum credam. Quamvis alis inſtructus, ut dixi, volarem, tu me deduceres, ac ſuppoſita manu ſuſtineres. Nihil his addendum ſupererat; ſed novam ſtatim penitiorem prodit artem quærendi latebras: *Et dixi: Forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis* (nocte oblectabor, ut alii luce). At inſana molitus ſum: *Tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur; ſicut tenebræ ejus* (noctis); *ita & lumen ejus* (diei).

Exerant nunc cenſoriam virgam quicumque noſtræ ætatis hominis Ingenii laude glorientur, & bonos illos Palæſtinæ agricolas ignorantiæ damnent; aut ex Autoribus profanis ſublimius aliquid & magis elaboratum depromant: ne memorem abdita Theologiæ dogmata, & ſolidæ pietatis ſenſa, quæ iis verbis inſinuantur. Reliquæ hujus Pſalmi partes non vulgaria docent de fœtu hominis in utero matris, & prædeſtinatione: tum Vates ad exhibendas obſequii ſui erga Juſtos, & contemptus impiorum ſignificationes excurrit.

Figurarum varietas in omnibus æque Divinis hiſce Pſalmis, maxime vero in Canticis ad exhortationem & ad preces factis, pluſquam in hiſtoricis regnat. *Pſalmo* XC. *Qui habitat in adjutorium Altiſſimi*, nobis, ſi quis alius eſt, familiariſſimo, Vates primo argumentum ſuum proponit, Divinas nempe erga hominem curas; illudque binis phraſibus, quarum verba ſibi invicem juſtiſſime reſpondent, exequitur. Duplici enim proxime ſuccedente verſiculo, hominem eo beneficio donatum loquentem inducit; & ita inducit, ut gemina uſus figura, in ſecundo verſiculo hominem exhibeat ad Deum verba facientem; in tertio vero Vates ipſe, veluti tertius aliquis, ea de re loquatur. In quinto Vates ſuis verbis hominem Dei protectione munitum affatur, novas ſemper promens metaphoras & comparationes, ac varia percurrens opis præſtitæ a Deo genera. Nono verſiculo vir Juſtus loquentem intercipiens, veluti eorum quæ dicta ſunt, rationem daturus, exclamat: *Tu es, Domine, ſpes mea*, ſtatimque excipiens Poeta: *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum: non accedet ad te malum, &c.* Pergenſque per quatuor verſiculos, majora ſemper de protectione Divina, virum Juſtum alloquens, prædicat; illum Dei ope protegi, nec Angelorum auxilio deſtitui; nihil illum Dæmones, beſtias illas,

las venenatas, lædere. Tandem tribus novissimis versiculis ipse Deus loquitur, confirmans ac rata simul habens quæcumque toto Psalmo disputata sunt: alia simul de sua protectione addit; totamque demum orationem facta vitæ æternæ & visionis beatæ spe, claudit. Qui e Poetis aliquid legerunt, norunt quid sit, cur ex altera ad alteram personam, ne dato quidem Lectori animadvertendi spatio, transitus fiat; nihil enim frequentius apud Horatium, non in Odis modo, sed in Epistolis & Satyris, ut proinde minime necessarium sit eum *Psalmum* XC. inter Dramaticos censeri; plerique enim alioqui ejus generis haberentur.

Pauca ista sufficient, ut ad alia ejus generis cognoscenda ducamur; passim enim recurrunt non in Psalmis tantum, sed & in Jobo, cujus carminis genus vividius est magisque splendidum cæteris Lucubrationibus Poeticis in Scriptura legendis. Consule, si placet, Canticum in calce Deuteronomii, & Canticum Baraci & Deboræ.

Quamquam hæc ita se habent, non tota tamen horum Operum nobis spectata est pulchritudo; ne quid memorem morum, & cogitationum ejusdem rei inter nos & Hebræos discrepantiam. Profecto consilium tantummodo, sententiæ, & figuræ solæ nobis ex omnibus in Hebraica Poesi panduntur; elocutio viris tantum Hebræi peritis dijudicanda est; reliqua, harmoniam nempe verborum, carminis, & musices numeros, ne uni quidem homini in toto Orbe cognita esse ajo. Quanti autem hæc omnia sint ad Poesim momenti, neminem ignorare arbitror.

Genuina Hebraicæ linguæ pronuntiatio, quemadmodum & Græcæ, Latinæ, cæterarumque, quarum usus jam desiit, prorsus ignoratur. Intercidisse vero jam a pluribus sæculis, ex eo discimus, quod Septuaginta, S. Hieronymus, aliique Veteres easdem voces varia ratione Latinis Græcisque literis expresserint. Quod in Græcis Latinisque carminibus manet, versuum scilicet numerus & syllabarum mensura, in Hebræis desideratur. Nec de musico veterum carminum numero, non apud Hebræos tantum, sed Græcos etiam Latinosque, quidquam nobis exploratum est. Cæterum illa musicæ destinabantur, quemadmodum ex Historia & Psalmorum Inscriptionibus discimus.

Plato enim, quod sanctum erat bonæ Antiquitatis dogma, constituit, nunquam committendum, ut carmen a musica sejungatur; neque carmina ad alios, quam ad canendum, usus scribere, sive musicam sine carminibus canere, ut fieri instrumentis solet, citra piaculum licere arbitrabatur. Sed quis musicus eorum carminum numerus? Elegans oppido, ut ex hisce potissimum argumentis colligitur; I. Elegantia verborum & Carminum artificio, quæ cæteros carminis ornatus pares sibi fuisse significant. II. Instrumentorum varietate, quæ variis nominibus in S. Scriptura occurrentibus, proditur. III. Cantorum copia, qui a parentibus suis, uti videtur, edocti, musicen studiosissime colentes, veluti curarum suarum primam, peritissimi ejus artis fiebant, atque e tam multis aliqui saltem eximii cantores evasisse credendi sunt.

Porro si de re obscura judicium ferre licet, Musicam illam maxime simplicem fuisse puto, ut harmoniam omnem non musici numeri, sed apta exprimendis animi sensibus, movendis animis, insinuandisque Poetæ sententiis verba conficerent. Deerat proinde illa ex variis musicæ partibus consonantia leposque, qualis in musica nostræ ætatis sentitur. Divinans tamen hæc dissero, non explorati quidquam affirmo.

De verborum elegantia, unde judicium feramus nihil est; cum, uti supra innuimus, simplicissimæ nimisque literæ servientes supersint Versiones. Porro si quis vernacula lingua Odás Horatii ad literam reddat, lepos aberit omnis. *L'argent n'a point de couleur, Crispe Saluste ennemi de la lame cachee dans les terres avares, s'il n'est eclairci par un usage moderè* (1). Strophen hanc, quæ fortuito occurrit, in medium adduxi; sed omnium primam inter ejus odas afferamus: *Mècènas descendu d'ayeuls Rois, o mon appui, & mon doux ornement. Il y en a qui se plaisent d'avoir amassè en courant la poussiere Olympique, & que la borne evitèe par les roues, & la palme illustre eleve aux Dieux maitres des terres* (2). Cum hæc duo fortuito elegerim, in cæteris idem facile observari posse censeo. Cæterum Latinam verborum collocationem, quam Gallica lingua non patitur, perverti; nonnulla etiam magis ad literam reddere poteram, uti illud: *Il n'y a nulle couleur à l'argent* (3), quod verti, *L'argent n'a point de couleur*; & illud, *Mon appui* (4), reddere poteram:

(1) *Italice sic:* L'argento non ha alcun colore, Crispo Salustio nimico della lama nascosta nelle terre avare, se non splende per un uso moderato.

(2) Mecenate disceso da Avi Regi, o mio appoggio, o mio dolce ornamento. Vi è chi si diletta di aver raccolto, correndo, la polvere Olimpica, e cui la meta scansata dalle ruote, e la palma illustre solleva fino agli Dei padroni delle terre.

(3) *Italice:* Niun colore è all'argento. L'argento non ha alcun colore.

(4) Mio appoggio. Mia difesa.

ram: *Ma garniſon*. Major profecto ſimilitudo eſt inter Gallicum & Latinum, quorum alter ab altero derivatus eſt, quam inter Græcum ſive Latinum & Hebraicum, qui nullo affinitatis vinculo conjunguntur. Noſtra etiam translatio ex Latino in Gallicum eſt: ut vero Pſalmorum Verſio qualis ſit, probe intelligamus, carmen aliquod Pindari ex Latina interpretatione Gallicis literis tradendum eſt. En aliquod, nec ſane arduum.

Hymnes regnans ſur le Luth, quel Dieu, quel Hèros, quel homme louerons nous? Certainement Piſe eſt a Jupiter, & Hercule a inſtituè le combat Olympique, le prèmices du butin de la guerre; mais c'eſt Theron, qui il faut chanter de la voix, à cauſe de ſa courſe dans un char à quatre chevaux vainqueur, ce juſte hote, appui d'Ancetres illuſtres, Gouverneur des Villes, &c. (1). Plura hujus ingenii in Pindaro legas, quæ ſine paraphraſi reddita, nullum aptum ſenſum referunt.

Quæ hactenus a nobis de Hebræi elegantia diſputate ſunt, debitum Vulgatæ obſequium non minuunt. Fatum eſt plane inevitabile, quemadmodum ex adductis huc uſque exemplis plane demonſtratur, ut Lucubrationes Poeticæ, ſi in alteram linguam vertantur, plurimum ingenui leporis, citra vitium Interpretis, amittant.

Septuaginta, Græce Scripturam tradentes, literæ pro viribus ſerviendum duxerunt; veriti ne paraphraſis integritati ſententiarum officeret. Profecto niſi idem in Pſalmis conſilium ſervaſſent, Hebræas figuras & phraſes penitus non agnoſceremus; nec abs re prorſus ambigeremus, ne forte pro ſenſu Prophetæ, Interpretis ſenſus legenti ſubreperet. Cum vero primi illi Fideles Romæ cæterarumque regionum Latine loquentium literas Hebraicas ignorarent, Scripturarum Translationem e Græco Septuaginta adornandam ſuſceperunt; quam illorum Verſionem toto eo ſpatio, donec Verſio S. Hieronymi reciperetur, ſexcentis amplius annis, in Eccleſia obtinuiſſe conſtat. Quamobrem cum univerſus Chriſtianus populus tam longa ætate recitandis ex ea Translatione Pſalmis aſſueviſſet, & ab omni, etiam exteriorum rerum, mutatione ſemper abhorruerit Eccleſia Catholica, Verſionem ipſam e Græco expreſſam retinendam judicavit. Diſſidet illa quidem ſæpe ab Hebræo, qualis hodie, & qualis etiam S. Hieronymi ætate legebatur; nonnulla etiam obſcuriora, & magis ardua continet: ſed viciſſim in pluribus etiam locis meliora Exemplaria ſive meliorem lectionem ſecutos eſſe Septuaginta Interpretes, conſtat. Nunquam Verſio hæc noſtra non Catholicum ſanumque ſenſum præſefert: quod ſatis habendum eſſe arbitror. Neque eidem Verſioni admittendæ difficiliores nos præbere par eſt, quam tot Viri ſanctiſſimi fuerint, qui ab ipſis Eccleſiæ crepundiis ex ipſa eadem Verſione & precum & inſtitutionum ſuarum ad populum argumenta deduxerunt.

Neque tamen ingratum accidit Eccleſiæ, ſi quis e filiis ſuis varias conſulat verſiones linguaſque, ut ſenſus omnes totumque Pſalmorum leporem ſub oculis ponat; quemadmodum inter cæteros Cardinalem Bellarminum optime præſtitiſſe conſtat. Cæteras Poeticas Scripturæ Lucubrationes e Verſione S. Hieronymi ex Hebræo expreſſas habemus.

Non eſt autem, cur vehementer miremur, ſi in rebus Poeticis aliud plane ſit noſtræ ætatis, ac Veterum ingenium. Ut enim aſſentatio omnis abſit, fatendum eſt, Poeſim noſtram vetuſtæ illi multo concedere; quamquam enim cultiori utimur eloquio, & naturæ magis ſtudemus, quam veteres illi, & elapſi ſæculi Poetæ; rebus tamen minime illos ſuperamus. Potiſſima enim Poetarum occupatio ſunt blandi & molliuſculi amores, convivia, & alia hujus generis, ut non niſi voluptatem carmina ſpirent; atque id tandem commiſſus eſt, invito licet antiquitatis, quam imitari nos dicimus, ingenio, ut infames illæ cupidines cum toto vitiorum comitantium ſatellitio in Tragœdiam & Heroica carmina irruperint; quæque ad gravitatem componenda erant carmina, hæc adoleſcentulorum animis laſciviam inſpirent; reverente nemine variorum Poeticorum characterum diſcrimen, adeo religioſe a Priſcis ſervatum.

Ego quidem nunquam in animum induxerim, dignam hanc eſſe nobilium ingeniorum occupationem. Quis credat, Deum idcirco potiſſimum homines quoſdam inſtruxiſſe acri cogitandi facultate, vividis rerum imaginibus, gratia, felici verborum delectu, ac tandem cæteris omnibus, quibus Poeta formatur, ut præclaris hiſce animi ornamentis jucunde nugari, & criminoſas voluptates ſuavius inſinuare poſſent? Crediderim potius, tot ſimul illecebris ſeverioris veritatis dogmata mulceri voluiſſe, ut facilius ſorberentur, & veluti cibus mulſo, ita pariter

(1) *Italice:* Inni regnanti ſopra la cetra, qual Dio, qual Eroe, qual Uomo loderemo noi? Certo Piſa è di Giove: Ercole ha iſtituito il combattimento Olimpico, le primizie delle ſpoglie di guerra. Ma di Terone convien cantar colla voce, a cauſa del ſuo corſo in un cocchio a quattro cavalli, vincitore, quel giuſto oſpite, appoggio di Agrigento, fiore di Antichi illuſtri, Governator di Cittadi, ec.

ter utilissima ad mores instruendos dogmata carminum blanditiis condirentur.

Cur enim utile a dulci separandum est? Cur doctrina salutis & pietatis, barbarie & prolixitate orationis, in medicinam ingratam vel in cibos insuaves & tristes vertatur? quos ubi gustare cogaris, valida mentis rationisque intentione te muniri necesse sit. Cur ingenium, studium, politiores arces impenduntur embammatis pharmacisque componendis, quorum illecebris pellecta juventus virus exsorbet? Sive igitur Poeticas artes omnes damnare oportet, quod sapientium nemini probabitur; sive digniori argumento reddere, & cum genuina probataque Philosophia, nempe cum morali doctrina & solida pietate, componere. Novum illud quidem esset scribendi nostris literis genus, neque enim vulgata sunt hactenus Opera satis digna, quorum argumentum Christianum sit; satisque scio, sæculi hujus corruptionem nimiamque ingeniorum licentiam, toto undique Orbe pervagantem, magnum esse hujusmodi Lucubrationibus obstaculum: sed facile etiam ea in re nonnihil a Scriptoribus peccatum est. Neminem ego quidem vidi, qui Cantica ejus ingenii, quod in Scriptura legitur, scripserit, & in iis Psalmis, quorum Translatio adornata est, non satis provisum est, ut figuræ omnes, quæ potissima sunt elegantia hujus generis Operum, servarentur. Ea quæ Translatio appellatur, paraphrasis adeo prolixa est, ut sensus Prophetæ nonnisi aliis plurimis mixtus oppressusque tradatur. Optandum est, ut imitatione potius, quam versione exprimantur; & cum ejus generis carminibus plura contineantur, a nostris usibus moribusque abhorrentia, laborandum est proinde, ut paria ad nostros mores condantur; nimirum de novæ Legis mysteriis, institutione, progressu, gestisque Sanctorum; de beneficiis, quæ genti nostræ, regioni, Urbi Divinitus collata sunt, de principiis doctrinæ moralis, de felicitate justorum, de contemptu divitiarum, &c.

In suscipiendis ejus generis Operibus utrum ardua plura futura sint, me penitus fugit. Consilium tamen illud optimum futurum esse, quis negaverit? Et si quis de suis viribus ea in re desperet, non est tamen cur livido animo meliori fortuna in idem argumentum laborantes insectetur. Plurimi igitur æstimanda est Poesis Hebræorum, quamvis etiam de ejus imitatione desperemus.



JONÆ

JONÆ CONRADI SCHRAMMII DE POESI HEBRÆORUM IN CODICE SACRO

PROLUSIO ACADEMICA.

Tertius nunc menſis eſt, Commilitones, quando ad finem perduximus *Eſaiam*. Prophetam quidem Veteris Teſtamenti facundum admodum, ſed & difficilem ſatis & in orationibus ſuis prolixum; cui tamen explicando ultra menſes quindecim haud impendimus. Vacabat igitur adhuc ſpatium uſque ad ferias Michaelis, quod propterea deſtinavimus *Pſalmis quibuſdam Davidicis, Chriſtum Servatorem præcipue præferentibus*. Neque hoc vobis diſplicuit conſilium, quin ob neceſſitatem potius ac utilitatem ſuam egregiam me ipſum quoque excitavit, ut hac hyeme in iiſdem pergerem Lectionibus, & quatuor illis, quos interim abſolvimus. Pſalmis etiam reliquos adjicerem. Superſedere vero hac ſcriptione potuiſſem, quoniam id vobis tam e Tabula publica, e qua jam menſe Julio ſignificavi, quam e Catalogo Lectionum, typis edito, iterum conſtat, niſi ſimul indolem *Poematum Sacrorum* conſiderare, dum circa Cantica verſamur, in me ſuſcepiſſem. Quare jam ſtandum erit promiſſis; & prout meminiſtis, me, quod in ſchedula affixa ſignificaveram, in Prolegomenis brevibus præſtitiſſe, ſcilicet, ut præmiſſa de *Re Poetica in genere* doctrina, *Legibuſque Poeſeos* pro *Fundamento* poſitis, in *Hebræorum Sacram* præcipue *Poeſin* vos introducerem, ita ſummam quoque hujus materiæ, quam ad calamum vobis dictavi, quamque etiam propter uſum ſuum inſignem in diſputationem vobis obtuli, deducere paululum, nec a ſcopo meo, nec a Statutis noſtris alienum fuerit.

Nempe animus eſt, agere de *Poeſi Hebræorum Veterum*, de qua non eſt, quod putetis, Commilitones, heri demum aut nudius tertius natas eſſe inter viros doctos controverſias. Nam ſive Poeſeos hujus antiquitas jam quidem obſoleta in cauſa ſit, ſive quod alii Poeſeos genuinæ naturam non ſatis expenderent, aut ab ovo, quod ajunt, repeterent, alii ſermonum Hebraicorum in Codice Sacro occurrentium, horumque lectionis haud ſatis eſſent experti, ſed ſingula ſolum ad verbum, & juxta tenorem Verſionum redderent pro more, tanta hic apparet ſententiarum diſcrepantia, ut ubi domi ſis, aut cuinam accedas parti, ipſe cum his ferme ignores. Meditati ſunt paſſim de hac Poeſi e veteribus Patres, item Philo & Joſephus, Judæi, quos impugnarunt recentiores e noſtratibus, vel ſimpliciter approbarunt, vel ſuis demum inventis auxerunt & emendarunt; quos nunc omnes quidem recenſere, cum multi ſint, qui ſymbolam addiderint, non eſt hujus loci, & tædio forte prius, quam utilitati inſerviet. Id vero magis e re erit, ut & ſententiam noſtram & operam ipſam eo accommodemus, ne fruſtra vel ſtatuiſſe quicquam, vel laboraſſe videamur. Nec profecto alii potius, quam diviniorum rerum notitiæ convenit, determinare, quid ſint illi *Pſalmi* & *Hymni*, & *Cantica Spiritualia*, de quibus Paulus *Col.* III. 16. quid illud *eructare verbum bonum*, *Pſ.* XLVI. 1. quid *canere prudenter*, (משכיל) *Pſ.* XLVII. 7. & quid *Canticum novum Davidis*, *Pſ.* XCVII. 1. quid ſit *Parabola* & *Carmen*, quorum vel millena tribuuntur Salomoni 1. *Reg.* IV. 32. 33.

Namque canebat, uti magnum per inane coacta

Semina terrarumque animæque mariſque fuiſſent &c. ut loquar e Sileno Virgilii, quid inter hæc ſit diſcriminis, quid Arti & quid Spiritui S. magis in his competat. Et hæc plura. Quanquam ergo hic de Poeſi in ſpecie agere, libroſque integros cum Ariſtotele, Horatio, Scaligero, aliiſque præmittere, opus haud ſit, tamen ut eo rectius de Poeſi Hebræorum primæva judicemus, & *quæ ſit vera & laude digna Muſica, Angelis ac Prophetis, Moyſi, Davidi, Eſaiæ, in Eccleſia Dei, ac veteribus ſapientibus apud Ethnicos uſitata, illuſtrius conſpiciantur, de Poeſi, & Muſica in genere* prius, & ex ipſis ejus Fundamentis dicendum eſt, prout bene monuit quondam, ſuoque exemplo præi-

prævivit Theologus ipse & Interpretes Scripturæ Sacræ doctissimus juxta ac felicissimus, Chytræus, in Commentario ad *Deut.* XXXII. Et quo proinde tria illa, nempe *Sententiam*, *Rythmum*, & *Vocis Modulationem*, quippe quæ ad omnem cantum requiruntur, in antecessum consideramus. Per *Sententiam* vero intelligimus *Res* ipsas, & harum *Inventionem*.

Nimirum *Res* quælibet, ut ad Orationem, sic ad Carmen aptæ sunt, adeo ut Historiæ, & Præcepta scientiarum etiam profundiorum, Geographiæ, Rhetoricæ, Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ, & quidni etiam Theologiæ, & aliarum? cani soleant, versibusque includi. Inde Pindarus, Orpheus, Simonides, pluresque hujus generis, Poetæ simul atque Philosophi. Nec tantum veteres, sed & moderni, ingenio aliquo prædití, in omni linguarum genere, utut inæquali conatu, & vena sæpe languida, nescio quid Poesi exprimere tentarunt. Imprimis vero huc pertinent Magna quælibet, & Admiranda, ut sunt doctrinæ de Deo, de Rebus ac Beneficiis Cœlestibus, de Fatis, Virtutibus ac Meritis Clarorum Virorum, Regnorum ac Civitatum, & quæ præterea aut læti quid, vel laudabile, vel triste quoque aut turpe præferunt, & in quibus varii obtinent locum affectus. Neque enim gratior est Poetis materia, quam ubi se campus Affectuum prodit, qui mentem elevent sive ob Bona singularia, sive ob enormia Mala, & totam velut ad se abripiant. Inde sunt Gratulationes, Gratiarum Actiones, Doloris Contestationes, Admonitiones, Augurationes, Precationes, & aliæ Orationes Solennes, dummodo levia non contineant, & quotidiana, sed illud pro fine habeant:

> *Et prodesse volunt, & delectare Poetæ.*

Alias enim discedere licebit in eandem cum Platone sententiam, *quod Poetæ ne quidem suscipiendi sint* ἐς μέλλυσαν εὐνομᾶσθαι πόλιν, *in civitatem optimis Legum institutis conformandam; quod illi exigua quædam rerum simulacra comminiscentes, a veritate valde dissiti sint, imo probos quoque viros, paucis admodum exceptis, possint corrumpere*; de quo videas *lib.* x. ejusdem, de *Republ. pag. edit. Serran.* 605.

Inventio, ut in oratione qualibet, sit conformis circumstantiis, ac proinde Argumenta adhibeantur ubique arguta, floribusque figurarum, in Rhetoricis obviarum, plusquam alias vestita, sic ut rem ipsam vivis depingant coloribus. Intumescat pro affectu & re substrata oratio, Communicationibus, Allocutionibus, Digressionibus, Ironiis, Metaphoris, Metonymiis, intumescat Anaphoris, Epiphoris, Homojoptotis, Homojoteleutis, & similibus, verbo, ἐν τῇ μιμήσει, *in Imitatione* Rerum & Verborum præcipua vis Carminis sita sit, prout recte meo quidem judicio Plato in Phædone, & alibi passim, Aristoteles initio libri de Arte Poetica, & Plutarchus Libr. de audiendis Poetis *cap.* XII. scripserunt. Neque est, quod hoc modo Poetam atque Oratorem non differre, objicias, cum hujus etiam sit, mores hominum & affectiones animi imitari. Id enim haud inviti quidem largimur. At propterea non toti invicem conveniunt. Ipsi inter se quanquam omnes tales dici velint vel videri, discrepant maximopere Poetæ, imitatione ac troporum apparatu. In Jambico genere ad Heroici Carminis majestatem haud facile ascendimus, nec in cothurnos Comœdia assurgit, nec contra Tragœdia socco ingreditur; adeo ut Poetica referenda sit ad ea, quæ dicuntur ἀφ' ἑνὸς ἓν, seu πρὸς μίαν φύσιν, *Communia ad unum*, ac gradibus variant. Ut ergo propter similitudinem aliquam, quam alioqui Carmina inter se habent, non tollitur ista differentia, ita quoque, qui in genere propter imitationem pares sunt, in specie tamen ac modo imitationis toto cœlo distare possunt Oratores & Poetæ. Quæ si quis penitius indagare velit, adeat doctam M. Joh. Ernesti Schraderi de Convenientia & Discrimine Oratoriæ at Poeseos Dissertationem, sub patris Christophori auspiciis Anno MDCLXI. in Academia Julia elaboratam atque defensam. Hæc vero sunt quæ Materiam Carminis & Inventionem concernent, & a quibus primo omnium laudantur Poetæ.

> *Neque enim concludere versum*
> *Dixeris esse satis, neque si quis scribat, uti nos,*
> *Sermoni propriora, putes hunc esse Poetam.*
> *Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os*
> *Magna sonaturum, des nominis hujus honorem;*

Quæ sunt verba Horatii *lib.* I. *Sat.* 4.

Cum vero Rem, de qua scribunt, tum Verba ipsa, quantum fieri potest, imitari oportet Poetas. Quam ob causam *Rythmum* posuimus alterum Carminum requisitum. Per Rythmum, ne quis forte in limine aberret, non vocum tantum, similiter sonantium, conjunctionem intelligimus, sed primo potius Numerum

&

& Quantitatem, ac dein etiam Qualitatem, cum Verborum tum Syllabarum, & ipsorum quoque Elementorum, ex quibus constant, totam rationem comprehendimus. Numerum gignunt Periodi. Periodos Incisa. Incisa ex ipsis Vocibus ac Syllabis nunc pluribus, nunc paucioribus, fiunt, prout nempe materia Carminis copiam præbet Poetæ. Cui demum Quantitas etiam in Elementis verborum accedat, quam parit pronunciatio, sive tardior sive celerior, & modo ad æqualitatem aliquam redacta, modo a seipsa discedens. Sic & interdum Numerum simul & Quantitatem ornat Qualitas, vel asperitatem quandam sonorum vel dulcedinem ac subtilitatem, item vel elevationem vel humiliationem, ac denique etiam paritatem præferens; id quod e diversa Vocalium & Consonantium natura, & hinc e diversa utrarumque positione atque conjunctione provenit. Imitatio autem in his omnibus præcipuum facit momentum. Hinc *in sedandis animis tardos numeros seu Spondeos, in concitandis celeres & festinantes Pyrrichios, Jambos, Anapæstos plurimum valere*, inquit Chytræus, loc. cit. *experimur, ut tympanorum pulsu, Anapæstos* (◡◡–) *exprimente, militum animos ad fortitudinem & alacritatem nunc quoque excitari, audimus*. Atque hic rursus aliqua ex parte concurrere Oratores & Poetas, non miramur, utut majori studio singula hi imitentur, quam illi. *Statuo*, inquit Pareus, *in Poetica Oratione* ἐξοχὴν τινα, *intelligens eam omnem, quæ numerorum arctis legibus gaudet*. Et Aristoteles, *in oratione non Versum, sed Numerum* ideo esse, jubet *Libr.* III. *Rhet. cap.* 8. & ex eodem Cicero *Libr.* III. de Oratore *cap.* 44. quod Rythmus eodem modo repetitus Versum faciat, versus vero frequentior Metrum, in quo scilicet struendo singulari artificio procedat Poeta, non æque in soluta oratione Orator. Nec ipsi tamen Poetæ se iisdem legibus adstringunt, vel eadem utuntur attentione. *Comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic sæpe sunt abjecti, ut nonnunquam vix in his Numerus & Versus intelligi possit*, observante Cicerone de Oratore *cap.* LV. Cujus rei caussa esse videtur, quod *Jambos non tam ars quam natura*, ut testis est Aristoteles *Libr.* IV. de Poetic. *dictioni* attribuat. Ideoque nec in iisdem Rythmi partibus vel requisitis sæpe subsistunt, sed interdum Numerum Quantitati, interdum hanc Numero præferunt, interdum vero & Numerum & Quantitatem Qualitati postponunt. Imo videbis, Æthiopes, neglectis reliquis, quæ ad Rythmum pertinent, vel sola consonantium similitudine, ut autor est Jobus Ludolphus Historiæ Æthiopicæ *Libr.* IV. *cap.* II. §. 38. in Versuum exitu delectari. Et quicquid etiam impendatur diligentiæ aut laboris, ut secundum certas regulas tota hæc Ars Rythmica definiatur, solum tamen Aurium esse Judicium, quod ubique principatum tenet, & multa nihilominus adhuc niti autoritate, multaque excipi a regulis, ex tot Carminibus nationum, prorsus dissimilium inter se, constat.

Id vero longe fit clarius, si tertio loco etiam succedat, & Poesi vitam quasi addat, ipsa *Modulatio*. Quanquam enim hæc omni orationi facile tribui possit, ac proinde non omne quod modulatione canitur, sit Poema, ut patet ex Evangeliis, Epistolis, collectis, Consecrationibus, & aliis Orationibus Sacris quamplurimis, nullum tamen est Poema, cui nomen Cantici vel Carminis haud competat, cum sua natura ad canendum, plusquam cetera sermonum genera, compositum esse videatur. Effertur autem Modulatio vel sola voce humana, vel & Instrumentis eam comitantibus. Quam in rem Literæ, aliæque Notæ Musicæ, inventæ, quæ si cum Spondeis dormitantibus, Dactylis salientibus, claudicantibus Trocheis, Jambis, Pyrrichiis, & Anapæstis volantibus, utpote signis vel solam Quantitatem Pedum indicantibus, & apud Latinos præcipue usitatis, componantur, idem omnino cum his præstant; etiamsi non diffitendum sit, in Notis Musicis temporum intervalla longe distinctius, quam ullo alio modo exprimi, ne quid de Numero aut Qualitate commemoremus. His enim docetur, quomodo Tonus vocum singularum ac syllabarum nunc diducatur, nunc & abrumpatur vel suspendatur, nunc vero etiam interrumpatur, adeo ut sit nudus sæpe sine vocibus novis vel syllabis sonus, qui rem ipsam & affectum nihilominus imitetur atque designet. Nec proinde meliori ratione recitatio versuum, vel Scansio, quam vocant, suscipietur, quam secundum Notas Musicas, prout illæ temporis mensuram distingunt, atque vel ad ipsorum tympanorum, aut similium instrumentorum pulsum; cui si Modulatio quoque subvenerit, ut soni simul hinc constet diversitas, nihil erit ad Poematum cantum aptius, nihilque perfectius, prout Kircherus æque ac Vossius in eruditis Operibus ad sensum demonstrarunt.

Quod si jam de *Poesi Hebræorum* ex his ferendum fuerit judicium, nihil plane dubitandum est, in Codice Sacro ejusdem reperiri vestigia; siquidem omnia requi-

quisita ad sermones Poeticos necessaria haud obscure ibi licebit ostendere. Quando enim in Thesauri Grammatici parte ultima de Prosodia Hebræorum agit Buxtorffius, triplici probat argumento, Jobum, Psalmos, Proverbia, aliosque libros Veteris Testamenti, item Sanctorum quædam Cantica, ut Israelitarum, *Exod.* XV. Mosis, *Deut.* XXXII. Deboræ & Barak, *Jud.* V. Hannæ, I. *Sam.* II. Habacuci, *cap.* III. & alia, juxta Metri leges a ceteris discrepare. Provocat scilicet ad Hebræos omnes, & ad Hieronymum, Christianorum omnium sui temporis Hebraice doctissimum, qui in Prologo in Jobum ea de re disserit ex professo, versusque notat *Hexametros, Dactylo Spondeoque currentes, & propter linguæ idioma crebro & alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum, recipientes;* notat quoque *Rythmos dulces & tinnulos, numeris pedum solutis, notat Metra in morem Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi, & Sappho*, & testes citat, quos nos ante quoque vocavimus, *Philonem, Josephum, Origenem, Cæsariensemque Eusebium*. Equidem me non latet, quomodo hanc Hieronymi sententiam, quam iste in Epist. ad Vincentium & Gallienum, Chronico Eusebii præmissa, iterum tuetur, in Notis in hanc *Epistolam pag. 6. seqq.* impugnet Josephus Scaliger, & *Rythmos* quidem, sed *non Metra* in sacro codice Hebræo concedat. Hinc idem, *Librum*, inquit, *Jobi constare Hexametro carmine, non magis concesserim, quam quod postea adjicit, eum librum mixtum ex Hebraismo, Syriasmo & Arabismo; quod miror, homini Hebraice perito exidisse*. At pariter ad hæc verba Calovius Præf. in Job. in Bibl. Illustr. *Mirum, homini Hebraice, Arabice, & Syriace docto, talem excidisse Epicrisin*. Nam prout Arabica Jobi sine causa rejicit Scaliger, sic Hieronymi Metrum non satis assecutus esse videtur. Ponamus enim ita se habere, quod ex Augustino, Beda, & Mario Victorino ibidem observat, quod *Metrum sit ratio cum modulatione, Rythmus modulatio sine ratione*, (quod sane Rythmo haud potest tribui,) *plerumque tamen casu hæc duo convenire*, ut in *Poetis vulgaribus*, & in *Versibus Græcorum Politicis*, ipse cum his negare non potest Scaliger. Ac propterea quoque Hieronymus & convenientiam quandam Pedum ac Metri, & diversitatem esse Hebræos inter ac Græcos & Latinos, diserte testatur. Et Metrum non quidem certum, at mixtum tamen & incertum, in ipso Rythmo occurrere, nec Scaliger, nec alius quispiam unquam inficiari poterit. Sed adhuc longius a limine aberrant, qui hic in partes trahere conantur Scaligerum, quasi frustra in Codice Veteris Testamenti quærantur Poetica. *Puram putam Poesin Rythmicam, non Metricam*, ibidem vult Scaliger, *generosam & masculam, & supra omnes Pindaricos modos*, non certe nullam. Quanquam Poesin Metricam, nescio qua de causa, omnino distinguat a Rythmica, quam tamen cum hac facile conciliari posse, imo ex hac ipsa resultare, ex antecedentibus, quæ de Rythmo in genere scripsimus, eliciendum erit. Buxtorffius igitur recte pro Poesi Hebraica Veteris Testamenti secundo etiam loco adducit genus Orationis, ab omnibus aliis libris diversum, utpote concisum & brevibus membris conclusum, sublime, allegoricum, hyperbolicum, & quibuslibet figurarum luminibus illustre, ac denique etiam Acentuum specialem in Libris istis & Canticis usum; tantoque magis sic Poesin veterum Hebræorum in Codice sacro obviam evincit, quanto certius constat de Metro ejus ac Rythmo. Nec tamen id etiam omittendum est, quod bene idem subjungit, *Metri sacri modum, numerumque artificiosum, post Prophetarum tempora paulatim neglectum, ac tandem decrescente magis magisque prisca Hebræorum sapientia, apud eos oblivione deletum fuisse*.

Nos vero etiam ab ipsis Poetarum *Sententiis* seu Materiis initium sumentes, facile in Sacris literis nil nisi magna quævis deprehendimus, quæ sunt divinæ de Deo & Christo sententiæ, de Beneficiis infinitis nobis mortalibus a Deo præstitis, & de Officiis nostris, ad quæ vicissim ipsi obligamur, de Promissionibus ac Minis Dei, aliisque rebus, sive bonis sive malis, præteritis, præsentibus, ac futuris, quæ in Scripturis *Act.* II. 11. congrua omnino appellatione τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, *Magnalia Dei* dicuntur. Et hæc sunt Sacra illa, quæ ad Salutem Hominum absolutissimam spectant, quæque etiam non minus Poetæ vetusti, quam Theologi pro primo Meditationum suarum objecto habuerunt, quando vel Veram Religionem per Carmina, docente vener. ordinis nostri Seniore & Abbate Schmidio, vel Hæreses quoque suas, docente iterum Celeberrimo D. Cypriano, in Dissert. de Propagatione Hæresium per Cantilenas, imprimis conservare, & passim disseminare conati sunt. Et Prudentiam quoque non vulgarem ideo in alia quadam Dissertatione circa Cantica Sacra requirit de Ecclesia Christiana meritissimus D. Wernsdorffius. *Quis ergo sibi*, quæ sunt verba Schmidii Differt. cit. §. XV. *persuaderet, Judæos solos tam raros cultores fuisse Poeseos, ut nullas doctrinas Theo-* lo-

logicas carminibus complexi ſint, cum omnes fere Gentiles hoc modo religionem propagandi delectatos fuiſſe, conſtet?

Quod *Inventionem* Argumentorum concernit, non magis quidem hæc ſacri autores, quam ſummam dicendorum præcipuam excogitarunt, ſed a Spiritu Sancto potius ſingula acceperunt. At nihil hoc obſtat, quin pro indole rerum & populorum præcipue Orientalium etiam minuta quælibet depingere imitatione, & poſteris, Spiritu Divino inſtigante ac gubernante, relinquere, omnem operam adhibuerint. Quam jucunde enim nunc finguntur perſonæ harumque ſermones, quam affabre delineantur, & ſpecie quaſi nativa veſtiuntur, res ceteræ tam animatæ, quam inanimatæ, quot proſopopœjæ, hyperbolæque admirabiles, & mille aliæ figuræ ad μίμησιν facientes, paulo ante de Inventione Poetica in genere a nobis memoratæ, multis his exemplis illuſtratæ, occurrunt? Adeo ut ſi unquam, certe in libris illis divinis Poetarum, Deus velut ſtudio quodam peculiari cum hominibus videantur συγκαταβαίνειν, eosque ad ſe allicere. Sic ad Amorem erga Chriſtum nos commovet David Pſalmo Secundo, quando eum v. *6. Regem* ab ipſo Deo *Patre declaratum* teſtatur, item cum blandam hujus ad illum allocutionem v. 7. exprimit: *Tu es filius meus, ego hodie genui te*. Hinc *Oſcula* quoque v. 11. ſuadet Criſto infigenda, ſimilitudine a Regibus hujus ſeculi deſumta. Vides hic porro Epitheta ſublimia, & convenientiſſima tamen, quale eſt illud, cum Sceptrum hujus Regis *Æneum* aut *Ferreum* v. 9. appellat. Vides Similia elegantiora, ut eſt illud a *Teſtis Ollarum*, uno jactu in partes exiguas plurimaſque fractarum, v. 9. cum quibus comparatur cædes Gentilium, & quæ ſunt ejuſmodi. Vides & Vocabulorum ac Sententiarum Tranſpoſitiones, ut in Pſalmo eodem v. 8. *Et hæreditatem tuam princepes terræ;* pro: *Et Principes terræ hæreditatem tuam*. Et *Pſalm.* XIX. 2. *Et opus manuum ejus annunciat firmamentum;* pro: *Et firmamentum annunciat opus manuum ejus*. Vides Deſcriptiones ut *Pſ.* II. 4. *Habitans in cœlis*, pro Deo. Vides Sermones aliorum, imitatione quadam effictos, ut ſunt illi ſeditioſorum *Pſ.* II. 3. *Rumpamus vincula illorum, & abjiciamus laqueos ipſorum*. Vides ἀνθρωποπαθείας, ut *Pſ.* II. 4. 5. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua*. Videas Sententiam quaſi brevem, & Admonitionem loco finis, v. 12. 13. *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via. Nam exardeſcet in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo*. Nonne vero hæc ſimilis Apoſtrophe, ut illa eſt apud Poetam?

Diſcite juſtitiam moniti, nec temnere divos?

Hæc & ſimilia prolixius proſequuntur Flacius, in aureæ Clavis Scripturæ Sacræ *Parte* II. *Tract.* III. IV. V. & VI. Glaſſiuſque in Philol. Sacr. Lib. præcipue IV. *Tract.* II. & *Lib.* 5. toto.

At ea, inquies, argumentorum ſtylique ſublimitas eſt etiam in ſcriptis Prophetarum. Quidni ergo hos quoque Poetas vocaveris? *Quin Iſaiæ*, inquit Scaliger. l. c. p. *6. & aliorum Prophetarum oratio inſtar Poeſeos aliquando figurata eſt, quam tamen propterea Poeſin eſſe, non recte dixeris*. Sciendum igitur eſt, & e ſuperioribus repetendum, quod plura ad Poetam, quam ſtylus & argumenta, requirantur. Rythmum enim Poeticum paulo ante junximus Materiæ, hujuſque Inventioni. Nec tamen etiam diſſimulandum eſt, quemadmodum Poetas ſuos Vates nominabant Gentiles, & Diogenes Laertius de Vit. ſeptem Sapientum, ſententias horum ingenioſe excogitatas & prolatas Poematis accenſebat, ſic & pleraque inter ſe communia habere Poetas atque Prophetas, & hos quoque ideo Vates ac Poetas Divinos ſano ſenſu vocari poſſe. Oratores erant Prophetæ, qualis etiam Nathan in aula Davidis, II. *Sam.* XII. 1. ſeqq. Igitur Inventionibus ac Stylo Oratorum, non æque Hiſtoricorum, utebantur, hoc eſt, ornamentis Figurarum, cum in rebus, tum in verbis. Muſici quoque erant Prophetæ. Unde I. *Par.* XV. 22. *Prophetiæ præerat Chonenias, ad præcinendam melodiam*. Saulique occurrebant *greges Prophetarum, deſcendentium de excelſo, & ante eos lyra & tympanum, tibia & cithara, & ipſi prophetantes*, I. *Sam.* X. 5. Hos veros Prophetas itidem imitabantur *Balaalitæ*, I. *Reg.* XVIII. 29. *ad meridiem uſque inter ſacrificia ſua prophetantes*. Quis ergo hos quoque negaverit Poetas, qui ipſi ſua carmina pangere ſciverunt? Et quis eos ſtylo ſubinde Poetico uſos eſſe, non cernit? imprimis cum, qui ante forte Hiſtorici, vel Prophetæ fuerunt, lætitia vel dolore, vel alio quodam affectu ob materiam, de qua ſcribunt, ipſi impelluntur, atque ad canendum ſe inter præcepta vel hiſtorias vel vaticinia ſua accingunt. Exempla ſane ſunt clariſſima in Odis Moyſis, Carminibus Eſaiæ, Jeremiæ Threnis, aliiſque pluribus; in quibus tunc eo facilius apparet Poeſeos proprietas, qua in canendo digno-

dignoſcuntur, & a ſe ipſis quaſi diſcedunt, cum ſe cantare vel Poetas agere velle ipſimet fatentur. Illi enim, qui in lectione fontium ſacrorum verſati ſunt, ignorare non poſſunt, quomodo tum quidem quaſi ad oculum cumulentur locutiones Hyperbolicæ, Metaphoricæ, Ellipricæ, unaque ac perpetua quaſi ſerie ſe excipiant. Quare id inde elicimus, quod ſacri illi oratores inventione ſua non minus, quam dictione, proxime ad libros Poeticos, in ſpecie ſic dictos, accedant, eoſque imitentur quidem, attamen non penitus aſſequantur. Non æque delectat lectorem Orator atque Poeta, quanquam ille ita dicere debeat vel ſcribere, ne fine præcipuo in perſuadendo fruſtretur. Fidem nempe ſibi vult adhiberi; ſed ita, ne quid in hac concilianda ſuſcipiat, quod a perſona ſua vel a reipſa videatur alienum, aut quod coactum nimis, quodque ſuperfluum, quod affectatum, longiuſque petitum, quale quid in ſacris literis quidem non eſt, at propter affectus tamen excitatos prima ſpecie in libris Poeticis adparet.

Sed jam ad *Rythmum Hebræorum* quoque perveniendum eſt, prout nempe Carminibus ipſorum maxime convenit. Nam in hoc quoque manifeſtum inter Libros Hiſtoricos, Propheticos, Poeticoſque apparet diſcrimen. Quod ſi ergo *Numerum* ſeu Verborum ſpectes ſeu Syllabarum, eundem breviorem in Carminibus, & plerumque æqualem, interdum vero etiam inæqualem deprehendes. Æqualis eſt in Verſibus Iſocolis, qui & ἰσόποδος, *Paripedes*, audiunt, & quibus Dimetriam & Dipodiam quandam Jambicam Scaliger ad Euſeb. l. c. concedit; ubi diſtinctio Sententiarum, & qui hos ſequitur, Acentus Diſtinctivus menſuram deſignare ſolet; v. gr. *Pſ.* II. I. (quem *Verſ.* 3. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 11. ſequuntur:)

למה רגשו גוים ולאמים יחגו-ריק:

Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania?

Inæqualis vero Sententias Trimetras, vel Tripodas continet; v. gr. *Pſ.* II. 2. (quem imitantur ℣. 7. & 12.)

יתיצבו מלכי-ארץ ורוזנים ניסדו יחד על
יהוה ועל משיחו:

Adſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.

Sunt & nonnunquam Verſus Iſocoli Tetrametri. vel Tetrapodes, ut *Pſalm.* XIX. 9.

פקודי יהוה ישרים משמחי לב מצותו
יהוה ברה מאירת עינים:

Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domixi lucidum, illuminans oculos.

Quales etiam *Pſ.* XXX. 6. Quos tamen, cum æqualitatem habeant, ad Dicolos vel Dimetros longiores reducere poſſumus. Diſticha quoque vocaveris, cum Verſus & στίχος, & κῶλον nominetur.

Hic vero ſubſiſtunt multi cum Scaligero, & cum nec Quantitatem Syllabarum apud Hebræos, nec Pedes quoque, & inde oriens Metrum, aſſequi, aut cum Græcis & Latinis conciliare queant, parum de Quantitate aut Numero Poetico illos fuiſſe ſollicitos, ac proinde Rythmicam ſolum, non Metricam amaſſe Poeſin, ſibi perſuadent. Verum iſte Numerus etiam eſt aliquo modo oratorius, & exigua admodum inter Oratores & Poetas ſic fuerit differentia. Unde Hieronymus Præf. in Eſaiam: *Nemo, cum Prophetas Verſibus viderit eſſe deſcriptos, Metro eos exiſtimet apud Hebræos ligari; & aliquid ſimile habere de Pſalmis & operibus Salomonis.* *Quantitatem* igitur quod attinet, ante omnia illud dubium removendum eſt, ac ſi Hebræi neſcire videantur Pedes, longitudine aut brevitate Syllabarum conſtantes, quoniam in Scanſione ſua ſæpe Syllabas breves cum longioribus permiſcent. At in Poeſi Græcorum & Latinorum tanta hodie certitudo videtur apparere, ut pleraque, quæ ad Quantitatem pertinent, ad leges ſuas jam ſint redacta. Igitur notandum eſt, quod hoc pacto non ſolum Hebræi cum Latinis, Græcis, aliiſque populis conveniant, quod Syllabarum ac Vocalium diverſam pronunciationem, & hinc etiam Quantitatem, per figuras peculiares diſtinguant, ſed & ſuperent. Neque enim alibi videmus Syllabas breviſſimas a brevibus, nedum longis, tam accurate diſtingui, quemadmodum fit per *Scheva* Simplex vel Compoſitum. Quin vero neque hac ſignificatione contenti, in ſuis Metris ad corripiendas vel producendas Syllabas *Aurium Judicium* imprimis attendunt, quod rectius dirigitur per varios animi Affectus, & Accentum in ſermone familiari obvium, quam per præcepta Artis, hinc inde anxie conquiſita; unde eſt, quod vel ipſum *Sheva* interdum ſuſpendant vel producant, & contra *Kamez*, vel ſimiles Vo-

Vocales longas, abſorbendo quaſi raptiſſime proferant. Et ſic quoque procedunt cum Diphthongis & Conſonantibus, nec ſemper obſervant Poſitiones. Nonne vero ideo pedes, nonne Verſus, nonne Metrum ſua ratione conſtat? Nonne idem faciunt Itali, Galli, & noſtri quoque Germani? Nonne apud hos præcipua virtus in Carmine eſt, ſi Quantitas verborum nec pariat κακοφωνίαν quandam, nec contra affectus ſit, vel ſermones communes? Fruſtra certe hic alia præcepta, quam ex uſu ſumta, quæſiveris. Inde corripere vides eaſdem Syllabas, quos alibi producunt, pro materiæ emphaſi, quam ſequitur *Accentus* & *Metrum*, Carminaque hinc non Rythmica tantum, & Metrica ſunt. Ita prima ſyllaba in particula illa daher producitur, ſi dixeris:

u -u - u -u
Denn daher muſs es kommen;

At eadem corripitur, ſi invertas hoc modo:

u- u - - -u
Daher muſs es denn kommen;

Pari ratione accidit apud Hebræos, exempli cauſa in *Pſalm.* XIX. 13. in quo verſus Hexameter, ad naturam Heroici accedens, extat, cujus Metrum ſequens eſſe poteſt juxta Accentum:

|u-|u u-|uu|-u|u - |uu
שגיאות מי־יבין מנסתרות נקני:

Delicta quis intelligat, ab occultis munda me. Vel & Anapæſticum, propter quatuor Anapæſtos, cum Syllaba remanente. Quod tamen juxta Vocales paulo aliter ſonaret. Hinc voce מנסתרות *ab occultis*, penultima longa, ultima hic per Accentum corripitur. At *Deut.* XXXIX. 29. in הנסתרות *Occulta*, per Accentum ultima producitur, & contra penultima corripitur. Et ſic fit ſapiſſime. Ipſi Græci non parcunt Vocalibus longis & Diphthongis, quin breviter efferant ante Vocales, nec Accentus in proſa, vel vocibus extra contextum ac metrum occurrentes, magnopere reſpiciunt. Et Latini cum autoritatem ſequuntur, tum Syllabas multas habent ancipites. Quid! quod ex Jambis ipſorum ſæpiſſime conſtet, quod longæ vicem brevium, & hæ iterum vicem longarum ſuppleant, accentu ſic auriumque judicio, vel & cæſura, jubente. Bene & ſecundum rei veritatem hic ſcribit Franc. Gomarus in Lyr. David. *Cap.* I. *pag.* 23. *Ut de miranda Græcorum Poetarum licentia, quam doctiores obſervarunt, ſileamus, regulæ ac præceptiones de Syllabarum Quantitate apud Græcos adeo ſunt* Lubricæ, *ut exceptionibus variis & quidem inconſtantibus abundent: adeo* Numeroſæ, *ut laborioſos etiam fatigent: ita denique* Imperfectæ, *ut inſignes etiam poetas non raro dubios dimittant. Quæ omnia non temere a nobis dici, peritiores compertum habent. Si quis vero de ea re ambigat, accuratiores de Re Metrica ſcriptores, (imprimis Aldus Manutius, Jac. Micyllus, M. Cruſius, aliique,) abunde ſuo teſtimonio & exemplis demonſtrabunt. Quemadmodum etiam de Latina Poeſi, (licet Martialis judicio,* Muſas colat ſeveriores,) *iidem ſtatuunt. Quod ſimiliter ὁ μακαρίτης Henricus Smetius, non ſolum doctor medicinæ excellens, ſed etiam poeta ſcriptis clarus, in Præfatione ſuæ Proſodiæ ingenue agnovit, & luculenter comprobavit.* Accentus vero apud Hebræos Numerum Syllabarum, & Quantitatem indicare, & Modulationem ipſam hinc flectere, quam Scanſionem etiam vocare licet, nullum omnino dubium eſt. Et merito ante omnes reliquas hic obtinet Buxtorffii ſententia, rerum utpote Hebraicarum, ſi quiſquam alius, certe peritiſſimi, qui ſic in Theſauro Grammat. Lingu. Sanct. de Proſod. Metric. pag. 627. *Sunt*, inquit, *ad Metrum & Cantum ita accommodati*, (Accentus,) *ut Modulationem & Numerum Poetarum*, (hoc eſt Metrum ſeu menſuram,) *ſingulari artificio olim regerent, qua in re ſanctam Hebræorum antiquitatem optime exercitatam fuiſſe, credendum.* Inde vero etiam pro diverſa modulatione in eodem verſu, bis terve repetito, variant Accentus; v. gr. *Exod.* XV. 2. ubi Hexameter ſequens Spondaicus:

|-u|- -| uu-|- -|uu|-u
עזי וזמרת יה ויהי לי לישועה:

Fortitudo & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Qui iterum fit Trochaicus *Pſal.* CXVIII. 16. & hoc pacto occurrit:

|-u|u -|uuu |- -|uu|-u
עזי וזמרת יה ויהי לי לישועה:

Et Eſ. XII. 2.

|-u|u u| uuu|-uu |- -|uu|-u
עזי וזמרת יה יהוה ויהי לי לישועה:

Ubi verſus Senarius Jambicus fit, ſed Hypermeter, ſeu Hypercatalectus, ſuavem tamen recitationem nihilominus admittens, propter interſtitium in quarta regione. Aut ſi mavis in duo ſecare Hemiſtichia, prius Jambicum Quaternarium fa-

faciet, posterius Trimetrum, quales deinceps e Threnor. *cap.* III. citabimus.

Quod si ergo Accentuum ductum sequaris, ut sequendum esse, docuimus his exemplis, testeque Buxtorffio, magnam sese offerre Generum, Scansionis, Pedumque tam Simplicium quam Compositorum, totiusque hinc *Metri* varietatem, videmus, nec ab omnibus æque intellectam, nec melius quoque, quam per Notas Musicas, modulationem plusquam ulla signa notantes, ipsumque adeo *Aurium Judicium* intelligendam.

At, inquies, suæ sunt leges Poetis, juxta quas Metra, quæcunque ea sint, dimetiantur. Quis vero tantæ fuerint in Hebraicis peritiæ, ut de Poematum generibus certas suppeditet regulas? Quis pedes simplices omnes & compositos distinguere, & quis versiculos inter se æquare poterit; aut mixtos vel alternantes suo ordine evolvere? Igitur nos respondemus, quod quidem singula ad regulas Græcorum & Latinorum, si rigide secundum præcepta examines, revocari non possint, nec proinde etiam inter se quoad Metra vel pedes componi. Habent suos numeros Orientales, habent & Occidentales, pro Linguarum indole haud imitanda, & in his differunt Græci a Latinis & ab utrisque iterum Itali, Galli, & Hermani. Quis enim genera Metrorum, præsertin inæqualium aut incertorum, vel apud solos Germanos indagabit? Quis pedes, quis regiones in Madrigalibus, Interlocutionibus seu *Recitativis*, Canticis, (*Arien*) & similibus, ponet immutabiles? Certe id qui fecerit, oleum & operam perdet, & ingenii ac sermonis libertatem frustra coercebit. Imo quis ignorat Metra Comicorum apud veteres incerta, & quomodo in his desudaverint Grammatici pariter ac Philologi? Extat ideo Julii Cæsaris Scaligeri, at quanti Critici? ad Sylvium Cæsarem filium de Versibus Comicis Dissertatio, editioni Plauti Taubmannianæ annexa, in qua miratur, *summos viros tantum studii in dimetiendis ejusmodi Versibus posuisse, Friscianum, Donatum, Asprum, Jubam, Scaurum, Probum, Sulpitium, Varronem ipsum, quorum appareat illico aut obscura diligentia, qui infecto negotio eguerint successore, aut res ipsa perdita, quæ vel ab uno alterove tantorum virorum nequiverit confici*. Præmissa quoque Plauto est a Philippo Pareo de Metris Comicis, & præcipue Plautinis, Commentatio Methodica, qua quidem inter *Orationem Poeticam* & *Dramaticam* distinguit, atque illi legitimos & *adstrictos versuum modulos*, huic *mensuram liberiorem* adscribit. At Tragicos tamen & Comicos idem recte vocat Poetas, utpote nunc Jambis, nunc Trocheis, nunc aliis pedibus inter se mixtis utentes; ut taceamus alia subsidia Poetica, in mutatione præcipuæ literarum, syllabarum, & vocum ibidem obvenientia. Sic ergo secundum ipsum Plautum *Numeri* ibi nascuntur *innumeri*, secundum Horatium, *Poemata immodulata*; & secundum Hephæstionem apud Gomarum loc. cit. *cap.* XXIV. μετρικὰ ἄτακτα, *Metrica inordinata*. Cum vero apud Hebræos itidem nunc Jambi & Pyrrichii occurrant, nunc Spondei, vel Trochei, nunc Dactyli quoque, & Cretici, & alii pedes, tam simplices quam compositi, a Latinis potissimum definiti, a quibus etiam Versus denominantur, utut pauci, & vix unus alterve, nescio, cur non simile quid judicare liceat de Poesi Hebræorum, atque de *Comœdiis*, *Tragœdiis*, *vel Odis Latinorum ac Græcorum*, & *cur Horatium vel Pindarum*, *Plautumque vel Senecam* aliquem huc commode advocare non liceat, quæ quondam fuit Gomari sententia, approbata quoque a Dn. Ab. Schmidio *Diss. cit.* §. XIII. Nunc enim Jambicos, nunc Trochaicos, Creticos, Dimetros, Trimetros, Tetrametros, Hexametros, Octometros, nunc alios ex his mixtos versus ibi deprehendi, paulo post docebimus exemplis; & quod præcipue vereque monet Scaliger loc. cit. *versus isti aliquando sunt pauciorum Syllabarum, aliquando plurium, quales Græcorum* στίχοι καταληκτικοὶ, βραχυκαταληκτικοὶ, ὑπέρμετροι seu ὑπερκαταληκτικοὶ, & quanquam hinc aliqua sæpe in pedibus remaneat differentia, ea tamen juxta Hieronymum quoque compensatur per alios, non quidem ἰσοσυλλάβως, sed ἰσοχρόνως, ut quando loco unius Spondei duo Pyrrichii, vel Dactylus, Anapæstus, & vice versa, adhibentur. Quo pacto duæ Syllabæ mensuram quatuor aliarum vel plurium tempore possunt æquare. Quin etiam Syllabæ breves aut longæ se invicem nonnunquam vincunt longitudine vel brevitate, & in cursuum haud æque discernuntur, si loco Jamborum vel Trochei vel Spondei sint, & vice versa. Aurium hic ubique opus est judicio, quod adjuvans Accentus, juxta quos Syllabæ quævis extendi vel absorberi, item vel celeriter conjungi vel divelli, & sic conveniens Modulatio fieri debet. Quod nec Latini ignorant, quando verb. grat. pro

– ∪ – ∪ ∪

Plejadas ponunt *Pleiadas*. Hinc tres Pedum Affectiones facit Gomarus loc. cit. *cap.* II. *Contractionem*, qua duæ Syllabæ breves in unam longam, *Dialysin*, qua

una

una longa in duas breves, & *Commutationem*, qua pes unus in affinem vel alienum commutatur.

Sed nunc aliquid etiam de *Qualitate* vocum ac Syllabarum adjiciendum est. Nempe per Qualitatem intelligimus Similitudinem, quam habent cum materia sua, vel inter se Voces & Syllabæ. Sic congregationem sive confluxum in unum locum exprimunt verba *Psalm.* II. 2. ורוזנים נוסדו יחד *Et principes congregantur in unum*; scilicet ut sonus fere idem in duobus verbis prioribus respondeat. Nec tamen hoc perpetuum videtur; minimum a nobis non semper observatur. Inter Syllabas vero ipsas æqualitas nunc major nunc minor apparet, in qua elegantia quæratur. Extat Theodori Eberti, (non Herberti, ut perperam Calmetius appellat, quem non videtur ipse inspexisse,) liber de Poetica Hebræorum, Harmonica, Rythmica, & Metrica, editus Lipsiæ 1628. in 8º. in quo dividit hos Rythmos similiter exeuntes in Politos, Politiores, & Politissimos. Ad illos refert, si Syllabæ in eandem Vocalem, vel Consonantem, vel similem desinant, v. gr. in נמלטו & בושו, *Psalm.* XXII. 6. & in ארץ & יחד *Psalm.* II. 2. Ad istos, quando una Syllaba iisdem vel cognatis saltera Vocalibus & Consonantibus finitur, ut *Psalm.* II. 1. in גוים & ולאמים vel *Vers. ult.* in אפו & בו. Ad hos autem cum Syllabæ plures easdem Vocales & Consonantes, vel ejusdem generis retinent, ut *Psalm.* II. 3. in מוסרותימו & עבותימו item *Psalm.* XXII. *Vers.* 5. in אבתיו & ותפלטמו & *Psalm. eod. Vers.* 15. in כחי & מלקוחי, quæ hodie Judæi in Poesi observare plusquam veteres consuevere. Neque negamus, per subsidia ejusmodi Rythmorum, uti & Acrostichorum, de quibus deinceps, ipsius Metri & Versuum Depositionem sive ordinem interdum reperiri posse, quod tum quidem difficilius fuerit, quando Accentus Distinctivus, & Sensus quoque Sententiarum, pariter ut apud Græcos, Latinos, & Germanos nostros accidit, ab hoc ordine abludunt. Notabile est exemplum *Num.* XXI. 17. *seq.* ubi Israelitæ in laudem & memoriam putei, a Deo sibi monstrati, Odam concinebant. Initium erat, quo aliquis videbatur præludere:

|-∪|-∪
עלי באר:

Ascende putee:

Cui respondebat chorus:

|∪∪|∪-|-∪
באר חפרוה

|-|-∪| -∪
שרים כרוה
|-|∪ -|∪∪
נדיבי העם
|-∪| ∪∪|∪ -|∪∪∪
במחקק במשענותם:

Putee, foderunt illum
Primates, eruerunt illum
Principes in populo,
Cum Legislatore, baculo.

Ubi Rythmos non sequi distinctionem vocum, Accentibus aut punctis denotatam, apparet. Nec alienum forte erit totum Psalmum Secundum ita disponere:

-|∪ -|∪- |∪-
למה רגשו גוים
|-∪|∪-
ולאמים
|-|∪∪-
יהגו ריק:
|∪-| ∪ ∪|-∪|∪-
יתיצבו מלכי ארץ
|∪-|∪∪-|-∪|∪∪
ורוזנים נוסדו יחד
|-∪|∪ ∪
על יהוה
|- ∪ ∪ |∪∪
ועל משיחו:
|∪|-∪∪|- ∪ |∪∪|--
ננתקה את מוסרותימו
|∪|-∪∪| ∪-∪ |∪-|∪∪
ונשליכה ממנו עבותימו:
|- ∪ ∪|-∪∪|- ∪
יושב בשמים ישחק
|-|- ∪|∪ -|∪∪
אדני ילעג למו:
| ∪|-∪|-∪|∪ -
אז ידבר אלימו
∪|-∪|-∪|-∪∪|∪-|-∪∪
באפו ובחרונו יבהלמו:
|-∪ |∪-|∪∪|∪-
ואני נסכתי מלכי
|- ∪ |∪| -- ∪
על ציון הר קדשי:
|-∪|∪∪
אספרה
|-∪∪ | - -
אל חק יהוה
|- -|-∪ |-∪ |-∪
אמר אלי בני אתה
|∪-|∪∪- |-∪|-∪
אני היום ילדתיך:
|-∪|∪∪ ∪|-∪ |-∪
שאל ממני ואתנה
|∪|-∪|∪-|∪-
גוים נחלתך
|--|∪∪|∪-
ואחזתך
|-|-∪ |∪- |∪ ∪
אפסי ארץ: תרעם

|-|υ υ|-υ
בשפט ברזל
|-υ|υυ| -υ | -υυ
ככלי יוצר תנפצם:
|-|-υ| -υ|υ υ|υ-
ועתה מלכים השכילו
|-υ|υ-
הוסרו
|-υ|υ υ|- υ|υ-
שפטי ארץ: עבדו
|-υ|υυ|-υ|υ -
את יהוה ביראה
| -υυ|υ υ|-υ
וגילו ברעדה:
|- υ|υυ
נשקו בר
|-υ|- υ
פן יאנף
|-υ |υ -|- υυ|-υ
ותאבדו דרך כי יבער
|-υ |-υυ
במעט אפו
|- υ|- υ| -υυ
אשרי כל חוסי בו:

Versionem Latinam his addere non opus est. Constat vere, in hac serie versus etiam intercedere remanentes, inter similes Rythmicos, ut fit in Madrigalibus, & Odis nonnullis. Constat itidem, Rythmos haud fluere secundum distinctionem sententiarum. Imo constat Metrum inæquale hoc in loco eos admittere. Cantica quoque Mosaica *Exod.* XV. & *Deut.* XXXII. ad hunc fere ordinem redigit Clericus in Comment. ad Pentat. *p.* 67. & 529. Quam verborum collocationem, utut *ad genium Carminum, quæ tum in usu fuerunt, factam*, haud abs re existimet Cel. D. Muhlius in Disput. de Rythmo, §. X. eodem tamen modo instituere non licet in singulis Hebræorum Carminibus, aut libris ipsorum Poeticis. Nec accedimus Abbati Garofalo, Italo, qui in Considerationibus de Poesi Hebræorum, Romæ MDCCVII. editis, & in Actis Eruditorum, MDCCVIII. *pag.* 397. *seqq.* recensitis, in eo tantum ponit Hebræorum Poesin, quod eundem verborum ubique servaverint exitum, adeoque non solum omnia illorum Carmina ad hanc similitudinem vult reduci, sed ad illum retinendum in Textu Sacro ejusque lectione sæpe aliquid immutari. Sed hoc pacto in partes eorum accedit, qui apud Romano Catholicos contra integritatem Textus Hebræi scribunt. Et prout mutationem illam in æquandis Comicorum Metris inutilem judicat Scaliger Diss. cit. de Carminibus Comicor. sic multo magis, si in Codice Sacro suscipiatur, non frustraneam solum, sed & valde noxiam, arbitramur. Habent, quod fatemur, id cum ceteris Orientalibus, Arabibus, Persis, Tartaris, & Chinensibus, veteres Hebræi commune, quod Rythmis interdum sua cantica includant. Habuit quoque hoc Moses commune cum Ægyptiis, ne dicamus cum Clemente Alexandrino Stromat. *Libr.* I. *pag.* 343. quod ab iisdem didicerit, quod inter alias sententias Raythmicam quoque & Harmonicam interdum ostenderit, atque adhibuerit. Nec proinde etiam casu accidisse putamus, quod alii sibi persuadent cum Raphaele Rabbenio, Garofali de Poesi Hebræorum adversario, & in Act. Eruditor. MDCCX. p. 530. itidem citato, quod in Scripturis Hebraicis tot sint ὁμοιοτέλευτα; siquidem & in ipsis verbis Spiritus Sancti instinctum agnoscimus, quo Ars ista Poetica Hebræorum vel producta, vel saltem provocata. Ast ut ubique in his Metri æqualitatem reperire non possumus, sic quoque similitudinem sonorum, nisi coactam prorsus & nulla omnino specie vestitam, ex omnibus locis colligi non posse, res ipsa testatur. Variat hic Quantitas, variat quoque Qualitas Versuum. Sunt Rythmici ad modum Jambicorum Quaternariorum fluentes septem *Psalm.* CXLVI. 7. 8. & 9.

Vers. 7.

| υυ|υυ |- υ |υ-
עשה משפט לעשוקים
|-υ|υυ |υ- |-υ
נתן לחם לרעבים
| - υ|υ -|υ -|υ-
יהוה מתיר אסורים:

Vers. 8.

| -υ|υ -|- -|υυ
יהוה פקח עורים
| -υ|υ υ-| υ|υ-
יהוה זקף כפופים
| - υ υ -|υ -|υ-
יהוה אהב צדיקים:

Vers. 9.

|-υ |υ -|υ -|υυ
יהוה שמר את גרים

Facit judicium injuriam patientibus: dat escam esurientibus. Dominus solvit compeditos. Dominus illuminat cœcos. Dominus erigit elisos. Dominus diligit justos. Dominus custodit advenas. Sed quæ eodem *Vers.* 9. & porro sequuntur, non ab eodem quidem Metro, sed tamen ab eadem Rythmi Qualitate excidunt. Sic & duo Hemistichia *Prov.* XXIV. 19.

∪∪|∪∪ |-∪|∪ ∪
אל תתחר במרעים
-∪|∪∪|-∪|∪ ∪
אל תקנא ברשעים:

Ne contendas cum pessimis,
Nec æmuleris impios.

At, qui sequitur *vers.* 20. ratione Metri & Rythmi mutatur, sicque ejusdem est Quantitatis cum Thren. III. de quo paulo post. Atque hi duo versiculi aliis quidem verbis, & sine rythmo, sed eodem metro manente proferuntur *Ps.* XXXVII. 1.

|-∪|∪∪ |-∪|∪ ∪
אל תתחר במרעים
|- ∪ |-∪∪ -∪|- ∪
אל תקנא בעשי עולה:

Noli æmulari in malignantibus:
Neque zelaveris facientes iniquitatem.

Psal. CXVIII. quatuor versiculi priores sunt Rythmici, & pro more Jambicorum Senariorum procurrunt, hoc modo:

|- ∪|- ∪|∪ -|- ∪ |-∪∪ |-∪
הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו:
|-|∪ |-∪|∪ -|- ∪|∪ - | ∪∪
יאמרו-נא ישראל כי לעולם חסדו:
|-∪ |- ∪|∪ - |-∪∪|∪ - |∪∪-
יאמרו-נא בית אהרון כי לעולם חסדו:
|- ∪ |- ∪|∪ - |-∪∪|∪∪ - |∪ ∪-
יאמרו-נא יראי יהוה כי לעולם חסדו:

Confitemini Domino, quoniam bonus, quia in seculum misericordia ejus. Dicat nunc Israel, quoniam, in seculum misericordia ejus. Dicat nunc Domus Aaron, quoniam in seculum misericordia ejus. Dicant nunc, qui timent Dominum, quoniam in seculum misericordia ejus.

At *Versus* 5. initium facit hic Jambicus Quaternarius:

|-∪ |-∪ |∪∪|- -
מן המצר קראתי יה

Finem vero Rythmus plane alius. In Threnis *cap.* III. 64. 65. reperio duos Jambicos Octonarios, sed Brachycatalecticos, id est, ultimo pede duarum Syllabarum destitutos, aut quod idem est, Senarios Hypermetros, & cum Cantico illo Germanico:

Lobt GOtt ihr Christen alle zu gleich / in seinem höchsten Thron ec. cincidentes:

|-∪∪|-∪|-∪|-∪∪ |-∪ |-∪ |- ∪
תשיב להם גמול יהוה כמעשה ידיהם:
|∪- |-∪|∪∪|- ∪|∪∪ |-∪ |-∪
תתן להם מגנת לב תאלתך להם:

Reddes ei vicem, Domine, juxta opera manuum suarum. Dabis eis scutum cordis, laborem suum. De quo tamen Genere paulo post, ubi de Threnis. Sed *vers.* 66. Rythmus alius, & *cap.* IV. Metrum aliud. in *Psal.* CXVIII. 12. duobus Jambicis, & prius quidem Hemistichium Senario Leonino, posterius Quaternario hac ratione respondet:

|-∪ |-∪|∪∪- |-∪∪|∪∪|-∪
סבוני כדברים דעכו כאש קוצים
|-∪|∪ - |-∪- |-∪
בשם יהוה כי אמילם:

Circumdederunt me, sicut apes, & exarserunt, sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia ultus sum in eos. Sed sequens v. 13. Jambicus Quaternarius, cum Appendice Trimetro, & Rythmus omnino est diversus.

Ad modum Versuum Trochaicorum commode efferuntur, qui in eosdem Rythmos desinunt, *Psalmi* CXVIII. *Versus* 20. 21. 22. & 23. Et sic patet, etiam Trocheos in Poematibus Veterum Hebræorum non deesse, quod olim in Thesauro suo *l. c. p.* 632. cum forte haud animadvertisset, negabat Buxtorffius. Imo huc Cleticos Pedes, utpote Trocheis sæpæ cognatos, advocare licet. Versus sunt sequentes:

∪- |- ∪- |-∪ |∪∪∪ |-∪|∪∪
פתחו לי שערי צדק אבא בם אודה יה:
|-∪-|∪ -|∪- |-∪∪ |∪∪|∪ -
זה השער ליהוה צדיקים יבאו בו:
|-∪ -|- ∪|∪∪|∪-|∪∪ - |∪∪-
אודך כי עניתני ותהי לי לישועה:
|∪∪ |-∪ |-∪-|- ∪∪|-∪∪ |∪-
אבן מאסו הבונים היתה לראש פנה:

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas, confitebor Domino. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. At versus tam præcedens, quam sequens, aliud Metrum aliumque Rythmum assumit. Hujusmodi Trochaicus Versus Octometer, sed sine Rythmo, extat quoque *Psalm.* XXV. 3.

Cum vero hic quæri possit de Rythmis istis Codicis Hebraici, quare eos in Depositione Versuum vel Verborum non æque semper observaverint veteres, ut singulas lineas cum suis finirent rythmis, aut saltem spatio relicto notarent, in animum revocamus, quod materiam potius, quam verba curaverint, adeoque etiam in una serie collocaverint orationes

nes tam ligatas quam solutas. Quin neque propter sententias finitas, quanquam eas per Soph Pasuk, vel Accentus Majores distinguerent, lineas ipsas in scribendo semper abruperunt. De Hebræis hoc notum est illis, qui eorum monumenta inde a sex seculis & amplius relicta, & magnam partim per Rythmos ejusmodi conscripta, perlustrarunt. Unde difficilius sæpe videtur, versuum ordines, quam sensum ipsum reperire. De Latinis autem Græcisque Codicibus dubium non est, docentibus Heninio, Montfauconio, & imprimis Hermanno Hugone de prima ratione scribendi. Falluntur igitur & experientiæ repugnant, qui versus Hebræorum Rythmicos, vulgo sic dictos, a seculo demum XII. derivavi volunt cum Scaligero, ad Euseb. *l. c. p.* 7. & a Christianis primum didicisse, absque ullo argumento idoneo affirmant. Quot enim Homoloptota quot Homojoteleuta in Plauto jam occurrunt? Et quot Leoninos Versus ante hoc tempus licet numerare? Nec male Buxtorffius in Thes. Grammat. *p.* 635. hac de re judicat: *Hunc numerum ut in omnibus gentium & nationum sermone ipsa natura generavit, & quidem* ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων, *(ut Aristoteles in Poetica loquitur,) ex ipsis extemporaneis & sponte sese profundentibus loquendi modis, ita & in gente Hebræa antiquissimus habetur*. Nihil jam dicemus de Inscriptione Sepulchrali Rythmica, in Amaziam Regem Judæorum, ab eodem Buxtorffio pariter & Hottingero, de Cippis Hebræorum, Spizelioque, de Israelitis Americanis, post R. Mosen Cordubensem citata, quæ ita habent:

|-- |∪∪|--|∪ ∪
שאו קינה בקול מרה
|--|∪∪ |--|∪∪
לשר גרול לאמציה
|- |∪ ∪
לקחו יה

Attollite planctum, voce magna, ob Principem magnum, quem Deus suscepit, Amaziam. Cum enim dubia forte ejus autoritas videri poterit, tantum in subsidium trahemus linguam Punicam, Hebrææ Veteri cognatam, cujus specimen in Plauti Pœnulo extat, *Act.* v. *Scen.* I.

∪ ∪∪-∪ - - - ∪ ∪∪-∪ -∪ - ∪
את עליונים ועליונות שקראתי שמקום זאת וגו

Deos Deasque veneror, qui hanc urbem colunt, &c.

Plura non est, quod inde transcribamus, cum locus sat notus sit, & in ipsis Plauti Comœdiis harumque Commentatoribus, qui ideo multum dissident opinionibus suis, spectari queat. Conf. interim de illo Seldenus, de Diis Syris Prolegom. *Cap.* II. *p.* 17. *seqq.* Elucescit vero vel ex hoc versu Jambico Octonario, vel si mavis, duobus Jambicis Quaternariis, modus Poeseos Rythmicæ, qualem etiam Textus Sacri Codicis Hebræi interdum præfert. Perpetuam tamen hanc Carminum pangendorum rationem sibi deinceps proposuere Judæi, & certis adhibitis legibus magis magisque excolere, annisi sunt. Majores vero ipsorum, ut Metra, sic & Rythmos frequentius commutarunt.

Nec de Metro continuo explicandus est Josephus aut Hieronymus, ille, cum Mosen Canticum suum Eucharisticum *Exod.* VIII. *9.* ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ, *Tono Hexametro*, composuisse, sub finem *Lib.* II. *c.* VII. & *Libr.* IV. *c.* VIII. Antiquitatum Judaicarum, testatur, hic autem, cum statuit, *omnia Hexametris & Pentametris versibus composita*, apud Hebræos decurrere, Præf. in Chronic. Eusebii, & in Præf. in Job. *Versus*, scribit, *in Libro Jobi Hexametros esse, Dactylo Spondeoque currentes*. Certe non meri sunt Hexametri, quos Hieronymo hic imputat Scaliger, & ut male Scaligerum, non expensa vel Hieronymi vel Josephi sententia, sequitur Calmetius, sed aliis Versibus distincti. Nec versus quoque Hexametri tales tantum intelligendi sunt, quales dantur in Metris Heroicis, Elegiacis, & aliis, solis Spondeis Dactylisque constantes. Sunt & in Jambico & Trochaico genere versus Senarii, vel Hexametri, sunt in Sapphico Pentametri, unde, si e pedibus compositis trisyllabis vel quadrisyllabis ejusmodi genera Carminum constituas, possunt quoque esse Hexametri Cretici, Choriambici, & similes. Et versus Hexameter vel Metrum Hexametrum tantum erit, quod sex regionibus absolvitur, perinde quinam sint pedes, aut quantum tempus longitudine sua vel brevitate adimpleant. Sit modo Modulatio conveniens, & Tonis Musicis apta. Extat in Plauti Canissa *Act.* III. *Scen.* V. versus primus Hexameter, sane non e genere Heroico vel Elegiaco, sed qui meris currit pedibus Creticis vel Fescenninis, excepta in nonnullis exemplaribus, quale Parei est, regione penultima, in qua est Epitritus secundus, hoc modo:

- ∪ - | - ∪ - | -∪ -| -
Nulla sum; nulla sum! tota tota oc-
∪ -| - ∪ - -|- ∪-
cidi: cor metu est emortuum;

vel

vel, ut in editione Taubmanni:

– ∪ – | – ∪ – | – ∪ – | –
Nulla ſum; nulla ſum! Tota tota oc-
∪ – | – ∪ – | – ∪ – |
cidi: cor metu mortuum eſt!

Similis huic habetur etiam *Job Verſ.* 27. qui utut meris Creticis haud conſtet, tamen omnes ſex pedes ſunt triſyllabi, & eodem ordine eodemque fluxu ſermonis efferri poſſunt. Verba ſunt:

| – ∪ – | – ∪ ∪ | – ∪ – | – ∪ – | ∪ ∪ ∪ | – ∪ –
הנה זאת חקרנוה כן היא שמענה ואתה רעלך ;

Ecce hoc ut inveſtigavimus, ita eſt;
quod auditum, mente pertracta.

Et hoc eſt, quod Hieronymus Hexametros Jobi Dactylo quidem & Spondeo currere, ſcribit, ſed & propter linguæ idioma crebro quoque recipere & alios pedes, non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum, ut jam ante memoravimus; verb. gr. ſi loco gemini Spondei quatuor Pyrrichii, vel Dactylus & Anapæſtus, vel Anapæſtus & Amphibrachys, vel Pæon tertius & Trocheus, loco unius Cretici Tribrachys & Pyrrichius, & ſic porro, vel ordine hoc inverſo, ponantur. Fruſtra his contradicit Scaliger, in Animadv. ad Euſeb. Chron. *p.* 7. nec tamen cauſam, quare Metra Hieronymi neget, affert ullam. At Scaligerum ne quidem intellexit Calmetius, qui eum Pedes quoque omnino apud Hebræos negare, prodit, cum Scaliger tres quatuorve Dipodias, vel Dimetrias Jambicas, in Jobo & Proverbiis ut plurimum obvenire, ibidem concedat. Porro etiam Hieronymus Præf. in Euſebium, Hexametros ſuos & Pentametros non in Pſalmis tantum, ſed & in Deuteronomio, Eſaia, Salomone, Jobo, Threnis, & alibi nunc Jambo currere, nunc Alcaico perſonare, nunc Sapphico tumere, nunc ſemipede ingredi, teſtatur, adeoque ex his generibus ubique aliquid, non totum admittit. Eademque de Hexametris Moſaicis abſque dubio fuit ſententia Joſephi, cujus verba nec Scaligerum, nec Calmetium ſatis attendiſſe, miramur, cum non *Hexametros Heroicos*, ſed tantum *Tonum Hexametrum* ille nominet locis adductis. Nam & Pſalmos Davidicos *Lib.* VII. *Ant. c.* V. dicit fuiſſe μέτρου ποικίλους τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους; hoc eſt, *Metri non unius, ſed nunc Trimetros, nunc Pentametros*; & ſic de reliquis.

Sunt adhuc alia ornamenta, in Qualitate Vocum aut Literarum quæſita, quæ tamen juxta cum reliquis perpetua non ſunt, ſed prout divinis vatibus impulſu Spiritus Sancti indita, ſic libere quoque adhibita. Ita ex *Acroſtichis* conſtant Pſalmi ſeptem, qui nominantur, Alphabetici, nimirum *Pſal.* XXV. XXXIV. XXXVII. CXI. CXII. CXIX. CXLV. & quidem in *Pſalmo* CXIX. octo ſemper verſiculi ab eadem incipiunt litera, ordinemque Alphabeti Hebraici ſequuntur. Unde in Maſora *Alphabetum*, item *Alphabetum magnum*, appellatur. Contra vero in *Pſalmo* CXI. & CXII. unumquodque Hemiſtichium a nova litera inchoatur, ordine iterum Alphabetico. Et in Pſalmis reliquis quatuor, ſinguli plerumque verſiculi. Niſi quod in his ordo ſit mixtus, & quædam occurrant Anomaliæ, verb. gr. cum in *Pſal.* XXV. Litera *Beth* incipit in *Verſ.* 2. a בך *in te*, litera ו in *Verſ.* 5. a ולמרני *& doce me*, litera ק in *Verſ.* 17. a ק in ממצוקותי *ab anguſtiis meis*; in *Pſal.* XXXIV. Litera ו in *Verſ.* 6. a ופויהם *& facies ipſorum*; cumque in *Pſal.* XXXVII. verſiculi intercedentes Alphabeti ordinem diſtinguunt, excepto *Verſ.* 8. 21. 28. & 34. ע vero in *Verſ.* 28. a לעולם *in æternum*, & ת in *Verſ.* 39. a ותשועת *& ſalutem*, incipit. Item cum in *Pſalm.* CXLV. 14. deeſt נ & redit poſt ס in הנפלים *cadentium*, quod Raſchii ruinæ Eccleſiæ Iſraeliticæ reſtauratæ abſcribit. Totus quoque Liber Threnorum a Jeremia ſic adornatus eſt, excepto capite ultimo. Nempe duo Capita priora conſtant verſibus ejuſmodi, quorum ſinguli ab eadem Alphabeti litera incipiunt, ut & Caput Quartum. At Caput Tertium diſtinctum eſt *verſibus* 65. quorum terni ſemper eandem literam habent ab initio. Ubi Metrum quoque ſimul variare, obſervavit Hieronymus ad Euſeb. & ex hoc Hottingerus Theſ. Philol. *p.* 491. Metrum ideo vocans Alphabeticum. Verba Hieronymi ſunt: *Habes in Lamentationibus Jeremiæ quatuor Alphabeta, e quibus duo prima quaſi Sapphico Metro ſcripta ſunt, quia tres verſiculos, qui ſibi connexi ſunt, & ab una tantum litera incipiunt, Heroici comma concludit. Tertium vero Alphabetum Trimetro ſcriptum eſt, & a ternis literis, ſed eiſdem, trini verſus incipiunt. Quartum Alphabetum eſt ſimile primo & ſecundo.* Quomodo hæc intelligi velit Hieronymus, non melius, quam ex ipſis verſibus ſpectare licet. Nempe Metrum Sapphicum vocat, quod tribus conſtat verſiculis; una Stropha, quam Soph Paſuk deſignat, comprehenſis, quemadmodum apud Latinos totidem verſiculi cum exitu Heroico Stropham abſolvunt. Com-

li- ma

ma vero Heroicum, juxta eundem, non eſt hoc loco Dactylus tantum cum Spondeo, ſed & quod duobus Spondeis vel Jambis quoque aut Trocheis, ne dicam Pyrrichiis, finitur. Nam apud Hebræos hoc Comma non præceptis, ſed auribus metiuntur, ut & alibi faciunt. Et vincit ubique modulatio longitudinem, ac brevitatem ſyllabarum, arte traditam. Exitum igitur putat Hieronymus, Heroico reſpondentem, qualem hic dari, exempla nunc probent. Ordo nempe ſequens eſſe poterit verſiculi primi Cap. I.

|∪ – |–|∪ –|∪∪| – ∪
איכה ישבה בדד העיר
|–∪|∪∪ |–∪ ∪ |– ∪|–∪
רבתי עם היתה כאלמנה
|–∪|∪∪|– ∪∪ |–∪∪|∪ –∪
רבתי בגוים שרתי במדיוות
|–∪|–∪ ∪
היתה למס :

Quomodo ſedet ſola civitas,
Plena populo: facta eſt quaſi vidua
Domina gentium: Princeps provinciarum
Facta eſt ſub tributo.

Sed in Alphabeto Tertio, tres verſus, ter per Soph Paſuk notati, totidem verſiculos ac Strophas conſtituunt. Metrum vero ſic poterit conſiderari, ut vel verſus integer Jambico Senario ſit propinquus, & ſimul Hypermeter, vel prius Hemiſtichium reſpondeat ferme Jambico Quaternario, alterum eidem, ſed pede ultimo deficiente, unde fit Verſus Brachycatalectus. Sic verſus primus *Cap.* III. vel hoc modo collocari poterit:

|– ∪∪ |∪ –∪ |–∪ |–∪ |––|∪ –∪
אני הגבר ראה עני בשבט עברתו :

Vel ſequenti:

|–∪ |– ∪ |– –|∪ ∪–
אני הגבר ראה עני
|– ∪|∪ ∪|–∪
בשבט עברתו :

Ego vir videns paupertatem meam,
in virga indignationis ejus.

Et ſic reliqui ſequuntur uſque ad finem, ut paulo ante exemplum vidimus in *Verſ.* 64. & 65.

Deſinunt quoque verſus nonnulli in eaſdem voces, ut in *Pſalm.* CXVIII. verſus quinti utrumque Hemiſtichium exit in nomen Dei יה. Et ejuſdem *Pſalm. Verſ.* 10. 11. & 12. uti & *Verſ.* 1. 2. 3. 4. eodem finiuntur Hemiſtichio, tribus nempe quatuorve vocabulis repetitis. Illi בשם יהוה כי אמילם : *In nomine Domini, quia ultus ſum in eos.* Hi pariter, ut per totum *Pſalm.* CXXXVI. כי לעולם חסדו *Quoniam in ſecula miſericordia ejus.* Contra vero *Verſ.* 6. & 7. incipit a vocibus: יהוה לי *Deus mecum* & *Verſ.* 8. & 9. a טוב לחסות ביהוה *Bonum eſt, confidere in Domino.* Et utrumque Hemiſtichium *Verſ.* 25. hoc habet initium: אנא יהוה *Quæſo Domine!* & finem: נא *Quæſo!* Verſus ipſe abſolvitur duobus Jambicis Quaternariis Rythmicis, ſive uno Octonario Leonino:

|––|– ∪|–∪– |–∪|–|∪ – ∪ |∪∪–|–∪
אנא יהוה הושועה נא, אנא יהוה הצליחה נא :

o Domine, ſalvum me fac, o Domine, bene proſperare. Sequens *Verſ.* 26. ejuſdem eſt Metri, ejuſdemque fere Artificii Sacri:

|∪∪∪ |∪– |∪– |–∪
ברוך הבא בשם יהוה
|–∪∪ |– ∪ |–∪|∪–
ברכנוכם מבית יהוה :

Benedictus, qui venit in nomine Domini.
Benediximus vobis de domo Domini.

Quin & Pſalmus his eodem verſu clauditur, a quo duxerat exordium: הודו ליהוה וגו׳ : *Confitemini Domino*, &c. ut in *Pſalm.* VIII. & alibi fieri conſuevit.

Quod igitur *Modulationem* attinet, hæc in dictione Poetica Hæbræorum vel Simplex fuiſſe, vel Figurata videtur. Illa fere in uniſono proceſſit, niſi quod interdum, verb. grat. in Sectione vel Depoſitione Verſuum, Tonus paululum intenderetur in Syllabis poſtremis, vel etiam elevaretur. Cetera, quæ interveniebant, efferebantur quam celerrime, imprimis ubi Syllabæ breves inter ſe accumulatæ. Judæi in Lectionibus ſuis hujus Modulationis ſervant ſpeciem, quando in Synagogis etiam Libros Sacræ Scripturæ Proſaicos ſic recitare ſolent. Id quod Mahomedanos itidem facere, dum Alcoranum prælegunt, obſervavit Scaliger loc. cit. p. 7. *Muhamedani*, inquiens, *cum recitant aut legunt ea, raptim percurrunt, donec ad finem pervenerint. Tunc verbum ultimum alio Tono pronunciant, nempe eodem, quo ultimum antecedentis, ut eo ſignificent, verſiculum, ſive comma, abſolutum eſſe.* De Orientalibus reliquis, & imprimis de Sinenſibus, item de primis Chriſtianis ante Joh. Damaſcenum ad *Annum Chriſt.* 725. abſque Modulatione, Intervallis, & Menſura canentibus, *conf. Lundius in Antiqu. Jud. Lib.* IV. *num.* 23. *ſeqq.* Hodie in Recitativis, id eſt, In-

Interlocutionibus Dramatum, idem imitantur Musici, nisi quod sæpius vocem varient, & hinc inde quasi instar loquentium dissipent. At in Modulatione Figurata longe alia erat ratio. Nam in ea non tantum Syllabæ plenius & meliori ordine efferri poterant, Metro manuducente, sed & Tonus beneficio instrumentorum, sive vivorum sive mortuorum, longe accuratius distingui, atque debito modo exornari. Et huic imprimis respondebant Psalmi, vel Cantica, aut apud nos quoque Odæ, interlocutionibus mixtæ, in quibus differentia aperta. Ideoque etiam ad Psalmos ejusmodi decantandos eo aptiora erant Instrumenta Musica varia, quæ adhiberi voluerunt Davides præcipue ac Salomo. Apud Græcos & Latinos prævalebat lyra, unde Carmina Lyrica. Poterat hac compensari, quicquid forte vel in Numero, vel in Quantitate aut Qualitate Syllabarum, deerat. Quanquam enim in Psalmis Metrum æquale magis, & sibi ipsi plusquam in ceteris carminibus respondens, tamen nec omnis in his exulat defectus vel excessus. Modus vero ex una Syllaba plures, vel ex pluribus unam facere, aptus.

Sic vero paucis consideravimus Poesin Hebræorum in genere, & prout ejus in Sacro Codice extant vestigia; de quibus eo minus dubitamus, quo certior est Theologorum ac Philologorum celebriorum de iisdem consensus. Veteres partim collegit Gomarus in Lyr. Davidicæ Epist. Dedicatoria. Recentiores Carpzovius, Introduction. ad *Lib. Poeticos Vet. Test. cap.* I. Et notabile est, quod solum quondam Julianum Apostatam, qui Eusebio de Studiis Hebræorum liberalibus, versibusque adeo Hexametris, contradixerit, e Cyrillo Alexandrino citet Gomarus. An autem, & quousque horum Carminum ratio nota sit, magis disquiritur. Equidem Gesnerus in Meditatione Psalterii, Comm. annexa, *Cap.* XXV. *Qui illam erueret, nemo hactenus fuit.* Sed post compertum fuit, studium in ea positum non omnino vanum esse. *Neque despero*, inquit ad Job. III. Mercerus, *si quis diligenter attenderit, quin possit Metrorum ratio inveniri: id ego, si quando per otium licuerit, pervestigare conabor.* Vatablus, quem notitiam ideo peculiarem possidere, putabant, Canones præscripsit, inter quos obtinet quidem, quod nulla sit Hebræis Positio; at non æque ille, quod *Sceva* ne geminam quidem syllabam faciat. Quid Gomarus ideo præstiterit in Lyra Davidica, edita *Lugd. Bat.* 1637. *in* 4°. notum est. Laudat ejus laborem Hottingerus *Thes. Philol. Lib.* II. *cap.* I. *pag.* 492. his verbis: *Ostendit Cl. D. Gomarus in Lyra sua Davidica, magno studio laboreque aliquot annorum indefesso concinnata, cum versibus lyricis convenire.* Rejicit Calmetius loc. cit. cum Capello, quod Gomarus præstruat duo principia incerta, nempe quod puncta vocalia sint coæva, & nihil temporum injuria in sacris literis sit immutatum. Sed ut nunquam forte ejusmodi supposita in mentem venerunt Gomaro, utpote quibus ad Poesin Hebræam afferendam non opus erat, ita facile liquet, ex illo Tono canere Calmetium, ex quo multi canere solent Pontificii. Placet potius in Gomaro industria, placent regulæ multæ, ab eo *Cap.* I. II. & III. observatæ, sive de Quantitate Syllabarum, sive de Pedibus, sive de Carminum Generibus, quæ per ipsa exempla melius innotescunt; sed hoc non placet, quod a solis Vocalibus Quantitatem deducat, quod *Scheva* pro nihilo habeat, semperque absorbeat, & quod Accentuum nullam omnino habeat rationem. Quod si ergo Gomari saltem imitemur industriam, & reliqua adhibeamus subsidia, multa egregia videbimus in Textu Sacro. Inter quæ imprimis commendamus Psalterium Joseph. Mariæ Thomasii, Latinis Versibus Brevioribus prisco more distinctum, editumque *Romæ* 1697. 8°. de quo *Ann. Er.* 1698. Versus illi esse videntur, per quos quinque Libros, Jobum, Davidem, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, & Proverbia, scriptos esse, uno ore testantur Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Cyrillus, Damascenus, vel non multo dissimiles. Et respondent fere Hemistichiis, aut sententiis, apud Hebræos per Accentus majusculos divulsis, hoc modo:

In te Domine speravi, non confundar in æternum:
In justitia tua libera me.

Ubi textus quoque Hebraicus in eodem *Psalm.* V. I. 2. respondet:

|- ∪|∪ ∪|- ∪ |∪ ∪ |∪- |-∪∪|∪∪
בך יהוה חסיתי אל אבושה לעולם
|∪|-∪∪|-∪∪ |∪∪
בצדקתך פלטני:

Prius nempe Hemistichium videtur esse Hexametrum in genere Jambico, sed Hypermetrum, qualia dantur in hoc Psalmo, sed posterius Anapæsticum, ut sunt plures ejusmodi versiculi breviores per totum Psalmum, quibus versus singuli finiuntur. *Nullus dubito*, inquit de his distinctionibus in præfatione sua Thomasius

sius, *quin a LXX. Interpretibus ipsis juxta vetustissimos Codices Hebraicos id factum fuerit*. Idemque provocat ad Joh. Martianæum, & Antonium Pougetium, qui in Bibliotheca Regis Christianissimi Jobi & Psalmorum volumina Hebræa, versibus ejusmodi distincta, dicunt reperiri. Hoc si ita se haberet, ex eorum Codicum inspectione multum lucis Poesi Sacræ accendi posse, nemo negaverit, & vovendum, ut ejusmodi MSta lucem aspicerent, simili modo, ut Latinum hoc Psalterium, quod ad Codicem Vaticanum & Alexandrinum LXX. Interpretum, & ad Paraphrasin Apollinarii in Psalmos, adornatum est, ipse excudi fecit. Utile enim admodum id quidem est, conferre Codices Hebræos, & in his ordinem Accentuum, cum Versionibus illis, sed longe utilius fuerit, ipsum simul Textum ante se videre Hebræum, hujusque seriem Poeticam. In qua etiam juvare nos potest consideratio Acrostichorum, in Carminibus Alphabeticis, de quibus paulo ante.

Nos, qui operam dabimus, ut exempla imprimis, quæ extant, notabiliora innotescant, jam quidem vos, Optimi Commilitones, iterum, ad *Psalmos de Christo* audiendos, invitamus. Nec enim satis invitari potestis, cum propter rei pretium, tum propter somnolentiam, quam non paucos hodie invadere video, cum studium Exegeticum in Academiis, præcipue quod attinet Vetus Testamentum, aggrediendum est. Non ego verbis vos, & otiosis sermocinationum ambagibus fatigabo, quibus auditis abeatis, ut canis, quod ajunt, de Nilo. Neque inaudita vobis enarrabo, qualia si dantur in Sacris, sæpenumero falsis adjicienda sunt, aut vix ullum saltem commodum spondent. Erunt tamen illa inaudita, quæ animo imprimenda sunt, ut habitum Notitiæ vestræ Theologicæ augeant & ornent. Brevibus, nostis, me primum ad oculum quasi monstrare, & ad calamum dictare Summam, de præcipuo horum Psalmorum objecto; hinc dispartiri ipsos per partes potiores, & singula in his per stylum Scripturæ, imprimis Novi Testamenti, nunc comprobare, nunc illustrare, nunc etiam applicare. In quibus Ordini potissimum studemus, & quæ maxime stringuntur, adducimus momenta. Nedum, quod ipsa quoque Hebraica prælegamus, & e Regulis Hermeneuticis examinemus. Agite ergo, o Amici, & quid sit Exegesis, recte sic vobis & per ipsa exempla imprimite, ne ulla supersit querendi, aut quidpiam porro desiderandi, occasio. Valete. Scribebam Helmstadii die XXV. Sept. MDCCXXIII.

JOH. CONRADII DANHAWERI ORATIO PENTECOSTALIS DE SACROSANCTA SPIRITUS SANCTI POESI.

SAxeam Memnonis effigiem, Solis ictam radiis, crepuisse, resonuisse, vocem reddidisse, a Plinio, Tacito, Strabone, Philostrato, Juvenali accepimus, sive naturæ hoc portentum fuit, ad quod animum intendit, ac stupuit Germanicus, sive magiæ obstetricatu natum, sive totum redoleat fabulam, quam inconstantia historicorum, & quas ex Æthiopia ad Memnonis ab Achille peremti sepulchrum quotannis, quasi parentatum advolantes Plinius memorat Memnonides aves, produnt creditam post magis, ut fieri amat, quam exploratam. Nimis sæpe verum fuit celebre opophthegma militis cujusdam Itali Chiappini Vitellii deformis corpore, nec pulchrioris animi (in quem extat epitaphium:

O Deus omnipotens Crassi miserere Vitelli,
Quem mors præveniens non sinit esse bovem.
Corpus in Italia est, tenet intestina Brabantus;
Ast animam nemo. Cur? quia non habuit.)

Is aliquando pictoris operam implorat, seque coloribus delineari postulat, qua, inquit artifex, facie pingam? Tua illa horribili, an alia? Pinge me, dicebat ille, Paridem, pinge Absolonem; erit post medium seculum obliterata mei memoria, qui e manu pictoris meam pulchritudinem admirantes in veritatem imaginis jurabunt. Nimis verum apopthegma, quod in multas veterum narrationes competit, ac, ni fallor, in Memnoniam quoque statnam. Tuere initio, qui vocalem fingerent, fuerunt qui pingerent, fuerunt qui audirent, fuerunt qui celebrarent, fuerunt qui crederent.

Euge! Omnes, omnes bene! miræ eritis res.

Sive inquam Memnonius ille Colossus ad Solis contactum loquax naturæ fuit portentum, sive magiæ inventum, sive nugamentum; invitamentum tamen est ac illecebra insignis cogitationum haud profanarum. Non hærebo in aere, non auroræ delitias vernas memorabo, avicularum carmina, quibus superata hyeme Solem Orientem suavissime consalutant, ubi primulum pungit cœlestis radius in concentum emicantes: Non in musæa vestra correpam, studiorum alumni inclyti, ac tempestivis vos solatiis prosequar, ut, quod Antiphanes per jocum dicebat, in urbe quadam voces hyeme frigoribus conglaciare, ætate demum calore liquefactas ad aures accidere, cogitetis fore, ut quam nunc eruditionem in hac laborum hyeme & umbra concipitis, adulta ætate quasi æstate, ex Solis publici ictu visuque in clara hominum luce exaudiatur.

Altius assurgam ad totam hanc rerum Universitatem, quam haud longe a vero jecerit, qui Memnomonicam verius quam Memnoniam statuam dixerit omni heroum imagine metallo ætatem passuro ducta perenniorum, omni pyramide, ultra proceritatem, quam visus humanus assequitur, fastigiata celsiorem. sed elinguem, mutam exanimem. Fertur, inquit doctissimus Philo, fabula a sapientibus viris ad posteros per manus tradita. Est autem talis. Olim cum totum mundum opifex absolveret, quendam e Prophetis rogavit, numquid desideraret nondum creatum sive in terra & aqua, sive in aere & cœlo. Respondit ille, esse quidem perfecta & plena ubique omnia, unum tamen se requirere, laudatorem horum sermonum, qui in rebus omnibus, vel, quod minimum obscurissimumque videtur, non tam laudet, quam enarret. Hoc responsum Patri universorum placuisse; nec multo post exortum genus canorum & musicum, ex una divinarum potentiarum virgine mnemonia, μνημοσύνην vocant.* Fabulam dixi, sed quæ sit in veritatem εὐμε-

* *De Carmine rythmica vid. Gell. lib.* 18. *cap.* 8.

εὐμετάβολος, Nim. sic est: mundus mutus est, solis alicujus illapsu animandus inque sonum vocalem excitandus. Is homo fuit ex humo divinis laudibus celebrandis initiatus simul ac vivendi initum hausit & sapientiæ radios cum spiraculo inspirato imbibit. Hujus radiis illuminati Cœli Gloriam Dei enarrarunt, dies diem docuit, nox nocti confabulata: sed eheu! vix sonuit rerum machina, ad subitum solis sui deliquium consternata statim obmutuit.

Igitur e Cœlo sublimior sol affulsit tot statuis mnemonicis, quod Prophetas entheavit, literatis magis, quam marmoratis figuris illustres, qui Spiritus Sancti radiis concitati, sensa divina in linguas, linguas in urania carmina, carmina in plectra transtulere: ac, ut altissime in ὑπερῶον Solymitanum ascendam, vidisses illic duodecim statuas pridem attonitas, rudes, mutas, mox illabente Deo Deique ignibus irradiatas, e statuis oratores, omnium linguarum legatos, omnium gnaros, omnium Professores. Ingens ostentum! Cœli poema! Spiritus Sancti carmen! Ajunt inter * Indiæ delitias eminere avem magnitudine sturno parem, subtus in ventre albicantem, cætera fuscam, niveis tamen pennis ad elegantiam mirum currentibus, caput plumis argenteis coronatam, quam Barbari Cencontlatolli, Europæi polyglottam appellant, omnis melodiæ aeriæ æmulatricem, omni superiorem. Lusciniam cum sentit meditari melos, susque deque crispatimque vibrare vocem, incisa versuum membra velut in hemistichia terminare: omnemque sylvam animare felicem poetriam, non procul eadem modulatione abludit. Cum in Canariam incidit, concertantem & quasi invidentem philomelæ canendi gratiam, supervenit & arbitra & victrix omnes pari felicitate, majori elegantia & arte secuta. Mira avis, si vera! varium ex uno gutture Musicæ blandimentum: sed nihil ad alites nostros quos in ὑπερῴῳ Solymitano enixus est almus Spiritus, nulla sub Cœlo lingua fuit cui non accinerent, nulla dialectus, quam non æquarent, nulla suada, quam non triumpharent. Tantum valuit ictus cœlestis flamma!

Liceat e flamma ista sub dio ac in publico posita hodie faculam accendere: liceat ad hunc solem apricari, & qui ex me non nisi statua sum, in explicandis rebus divinis haud aptior, quam fusus ære colossus, radium cœlestem concipere, ut eloquar, saltem ne sileam. Poesin institui commendare, cujus amore e tenerrima ætate hujusque flagravi, cujus studio si qua mihi licet, licite ad raro in veteris diversorii locum, qui commorationis nunquam fuit, remigrare: otium fallo, operas dispungo, tædia oblitero, & in quodam quasi curæfugio acquiesco, Poesin autem sacrosanctam, cœlestibus afflatibus animatam, opus Spiritus Sancti tam proprium, quam est vel Prophetia, vel Sophia: sed quid ago, quid instituo sine superna luce? vestra quidem mihi lux suffragatur, splendor, o amplissimi, tinctissimique literis Musæi, animum accendit, excitant tot scientiarum as virtutum in me unum defixa lumina: sed solem desidero, qui vocem edat Deo, divinaque arte dignam: lucem ille affundat ex alto: ego meam illi umbram polliceor, non ut lateat, sed ut ex hac ipsa qualicunque nubecula pulchritudo Dei, velut solis in Iride emineat.

Vatibus hic mos est, centum, sibi poscere voces,
Centum ora & Linguas optare in carmina centum.

Ego hunc morem, qui sæpe tantum mos est, sæpe simulatus sæpe μῶρος migro, ac unam tantum posco vocem, unum os, unam Linguam, sed Deo ebriam, fide calidam, devotione gratam. *Veni Sancte Spiritus*, id quod precari sufficiat: nam cum venit ille, non venit sine venia, sine vena, sine gratia. Fiet ita, ut nec susceptæ operæ, nec nos præbitarum aurium, nec Poetam, quem celebrare institui, elogii, humanitus dicam, pœniteat.

Spirare in Codice sacro aliquam Poesin insinuat historia, testimonia accinunt, plagia produnt, oratio aperit, res ipsa loquitur. Non micas illas intelligo quas prudentissimus e Tharso Sophus, belli Sacri fulmen, divinus Paulus, cum Athenagoræ verbo utar, ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ὁ περὶ ἀληθείας disputabit, jam ex Arato Solensi non procul a Tharso conterraneo Poeta, pro Διὸς Θεοῦ γένος ἐσμεν, nunc e Callimacho,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

In medium conjecit utrumque affecutus & Poeseos a se non insuper habitæ, sed castigatæ gloriam, & de Goliatho ex proprio mucrone, victoriam. Aliud est quo collineo, quod contendo, quo duco, Fons scilicet Israelis ab omni profano habitu illibatus, Fons Hæbræus, omni musarum, quas fingunt, fonte amœnior, cujus scaturiginem in primo mundi ortu satu-

* *Ap. Euseb. Niem. lib. 10. hist. nat. cap. 77.*

tuque, una cum scaturigine quadrifidi sui fluminis vidit paradisus in onomatheta sapientissimo Adamo. Ridendi sunt qui cum nomina imposita audiunt, supra grammaticam non assurgunt. Anne nomenclator solum fuit generis humani Princeps, non naturæ contemplator, non orator, non cantor, non Poeta! an excellens aliquid in nobis esse sophos potest? quin excellentius in sophorum sopho Adamo? An inter Angelorum jubila, alitum carmina, naturæ plausus ipse Dei panegyristes consideat otiosus, recubet sub fago mutus, nihil fingat ingenio, numeret rythmo, exprimat ore? Certe Jubalem Lamechi septimi ab Adam filium, patrem fuisse accepimus cythara canentium & organo: unde conjectura facilis, fuisse pridem alios, qui assa voce fidibus ac tibicine cecinissent: fuisse qui, quod cytharædus luderet, alii succinerent, verba in numeros coegerint, cum soluta metro tonis musicis durius aptarentur. Est forsan in hoc Auditorio, quem nostis omnes, qui cum Theatrum olim Choris Musicis exhilaravit, textus, ut vocant, ligari maluit, quam solvi, numerari syllabas, attendi literarum etiam flexum, fluxum stridorem, collisionem, minuritionem: id genus carminis si vel novum excogitari posset eligi, quod vocibus, fidibus, fistulis quadraret, exquisite omnia, omnia ex asse: adeo sororio vinculo sunt colligatæ Musica & Poesis, ut addita sophia Charites dicas tergeminas, simul natas, simul denatas, simul reviviscentes; simul, si barbaries obtinebit, intermorituras. Quicunque Musicam primo ac aureo seculo dabit, Poesin invidere nequit.

Terras quidem vindex scelerum & piacularis inundatio obruit, sed carminis conficiendi artem non delevit, in quam oracula divina, antequam literis consignarentur, deposita, ut hærerent tenacius carmine ligata, quæ soluta difluxissent. * Quo consilio, Tullio teste, antequam Romana poesis in artem redacta; Poetæ vel cogniti vel recepti tamen in epulis convivæ soliti sunt tibicinem clarorum hominum virtutibus canere. Sed & rudis adhuc & impolitæ Germaniæ morem notavit Tacitus: celebrant, ait, carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuistonem Deum terra editum, (quis ille, nisi Adamus terrigena?) & filium Mannum, originem gentis conditoresque. Eadem vestigia secuti Franci heroum dicta factave memoratu digna per sacerdotes Templorum, patriis commendarent carminibus, ut in iis discendis, memorandis, decantandis juvenum exercerentur ingenia: originem intelligitis, Auditores, cantionum, ut vocant, magistralium, in rythmos compositarum ac in publica hominum corona propositis brabeis cantillatarum, nimirum Carmina semper memoriæ extiterunt præsidia & scripturæ supplementa.

Ut Poeseos scaturigo fuit in Paradyso, ita in limpidissimas undas excrevit in Idumæa, Jobo lugubria, Mose hilaria præcinente, Mirjam fratri amœbæa succinentes. Moses is fuit, quem omnes Ægyptiorum sapientia imbuit, cujus ad mare duplici nomine rubrum, quippe & sanguine persecutorum purpuratum, egregium edidit specimen in pæana grande & magnificum sub metri lege compositum. Idem factitatum a Debora, quæ postquam Sisaræ caput clavo transactum terræ hæsit, cerebro & cruore diffluente dejecto hoste, ut laus triumphi ad suum fontem refundatur, ἐπινίκιον cecinit, Herois simul, Prophetis & poetria. Omitto mulierum carmina post Gigantis Philistæi superbam cervicem proprio ense resectam, Davidi insolitam victoriam gratulantium. Nam ad istud cum venio seculum, venio ad Oceanum inexhaustum, in quo (totos Poetarum æque ac Prophetarum cuneos vidisses,) in hebræo helicone, colle Dei in collegia distributos, qui cum afflarent cytharas cœlitus afflati, laudes divinas cecinerunt harmonia vocum, cum synphonia fidium paria faciente, quorum eruditæ tibiæ cum se miscuisset aliquando Saulis agrestis avena, sed & ipsa divinitus concitata, proverbio famam dedit: quid Saul inter Prophetas? quid argutos interstrepit anser olores? Cornix in θεωπνεύςω ac entheato Poetarum choro. Fuit vir ad nutum Dei religiosissimus David, e Pastore ovium cytharœdus, e Cythparedo Rex qui compositis curis Regiis cum entheatis, sceptro cum plectro, threno cum Psalterio, quoties mens divina inspiratione incaluit, seque Deus cordi inseruit, dictata e Cœlo concepit, concepta ad venam admisit, admissa gestiens tanquam torrente prostrepo ebulliendo emisit, emissa in odas, Hymnos Psalmos dispensavit, commendata æternitate consecravit. Longum esset, Regium Salomonis ἁρμάτιον, quod plagio violavit, Jeremiæ threnos, Hannæ gratias, Simeonis vota, sublime humilimæ Deiparæ poema, commemorare: satis est historiam delibasse, quam firmant testimonia Hebræorum, Patrum, Doctorum, quorum concentus fide non indignus. Josephi hæc sunt: Moses oden hexametro tono composuit: Poe-

* *Cic. lib.* 1. *Thusc. qq. n.* 3.

ma hexametrum Iſraelitis & recitavit & reliquit. David perfunctus jam bellis & in alta pace degens, odas in Deum & Hymnos metro vario compoſuit: quoſdam quidem trimetros, alios vero detrametros. Philonis iſta; Moſes in litore maris rubri duos ſtatuit Choros, alterum virorum, alterum mulierum: & Moſe ac ejus ſorore choreas ductantibus, præeunte carmen viris illo, hac fœminis, Hymnos Deo gratulatorios cecinere. E Græcia ſuffragantur Euſebius & Theodoretus: e Latio Hieronymus, Auguſtinus, Iſidorus. Sunt, ait Euſebius apud Hebræos poemata metrica, ut magna Moſis ode & metro compoſita. Beatus David, inquit Theodoretus, carmina, compoſuit: Sacra Scriptura temperans utilitatem carminis ſuavitate gratam admodum & amabilem doctrinam hominibus propoſuit. Job, ita Hieronymus, proſa incipit, verſu labitur, pedeſtri ſermone finitur, a verbis, in quibus ait, pereat dies &c. uſque ad eum locum, ubi ante libri finem ſcriptum eſt: idcirco me reprehendo &: Hexametri verſus ſunt dactylo ſpondæoque currentes, ſed propter Linguæ idioma crebro & alios pedes recipiunt eorundem temporum, non earundem ſyllabarum. Interdum quoque rythmus dulcis & tinnulus numeriſque fertur lege ſolutis. Rurſus David Simonides noſter Pindarus & Alcæus, Flaccus quoque Catullus & Serenus, Chriſtum lyra perſonat & in decachordo pſalterio, ab inferis excitat reſurgentem. Quod ſi cui videtur incredulum, metro ſcilicet apud Hebræos & in morem numeri Flacci Græcique Pindari & Alcæi & Sapphus, vel Pſalterium vel lamentationes Jeremiæ vel omnia ferme ſcripturarum Cantica comprehendi, legat Philonem, Joſephum, Origenem, Cæſarienſem Euſebium & eorum teſtimoniis me verum dicere comprobabit. Quibus numeris, Auguſtini verba ſunt, conſtent verſus Davidis, non ſcripſi, quia neſcio: neque enim ex hebræa Lingua (quam ignoro) potuit etiam numeros interpres exprimere, ne metri neceſſitate ab interpretandi veritate amplius, quam ratio ſententiarum ſinebat, digredi cogeretur. Certius tamen conſtare numeris credo illis, qui eam linguam probe callent, heroicum (ſic habet Iſidori Hiſpalenſis præſulis calculus) omnibus metris prius eſt. Hoc primum Moſes in cantico Deuteronomii longe ante Pherecydem & Homerum ceciniſſe probatur. Unde & apparet antiquius illud fuiſſe apud Hebræos ſtudium carminum, quam & apud Gentiles. Siquidem & Job Moſi temporibus adæquatus, hexametro verſu, dactylo ſpondæoque decurrit. Jam qui ab ipſo ſeculorum orbe longius abſunt recentiores ac nominatim Auguſtinus, Steuchus Epiſcopus Eugubinus & Joſephus Scalig. idem ſentiunt, quamvis non eodem prorſus ſenſu. Ille Hieronymi criſin non de pari pedum latinorum ratione, attamen ſimili exponit: hic in Pſalterio threniſque meram eſſe ſolutam orationem contendit, attamen Charactere poetico animatam: orationem Eſaiæ & aliorum Prophetarum inſtar Poeſeos aliquando figurari? ſolum addit canticum Moſis extremo Deuteronomio, Proverbia Salomonis, & totus fere liber Job, quadam rythmi neceſſitate cohibentur: qui rythmus eſt inſtar duarum dimetriarum jambicarum & tinnulus accedit ad aures. Si porro e ruderibus Romæ magnitudinem æſtimare fas eſt: ſi e veſtigiis ad ferarum cubilia penetrare licet, ſi de fonte ſuo teſtatur aqua etſi ſordibus contaminata: ſi quandoque furca colorata, licet in alias formas mutata levi indicio produnt in domum, fundum, utriuſque Dominum; non fuerit abſurdum ex illis ipſis rivulis quibus hortos ſuos irrigavit Græcia, e plagiis, quibus Latini hebræam poſſeſſionem invaſerunt, indagare priſcæ ac heroicæ poeſeos magnitudinem, fontem, cubilia, domum. Quid enim habent οἱ ἔξω Sophi, quos immani ſeculorum intervallo poſt ſe Moſes reliquit, omnibus etiam Græcorum Diis antiquior, quid, inquam, habent, ſi ſpirat ſapientiam, ſi redolet eloquentiam, ſi θεῖον τι oſtendit, ſi habet acumen ſi ἦθος, ſi πάθος, ſi uſum, ſi decus, quod non vel debeant matriculæ hebrææ ex mutuo, vel teneant ex furto repetundarum rei, quamvis circæa quadam arte rebus abreptis aliam perſonam, faciem, colorem induerint. Non res ipſas geſtas, ita lacteus Lactantius *, finxerunt Poetæ, ſed rebus geſtis addiderunt quendam colorem: cum officium Poetæ ſit in eo, ut ea, quæ geſta ſunt, vere, in alias ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo converſa traducat. Ita vertit, ut exemplis omnia diſputemus, arbor paradiſiaca opinione σοφοποιητικῇ in quercum Dodonæam; columba Noachi exhauſti diluvii felix nuncia in columbas fatidicas, ac oſcinum præſagia: Nahama Tubalcain ſoror in Venerem Vulcani conjugem: Lothi marita in Nioben obrigeſcentem: Iſaacus in Iphigeniam, aries ſuccedaneus in cervam: Moſes Sinaicus ac uvis Cananæis ab exploratoribus donatus in Bacchum bimatrem Nyſæum, vini repertorem: Joſue

τριη-

* *Lib. 1. de falſ. relig. cap. 11.*

τριήμερος in Herculem τρισέληνον: Sion in Heliconem. Nemo ex omni numero illorum simiorum callidius fabulam lusisse videtur Theocrito Idylliographo Bucolico, quod sylvis solymitanis jubilantibus, auris adsibilantibus, adstrepentibus frondibus, aquis admurmurantibus dulcissime dedicavit Messiæ ac Ecclesiæ Salomon, ea levi mutationes in Venerem ac Adonidem: in Menelaum & Helenam contulit ἐν αὐτοφόρῳ non semel deprehensus. Ferculum nuptiale adornat Salomon, idem Arsinoe Ptolomæi filia in pompa geniali traducit: Sponsa Salomonis modo dormire fingitur, canetur illi ab excitatione: modo e lecto in hortos excitatur. Utrumque in Epithalamio Theocriti ejus Scholiastes observat, carmen scilicet & consopitorium & excitatorium. Salomonis Sulamitis psalterias puellas habet comites principatum pulchritudinis heræ suæ deferentes: easdem ac eodem ferme numero Helena circumduxit.

Es his inquam Heliconis nebulis, quibus obreptus fuit poeseos antiquæ castæ defecatæ splendor, promicuere igniculi quidam quasi fulgurantes, e quibus aliquid capiat indago non ignava. Mansit in Græco Latinoque versu Lex numerorum, lux orationis, harmoniæ decus, in qua semper θεῖον τι; unde colligas primæ originis majestatem.

Veniamus autem in rem præsentem & videamus, an aliquid desiderari possit in sacra poesi, quo profana gaudeat? Ante vero omnia etiam atque etiam notari velim, geminam omni tempore poeseos fuisse legem, proletariam aliam ac vulgarem, aliam quasi regiam ac magnificam, illa τὸ ὅμιον τȣ͂ ῥυθμȣ͂, hæc τὸ εὔρυθμόν consectatur: placet illi τὸ ὁμοιτέλευτον h. e. periodus simili sono cadens. Hinc numeri, characteris dicendi & rei describendæ quasi mathematica concinnitas: illa Romæ extra acclamationum militarium ac theatricarum pompam barbara fuit: raro excidit Homero in illo

Ἐκ γὰρ κρηταιῶν γένος εὔχομαι εὐρειάων.

Maroni in isto cornua velatarum obvertimus antennarum castigata a carminis æque ac vitæ censore rigido Aulo Persico Flacco in poema Neroniano, *sed numeris*, inquit, *decor est & junctum addita crudis*:

> *Claudere sic versum didicit Berecynthius Attin*
> *Et qui cœrulæum dirimebat Nerea Delphin.*

Quod quidem rythmi genus, cum late regnum occuparet superior barbaries despirante Spiritu poetico meliori, ita obtinuit, ut omnia cœnobia hujus formæ poematibus fuerint impleta, quæ nostri adhuc lapides loquuntur. Alias puriori Romæ displicuere: utraque poeseos ratio in fontibus hebræis scatet, ita tamen ut prior illa casu nata videatur, hæc consilio sed nobis novissimis hominibus longissimeque a cana illa vetustate remotis, inscrutabili Rythmi in divinissimo poemate Regii vatis hi sunt similesque.

> * *Derachecha Jehova hodieni, orchotecha Lamdeni*
> ** *Daraschti & Jehova, veanani, umicol megurothai bizilani*
> *** *Zadik Jehova becol derachau vechasid becol maasau*
> *Raitha Jehovah avathali schaphtah mischpathi*
> *Chesed veemeth niphgaslu, Zedek veschalom nachaka*
> *Emeth meerez tizmach, vezedeck veschalom mischkaph.*

At circuli quadraturam quærit, qui sanctiorem illam alteram poeseos rationem percontatur, cui id contigisse videtur, neque id temere sed divino judicio, quod arti notoriæ, ut amissa olim & decocta nunc irremeabilis esset. Fatigavit illa ingenia jam olim; fuere qui non desperandum putarunt, fuerunt qui εὕρηκα, εὕρηκα clamarunt. Hieronymum paulo ante notavimus ipsos pedum tonos metientem, sillabas aucupantem, hexametra, trimetra, sapphica, lyrica declamantem, sed quid pes sit hebræus, non syllabis sed temporibus constans! quid rythmus tinnulus, quid ipsi sit numerus pedum ligatus, nullo exemplo declarantem. Conatum Vatablus, conatus voluntatem ad indaginem rei inenodabilis Mercerus aperit: insanum molitur Jordinus, Fr. Gomarus, cui ut certum sit, lyricæ sacra & profano distincto parumper linguarum genio, probe inter se convenire, quid parallelis Pindari & Sophoclis peculiari commentario ivit illustratum, ita tanquam jam invenisset, non quod pueri in faba, eidem applaudit Daniel Heinsius primus, ait, *Idumæas sanctorum oracula, chartas*

> *Innumeros pulchra dirigit arte suos.*
> *Dent alii protrita. Deum docet esse Poetam,*
> *Jam canus, quanquam non moriturus, olor.*

Sed

* *Psalm.* 25. 4.
** *Psalm.* 34. 5.
*** *Psalm.* 145. 17.

Sed ut olor canit, ita Gomarus ſibi novo invento orbem obſtringit, cujus vincula facile ſolvet, qui cogitabit, poſtulatu eſſe, non argumenta; affecta negotia, non confecta, ſortes Virgilianas & parallela fortuita, quorum ſimilia quævis ſoluta oratio ſuppeditet, eſſe illa, quæ tanto hiatu celebrat, de ἀνακυκλώσει ac perpetua proſodiæ excogitatæ ratione ipſemet deſpondens qui deſiderabit in eodem novitatis contextu accentuum menſuram, ſi uſpiam certe in hebræa poeſi non ſuſque habendam, qui indignabitur Spiritui Sancto Sophoclis cothurnos indui: adque lyram Pindari ſaltaturientes Moſes, Davides, Salomones induci: hæc hujuſmodi qui animo volvet, dicturus eſt, ſi mitiſſime Gomari lyram delirare. Eſt aliqua Spiritus Sancti poeſis, ſed abdita, infideliter cuſtodita, ab iis qui nucleo amiſſo putamina ad nos derivarunt, ignoti quidem coloris, non item ſanguinis: faciem tegit hic ſol, non omnes radiorum ſtructuras, non omnem majeſtatem, quam denudat materiæ pretio, formæ luminibus, ſuadæ vi ac principatu, originis ſplendore. Deus illi carmen eſt, Deum cecinit David, quoties rem præclaram ſuſcepit, Deum, quoties geſſit, Deum, quoties finiit. Agaſicli olim, Herodoto autore, apud Halicarnaſſæos exilio luendum fuit, quod tripodem, quam ludis obtinuerat, non Deo dedicaſſet, ſed domum retuliſſet: exilio cœli luat, qui ſe malit, quam Deum canere, proſcribant Magnatum encomia paraſiti. Numinis μεγαλεῖα ſciant Poetæ entheati: alia neſciant, nolunt id in terris inchoaturi, quod nulla terminabit æternitas: linguæ ceſſabunt non carmina, alia aliis, nova novis perpetuo ſuccenturiatis ſuccenturiantia: cœli lepos leporem verborum, ſophos ſophos animorum, eros e viſione Dei, erota inflammabit. Poetæ nomen, auditores, magnificum eſt, deſignat hujuſmodi hominem, qui res non pingat, ut calligraphus non dicat, ut orator, ſed faciat, ut architectus, ut præſentem intueare, tanquam præſenti moveare. Oratio ſoluta pedeſtris, it tardius, ſed ligata rapido curſu quaſi inequitat paſſu tolutari confluit illa, repens hæc influit per tentat, penetrat, ligat, tenet: volaturit illa, involat hæc ab ingenio rebus vitam, perſonis decus, affectibus motum intellectui ſuimet reflexum ac circularem ſenſum affundit. Pythagoras olim cum adoleſcentes nonnulli tibiis inſtincti & ſtimuati vino laſcivirent, jamque mulieris fores effringerent, admonuit tandem tibicinem, ſpondæum ut caneret, ſtatim ſubſedit impetus. Adeo verum illud Cleanthis a Seneca * proditum: Quemadmodum Spiritus noſter clariorem ſonum reddit, cum illum tuba per longi canalis anguſtias tractum patentiore noviſſime exitu effundit; Sic ſenſus noſtros clariores Carminis arcta neceſſitas efficit. Eadem negligentius audiuntur minuſque percutiunt quamdiu ſoluta oratione dicuntur: ubi acceſſere numeri & egregium ſenſum aſtrixere certi pedes, eadem illa ſententia velut lacerto excuſſa torquetur. Conſequitur autem hanc ἐνέργειαν blanda illa animorum conciliatricula Poeſis, luminibus ac πάθεσι verborum, quorum ſi commemorare vellem in S. Codice reperta exempla, vereor, ne ipſa me copia reddat inopem. Quanta enim troporum ſeges, figurarum amœnitas, proſopapæjæ, ethopæjæparonomaſiæ, Chriæ, Oxymoriæ, ornamentorum aliorum, quæ facile advertit, qui Midæ auriculas non habet venuſtas? Jam rorat Scriptura, pluit, fluit, ſuaviter decurrit, jam grandinat, & fulmina ejaculatur; nam quid illa montium Gelbœorum, ubi Saul hoſtium manus ac ludibria voluntaria morte occupavit, execratione terribilius; montes Gelboe, nec ros, nec pluviæ veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum & quæ ſequuntur. Diceres Xerxem aſtare, ac elementis iraſci agricolam, cum fruges videt exuſtas ab uredine & a vento noxio ſpem vaneſcere, jactare in ventum convitia remque omnem non dici, ſed fieri. Non deſunt geminæ orationis apologi adagia, ænigmata, ac ut celebris D. Johannes Metaphraſtes loqui amat: ἑτέρης ἐπιδέξεα φωνῆς.

Invenias & poetis propria anagrammata ex illa Cabalæ ſpecie, quam Hebræorum Magiſtri Temurah appellant, ſi quæras, quid Ha-Adam homo? recantabitur Adamah, terra? Si perconteris de creatore mundi, mi bara elleth quis creavit hæc? ** Audies bara Elohim, Deus creavit, *** Si ſcire cupias quis Angelus populi Iſraelitici dux, quis Malachi Angelus meus, reſpondebitur Michael: quis Gherub? Rachub, vitulum trahens currum, & ne quid ultra requiras, exhibet codex ſacer tota drammata, de ludis Apocryphis nihil ut dicam, dramma eſt tragico cothurno procedens Jobi inviciſſimi Herois γυμνασία celeberrima; Canticum Canticorum Bucolicorum dicas, an venatorium ludum, nihil intereſt, ita mille venatoriis, mille paſtoritiis ſcatet deliciis. Tota Apocalypſis Johannæa theatrum

* *Epiſt.* 108.
** *Eſa.* 40. 26.
*** *Exod.* 23. 23.

trum eſt, in quo Eccleſiæ fata, vices, cataſtrophen per actus quaſi ſuos, ſcenas ac interſcenia oculo haud frigido contemplere. Is denique divinæ poeſeos Pater eſt fons, qui profunda Deitatis arcana ſcrutatur SS. Trinitatis Encomiaſtes; qui incubitu fœcundo totum hoc mundi poema & poematis ſuaviſſimum concentum concinnavit, qui hominem ſuum ποίημα, omnemque hominis ideam, hotas, moras, metas ab æterno definivit, in tempore finxit, turbatum refinxit, qui cum egregiis inventionibus Bezaleelis ſanctam machinam maaſeh Choſchebh ornavit hoc ipſo omnia poetarum inventa ſi bona, ſi pia, ſi ſalutaria, conſecravit; qui cum ſcripturas divinas inſpiravit, ſcripturis ſimul menſuram, menſuræ numerum, numero tonos, modos, accentus indidit, Poetarum Poeta vena carminis inexhauſta, Spiritus eſt Sanctus; abſit ut, ingenium qui dedit, & quendam qſ. ingenio ἐνθουσιασμὸν qui os creavit, qui res ſcripturæ inſpiravit, ut is non ſcrutetur, non canat, non verba ſuggerat apta: non impleat pectus inventis, non præferat facem menti, non moveat articulos, non moderetur omnia. Ut tibiæ quoties reſonant in organo ſuum tibicinem canunt, ita totus Poetarum Canonicorum chorus uno ore clamat:

Eſt Deus in nobis agitante caleſcimus illo.

Cedite Deo, ſi quis virginibus pudor eſt, Muſæ! Fefellit cœca gentilitas cum nobis carminis inventionem tribuit; * cede, phœbe & erubeſce: obmuteſce invide Juliane, qui gloriam poeſeos hebræis ereptam allophytis ac tuæ ſuperſtitionis hominibus tranſcribis. Hoc itaque animoſius in poetices ſacrarium ingredimur, quo ſanctior eſt illius Architectus, quo diviniores, qui in hoc illi ſtudio ingenia, ora, calamos commodarunt, hoc rectius pedem ponimus, quo rectior nobis regula meditandi, ſcribendi, canendi, cœleſtibus exemplis prælucet.

Incidimus Auditores, in ſeculum poeticum, in quo certatim ſtudia ferme omnium in hoc ſtudium ſeu ardent, ſeu pruriunt: accurrunt ad hoc gloriæ ſtadium ſemipagani æque ac μουσοπάτακτοι: Scribimus indocti, doctique poemata paſſim: alii ad laudis aucupium, alii veſana λογοδιαῤῥοία ad ſtipis exiguæ irritamentum: alii nec gloriam ſectantur, nec ſtipem, ſed ut amicorum flagitationibus, quamvis ægre, pareant, ægre cum Trajano audiant herbæ parietariæ, quos inter nomen meum me profiteri non diſſimulo. Neque orbi Chriſtiano germanico invidet vernacula poeſeos incrementa florem, decora. Opitio occupatam gloriæ poſſeſſionem, quantam meretur, admetior: Poetas Teutonicos, qui eadem calcarunt hactenus veſtigia, per medias laudes quaſi quadrigis in orbem vectos, laudo & ipſe in aſtra extollo, admiror: gratulatus patriæ hanc noviſſimam felicitatem hoc ardentiori affectu, quo triſtiori aſpectu intueor priſtinæ noctis infantilitatem, barbariem ac in rythmo ineptias, quibus & cathedra Anti-Chriſto, at ingenio non vulgari, lyricine non infelici emendatur: inventa fruge quis triticum non malit quam glandes? Sed judicii mihi libertatem, quam nulla unquam negavit barbaria, reſervo monenti autoritatem, ab ipſa cui inſideo, cathedra ſumo, ac ſemel quid requiram in poeſi vernacula, quid velim ad divinæ poeſeos normam corrigi voce imperterrita, pronuncio. Requiro ante omnia carmen non rythmicum, ſed poeticum, non proletarium, ſed regium, in quo matheſis ſuos numeros, ac proportiones ſentiat, non quas unius hominis ſero nati quantumvis ingenioſiſſimi arbitrium inſtituit, ſed quas ille idem Spiritus qui linguas olim cum confudit, diſtribuit: quas inquam ille idem tanquam notas genitivas unicuique linguæ ingenuit: quod θεῖον ſive ſe inveniſſe jactent ſive conjecturam dicant nullis eorum in gratiis, ut mihi dubitare liceat, ac ἐποχῇ meæ ignoſcant, rogo. Requiro in patria lingua patriæ idiotiſmum ſimplicem, purum, intemeratum: ſtylum dominatum, genium vere germanicum, qui nihil debeat græcis veneribus, nihil Latii Charitibus, ſed ſuis ſe ornet plumis ac nativis floreat ornamentis, qui ſi nullus vixiſſet unquam Naſo, nullus Maro placuiſſet, viveret, placeret ex ſe. Odi odas ſub Chriſtiani Poetæ titulo vix aliud quam gentiles hiſtorias, metamorphoſes Deos, ſemideos, Heroes, Apollines, Veneres, juvenes in eodem quaſi idoleo crepantes: ægre intueor Moſen inter ranas coaxantem: res ſacroſanctas profano numine proſtitutas. Quis enim non horreat, ac ſucceſeat, cum audit ſimile quid illius Hieronymi Vitæ Bombycis, de pane & vino euchariſtico ſinceram Cererem, & Lenæi poculi honorem? Sputanda judico Veneris lenocinia Carmina ſotatica, mixtos æthereis ignibus cyprios, tanto peſtilentiores, quanto a juvenili ac virginea mente prodeunt audacius accipiuntur, periculoſius inficiunt, profundius, propagantur vernaculæ linguæ remigio velocius, no-

* *Apud Cyrill. Alex. l. 7. adv. Julian. Tert. 2.*

nocent sub jucunditatis illecebra subtilius. Obsigno hanc meam censuram epitaphio poetastri cujusdam, vestro vero poeseos alumni dehortamento: fuit ita Claudius Espencæus nobile inter Theologos * Gallos nomen, memoria nostra in hac studiorum matre didascalus quidam, mihi de nomine tantum, non etiam de facie notus, quo neminem unquam fuisse majorem, omne genus librorum poeticorum autem maxime librorum helluonem puto. In his cum multa sint præclara, multa sunt pestifera, ut in iisdem locis herbæ multæ & variæ ad remedium efficaces, multæ nascuntur lethales: ** qui autem feliciores sunt ingenio citius, nisi caveant corrumpuntur, ut qui stupidiores esse Thessalos dictitabat Simonides, quam ut ab illo decipi possent dum noster hic immodica horum lectione prægravat & obruit,

Atque affigit humo divinæ particulam auræ

Et Damisallam cantillat &c. ejus florenti adhuc ætate morientis, extrema fuisse fertur vox hæc

Ite mali versus, animam qui perditis, ite.

Macti contra boni poetæ, prophetarum hypophetæ, ebrii non mero, sed Deo rapti a cœlo, acti a Spiritu Sancto reddite suum decus, qua nulla antiquior, sacræ poesi, quæ ut sapientia rerum, eloquentia sapientiæ, ita ipsa eloquentiæ est consummatio, ultima linea, coronis. Poema Dei estis, ille vestrum: canite non vos ipsos quod circulatorum est, sed illum, a quo vim canendi hausistis. Tota rerum universitas Dei carmen est, amat a vobis innumerorum mensuram redigi, sed ut in immenso terminetur, absit, ut hic ita quisquam vestrum desipiat, sicut gregarius ille, qui sub Maximiniano Cæsare adversus Persas militabat: quippe, cum captis & direptis hostium castris in Parthicum sacculum incidisset, pulcherrimum illum atque egregie convestitum & plenum, quod caput erat, margaritarum maximi pretii, illis in terram excussis, ut erat idiota ac imperitus, externa pellis specie delectatus abiit exultans. Hæc ipsa mundi machina, hoc cœlum, quo nihil nec pictius nec elegantius fingi potest, extenta pellis est: turpe sit ejus aspectu tantum capi, gemmam, quæ latet, ignorare, celebrare opus, tacere artificem, speciem Solis in aqua despicere, non suspicere Solem in cœlo: sit vestra Hippocrene fons Israelis: Helicon Sion, illic bibere juvet, hic somniare, divinis illic inspirationes, hic oracula: convertite Alcinos hortos in paradisum, arcum arcamque Noæ contemplamini: sit Troja vestra Sodoma: Ulysses Jacob, Æneas David. Quærat hic arma virosque epos, threnos elegia, pastorem ecloga, censuram Jambus, hymnos lyra: sanctorum memoriam epitaphium: thalamos epithalamium: historiam dramma: factum generis humani lapsi tragœdia: hæc canite, in hæc mentis sensa intendite; sed & quod canitis facite: nam poetæ estis, ποιηταὶ λόγυ, Dei Poema, in quo conposita omnia frons menti, vultus sermoni, carmini vita. Hic mentiri poetæ non licet! Non licet, quod Histrionum est, aliam personam foris referre, aliam intus ferre: nec fas est patrium cœlum exornare verbis, nova imbibere peregrina vitia, antiquam Germanorum linguam revocare Gallorum phantasma, consectari: vernaculum idioma cultu, exotica omnia moribus profiteri. Non estis sophistæ, ut stulto paralogismo ἀκροάσεως ἄνευ ποιήσεως Deum ludatis, vosmet lædatis: non sed aretologi, sed aretopæi, nullis vitiorum maculis aspersi, nullis virtutum infulis destituti: oculi estis ad honestatem duces, non lusci ἑτερόφθαλμοι, qui cum altero careant oculo, duplici laborant incommodo, vitio corporis ipso & dolore animi, cum ab aliis videri se non sine irrisione aliqua suspicantur. Non estis pictores, quorum carmina ut picturas sine fructu intueamur, vidisse contenti, sed editores fructuum justitiæ atque sincere καρποφόροι, digni societate carpophorica. Tametsi ea quæ dicturus sum, aures tuæ o Materne respuant: dicam tamen cum Fabio e celebri de oratoribus dialogo: cui bono est, si apud te Agamemnon aut Jason diserte loquitur, quis ideo domum defensus & tibi obligatus redit? Quis Salejum nostrum egregium Poetam, vel si honorificentius est, præclarissimum vatem deducit aut salutat, aut prosequitur; nempe si amicus ejus, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc secundum recurrat, aut ad te Materne, non quia Poeta es, neque ut pro eo versus facias. Hi enim Basso domi nascuntur pulchri quidem & jucundi: quorum tamen hic exitus est, ut cum toto anno per omnes dies magna noctium parte, unum librum excudit & elucubravit, rogare ultro & ambire cogatur, ut sint qui dignentur audire, & ne id quidem gratis: nam & do-

* *P. 1033. ad optimam poesin accommodari potest quod habet.*
** *Lud. Viv. in pseudodial. p. 279.*

domum mutuatur & auditorium extruit, & ſubſellia conducit & libellos diſpergit, & ut beatiſſimus recitationum ejus eventus perſequatur, omnis illa laus intra unum, aut alterum diem, velut in herba, vel flore præcepta, ad nullam certam & ſolidam pervenit frugem: nec aut amicitiam inde refert aut clientelam, aut manſurum in animo cujuſquam beneficium, ſed clamorem vagum. Et voces inanes & gaudium volucre. Eſtis denique θεῖον genus & ἐνθεαστικὸν, quibus Numen inſideat & quaſi inequitet, abſit ut tanto ſeſſori pes ſuperbus recalcitret. Eſtis equites ipſimet ſacri non acti, ſed & agentes. Nam dum hæc ſcribo, incidit haut importune ordo Francicus Equitum Spiritus Sancti, cujus tota ratio ſic habet. Invaluit more apud Reges Gallos veteri, ut a vulgo Nobilitatem diſtinguant, quam item dividere moris eſt in duos gradus, quæ proxime Regi accedit, prima nobilitas dicitur: proxime vero accedit quæ per Regum munificentiam aucta eſt ab omni ævo: Sic Reges probe comparaveris ſoli, ut illuſtrant proximos, ut remotis parce & maligne lucent. Secundi gradus Nobilitas eſt, quæ ex propriis reditibus parce & privatim vivit, non vacans commercio quale exercent Mercatores vile in Gallia hominum genus. Regii ordinis Equites in primo Nobilium gradu habentur (Principes eximo & Pares Franciæ naturæ & feudi prærogativa præcipuos.) diſtinguitur a reliquis Nobilibus Eques per annexam cruci cæruleam vittam, quæ e collo pendet nunquam deponenda: hujus medium tenet Sanctus Spiritus, ſub imagine Columbæ, paſſis alis effuſus in argenteum ſolem, ita velleris aurei Hiſpania: ita equites periſcelidis agnoſcit magna Britannia; Sæpe id virtutis præmium eſt, ſæpe beneficium aut gratia Principis. Videor hic mihi Auditores tot equites videre Spiritus Sancti quot Poetas Chriſtianos: non illis ſolum vinum caballus eſt coercendus ne ejiciat ſeſſorem incitatus: ſed omnis animi perturbatio & vana cupido compeſcenda. Verum enim vero, ne quis e circumflua hac ornatiſſimorum Juvenum corona ſe eximat, ſibique tacitus gratuletur, quod propitia nunquam vena fuerit uſus, quod a poeſi per naturam abhorruerit, quod, verbo dicam, Poeta non ſit, omniaque hæc monita tanquam a ſe aliena reſpuat. Is ſolum illud Jacobi cogitet γίνεσθε ποιηταὶ λόγȣ, ϗ μὴ μόνον ἀκροαταὶ παραλυγιζόμενοι ἑαυτοῖς, omnes Dei poema ſumus, omnes igitur Poetæ, vena poetica paucis conceſſa eſt, ab omnibus fructus exigitur, non omnes Deo inequitante incaleſcunt, ad carmina, incaleſcere omnes oportet ad ſtudiorum ac pietatis concentum. Quam vellem, hic hortatore non opus eſſe omnemque hortationem expectationis magnitudine, expectationem ipſam factorum gloria ſuperari. Videte flores Teutonici, quid a vobis patria ſiti veteris ubertatis pœne exuſta, ac niſi Deus medicinam cito faciat deſperata, interruptis ac fere morientibus vocibus aut potius ſingultibus extremo in ſpiritu poſtulet: ſatis hactenus ceciniſtis, nunc facite? Unica hæc ad gloriam ſempiternam via: unca damnis reſarciendis medicina. Exſtat nunc inter nos veterum poetarum aliquis, ex orco redeat & renunciat utrum ſe verborum, an factorum poetam fuiſſe malit; Effluxit quod ambierunt, ſempiternum eſt, quod neglexerunt: vivunt inter nos eorum poemata: ipſi interim æternis! non lubet totum dicere, quia contremiſco.

Tu vero o Poetarum Poeta, Spiritus Sancte, dulcis hoſpes animæ, cujus illuſtre & memorandum poema totus mundus eſt, quo inſpirante gaudet, pangente, numerante, metante jubilat: cujus poema eſt Eccleſia Chriſtiana poema hæc inclyta Auditorum corona; tuis χαρίσμασι tanquam gemmis decorata: te digito Dei efformata: Te quæſumus ſupplices, ut quod ſemel pepegiſti carmen divina arte nunquam diſſolvi patiaris, majoribus in dies e cœlo ornamentis expoliendum. Diſturbatos male patriæ verſus in ordinem redige, diſſutos conſue, horride colliſas ſynalæphas elide: doce nos tuam Proſodiam ac intimis pectoribus inſtilla, ut ejus ſecuti regulam factis æque generoſis ac verbis copioſis poeticemur. Fac ut hic prædiſcamus ac præcipiamus cœlitum carmina nova e novis inventa parturientia, e vena nunquam effœta, in ejus laudem, de quo non deerit unquam quod cantetur, cum ſatis eſſe non poſſit, quod cantatur, Amen!

AUGUSTI PFEIFFERI
DIATRIBE
DE
POESI HEBRÆORUM
VETERUM ET RECENTIORUM
RECOGNITA.

I. N. D. N. J. C.

CL. *Guido Pancirollus* posteritati reliquit duos utilissimos *rerum memorabilium* libellos, quorum priori *deperditas*, posteriori *noviter inventas* recenset. Eum in præsenti imitari liceret, ubi *Poesin Hebræorum veterem* eruderare, *novam* ad posteros transmittere jubemur, si ea fuisset *Poeseos antiquæ* felicitas, vel ea esset *novæ* dignitas, quæ rerum a *Pancirollo* descriptarum. At vero illa ita deleta est ex omnium mortalium memoria & plusquam Cimmeriis sepulta tenebris, ut alii quidem dubitarint, num ulla fuerit, alii audaciores paulo ejus rudera investigaturi a janua aberrarint, plerique de re universa desperarint. Quin ipsi Judæi hic talpis cœciores & tam muti fere sunt, ut unanimi conspiratione totius quæstionis decisionem in Eliæ adventum distulisse videantur. Contra recentiori suæ Poesi, ex aliarum linguarum κακοζηλίᾳ excogitatæ, quidam provectam ætatem quibuscunque modis conciliare conantur, cum tamen recentiores omnino redoleat natales. Nos tamen de utraque Deo auspice, verba facturi nec ea nos efferimus, quod ille dicebat, ἱπποτυφία, ut, cum omnes cœcutiant, nos solos putemus lynceos, nec recentioribus verpulis abblandiemur, verum ita nos geremus, ut, quæ post quasdam meditationes sese obtulerunt, citra φιλοκαινίαν, a qua nos alienos profitemur, debita modestia eruditi orbis arbitrio atque censuræ exponamus & recensitis aliorum latis sententiis, in libera Republ. nostrum quoque votum & ἐπιβάλλον μέρος adjiciamus. Quod dum molimur, divinam παράστασιν toto pectore expetimus supplices.

CUM autem nobis semper probi visi sint Cretenses illi, quos *Plato* ait πολύνοιαν μᾶλλον, ἢ πολυλογίαν ἀσκῆσαι, nolumus lectorem anfractuosa præfatione morari, sed rem ipsam aggressuri, στάσιν συῤῥάξεως determinabimus. De duobus ergo solliciti erimus: Primo *An ulla fuerit veterum Hebræorum Poesis & quæ ratio veterum carminum?* Deinde *Quam recens Judæorum ars versifactoria agnoscat originem?*

Qu. *Num Psalmi Davidici metrice conscripti sint, & in quo ratio metri consistat?*

VExatissima est quæstio, de qua bona cum Lectoris venia aliquanto fusius liceat nunc exponere mentem aliorum & nostram.

SENT.

SENT. VAR.

1. Josephus Scaliger non modo Ebræorum metricam ullam unquam fuisse, verum etiam esse potuisse negat. Verba ipsius in hanc sententiam in *Animad. ad Chron. Eusebii pag. 6. b* ad illa Hieronymi, *Quid Psalterio canorius*, &c. hæc sunt: *De Psalterio magis miror, cum neque in eo neque Threnis ullum canticum sit metricis legibus adstrictum, sed mere soluta oratio, charactere poetico animata. Quin Esaiæ & aliorum Prophetarum oratio instar Poeseos aliquando figurata est, quam tamen propterea Poesin esse non recte dixeris. Solum Canticum Moysis extremo Deuteronomio, Proverbia Salomonis, & totus fere liber Job quadam rhythmi necessitate cohibentur, qui rhythmus est instar duarum dimetriarum Jambicarum, & tinnulus accedit ad aures. Sed aliquando pauciorum sunt syllabarum, aliquando plurium, quales Græcorum* στίχοι καταληκτικοὶ, βραχυκαταληκτικοὶ, ὑπέρμετροι *: non utique quod compositio fiat* κατ' ἰσοχρονίαν*, ut in Græcis solet; neque enim hoc exprimi potest idiomate Ebraico, sed quantum sententia postulat, rythmus nunc largior, nunc brevior*, &c. *Nam, ut in Ebraico, Syriaco, Arabico, & Abyssino idiomate ulla metri species concipi possit, nemo efficere potest; quia id natura sermonis non patitur*. Verum enim vero quid de metris veterum Hebræorum sit, nullam metri speciem in Hebraico, Syriaco, Arabico, & Abyssino idiomate concipi posse, quod id natura sermonis non patiatur, ea demum nimis liberalis assertio est. Nam dantur in Lingua Hebræa vocales breves & longæ, quid quæso obstat, quo minus ex iis nascantur syllabæ breves & longæ, ex harum dispositione pedes, & ex horum dispositione varia carminum genera? Et de Arabico idiomate ego magis miror, quod & illud metrum non admittere dicat Scaliger. Quomodo enim poterat virum Ἀραβικώτατον fugere metri Arabici ratio, quam exposuerunt luculenter Phil. Guadagnolus in *Arte Metrica*, *Institutionibus suis Arabicis* adjecta, Samuel Clericus in *Prosodia Arabica*, *cum Carmimine Tograi a Pokokio illustrato*, *Oxonii edita*, M. Joh. Fabritius *Appendice de Poesi Arabarum*, *Specimini* subjuncta. Demus tamen Hexametra & Pentametra ad analogiam Linguæ Latinæ vel Græcæ ab Hebræo Arabicove idiomate haud admitti, quis dicat idcirco nullam metri speciem concipi posse? Conf. contra eundem Alstædius *Triumph. Bibl. pag. 262. 263.* Alias Scaligero metrum omne in Scriptura neganti aures substringit clariss. Bohlius *Disp. 1. pro ministerio sensus ex accentibus metricis th. 16. seq.* ubi inter cætera dicit: *Statuo ergo in prædictis libris* אמ"ת *non esse* μέτρον, *sed* μετροειδὲς, *& si ad manum esset vocabulum vilius, adhiberem sane*. Ita & clariss. Wasmuth. *Instit. Accent. pag. 14.* in libris, qui vulgo metrici dicuntur, *nullum dari metrum Poeticum*, ait, *nisi forte ex accidenti*. Nec abnuit D. Dorschæus *Pentad. pag. 69.*

2. Plerique alias μετρικός τι ὁμοθομαδὸς concedunt, causasque, quare Deus doctrinam talibus libris contentam numeris includi voluerit, non unas reddunt. Primo enim id factum ajunt, ut testimonia de præcipuis fidei articulis & vitæ regulis certa & incorrupta exstarent, & transmitterentur ad posteros, cum quæ numeris comprehensa sunt, ita cohæreant & nexu mutuo colligata sint, ut, si syllabam mutes vel dictionem demas, mox error deprehendatur. Deinde ita consuluisse Spiritum Sanctum humanæ imbecillitati, quod numerorum concinnitas juvet memoriam, nec ita facite effluant, quæ numeris adstricta sunt, quam oratio soluta. Denique id factum, ut de harmonia omnium actionum in vita moneremur. Conf. Waltherus *Offic. Bibl. Rep. post. th. 2. §. 889. pag. 967.* & cur in specie Psalterium metrice conscribi debuerit, Alstedius *Triumph. Bibl. pag. 264.* disquirit. Verum sic universa Scriptura Sacra metrice conscribenda fuisset, si prima præsertim ratio militaret. Illam vero citra metrorum subsidium incorruptam esse ad nos transmissam, ita ut ne minimum quidem Jota transierit, confidimus. Cæterum qui metrum in Psalmis aliisque Scripturæ Sacræ libris constituunt, non eadem parrhesia utuntur. Quidam enim suam simpliciter hic fatentur ignorantiam, uti Fr. Junius & Val. Schindlerus in *Gramm.* Lud. Lusitanus *Quæst. de Carm. Davidis*, Bellarminus *Instit. Hebr. P. 3. cap. ult.* Alstedius *loc. cit. pag. 265.* & alii. Ante eos idem ingenue prolocutus est Augustinus, dum *Tom. 11. Epist. 131. ad Mumerium* ait: *Quibus numeris constent versus Davidis, non scripsi, quia nescio. Neque enim ex Hebræa Lingua (quam ignoro) potuit etiam numeros Interpres exprimere, ne metri necessitate ab interpretandi veritate amplius, quam ratio sententiarum finebat, digredi cogeretur. Certis tamen eos constare numeris, credo illis, qui eam Linguam probe callent. Amavit enim vir ille sanctus Musicam piam, & in ea studia nos magis ipse, quam ullus alius, accendit.*

3. Confidentius loquuntur e Veteribus illi,

illi, qui Hexametra, Pentametra, & Lyrica carmina in Sacro Codice conſtituunt. Joſephus *Antiquit. Jud. lib.* 2. *cap. ult.* Καὶ Μωϋσῆς ᾠδὴν εἰς τὸν Θεὸν, ἐγκώμιόν τε ϗ τῆς εὐμενείας εὐχαριστίαν, ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ συντίθησιν: Et *lib.* 4. *cap. ult.* Ἔπειτα ποίησιν ἑξάμετρον αὐτοῖς ἀνέγνω, ἣν καταλέλοιπεν ἐν τῷ βιβλίῳ τῷ ἱερῷ. Et *lib.* 7. *cap.* 12. Ἀπηλλαγμένος δ' ἤδη πολέμων ὁ Δαβίδης ϗ βαθείας ἀπολαβὼν τὸ λοιπὸν εἰρήνης ᾠδὰς εἰς τὸν Θεὸν ϗ ὕμνους συνετάξατο μέτρου ποικίλου. Τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησεν. Joſepho ſuccinit venerabilis Patrum chorus. Euſebius Παρασκ. Εὐαγγ. *lib.* 11. *cap.* 3. Εἶεν δ' ἂν αὐτοῖς ϗ ἔμμετροι ποιήσεις, ὡς ἡ μεγάλη Μωσέως ᾠδὴ ϗ τοῦ Δαβὶδ ὀγίη ψαλμὸς τῷ καλουμένῳ παρ' Ἕλλησιν ἡρώῳ συντεταγμένοι. Φασὶ γοῦν ἑξάμετρα εἶναι ταῦτα δι' ἑκκαίδεκα συλλαβῶν πεποιημένα. Καὶ τὰ λοιπὰ δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς, δι' ἐπῶν λέγεται τριμέτρων τε ϗ τετραμέτρων κατὰ τὴν οἰκεῖαν αὐτῶν συγκεῖσθαι φωνήν. Compertum id erat Juliano Apoſtatæ: inde, teſte Cyrillo Alexandrino *contra Julianum lib.* 7. *ſect.* 2. *Diſciplinarum*, dicebat, *ſtudium, in liberalibus artibus exercitatio, non ut Hebræorum, ſunt rudia & barbara; quamvis malus Euſebius velit eſſe quædam apud eos hexametra.* Hieronymus autem non in uno idem profeſſus eſt loco. Ita *Tom.* III. *Epiſt. ad Paulinum* de Jobo ait: *Proſa incipit: verſu labitur: pedeſtri ſermone finitur.* Ac de Davide ibidem: *David Simonides noſter, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus,* Chriſtum *lyra perſonat, & in decachordo Pſalterio ab inferis excitat reſurgentem.* Et *Præf. in Jobum: Quod ſi cui videtur incredulum, metro ſcilicet apud Hebræos & in morem noſtri Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel Pſalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia ferme Scripturarum Cantica comprehendi, legat Philonem, Joſephum, Origenem, Cæſarienſem Euſebium, & eorum teſtimoniis me verum dicere comprobabit.* Porro *ibidem* a *c.* 3. *verſ.* 2. uſque ad *cap.* 42. *verſ.* 6. ait: *Hexametros verſus eſſe dactylo ſpondæoque currentes, & propter linguæ idioma crebro accipientes & alios pedes non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum.* Et *Præf. in Chron. Euſeb.* dicit: *Salomonis & Jobi ſcripta Hexametris & Pentametris conſtare.* De Pſalterio vero hæc habet: *Quid Pſalterio canorius? Quod in morem noſtri Flacci & Græci Pindari nunc Jambo currit: nunc Alcaico perſonat: nunc Sapphico tumet: nunc ſemipede ingreditur.* Sic & Iſidorus Hiſpalenſis *Orig. lib.* 1. *cap.* 18. *Jobum hexametro verſu, dactylo ſpondæoque decurrere* ſcribit. Verum quomodocunque rem aggrediamur, ſub leges conſtantes Hexametrorum & Pentametrorum ſacra carmina cogere non poſſumus. Quod enim Marianus Victorius Reatinus *Not. ad Hier. Epiſt.* CXVII. dicit, *ſe reperiſſe ex Hieronymo, Hexametros verſus ex ſpondæo, dactylo, & aliis pedibus, trochæo, jambo, & proceleuſmatico currentes*, id ipſi ſane concedemus, interim certum eſt, Hexametrum carmen non denominari ub uno vel altero Hexametro verſu, qui & in proſa oratione per accidens occurrere poteſt, ſed a perpetua iſtius menſura obſervatione. Proinde iſta veterum Autorum teſtimonia apud peritiores plus admirationis, quam aſſenſus, hactenus obtinuerunt. Neque nude aſſerere, ſed probare debuiſſet Polyd. Virgilius *de Invent. rerum lib.* 1. *cap.* 8. 9. *p. m.* 36. Moſen Hexametrorum inventorem eſſe.

4. Recentiores proinde non una rem aggreſſi ſunt via. Neminem quidem ita cum ratione inſanire credimus, ut ſerio cenſeat libros, quos pro metricis habent vulgo, conſtare carmine metrico rhythmico. Utut enim Theodorus Ebertus *Poet. cap.* 2. *pag.* 39. *ſeq.* verſus quoſdam hodiernis Judaicis analogos ex *Pſal.* VI. 2. VIII. 5. CV. 20. CVI. 5. CXVI. 7. CXVIII. 25. CXIX. 30. CXLVI. 7. *Job.* XXI. 4. *Prov.* XXIV. 19. 1. 8. producat, illi tamen caſuales ſunt, & nihil probant in rem præſentem, ſed argumentum conficiunt a particulari. *Una hirundo non facit ver*: unus vel alter verſiculus librum metricum non arguit. Alias metrice conſcriptum quoque eſſet Nov. Teſtamentum, ubi reperies Jambos *Matth.* VII. 7. &c. Pentametros *Luc.* XIV. 30. *Rom.* VI. 13. Hexametros *Luc.* XXI. 18. &c. in medio oratione ſoluta. Sic in Verſione Germanica Luth. *Geneſ.* XXVI. 8. Daſz Iſaac ſcherzet mit ſeinan weibe Rebecca. Cæterum R. Chanania Ibn Jakar Pſalmos Davidicos rhythmice tranſtulit & *Tehille Theillim* ſeu *Pſalmos Pſalmorum* vocitavit, uti refert Hottingerus *Bibl. Orient. pag.* 50.

5. Lubet vero nunc aliorum e Chriſtianis vota colligere. De Vatablo ait Mercerus *ad cap.* 3. *Jobi: Accepi D. Vatablum (laudandæ memoriæ) rationem intellexiſſe verſuum omnium Jobi & Pſalterii, & ejuſdem Canones ad facilius eorum rationem intelligendam præſcripſiſſe, ut:* Quod nulla ſit Hebræis poſitio; quod Scheva ne geminum quidem pro aliquo computetur: *& alia hujuſmodi, quæ ſperamus aliquando proditura.* Sed ſepulta ea ſunt cum Autore ſuo.

6. Andreas Maſius *ad Joſ. c.* 10. *p.* 185. fatetur, *ſe in metrica Hebræorum inveniendа nonnihil ſtudii, ſed fruſtra poſuiſſe*, ex

ex verbis tamen *Joſuæ cap.* x. שמש בגבעון facit jambicum Tetrametrum acatalectum, ſi modo in primo ſcribatur השמש & והירח in tertio vero שמש & שמים, illic appoſita, hic ablata litera He, ut mendoſa ſit hodierna lectio. Verum maneat potius æternum ſepulta Poeſis, quam ſacrarum Literarum ſolicitetur integritas.

7. Marianus Victorius Reatinus *Not. ad Hieron. Epiſt.* CXVIII. ut ſupra vidimus, ſe ex Hieronymo Hexametros reperiſſe refert, & de carminibus Hebraicis in genere addit, *ea non pedum regulis, ut ſit apud Latinos atque Græcos, coarctari, ſed libere fluere, ut Etruſcorum carmina ſoluta; in Cantico Canticorum occurrere verſus Leoninos*. Verum Hexametros nos hodie fruſtra quærimus, & licet per accidens unus vel alter detur, rem nondum conficit; carmina autem ſoluta manifeſtam involvere contradictionem exiſtimamus, a quibus non multum abeunt ſemiſoluta illa, qualia Italis *verſi ſciolti* vocantur, quæ etiam Anabaptiſtis, neſcio quibus, ſacra carmina negantibus, ingerit Sixt. Senenſis *Biblioth. lib.* 8. *pag.* 794. 1.

8. Joh. Crojus *Obſ. in Nov. Teſt.* cum nonnihil de Euſebii, Hieronymi aliorumve ſententiis dixiſſet, ſequentia ſubjicit *p.* 96. *An iſtæ Hieronymi & Euſebii obſervationes in omnibus veræ ſint, & utrum cum Rabbinorum ſententia conveniant, non eſt hujus loci diligenter diſquirere. Qui libros Moſis legerunt, ac Moſis Maimonidæ & reliquorum Rabbinorum de libris Legis ac de eorum ſcribendorum ratione traditiones conſuluerunt, ſciunt, quomodo Judæi Canticum Moſis ſcribant. Illud non ſcribunt continua vocum & verſiculorum, quibus conſtat, ſerie, ut reliquas legis partes; ſed inciſum & per commata duarum vocum, modo quatuor, modo quinque, modo ſex: hoc modo:* אשירה ליהוה כי סוס ורכבו רמה בים עזי וזמרת יה נאה &c. *Eadem prorſus ratione veteres Græci libros Scripturæ qui* ϛιχήρεις *dicuntur, ſcribebant, ut patet non ſolum ex editione Jobi, quam Patritius Junius e codice manu Theclæ exarato, ante quinque annos exhibuit, verum etiam e pluribus aliis MSS. codicibus, quos vidimus*. Huc uſque ille. Verum ſi Vir Clariſs. autumat inciſionem illam Canticorum inſtitutam eſſe ex τάξει Metrica, oppido fallitur. Eſt quippe ejus tanta varietas, ut nimis credulum eſſe oporteat, qui modum iſtum ſcribendi Judæis uſitatum (de quo conferri poteſt Maimonides *in Hilcot. Sepher. Tora c.* 8. nec non D. Carpzovius *ad Schick. p.* 113.) ſtatim concludat eſſe metricum, nimis lynceum vero, qui videat. Eruditi judicent & excogitent ſimul rationem, quare libri, qui vulgo metrici creduntur, ad eum modum ab iis non exarentur. Cæterum ſingulos verſus, ſi qui fuiſſent, veterum Hebræorum finitos eſſe cum Silluk, non inepte colligitur e *Pſ.* CXXXVI. aliiſque intercalatis textibus.

9. Laurentius Fabritius ז"ל *in Metrica c.* 4. *p.* 26. *ſeq.* tradit, in libris metricis quamque pericopen in duo hemiſtichia dividendam eſſe, unumquodque vero hemiſtichium duabus abſolvi dimetriis vel quatuor dipodiis, id quod in Jobo, & Proverbiis prope exacte obſervari ait: nullam autem temporis vel quantitatis rationem eſſe; Rhythmum itidem concedit, ſed diſtinguit Rhythmum veterem a novo: illum (qui vero ex ejus hypotheſi nil minus quam per Rhythmus eſt) non hunc reperiri dicit. Verum cum ipſe Vir doctiſſimus magnam occurrere varietatem, quin & nonnunquam orationem ſolute & libere fluere fateatur, fidem invento adhibeat, qui poteſt. Nos periculum fecimus in Jobo & Proverbiis, & edocti ſumus, rationem a *Fabritio* præſcriptam conſtanter haud obſervari, ſed ſtante ejus hypotheſi plerumque Metra ſacra fore ἄμετρα, qualia pro ingenii tarditate nondum concipere poſſumus. Sane ſi Scheva quodcunque jam reſolvas, & pro vocali habeas, jam nihili ducas, prout res fert, procedit res aliquandiu. E. g. *Prov.* 1. 2. ad 9. h. m.

2.	*Lada*	*at choch*	*ma u*	*muſar*
	Leha	*bin i*	*mere*	*bina.*
3.	*Laka*	*chat mu*	*ſar ha*	*ſcekel*
	Zedek	*umiſchpat*	*u me*	*ſcharim.*
4.	*Lathet*	*liphta*	*im o*	*rema*
	Lena	*ar da*	*at um*	*ſimma.*
5.	*Jiſchma*	*chacam*	*vjoſeph*	*lekach*
	Vena	*bon tach*	*buloth*	*jikne.*
6.	*Leha*	*bin ma*	*ſchal um*	*liza*
	Dibbre	*chacha*	*mim uchi*	*dotham.*
7.	*Jirat*	*Jova*	*reſchith*	*daath*
	Chochma	*umuſar*	*evilim*	*baſu.*
8.	*Schema*	*bni mu*	*ſar a*	*bhicha*
	Val tit	*toſch to*	*rat im*	*mecha.*
9.	*Ki liv*	*jat chen*	*hem lro*	*ſchecha*
	Vaa	*nakim lgar*	*gero.*	*thecha.*

Verum in *verſ.* 10. 11. ita & in aliis aqua certe hærebit.

10. Eodem fere inclinat Clariſs. D. Nic. Petræus *Metric. Hebr.* §. 2. *obſ.* 3. qui & alia habet partim calculo digna, partim carbone notanda, *Obſ.* 7. ait: *Tenendum eſt librum Pſalmorum magna ex parte, Canticum vero Salomonis & Threnos*

Je-

Jeremiæ plane ἀμέτρως esse, seu oratione tota prosa constare, quare operam suam ludit, qui numerum & rhythmum ibi quærit, ubi nullus est. Jobum vero & Proverbia Salomonis facili negotio dimetiris, si nonnunquam in priore, nonnunquam in posteriore versuum membro, Syllabam aut pedem integrum desiderari vel abundare advertis. Verum enim vero, si ullum metrum in sacro Codice esset, id in Psalterio & Cantico Canticorum reperiretur. Nam si istos libros fatearis esse ἀμέτρως & Prosaicos, nescio, quæ nos cogat ratio, ut in Jobo & Proverbiis metrum concedamus, præsertim tale, quod nullam statam rationem habet pedum & Syllabarum.

11. Theod. Ebertus *Poeseos veteris formam primitus solo temporum numero circumscriptam & occulta accentuum dispositione constitutam fuisse Poet. Hebr. c. 2. reg.* 3. ait. Et præsertim quoad posterius Vir Clarissimus oppido fallitur. Si enim accentuatio metrica esset de formali ratione metri Sacri, utique a textu metrico abstrahi non posset, id autem fieri posse, tum Canticum Canticorum, tum cantica heroum & heroinarum V.T. tum Psalmus 18. recensitus 2. *Samuel* 22. satis luculenter testantur.

12. Post alios autem in Poesin sacram multo labore & studio indefesso inquisivit Vir *Clariss. D. Franc. Gomarus* Prof. Groeninganus, evulgavitque *Lyram Davidicam* seu novam Hebræam Scripturæ Sacræ artem Poeticam canonibus suis descriptam An. 1637. quod opusculum & inventum ejus *Joh. Buxtorfius, Dan. Heinsius, Lud. de Dieu, Const. L'Empereur, Hottingerus* & alii Philologi passim comprobarunt & commendarunt. Favet eidem quoque haud obscure Waltherus *Cent. Miscell. Theol. num.* 60. ut & *Orat. de Eloquent. Sacr. Literarum*, quæ addita est pari *Differt. Theol. p.* 102. Præcipuæ vero D. Gomari hypotheses seu regulæ sunt sequentes I. Syllabas longas fieri ex vocalibus longis, breves ex brevibus, adeoque nullam plane esse Syllabam ancipitem vel communem præter ultimam *p.* 21. 22. II. Vocales raptissimas tres seu tria Schevajot composita etiam facere Syllabam brevem *p.* 21. III. Nullius Scheva simplicis nec mobilis nec quiescentis ullam rationem in Poesi vel carminum scansione haberi *p.* 21. IV. Hebræis nullam esse positionem *ibid.* V. Varia posse dari carmina ex variis pedibus disposita vel pura, vel mixta, vel brevia, vel longa, vel analoga, vel anomala, vel excessu vel defectu imperfecta &c. *p.* 26. VI. Carmina Hebræorum esse ἄτακτα, inordinata, absoluta, non relata, seu carmina Hebraica multis generibus inordinate & promiscue, non recurrentibus certis numeris vel locis constare *p.* 97. Verum enim vero edidit Anno 1643. *Lud. Cappellus* Prof. Salmuriensis *Animadversiones ad novam* illam *Davidis Lyram*, ubi inter alia *p.* 50. sequentibus eam notat verbis: *Si sic licet ἀναλύειν* (D. Gomarus *resolvit sacra carmina*) *omnia versus fient, etiam quæ maxime videntur esse a ratione carminis aliena. Libri, inquam, omnes sacri, historici & quotquot non sunt neque ab ullo censentur esse carmine conscripti, juxta hanc methodum & analyseos rationem invenientur carmine scripti. Constant enim variis multisque periodis, periodi distinguuntur in cola, colon in commata, unum vel plura: commata enim omnia juxta hanc analysin erunt totidem versus, quorum alii poterunt dici jambici, alii Trochaici, quidam Sapphici, alii Dactylici vel Anapæstici, Choriambici, Jonici, Pæonici, Antispastici, iique erunt vel puri vel mixti, & mixti erunt vel analogi vel anomali: sicque carmina invenientur, vel perfecta vel imperfecta, atque ita erunt vel integra vel καταληκτικὰ, vel ἀκαταληκτικὰ, vel ὑπερκαταληκτικὰ &c. Eorumque alia erunt monometra, alia dimetra, alia trimetra, tetrametra, pentametra, vel hexametra. Juxta hanc resolvendi & dinumerandi viam atque rationem nihil non erit versus. Omnia invenientur carmine scripta, etiam Epistolæ Ciceronis, & Demosthenis Orationes: sic Titi Livii Libri, & Cæsaris Commentarii resolvi poterunt juxta hanc methodum in versus & carmina variorum generum, vaga & incerta, qualia vult esse sacra carmina vir magnus.* Hactenus Cappellus. Nec absimilis est censura magn. Dn. D. Calovii *Crit. Sacr. pag.* 377. *Si hæc*, ait ibi; *poemata sunt, in quibus syllabæ vel longæ occurrunt, vel breves, vel utræque, si nec legibus variantes, nec versus sibi mutuo respondeant ulla ratione, sive syllabarum numero, sive quantitate, seu singuli, seu in strophas redacti, nullusque adeo unius ad alterum sit respectus poeticus, nisi forte casu aliquo, denique quæ prorsus ἄτακτα sint, nullamque inter se habeant similitudinem, neque ἀνακύκλωσιν seu revolutionem, ut de his fatetur ipse Lyræ hujus inventor: nullum profecto caput in universo Codice Sacro erit, quin ea ratione sit poema quoddam, imo quicquid omnino dicitur scribiturque, poema evadet, nemoque erit, quin jactitare possit illud Poetæ:* Quidquid conabar, dicere, versus erat. Conf. & D. Danuhawerus *Hermeneut. Sacr. pag.* 445. Non inquam au-

autem iſtam in Gomarum, virum alias nobis æſtimatum, eſſe cenſuram, experimento infallibili probavimus, non animo viro doctiſſimo inſultandi, ſed oſtendendi conatibus etiam præclaris non ſemper reſpondere eventum. Orationem ſcil. Dominicam e Vulgata Verſione metricam juxta Gomari Lyram evincemus h. m. *Pater noſter*, *qui es in cœlis*, (carmen antiſpaſticum anomalon, mutato duplici antiſpaſto in duplicem epitritum primum, juxta Gomari *Lyram p.* 90.) *Sanctificetur nomen tuum*. (choriambicum mixtum ex epitrito quarto hypercat. *pag.* 69. 70.) *Adveniat regnum tuum*. (Jonicum a majori dimetrum mixtum *p.* 72.) *Fiat voluntas tua*, (Jambicum dimetr. brachycatal. *p.* 37.) *Sicut in cœlis & in terra*. (epichoriambicum, ex ſyzygia troch. trim. brachycatal. *pag.* 68. 69.) *Panem noſtrum quotidianum* (Dactylic. tetrametrum mixtum *pag.* 55.) *Da nobis hodie*. (Dactyl. trimetr. catalect. *pag.* 54.) *Et remitte* (Trochaicum monom. acatalect. *pag.* 42.) *Nobis debita noſtra*, (Dactylicum trim. mixtum *pag.* 53.) *Sicut & nos* (Troch. monom. *p.* 42.) *Remittimus* (Jamb. mon. perf. *pag.* 30.) *Debitoribus noſtris*. (Troch. dimet. catal. anom. *p.* 50.) *Et ne nos inducas* (Spondaic. trim. *pag.* 53.) *In tentationem*, (Troch. dimetr. brachycat. *pag.* 50.) *Sed libera nos a malo*. (Jamb. dimetr. *pag.* 33.) Tantum tamen abeſt, ut laborem viri clariſſ. improbemus, ut laudemus potius conatum. Lyram tamen ejus in multis deliraſſe (ut Dannhawerus at in *Herm. Sacr. pag.* 446.) & virum clariſſ. laboraſſe incaſſum, quis non videat? Annuit nobis vir clariſſ. & noſtris Muſis impenſe favens Ant. Borremanſius *Dial. de Poetis & Prophetis pag.* 31.

13. Quod ſi e Scholis Chriſtianorum jam tranſitum paremus ad Judæorum Synagogas, periculum facturi, num illinc reverti queamus doctiores, vel recedere ab eorum limine onuſtiores, occurrit primo loco Abarbenel doctiſſimus Hiſpanus, qui duplex carminum genus apud Antiquos in uſu fuiſſe ait: unum accomodatum eſſe ad certas melodias certis inſtrumentis muſicis competentes, ad quas Auctoribus ſemper reſpiciendum fuerit, cumque melodia jam brevior, jam longior eſſet, hinc quoque eos jam feciſſe לבנה על נבי אריח *Laterem ſuper lapide dimidio*, & vice verſa: jam אריח על נב-אריח *dimidium laterem ſuper dimidio*: jam denique לבנה על נבי לבנה *Laterem ſuper latere*: id eſt, ut pleniſſime ejus mentem explicemus, eos jam conjunxiſſe verſum longum cum brevi, cum melodia eſſet ex longiori & breviori compoſita; jam brevem cum longo pro ratione melodiæ, ita ut hac ratione verſus primus tertio & ſecundus quarto longitudine reſponderet: jam junxiſſe duos breves, jam duos longos. Alterum genus antiquorum carminum ratione ſtyli tantum a ſoluta oratione diſcriminat. Conf. ejus *Comment. in Exodum cap.* 15. R. Aſarias *in Meor. Enajim P.* 3. *cap.* 60. poſtquam varias, etiam Chriſtianorum Patrum, adduxiſſet ſententias, tandem concludit, antiquam Poeſin conſtituiſſe non in numero ſyllabarum vel pedum, ſed in numero rerum ſeu partium orationis, ſubjecti & prædicati, & ejus, quod illa copulat in unaqualibet enunciatione vel verſu. Sic in Cantico Moſis *Exod.* xv. 6. ימינך יהוה eſt juxta eum unus verſus conſtans duobus terminis: נאדרי בכח eſt ipſi ſimilis & cohærens: unde jam fit tetrametron, cui reſpondet alterum tetrametron ימינך יהוה תרעץ אויב, &c. Sed ſubjicit poſtmodum: *Non me fugit inveniri quoſdam verſus, quos non poſſum accomodare ad rationes ſeu modos iſtos, & forte nimis multos. Verum his obſervatis, intelligentes forte illuſtrabuntur & invenient, de quibus ego non cogito*. Auctor libri *Schilte Gibborim fol.* 3. *c.* 3. poſtquam non diſſimilia propoſuit iis, quæ ex Abarbenele produximus, notat ſe in quibuſdam antiquis parabolis, quæ ſimiles carminibus, inveniſſe in fine diſtichorum rhythmos, utplurimum antem numero ſyllabarum impari exiſtente, ut *Num.* XXI. 27. 28. aliquando canticum ſine rhythmo diſtichis numero ſyllabarum pari conſtans. Conf. & Auctor *Coſri P.* 2. §. 69. ad 79. & Buxtorfii filii *Mantiſſa ad eundem*, & quæ R. Moſes ben Chavif habet *in Darke Noan*, adducta a Buxtorfio patre *Theſ. pag.* 628. *ſeq.*

14. Nos antehac exiſtimavimus textus iſtos ſacros in libris vulgo dictis metricis poſſe ἐν πλάτει dici carmina, at neutiquam κατ' ἀκρίβειαν metrica, id eſt, ad leges Poeſeos ſeu Europææ ſeu Orientalis hodiernæ adſtricta, ſed ſcrupuloſiori quantitatis Poeticæ neceſſitate ſoluta, ad Muſicam tamen ita accomodata, ut quodlibet hemiſtichium, vel tertia quandoque vel quarta etiam periodi pars, certo & vocum & ſyllabarum numero contineatur, pro diverſa ratione melodiæ ad eum vocum ſyllabarumque tractum proportionatæ: ita tamen, ut nulla habeatur ratio ſeu rhythmi proprie ſic dicti, ſeu metri, id eſt, quantitatis ſyllabarum ſive e natura vocalium, ut fere apud Europæos, ſive ex ſyllabæ ſimplicitate & compoſitione, ut apud Orientales pleroſque, metiendæ, ſed tantum numeri ad melodiam pro-

proportionati; uti videmus cantiunculas quaſdam Eccleſiaſticas Latinas numero quidem ſyllabarum congruere ad certas & notas melodias, omnibus interim metricis legibus ſolutas. E. g. *Puer natus in Bethlehem*, &c. *Ad cœnam agni providi*, &c. *Surrexit Chriſtus hodie*, &c. *Spiritus Sancti gratia*, &c. Quo ipſo licet forſan nonnullis parum dixiſſe videamur, nobis tamen nunc nimium dixiſſe videmur. Deprehendimus enim nullum conſtantem ſive ſyllabarum ſive vocum numerum inire poſſe, quicquid tentetur. Si ad vocum numerum ſpectare velis, e. g. *Pſal.* x. deprehendens *verſ. 6.* in priori hemiſtichio tres voces, in poſteriori quinque, *verſ.* 1. 4. 15. 16. in priori quatuor, in poſteriori tres, *verſ.* 2. 3. 11. 13. 17. utrinque quatuor *verſ.* 7. priori quinque, poſteriori quatuor, &c. Si ſyllabarum numerum ſpectare velis, e. g. *Pſal.* IX. *verſ.* 2. 3. 8. 9. 10. 18. in utroque hemiſtichio habes dimetrum acatalect. *verſ.* 5. 13. 20. dimetrum hypercatal. *verſ.* 6. 11. 12. 16. trimetr. brachycatal. & cum alterutrius exceſſu vel defectu *verſ.* 7. 14. 15. 17. 19. Alibi vero diverſitas adhuc major occurrit Ὁμόψηφος nobis clariſſ. Leuſdenius *Phil. Ebr. edit. ſecund. p.* 81. qui amantiſſimis quoque literis ſuis conſenſum ſuum nobis teſtatus eſt.

DECISIO.

Poeſis veterum Hebræorum in ſelecta vocum & quodammodo proportionata ad Muſicam accomodatione conſtitiſſe videtur.

PROBATIO.

I. Carmina ſacra in Sacro Codice efferuntur terminis non inferentibus μετρικόν τι, ſeu μυσικόν τι, ſive cantum, puta שיר השירים, שור, מזמור, מזמור, ש׳ר, &c. E recentiori autem Judæorum ὀνομαθεσίῳ eſt, quod metra ſua ad Arabum ſimul & Europæorum methodum accomodata שירים vocitant.

II. Pſalmos certis melodiis accomodatos fuiſſe, e multis patet inſcriptoribus, quæ melodias inferunt applicabiles vel certis inſtrumentis muſicis, (de quibus infra aliquid dicemus) vel certis materiis, vel ad normam aliarum cantionum ſolis Judæis olim notarum & canone haud contentarum. Ex. gr. למנצח בנגינות *Pſalm.* 4. 54. 55. 67. 76. למנצח אל הנחילות *Pſal.* v. למנצח על השמינית *Pſal.* 12. 6. למנצח יזל הגתית *Pſal.* 8. 18. 84. למנצח על מות לבן *Pſal.* IX. למנצח על שושנים *Pſal.* 45. 69. 80. למנצח על עלמות *Pſal.* XLVI. למנצח אל תשחת *Pſal.* 57. 58. 59. 75. למנצח על שושן עדות *Pſal.* LX. &c. Et decantatos eſſe Pſalmos Davidicos alternis e *Pſalm.* CXXXVI. & *Eſdr.* III. 10. 11. manifeſtum eſt. Neque diſcrepantiam perſonarum in certis Pſalmis (de qua alias miros videas Interpretum fluctus) felicius declaraveris quam ſtatuendo dialogum Pſalmicum, ubi chorus choro reſpondet. Conf. *Pſal.* II. XXIV. XCI. 2. 3. 9. &c.

III. Quomodocunque res tenetur, uti teſtantur infelicia hactenus multorum pericula, proportio carminum ſacrorum neutiquam conciliabilis eſt cum Poeſi ſeu Europæa ſeu Orientali, hodie Arabibus, Perſis, atque Turcis uſitata, cui tamen videtur accedere debuiſſe propius, vel certe non prorſus ab eadem abludere. Certe quotquot in toto univerſo, quantum fando auditum, vel e ſcriptis notum, metra condunt, vel ſequuntur leges Arabum, vel Latinorum atque Græcorum, vel Germanorum atque Italorum. Carmina ſacra autem ad nullas omnino ex hiſce congruunt, quod nobis eſt ἄδηλον, adeoque ἀγώνιον. In gratiam curioſi Lectoris videamus, qua ratione carmina cudant omnes Aſiatici & Africani. Arabes (de quorum Poeſi infra dicemus) imitantur Perſæ atque Turcæ. Chaldæi & Syri in ſuis carminibus accedunt ad Germanos atque Italos. Nam rhythmum obſervant & ſyllabarum æqualitatem. E Carmine Chaldaico literis Eſtrangelo-Neſtorianis ab Abrah. Ecchellenſi *Lexico Æthiopico* Jac. Wemmers præmiſſo patet in laude poni in hoc genere μονόρυθμα. Nam omnia hemiſtichia terminatur in ܘܠܐ וחא, excepto ultimo finito ܠܐ חא, quod licentiæ poeticæ adſcribendum. Conferatur quoque Carmen Chaldaicum dialecto Targumica a D. Joh. Baptiſta Jona de Sapheta Galilæo, in Athenæo Romano Linguæ Hebr. & Chald. Profeſſore Pontificio, concinnatum, inter Elogia *Oedipo Kircherriano* in honorem Cæſaris Ferdinando III. præmiſſa octavum decimum. Idem de Syris obſervamus. Μονόρυθμον Carmen Syrum eſt *Oedipo Kircherano* præmiſſum a Stephano Aldohenſi Edenenſi Maronita, quod eſt inter Elogia XVI. & omnes verſuum fines ܠܐ habent: item alterum Hexaſtichon Abrah. Ecchellenſis præmiſſum *Lexico Wemmeriano*, cujus fines definunt in ; ר : quanquam tolerentur quoque πολύρυθμα. Conf. Carmen Syrum inter Elogia Kircheriana XIX. Maxime alias celebrantur apud eoſdem duo carminum genera, quorum unum dicitur *Jacobiticum*, alterum *Ephremiticum*. Illud conſtare ajunt e tribus pauſis, quarum

fin-

singulæ quatuor syllabarum esse debent, seu est hexametron, & rhythmus diversis se modis habet, vel ita ut prima pausa primi versus in fine ὁμοφώνως respondeat primæ pausæ secundi versus, secunda secundæ, tertia tertiæ; vel ut fines versuum modo congruant, &c. Hoc est quasi Anacreonticum heptasyllabum. Conf. Ath. Kircherus *Musurg. Th.* 2. *lib.* 8. *cap.* 7. *pag.* 129. De Samaritanis hæc habet idem *loc. cit. pag.* 133. *Samaritani in omnibus Hebraicam* (Poesin recentiorem) *imitantur, quamvis vix inveniantur libri apud eos Poetici, si paucos hymnos, quos in sacris Gazæi decantare solent, excipias, qui nescio quid Jambicum oleant, & ii quidem* ὁμοφώνως *consonant, sed in syllabarum identitate sibi non constant.* Porro Armenorum Poesis hodierna rhythmico-metrica est. Requirit enim non modo dispositionem metricam, sed etiam rhythmum seu similem sonum in fine cujusque hemistichii. Tale Carmen est Joh. Molini Armeni præfixum *Instit. Æthiop.* P. Jac. Wemmers, cujus quatuor priora hemistichia desinunt in *in*, posteriora quatuor in *al.* Decantatissimus alias inter ipsos Poeta est *Nierses* Patriarcha, cujus carmina sacra cum figuris Biblicis e ligno expressis possidemus. Sunt metrorhythmica, & quidem ut plurimum monorhythma, a *pag.* 1. ad 257. desinentia in *in*, a *pag.* 510. ad 599. in eal; aliquando tamen mixta, a *pag.* 257. ad 269. *seq.* Cæterum imitantur Armeni ratione metri & quoad genera carminum Poesin Latinam & Græcam, ceu constat e Poetica Armenica Clem. Galani, quæ incipit *Gram. pag.* 10. Sic & Plautus sua *Punica* in *Pœnulo Act.* V. *Sc.* 1. *seq.* sub Latinæ Poeseos regulas redegit, de quorum sensu & expositione conferri possunt, qui eam utut non pari successu tentarunt, Sam. Petitus *Miscell. lib.* 2. *cap.* 1. Sam. Bochartus in *Canaan pag.* 800. & Joh. Phil. Pareus *Comment. in Plautum*, ut & ii, qui quædam saltem attigere, Aldretus *Antiq. Hisp. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 270. & *de Orig. Ling. Castellanæ lib.* 3. *cap.* 7. Seldenus *de Dis Syris pag.* 14. Nic. Fullerus *Miscell. lib.* 4. *cap.* 4. Claud. Salmasius *lib.* 1. *Epist.* 18. *ad Hug. Grotium*, Melchior Goldastus *Epist. ad Pareum*, Grotius *Epist.* 13. *pag.* 237. Waltonus *Prol.* 3. *num.* 15. Thomas Reinesius in Ἱστορημένοις *Linguæ Punicæ*, Maycrus *Phil. Sacr. P.* 2. *pag.* 32. Theod. Ebertus *Poetic. Hebr. cap.* 3. *pag.* 81. Taubmannus *in Plaut. Pœn. Act.* V. *Sc.* 1. Joh. Vorstius *Phil. Sacr. P.* 1. *cap.* 11. *pag.* 285. De Æthiopum Poesi ita Anno 1670. Cal. Maji ad me scripsit nobiliss. Jobus Ludolfus, Consiliarius Serenissimi Ducis Saxonici splendidissimus, amicus & fautor meus colendus. *Cæterum de Prosodia Æthiopum tenendum est, quamvis carmina ament, multique insignes apud illos reperiantur Poetæ, & quidem omnes Christiani,* (*prout unum possideo, qui composuit Odas in Fastos Æthiopicos totius anni. Sanctorum omnium vitam breviter continentes*) *genera tamen eorum fere omnia sunt hypermetra sine certis legibus metricis, ne rhythmicis quidem satis exacta ratione habita. Si versus una eademque litera invariato ordine, prout in hexasticho hoc* (a nobis concinnato) *factum, constent, sufficit illi; adeo ut rude satis illis sit carmen & a prosa parum differens.* Conf. ejusdem *Hist. Æthiop. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 35. 38. Tantundem de Coptitis dicendum. In iis enim quæ mihi videre contigit, præter syllabarum æqualitatem (quantitate vocalium nulla ratione habita) & rhythmum nihil prorsus attenditur. Sinas porro Poeseos esse studiosissimos ad me perscripsit Clarissimus Dn. Andr. Muller Greiffenhagius, vir, si quisquam alius, Sinicæ scripturæ callentissimus, eamque Pentateucho suo annumerare, atque peculiari libro; quem *Xi Kim* vocant, hoc est *de Doctrina Poetica*, tractare. Misit idem descriptionem Sinicam radicis *Nisi*, in qua itidem aliqua reperiuntur poetica, præmissa formula, *Ko-yve*, id est, *Oda ait.* Est vero Poesis eorum rhythmica & syllabarum numerum observat. E. g. *Xàng yeù tienne taung*, *Hià yeù su hang*, id est, *Quod supra cœli aula est*, *Hoc infra* (sunt urbes) *Sucheu & Hangcheu*, id est, *Singui & Quinsai* P. Veneti. Conf. Mullerus *Comment. Alph. de Rebus Sin. pag.* 47. Cæterum non difficilia conditu in lingua illorum Mandarina carmina videntur, cum omnes voces desinant vel in vocalem, vel in M & N, vel NG, adeoque quasi sponte & citra laborem occurrerent rhythmi. In proverbiis quoque illorum aliquid ῥυθμοειδὲς deprehendisse mihi videor. E. g. *Ju chi que*, *Tau chi xin*, *Xe chi sin*. Anglice: *The Litterati governe the kingdom, the Thausi governe te body, and the Bonzi governe the heart, Literati gubernant regnum, Medici corpus, Bonzii cor.* Alvarez Semedo *cap.* 18. *San Kiao, ye tao.* Anglice: *The doctrines are three, but the raison of them is but one,* id est, *Dogmata* (Sinensium) *tria, sententia una.* Plura non addimus. Quodsi proinde metrum Hebraicum in Scriptura S. exstaret, quis credat id nullam convenientiam habiturum cum ullo metro Asiatico & Africano?

IV. Si unquam talis Poesis fuisset, qualem multi fingunt, quis credat eam ita ex omnium hominum memoria deletam, ut

ut nullam plane ejus mentionem fecissent Talmudici aliique antiqui Hebræorum Scriptores, ut nulla plane superassent penes posteros ejus rudera atque ἐρείπια. Nam quod neque vocalium neque accentuum meminisse dicuntur, quamvis illud simpliciter verum non sit, id mirum haud foret. Vocales & accentus omnium oculis patebant, nec moneri poterat de eorum præsentia, nisi luscus forte vel plane cœcus. At Poesis non erat exposita cuivis, quamvis oculatissimo. Textuum autem ad Musicam accommodatorum vestigia comparent, quæ saltem suspicionem faciant. Nam quod ex quadam κακοζηλίᾳ hodie Judæi sacros textus cantillant, inde procul dubio est, quod per patriam traditionem norunt olim cantillatos esse, utut nesciant quomodo. Quin potius Judæorum cordatiores judicant Poesin illam vulgarem, quæ certo syllabarum numero & mensura constat, majestati & excellentiæ Linguæ sanctæ & Legis divinæ parum convenire; qua de re conferantur, quæ Buxtorfius ex Autore *Cosri* aliisque habet *Mantissa* 2. *de Poesi Hebraica* præsertim *pag.* 424. 428. Iniquus vero est Genebrardus, dum *lib.* 1. *Chron. ad A. M.* 3106. *pag.* 111. culpam ignoratæ Poeseos conjicit in Masorethas Hebræorum, quod scilicet illi sua periodorum & membrorum dispositione metra sive mensuras versuum non modo neglexerint, sed & confuderint, qui vero minutiora ad superstitionem usque attenderunt, ut alibi ostendimus. Imo sic saltem Poeseos ratio peti posset e Psalmis intercalaribus, uti *Psal.* CXXXVI. ubi tamen non minus quam alibi omnis opera luditur.

V. Poesis ista Hexametra & Lyrica per ultimam analysin resolvitur in autoritatem Philonis, Josephi, & Patrum quorundam Christianorum. At num Philoni atque Josepho ἀνεβραισία jure impingi queat, non contendemus præfractius. Nisi tamen quædam ipsorum sint ὑποβολιμαῖα, vix possumus aliter pronunciare. Nam ἀναπολόγητα prostant in publicum παροράματα. Porro Hieronymus equidem Hebraismi haud rudis erat. At certe hic non credimus, quod alias de ipso vulgatum: *Neminem scisse, quod nesciret Hieronymus*. Cæteri testes Hieronymo paria non faciunt. Quomodo itaque hisce solis sensu & experientia reclamante credi posset, in Sacro Codice dari Hexametra? Itaque ut explicatius dicamus, quod sentimus, ad cantillationem textus illi, qui metrici habentur, accommodati sunt, non quidem scrupulosiori syllabarum enumeratione, sed conformatione sermonis. *Oratio est charactere poetico animata, h. e. oratio soluta, quæ stylo est pathetico, qualis est poeticus, etsi non numeroso. Et hoc sensu vocamus libros poeticos.* Ita bene Alstedius *Triumph. Bibl. pag.* 257. quanquam pro Hexametris Davidicis postea pugnet *pag.* 263. Hasce scil. leges sibi quasi præscripsere hujusmodi Scriptores. I. Ut periodos facerent breviores & contractiores, quæ quatuor, quinque, vel sex ad summum dipodiis utplurimum continerentur, neque tamen superstitiose annumerarent syllabas, sed sua uterentur quadam libertate, ut adeo numerum non poeticum, sed oratorium Spiritus Sancti, quibusdam textibus peculiarem, deprehendere liceat. II. Periodum quamlibet dividerent in duo hemistichia habentia sensum vel cognatum & similem, variatis modo phrasibus & adhibita alia vocum emphasi, vel relativum aut redditivum, vel oppositivum, &c. aliquando in membra tria, vel rarissime quatuor, continentia vel gradationem, vel specierum recensionem emphaticam, &c. quod factum videtur ideo, ut textus hujusmodi a duobus tribusve choris decantari alternatim possent. III. Ut selectum singularum vocum phrasiumve haberent atque charactere quasi grandi uterentur, pluribus adhibitis flosculis orationis, figuris amplificationis, &c. Sane qui attentius idque semel atque iterum velit quosdam Psalmos perlegere, e. g. *Psal.* LXXVIII. CV. CVI. similesve, advertet diversa Dei benefacta vel miracula diversis inclusa periodis contractioribus, quarum hemistichia vel membra sensu talem respectivum, redditivum, vel oppositum de se fundunt. Quale quid etiam advertere libit in Cantico Mariæ, vulgo dicto *Magnificat*, quod metrice conceptum non facile dixeris, at ob talem styli conformationem non minus apte cantillari potest, quam Psalmi Davidici. Ut adeo non male Luth. *Colloq. Sympos. cap.* 37. *p.* 475. 6. ad nostram mentem dixerit. Denn David wird auff der Harffen geschlagen haben / so wirds gangen seyn als das: *Magnificat anima mea Dominum*, in octavo tono. Certe si *Psal.* CXXXVI. recte consideres, advertes artificium Poeticum seu potius Musicum ejusdem situm esse in commoda intercalatione vocum כי לעולם חסדו, quæ semper constituunt posterius hemistichium, (ceu in Litania nostra: Erhör uns lieber Herre Godt /) cui prius eatenus est conformatum, ut numero vocum & syllabarum, non poetice, sed rhetorice utcunque respondeat; ex nulla tamen metri necessitate, cum verba sæpe petita sint e libris omnium confessione prosaicis vel certe apprime iisdem congruant. Conf. quæ-

ſo *verſ.* 8. & *9.* cum *Geneſ.* I. *16.* item *verſ.* 12. cum *Deut.* IV. 34. item *verſ.* 19. cum *Num.* XXI. 35. Ita *Pſ.* LXXII. 8. cum *Zach.* IX. 10. *Pſ.* LXXXI. 11. cum *Exod.* XX. I. *Pſ.* LXXXVI. 15. cum *Exod.* XXXIV. *6. Prov.* XX. 20. cum *Exod.* XXI. 17. ubi videbis textus ipſos proſaicos in libris, quos vocant, metricis reperiri, magno argumento, metrum iis haudquaquam ineſſe proprie dictum. Vidiſſe tale quid videntur Hebræi nonnulli ſupra laudati, & R. Samuel Arcuvoltus, qui *in Arugas habboſen cap.* 31. inter alia inquit: הנגונים modulationes *ſeu* melodiæ *ſunt duorum generum. Primum eſt illud, quando ea inſtituitur vel accommodatur vocibus reſpectu rerum: nam variatione vocum & ſonorum diſtinguitur ſermonis finis, diſtinctio, ejus continuatio, celeritas, tarditas, lætitia, triſtitia, dolor, admiratio, terror, & ſimilia. Et hæc modulatio præſtantiſſima eſt in Muſica: ea enim non tantum reſpicit ad voluptatem aurium, ſed etiam ut ſpiritum, animam, & vitam quaſi det rebus, quæ dicuntur. Hac ſpecie Muſicæ uſi ſunt olim Levitæ: abſque enim ea non potuiſſent accomodare & adaptare inſtrumenta muſica. Et hæc quoque competit canticis Linguæ noſtræ ſanctæ.* Huic non abnuit D. D. Calovius *Proleg. in Gen. pag.* 16. *Hæc explicatio*, ait, *noſtro judicio videtur proxime accedere ad rei abſtruſæ veritatem*. Neque diſſentit a nobis Dn. D. Varenius *Dec. Exod. pag.* 243. Ita inter alia, *Fuſtra*, inquit, *ſi de carminis hujus genere quæſtio ſit, Hexametri & Rhythmi hic finguntur, qui non ſunt niſi caſuales Sacræ Poeſi. In* I. *characteris majeſtate*, 2. *accuratiſſima membrorum, territoriorum, correſpondentia & portione*, 3. *pathetica elocutione, quam tum accentuatio, tum ſanctiſſima vocum geminatio, exclamatio*, &c. *attollit, vera Poeſis Biblica fundatur*.

Obvertunt quidem, quibus ſolet τὴν ὑπόθεσιν φυλάττειν. unum atque alterum, quo obtineant dari ſacra metra, κατ' ἀκριβέστερον. I. *Teſtimonia Scripturæ Sacræ*, Eſdr. III. 10. 11. 2. Sam. XXIII. 1. Eccleſiaſt. XLVII. 11. Ita Kercherus *Muſurg. T.* 1. *l.* 2. *c.* 5. §. 1. II. *Conſenſum veteris Eccleſiæ, Sedulii, Hieronymi, Ambroſii, Euſebii, Auguſtini, Athanaſii, Caſſiodori Prol. in Pſalt. cap.* 15. *Idem ibid.* III. *Veriſimile eſſe, Græcos ut omnem cæteram literaturam* (qua de re conf. Voſſius *de Arte Grammat.* & alii) *ita & Poeticam ab Hebræis didiciſſe. Idem ibid.* IV. *Inſtrumenta muſica præſupponere carmina. Idem pag.* 59. V. *Occurrere in libris metricis aliquid ſpeciem habens licentiæ Poeticæ, & ob aliquam metri neceſſitatem crebriores illic videri Ellipſes, Paragogas, &c.* VI. *Accentuationem illic eſſe plane diverſam & procul dubio metro accomodatam.* VII. *Stylum, characterem, genuſque dicendi eſſe Poetica.* Kircherus *pag.* 61. VIII. *Alias dicendum fore nulla eſſe ſacra carmina, quæ tamen Chriſtiani æque ac Hebræi concedant.*

Sed reſp. ad I. Loca iſta non inferre μετρικόν τι, ſed μυστικόν τι, quod & nos concedimus. Ad 2. Patres omnes (vix tribus exceptis) fuiſſe ἀνεβραίους, & ſic in præſenti cauſa judices inidoneos. Ad 3. Non valet conſequentia. Et ſi Græci ſuam Poeſin acceperunt ab Hebræis, oportet Hebraicam Poeſin ſimilem hodiernæ Græcæ fuiſſe. Faciat nunc quæſo Kircherus vel alius periculum, & Pſalterium juxta leges Poeſeos Græcæ reſolvat. Ad 4. Præſupponere non metra, (nam cantillamus quoque, *Puer natus*, &c. imo *Magnificat* Latinum, in quo nil metri) ſed aliquid ad Muſicam accomodatum. Ad 5. Ellipſes atque Paragogas non adhiberi ob neceſſitatem metri, ſed euphoniæ gratia, & obvias quoque eſſe in libris omnium confeſſione non metricis. Frequentiores autem eaſdem in libris metricis ita dictis non diffitemur, aſt non ob rigoroſe dictum metrum, ſed vel ob peculiarem dictionem, vel ob cantum ſeu potius proportionem textus cum melodia, ne ſcilicet hemiſtichia evaderent prolixiuſcula. Ad 6. Si ex accentuatione metrica æſtimandum foret proprii nominis metrum, ſequeretur (α.) *Canticum Canticorum* non eſſe carmen, quod tamen eſt canticum excellentiſſimum; habet enim accentuationem proſaicam. (β.) Eundem textum poſſe metricum eſſe & non eſſe: cum poſſit ſuſtinere accentuationem & metricam & proſaicam, ut patet *Pſ.* XVIII. & 2. *Sam.* XXII. Et ne illud quidem conceſſerimus ſecundum accentus, tanquam notas muſicas, Pſalmos cantillatos eſſe, ita ſcil. ut accentus exprimerent ſonos qua tales & formaliter, uti putant Apellæ, qui totam Scripturam Sacram ſecundum accentus tam miſero carmine diſperdunt, ut omnem catulorum chorum concinuiſſe dicas: quæ ſententia vel inde abſurditatis convinci poteſt, quod hac ratione idem cantus tribuendus ſit textibus jubilatoriis & ejulatoriis. *Ego autem non credo*, ait Bohlius *de Miniſt. Accent. metr.* §. 21. *nam fidem non facient mihi ſalebroſi Cantores qui*, Miſerere mei Deus, De profundis clamavi, *&c. conformant ad Courandam* (*ſi monſtrum in Lingua Germanica recte pronunciem*) *Gallicam, vel ad aliam cantiunculam impuriorum hiſtrionum.* (Prout Habeſſinos vocem *Halleluja* ſto-

ſtolide triſtibus & lætis applicate refert Job. Ludolfus *Hiſt. Æthiop. l. 3. c. 6. n.* 105.) Facilius admiſerim, accentus olim direxiſſe ſonos accidentaliter ratione intenſionis & remiſſionis, menſuræ, interjecti ſilentii, id eſt, indicaſſe, quando intendendus cantus & remittendus, quando & quamdiu continuandus ſonus, quando intercipiendus pauſa, vel aliter. Ad 7. Stylum ſimilem reperiri & in libris, qui metrici non perhibentur, ſcil. propheticis. Interim dici ex hypotheſi poteſt, in libris metricis ita dictis conciſiorem aliquando ſtylum eſſe, non ob metri, ſed ob cantus & melodiæ rationem. Ad 8. Proprie dicta metra in Sacra Scriptura haud dari, Scaligero aſſentimur. Interim concedimus cantica & carmina ἐν πλάτει accepta cantuive accomodata. In quibus itaque non eſt metrica, neque tamen mere ſoluta oratio, ſed ſyllabarum atque vocum certo numero ſeu proportione quadam ſaltem rhetorica ad melodiam adſtricta. Interim poſſumus hic & ubique æquo animo ferre cum ratione & modeſte diſſentientes. Et licebit poſt nos aliis, quod poſt alios nobis. Nec ullius ſententiæ ita tenaces ſumus, ut nequeamus abjicere, ſi non ſatis firmo tibicine videatur niti. Nunquam tam impotenter exoſculamur fœtus noſtros, ne degenerantes abdicare queamus. Verum duo adhuc mihi video objici poſſe, quæ operoſiori διαλύτει opus habent.

Primum eſt. *Quod non ſtatim neganda videantur metra, licet eorum ratio non cuivis compareat.* Ita Nierembergius *de Orig. S. S. l. 7. c. 6.* Nec deſunt, qui *metrorum ἀπορίαν in Maſorethicam periodorum diſtinctionem (quaſi ejus Autores metricum ordinem turbarint)* cum Genebrardo, vel *in puncta vocalia* culpam cum Scrieckio conferant. Ita dejeraret rei imperitus, niſi monitus diſtinctis metrorum ſpatiis ſcenas, quaſdam in Comœdiis Terentianis proſaice eſſe conſcriptas, quod & dicendum de quibuſdam Odis Horatianis & Pindaricis, quarum ratio metrica non ſtatim cuivis eſt manifeſta, neque tamen ideo neganda omnino. Ita Eraſmus in lepido Colloquio, cui titulus *Impoſtura, p. m.* 490. exemplum exhibet metrorum ab incautiori pro ſermone familiari & proſo acceptorum. Verum quod ad inſtantiam iſtam de verſibus Comicis, non nego aliquando ita comparatos eſſe, ut metrum legitimum oſtendere difficile ſit. Gaudebant enim Comici infinita propemodum libertate, *ut ſermo eorum propter diverſorum pedum varietatem diu pedeſtris habitus fuerit*, ut inquit Eraſmus *de Metris Comicis :* imo ipſi Comici uti ſermonis genere, ita etiam quandoque ſyllabarum ordinatione pedeſtrem ſermonem non tam vitare, quam affectare voluerunt. Conf. Jul. C. Scaliger *de Comicis Dimenſionibus*. Proinde non mirum, ſi metra Comica alicubi evadant ametra, qualia ſi Sacrorum Scriptorum omnia dicere velis, nos non habebis reluctantes, at vero ſic non probaveris *Pſalmos* eſſe metrice conſcriptos. At inquis, *Ergone neque Terentianæ Comœdiæ metrice conſcriptæ amplius dicendæ ſunt?* Reſpondeo. Comœdiæ iſtæ non deſinunt eſſe metricæ, quia deviatio a ſemel inſtituta ratione metri illic eſt extraordinaria & rarior, at in ſacris textibus quaſi ordinaria & perpetua. Nullus enim Pſalmus vel minimus proferri hactenus potuit, ubi eadem menſura ſit ſervata. De Horatianis vero & Pindaricis Odis, quæ carmina Lyrica dicuntur, (quoniam ad lyram vel chelyn decantari potuerunt, unde iis carmina ſacra proxime accedere videri queant) certum eſt, conſtare quidem diverſo metrorum genere diſſimillibuſque adeo numeris, & vario pedum diſcrimine ita temperatas eſſe, ut ægre Lyricorum carminum numerum inire queas, attamen eadem metri diſpoſitione poſt aliquod intervallum in ordinem redeunte ſive revoluta; quod vero de Odis Davidicis dici non poteſt. Neque enim deprehendes, ne in iis quidem Pſalmis, qui eandem habent epigraphen, ullam conſtantem proportionem ſive verſuum, ſive vocum, ſive ſyllabarum, neque menſuræ, ſemel ſortean obſervatæ, ſtatis locis factam ἀνακυκλῶσιν ſeu recurrentiam. Ego ſane affirmare tibi poſſum, me fruſtra hactenus tentaſſe omnia.

Secundum eſt. *Quod hodierni Judæi Poeſin metricam ament, cujus ſaltem occaſionem vel analogiam quandam a majoribus accepiſſe videantur.* Verum reſp. Hodiernam Judæorum Poeſin Davidicæ eſſe diſſimillimam, & ab Arabibus potius, quam a Patriarchis, (vel etiam Chriſtianis, uti opinatur Scaliger *ad Chron. Euſeb. pag.* 7. notatus clariſs. Ant. Borremanſio *de Poetis & Prophetis pag.* 47.) acceptam. Ita Abarbenel *l. c. Initium ſuum illa* (carmina rhythmico-metrica) *ceperunt in captivitate noſtra apud filios Iſrael inter Iſmaelitas habitantes, a quibus illi iſta didicerunt; ad illorum imitatione ſimilia faciendo in Lingua Hebræa, imo longe excellentiora, quam Iſmaelitæ in Lingua ſua.* Valde autem improbat iſtam κακοζηλίαν Autor *Coſri P. 2. n.* 73. 74. Cum enim Rex Coſri dixiſſet: *Verum video, vos quoque Judæos ſtu-*

ſtudere, ut aſſequamini artificium hoc compoſitionum metricarum & rhythmicarum, & alias gentes hac in parte imitari, Linguam Hebræam etiam legibus earum conformando & accommodando. Reſpondet Judæus: *Hoc eſt ex erroribus & peccatis noſtris.... corrumpimus qualitatem Linguæ noſtræ*, &c. & *num.* 78. applicat ad Judæos dictum *Pſalm.* CVI. 35. Verum alii malunt, Arabes ab Hebræis Poeſin ſuam accepiſſe. Eam fuiſſe ſapientiſſimi Judæi Provanzali ſententiam, refert R. Aſarias *in Meor Enajim pag.* 3. *cap.* 60. Sic hodiernam Poeſin Judaicam ab ultimis acceſſit temporibus R. Moſes ben Chavif *in Darke Noam: Dum eſſem*, ait, *in Regno Valentiæ, in Synagoga Morvetri, dixerunt mihi omnes homines, qui in porta erant, & Seniores, ibi eſſe ſtatuam ſeu monumentum ſepulchrale principis exercitus Amaziæ Regis Jehudah: accurri ego, ut viderem eam. Statua autem illa eſt lapidea, exſtans in vertice montis, quo cum labore & defatigatione conſcenſo, legi ejus ſcripturam*, (ita vertit Buxtorfius:) mallem, *& poſt laborem atque defatigationem legi ſcripturam;* nam ſubjicit ben Chavif, ſe reliqua, vetuſtate fere deleta, legere non potuiſſe) *quæ ibi exarata erat, carminicam, talis erat:* לשר גדול : לקחניח שאיקינה בקול מרה: *Reliqua non potui legere. Finis autem cantici erat* לאמציה. *Tunc credidi, quod forma iſta carminum rhythmicorum & ligatorum in uſu fuerit inde ab eo tempore, quo patres noſtri in terra ſua fuerunt*. Hæc ille. De iſto ἐπιτυμβίῳ ejuſque ἐπιγραφῇ conſulantur Hottingerus *Diſſert. præmiſſa Cippis p.* 2. *ſeq.* Spizelius *de Iſrael. Americ. p.* 72. *ſeq.* Inde vero antiquitatem hodiernæ Poeſeos colligit ipſe etiam R. Aſarias, addens iſthæc: *Si illud de duce exercitus Amaziæ verum eſt, non poterimus negare, quod hodierna quoque carmina, quæ dicuntur ab Arabibus petita, illo jam tempore in uſu fuerint apud quoſdam de vulgo & in rebus vulgaribus; non vero apud eos, qui ex inſtinctu Spiritus Sancti carmina ſcripſerunt*. Quicquid ſit, magna eſt inter hodiernam Judæorum & Arabum Poeſin cognatio. Conveniunt termini technici. Lubet brevem inſtituere utriuſque σύγκρισιν. Duo requiruntur ad omne carmen Arabicum & Ebraicum, *rhythmus* ſcil. & *metrum*. *Rhythmi* plane accuratam rationem habent Arabes, ut videre eſt apud Phil. Guadagnolum *Inſtit. Ling. Arab. p.* 322. *ſeq.* Minoris perfectionis ajunt eſſe hanc cadentiam e. g. مروا *Merwan*, وقرا *Wikran*, &c. majoris perfectionis hanc e. g. قرد , فرد *Kardon*, *Fardon*, &c. excellentem e. g. قصر , نصر *Kazara*, *Nazara*, رياء , نياء *Riao*, *Niao*, &c. Similiter Hebræi diſtinguunt carmen propter rhythmum in עובר *Tolerabile*, ubi fines una; ראוי *Congruum*, ubi duabus; משובח *Excellens*, ubi tribus ſyllabis conveniunt. E. g. גברים, דברים, לשמר, לנמר, נחמר, נלער &c. Quod ad *metrum*, Judæis ſyllaba *longa* eſt, quæ habet vocalem proprie ſic dictam, ſive ea alias longa, ſive brevis ſit: *brevis*, quæ habet Scheva ſimplex mobile vel compoſitum; quod enim Schurek ante literam non Schevatam iis itidem brevem conſtituit ſyllabam in Poeſi, inde eſt, quod illic adhibetur pro Vau Schevato. Arabes nullam agnoſcunt vocalium longarum & brevium, Sjeſmæ quieſcentis & mobilis differentiam, ſolent tamen in Poeſi ſyllabas *breves* vocare ſimplices, ſeu ex una conſona & vocali conſtantes, *longas* compoſitas, ſeu quæ plures conſonas, ſive mobiles, ſive quieſcentes habent. Sic e. g. ſyllaba *brevis* iis eſt ב ب, *longa* בל بل, vel בי بي, &c. Ex ſyllabis Judæis naſcuntur *pedes*. Sic una ſyllaba longa dicitur iis תנויזה *motio*, ex duabus תנועות fit *Spondæus*, e. g. ספר, ex tribus Moloſſus, ut כפים. Syllaba brevis juncta longæ dicitur יחד *clavus*, Latinis *Jambus*. Ex *clavo* & *motione*, ſeu Jambo & ſyllaba longa, fit *Bacchius*, e. g. עברים. Ex *motione* & *clavo* Creticus, e. g. אבלה, quamvis rarius. Et hi pedes ad Judæorum carmina ſufficiunt. Arabes in ſuis carminibus habent quatuor pedes. Primum conſtat ex una ſyllaba longa, id eſt, duabus conſonis, quarum poſterior caret vocali, & dicitur *chorda levis*, e. g. בל بل, לן لن, &c. Secundus ex duabus ſyllabis brevibus, id eſt, duabus conſonis, quarum utraque vocalem habet; & dicitur *chorda gravis*, e. g. בב بك, &c. Tertius conſtat ex altera brevi, altera longa, id eſt, tribus, conſonis, ex quibus duæ priores habent vocalem, ultima non item, & dicitur *paxillus conjunctus*, (eodem modo pedem ex brevi & longa conſtantem Hebræi vocant יתד *clavum*) e. g. להא لها רמח رمت, &c. Quartus conſtat ex altera longa, altera brevi, id eſt, tribus conſonis, ex quibus prima & ultima habent vocalem, non item media, & dicitur *puxillus disjunctus*, e. g. קלב قلب, אבן أبن, &c. Ex varia pedum diſpoſitione varia oriuntur carminum genera apud Hebræos

bræos, & fere pro cujuſque arbitrio effingi poſſunt, modo ſemel inſtituta menſura per totum carmen obſervetur. Dividi autem carmina Ebraica poſſunt & ratione *metri*, & ratione *rhythmi*. Ratione *metri* alia ſunt *trimetra*, *tetrametra*, *pentametra*, *hexametra*, ex totidem ſcil. pedibus conſtantia: ſingulorum uſitatiſſima genera petantur ex libris metricis R. Moſis ben Chavif, Buxtorfii, Laur. Fabritii, Theod. Eberti, Joh. Claii, Rob. Bellarmini, Nicol. Petræi, aliorumve. Ratione *rhythmi*, vel bini quique verſus clauduntur eodem rhythmo, vel omnes verſus eodem, vel ſecundus & quartus eodem, ita ut primo & tertio nulla habeatur ratio rhythmi, vel primus ratione rhythmi reſpondet tertio, & ſecundus quarto, vel diſticho quoque in quatuor membra inciſo, tria priora ſemper habent eundem rhythmum, quartum vero peculiarem reſpondentem quarto membro ſequentis diſtichi. Porro rhythmos inveniendi facilem oſtendit viam Hier. Avianus in *Clavi Poeſeos Sacræ*. Arabes itidem ex pedum ſuorum varia diſpoſitione varia fecerunt carminum genera. Ea diſpeſcunt ratione metri in quinque claſſes, ſeu, ut ipſi loquuntur, *circulos*. Primus dicitur *varius*, & continet carmina quatuordecim ſyllabarum: ſecundus *compoſitus*, continens carmina quindecim: tertius nuncupatus *ſimilis*, carmina duodecim: quartus *contractus*, totidem, ſed aliter ordinatarum ſyllabarum: quintus *conveniens*, complectens carmina novem, decem, undecim, & duodecim ſyllabarum. Singuli circuli diverſa continent carminum genera, quæ petantur ex Phil. Guadagnoli *Inſt. Arab.* adjecta *Arti Metricæ*, M. Joh. Fabritii *Append. de Poeſi Arabum* adjecta *Specimini*, Samuelis Clerici *Proſodia Arabica*, cum *Carmine Tograi a Pokokio illuſtrato*, *edita Oxonii*, *c.* 3. *ſeq.* & aliis. Sic e. g. primi circuli tertium carmen dicitur *expanſum*, & ut duo reliqua hujus circuli carmina conſtat quatuordecim ſyllabis, ſed hac ratione diſpoſitis: ubi ſimul videbis τάξιν metricam, uti eam Arabes vocibus technicis exprimunt, at vero notabis nos e pedibus *chordam levem* exprimere his duabus literis C. L. *paxillum* autem *conjunctum* hiſce P. C.

ل	فاع	ل	تفع	مس
ل	فاع	ل	تفع	مس
—	˘ —	—	˘ —	—
C. L.	P. C.	C. L.	P. C.	C. L.
לן	-פאע	לן	-תפע	-מס
—	˘ —	—	˘ —	—
C. L.	P. C.	C. L.	P. C.	C. L.
לן	-פאע	לן	-תפע	-מס

Qualia carmina in Alcorano, utut non ubivis, tamen alicubi occurrere (ſecus atque viſum Scaligero *Animadv. ad Chron. Euſebii pag.* 7.) certum eſt, ut pateat Muhamedem aliquando Poetaſtro cuidam Minerval ſolviſſe. Ita e. g. *Sur.* 67. ubi impoſtor ita juramenta replicando nugatur.

والمرسلات عرفا Wal-murſe-la-ti or-phan
فالعاصفات عصفا Fal-azi-fà-ti az-phan
والناشرات نشرا Wan-nàſchi-rati neſch-ran
فالفارقات فرقا. Fàl fàri-kati fer-kan.

Per *demiſſos crines*. Per *ſparſas diſſipationes*
Et *procelloſos ventos*: Et *ſeparatas ſeparationes*.

Eſt carmen אלשריע *velox*, & refertur ad circulum quartum, quem Arabes *contractum* vocitant: ejuſque diſpoſitio continetur his duabus vocibus technicis מסתפעלן פעולן *Moſtaphilon faulon*, & pedum talis eſt ordo: *Chorda levis*, *paxillus disjunctus*, *chorda levis*, *paxillus conjunctus*, *chorda levis*. Alia vero Alcorani metra produxit Philip. Guadagnolus *Inſtit. Ling. Arab. edit. Rom.* 1642. Ratione vero *rhythmi* carmina Arabica itidem poſſunt eſſe *monorhythma*, *polyrhythma*, &c. Ebræorum carmina porro ex meris conſtant diſtichis; ſunt enim rhythmica, & ſic unus ςίχος ſemper requirit alium ejuſdem rhythmi: prior ergo ςίχος dicitur דלת *oſtium* vel *janua* diſtichi, poſterior ei ratione metri & rhythmi reſpondens סגר *clauſura* ſeu *concluſio* diſtichi. Totum vero diſtichon vocatur בית *domus*, quaſi perfecta ſtructura metri. Sic & Arabes quemque verſum ſimilis deſinentiæ vocant מעראיג مصراع *januam*, & utrumque ſimul ſumtum مصراعان מעראעאן *biſores*, & totum carmen بيت בית *domum*. Utrique denique in Poeſi ſua multas ſibi indulgent licentias. De Arab. videatur Carmen Bader Aladini apud Guadagnolum *p.* 301. *ſeq.* & Clericus *cap.* 5. De Ebræis Buxtorfius *Theſ. p.* 633. 634. 635. Ex his omnibus

bus videre est, alterutros ab aliis, & si quid judicamus, Hebræos ab Arabibus hodiernam Poesin accepisse. Nam epigraphe illa, ex qua R. Moses ben Chavif contrarium eliciebat, jam pridem a plurimis νοθείας est postulata & convicta. Cæterum de hodierna Poesi Judaica ex professo egerunt R. Moses ben Chavif *Darke Noam*, Buxtorfius *Tract. de Prosodia Metrica*, *Thesauro annexa*, Rob. Bellarminus *Instit. Gramm. pag.* 4. c. 5. quod est *de Poetica*, Nic. Petræus *Metrica Hebræorum Grammaticæ inserta*, Hieron. Avianus *Clavi Poeseos Sacræ*, Laur. Fabritius, Theod. Ebertus, & Johan. Clajus separatis libellis.

Atque hæc dicta hac vice de Poesi Davidica sufficiant. Conferantur jam a curiosis alii, qui de ea egerunt, ut D. D. Calovius *Proleg. in Gen. pag.* 10. *seq.* Waltherus *Offic. Bibl. p.* 966. *seq.* Dannhawerus *de Poesi Spiritus S.* & *Herm. Sacr. pag.* 440. Buxtorfius *Mantiss. ad l. Cosri p.* 406. *seq.* Bohlius *Disp.* 1. *ad Hagiogr. tot.* Dorschæus *Pentad. Disp.* 2. *pag.* 68. A. a Conzen. *Polit. lib.* 4. *cap.* 19. *p.* 296. Nierembergius *Orig. Script. S. lib.* 7. *cap.* 5. *seq.* aliique jam citati.



DA-

AUGUSTI PFEIFFERI

MANUDUCTIO

NOVA ET FACILIS

AD ACCENTUATIONEM

U. T.

PROSAICAM ET METRICAM.

Qui bene conjexit, vatem hunc perhibebo optimum.

BIBLIOTHECA AUTORUM,

Qui Accentuum rationem ex instituto tradiderunt.

ANonymi R. שער הנגינות seu *Porta Accentuum.*
R. Calonymi App. ad Gramm. Balmesii, *de Accentibus.*
Eliæ Levitæ טוב טעם *L. de Accentibus.*
R. Judæ ben Bilham טעמי המקרא seu *de Accentibus Scripturæ.*
Joh. Reuchlini *L. de Accentibus.*
Seb. Munsteri *de Accentibus.*
Val. Schindleri *Gramm. L.* IV. *de Prosodia.*
Aug. Seb. Nouzeni *L. de Lit. Voc. & Accentuum Hebr. natura.*
Joh. Avenarii *Gramm. P.* II. *pag.* 344. *de Accentibus.*
Franc. Junii *Gramm. Lib.* IV. *de Prosodia.*
Christoph. Helvici *Instit. Gramm.* IV. *de Prosodia.*
Joh. Buxtorfii *Thes. Gramm. Lib.* I. *cap.* 5. *de Accentibus.*
Is. Gronbeccii *Instit. Accentuum.*
Abr. Gihelii *Artif. Accentuum.*
Sam. Bohlii *Tabb.* 8. 13. & *Scrutinium Sacræ Scripturæ ex Accentibus*, Rostoch. Anno *1636.*
Casp. Ledebuhrii שלשלת ממקרא *Catena Scripturæ S.* sive *de ratione Accentuum*, Lugd. Ann. *1646.*
Eliæ Schneegass *Tract. de Accent.* Lips. 1657.
Matth. Wasmuthi *Instit. methodica Accentuationis*, Rostoch. Ann. 1664.
Phil. Lud. Hanckenii *Eruditio de Accent.* Giessæ Ann. 1665.
Nostra Χειραγωγία *ad doctrinam Accentuum*, Witteb. Ann. 1666.
Clam. Florini *de Accentuatione divina*, Sulzbac. Ann. 1667.
Andr. Sennerti *Sciagr. de Accent.* Witteb. 1669.
Georg. Sam. Dorfelii *Tyrocinium Accentuationis*, Plaviæ Ann. 1670.
Henr. Opitii *Instit. Accent.* Jenæ 1674.
Dan Weimari תורת טעמי המקרא seu *Doctrina Accentuationis Hebrææ*, Lipsiæ Ann. 1687.
Hier. Opitii *Tract. Absollutiss. de Accentibus*, de quo Avenarius *pag.* 367. &
El. Hutteri *Tract. de Accentibus* in *Præfat. Bibl.* promissus. De quibus duobus autem ambigo, an unquam prodierint.

PARS PRIMA:

DE

ACCENTUATIONE PROSAICA.

§. 1. Accentus quoad primarium ſuum officium conſideratus, non eſt indicium ſedis tonicæ, ſed *ſignum grammaticum ſenſualem nexum periodi dirigens*. Eſtque vel *Conjunctivus*, vel *Diſtinctivus*.

§. 2. *Conjunctivus*, alias *Miniſter* vel *Servus*, ordinarie vocem abs ſe affectam ſive eam, cui additur, cum ſequente, ratione conſtructionis & ſenſus, cohærere innuit. Extraordinarie quandoque certis conditionibus *Miniſter* poteſt fieri *Domini Legatus*, *Vicarius*, ſive *ſubſtitutus*, eadem tunc inſtructus diſtinguendi potentia, non ex ſua natura, ſed poteſtate vicaria.

§. 3. *Connecti* vero in ſenſu dicuntur voces, quæ per aliquam regulam ſyntacticam cohærent: vel cohæret vox cum altera voce, quam per regulam quandam ſyntacticam regit. Tales ſunt *conſtructiones regiminis*, *appoſitionis*, *Adjectivi & Subſtantivi*, *Verbi cum Nominativo*, *Accuſativo*, &c. Cæterum cum nunquam per unam regulam ſyntacticam tres voces cohærere queant, videndum eſt quandoque, quæ magis vel minus cohæreat? Nam quæ minus cohæret, parva diſtinctione intercipienda eſt.

§. 4. *Diſtinctivus*, alias *Dominus* vel *Regius*, ordinarie vocem affectam a ſequente ratione ſenſus diſtinctam eſſe indicat. Extraordinarie tamen quandoque pro *Miniſtro* venit, & tum non quidem ordinaria ſua diſtinguendi poteſtate pollet, videtur tamen ſuppeditare ἐμφατικώτερον ſenſum, vel importare tacitam quæſtionem ſive apoſiopeſin, vel ſaltem prolationem cum quadam gravitate moderari, ne vox concitatior per *Servum* in grandem *Dominum* præcipitetur.

§. 5. Quia autem non omnes Accentus diſtinctivi *eodem gradu* diſtinguunt, (uti etiam apud Latinos interpunctiones, *punctum*, *colon*, *ſemicolon*, *comma*, &c. gradualiter differunt) hinc diverſam diſtinguendi vim, qua pollent, & ſuo modo æquipollent Puncto, Colo, Semicolo, Commati, Semicommati, ſolent recentiores exprimere per diverſos dominii gradus, & conſtituere *Imperatorem*, *Archiduces*, *Duces*, *Comites*, *Barones*, qui ipſi tamen diverſos adhuc gradus admittunt, quia Hebræus ſermo minutiſſimas quoque interſectiones & ſubdiſtinctiunculas attendit.

§. 6. Ratio Accentuum alia eſt in cæteris Sacroſanctæ Scripturæ libris, qui differentiæ cauſa *Proſaici* a nonnullis dicuntur; alia in tribus illis אמת id eſt, איוב, משלי, תהלים, qui *Metrici* vocantur.

§. 7. *Miniſtri* ſive Accentus conjunctivi in libris Proſaicis obvii ſunt ſequentes.

- *Munach*, qui & *Hillui* & *Mercarbel*.
- , *Merca*, it. *Maarich*.
- *Mapach*.
- *Ferach ben Jomo*, it. *Galgal*.
- *Tliſcha Ketanna*, it. *Tarſa*.
- s *Darga*.

§. 8. *Domini* ſive diſtinctivi in libris Proſaicis obii ſunt ſequentes:

:| *Silluc*, quem comitantur duo puncta dicta *Soph-Paſuk*, *Monarcha* ſive *Imperator*, claudens & obſignans pericopen, ut Punctum Latinorum.

Atnach, *Archidux*, intra periodum illic ponendus, ubi intra eam maxima eſt diſtinctio.

Hoſce ſubdiſtinguunt, ſive in tractu vocum in accentuando ab iis dependentium, ſubordinantur *Duces majores* tres,

- : *Sakefkaton*,
- : *Sakefgadol*,
- ∴ *Sægolta*.
- *Tipeha*, alia *Tarcha* & quandoque *Meajiela*, *Dux minor*, minus diſtinguens quam majores,

Ducibus illis in accentuando ſubordinantur, ſeu eos ſubdiſtinguuntur Accentus dicti *Comites*, tum *majores*, ſcil.

- · *Reſia* & pro ſepties occurrens,
- *Pſikſchalſchelatus*,

tum *minores*,

- *Sarka*,
- *Paſta*, & pro hoc certis legibus vices agens,
- *Itif*,
- *Tfir*, & pro hoc decies & quater occurrens.
- ,, *Merka Kephula*.

Comitibus denique in diſtinguendo ſubordinantur alii Accentus, dicti melioris doctrinæ gratia *Barones*, tum *ſupremi*.

- *Paſer*, proque eo ſedecies occurrens,
- ss *Karnepara*,

s *Tlischa gedola*, *Baro major*,
' *Geresch*, *Baro minor*, alias & *Teres* & *Asla*.
ₒ *Psik*, qui & quandoque *Legarme*, *Baro minimus*.

Licet vero Accentius isti distinctivi Hebræorum non omnino æquipolleant Latinorum interpunctionibus, sed veniant æstimandi ex habitudine sua ad periodum, (sic e. g. *Atnach* illic adhibetur, ubi intra totam periodum in sensu maxima est distinctio, quanquam illa non necessario per Latinum colon, sed per comma saltem exprimenda veniat) tamen aliqua ratione conferri cum iis possunt, & *Silluc* dici *Punctum*, *Atnach Colon*, *Duces Semicola*, *Comites Commata*, & *Barones Semicommata* (sensualia scil. & distinctioni Hebraicæ congrua.)

§. 9. Tenendæ in antecessum (antequam accentuationis catenam nectamus) observationes quædam præliminares, tum de Accentuum in se spectatorum forma & habitudine externa, tum de eorum potestate tactica sive connexiva. Prioris generis sunt sequentes:

I. Una dictio non nisi unum admittit Accentum actu eodemque respectu Tacticum.

II. Accentus Tacticus ordinarie in voce illic locatur, ubi tonus est: at *Sarca*, *Sægolta*, *Tlischa Ketanna*, & *Pasta* semper imponuntur ultimæ; *Tlischa gedola*, autem primæ literæ, quamvis illic non sit tonus: e. gr. אברהם, התלך. Sed & obiter monendum, e Ministris *Kadma* & *Ilischa Ketanna*, e Dominis vero *Sakefkaton*, *Sakefgadol*, *Sagolta*, *Resia*, *Schalscheleth*, *Sarcka*, *Pasta*, *Paser*, *Ilischa gedola*, *Karnepara*, & *Geresch* collocari supra literas: contra e Ministris & Dominis cæteros infra.

III. *Irif*, vicarius *Pastæ*, semper ponitur ante primam vocalem vocis, & sic distinguitur a *Mapach* ejusdem figuræ: e. gr. מלך habet *Irif*, מלך *Mapach*.

IV. *Pasta* cadens in vocem Millel geminatur, eodemque casu aliquando *Sægolta*, *Sarca*, & *Tlischa Ketanna*. E. c. קבר מלך בעל שבר.

V. *Geresech* præcedente vel *Munach*, vel nullo Ministro suo, incidens in ultimam dictionis syllabam, sive vocem Milta, geminatur, E. c. דבר vulgo *Gereschajim*.

VI. Propter Accentus Dominos præsertim majores, Patach atque Sægol in Kamez, Scheva in Sægol, & in verbis in eam, ex qua ortum est, mutantur. E. c. ארץ, בחרו, יער, זרעך &c.

VII. Voces per *Makef* copulatæ in accentuatione habentur pro una.

VIII. Servi quidam, ut *Munach*, *Merca*, *Kadma*, quandoque stant pro *Meteg*.

§. 10. Posterioris generis sunt quinque regulæ, quas clariss. D. Wasmuthus fecit *de potestate infallibili Accentuum*, certitudinem ejusdem negantibus opponendæ.

I. Omnis accentus Regius seu Dominus semper & ubique distinguit, etiamsi non pari, sive eodem idem ubique affectu & valore (ita scil. ut ubicunque occurrat, exprimi queat per determinatam quandam interpunctionem Latinam, colon puta, comma, &c.) sed pro quantitate sedis, quam intra periodum occupat, (unde fieri potest, ut Atnach ne quidem per comma Latinum exprimi queat) si modo illic locetur, ubi in sensu intra periodum maxima est distinctio, ut *Genes. cap.* 1. *vers.* 1.

II. Omnis Accentus Servus actu talis semper & ubique voces conjungit, quando vero duo pluresve Accentus Servi immediate sese consequuntur, non omnes sunt actu tales, sed eorum unus vel alter est *subdistinguens Vicarius* vel *Legatus*.

III. Omnis Accentus subdistinctivus *major* perfectius dividit & absolvit sensum, quam subdistinctivus *minor* ejusdem Domini. (Adeoque Comes minor, e.g. *Tsir*, minorem in sensu distinctionem facit, quam Comes major *Resia*, dependens ab eodem Duce.)

IV. Omnis Accentus subdistinctivus repetitus, in eadem Domini ditione, quo remotior est a Domino suo, eo plus & perfectius sensum subdistinguit.

V. Omnis Accentus Dominus perfectius distinguit sensum, quam ullus ipsius subdistinctivus, (ipsi in Accentuum consecutione subordinatus) sive minor sive major. Conf. D. Wasmuthus *Accent. Hebr.* a *pag.* 22. ad 31. Cæterum universum accentuationis nexum in libris Prosaicis exhibere placet adjuncto Schemate, de cujus usu & applicatione notanda in antecessum sequentia: (α) Repræsentari hic XVIII. Accentus Dominos prosaicos, una cum appropriatis Ministris & subdistinctivis, qui scilicet a quolibet Domino per certum vocum in periodo tractum dependent. (β) Cum Shemate hoc conferri debent Accentus in quolibet versu Biblico prosaico reperti, a voce ultima ordine retrogrado usque ad primam, & quotiescunque accentuatio, in Codice reperta, non videtur congruere cum Schemate, recurrendum est ad notas sequentes, ad quas ducunt literæ alphabeticæ in Schemate adscriptæ, cujus rei luculento exemplo infra præibimus modum & processum. In prægustum

vero

vero quendam poterunt, antequam ad praxin procedatur, ipsæ hæ notæ una cum Schemate, quod respiciunt, perlustrari, & exempla adducta in Codice inspici, quo sic facilius intelligantur, præsertim si vivus dedit manuductor.

SCHEMA ACCENTUATIONIS PROSAICA

DOMINI	Ministri	SUBDIST. MINORES	Ministri	SUBDIST. MAIORES	Ministri	SUBDIST. MAXIMI
I. SILLUK a m	b	c.		d.	vide infra n. 45	e.
II. ATNACH f m	b	c		d.	vid. n. 4. 5.	e.
III. SEGOLTA g	bc	h		i		
IV. SAKEFKATON g	bc	h. r.	vid. n. 10 5	i k p		
V. SAKEFGADOL l						
VI. TIPCHA m		u c	t vide n. 12	i		
VII. REFIA n		o c	vide n. 17 18.	o	vide, n. 16. 17.	w o x
VIII. SCHALSCHELETH p						
IX. SARKA q		q.	vid. n. 17.	q.		
X. PASTA r q	s	q.	vide n. 17	q.		
XI. ITIF r						
XII. TFIR q. u	t s	q.	n. 17.			
XIII. MERKA DUPLEX u						
XIV. PASER w x						
XV. KARNEPARA x						
XVI. TLISHA GEDOLA w						
XVII. GERESH w y m	a y	vide y.				
XVIII. PSIK w z	z					

N O T Æ.

(*a*) *Silluk*, ut supra dictum, ultimam vocem totius pericopes occupat, & semper socia habet duo puncta dicta *Soph-Pasuk*. Ab illo in Accentuum sive analysi seu synthesi semper fit initium, & ordine retrogrado tenditur ad vocem Athachatam, si adsit, & ab hac deinde ad primam.

(*b*) §. 1. Si præcedens vox per regulam quandam syntacticam cohæreat, hic & ubivis requirit Ministrum: quod si non cohæreat, posthabito Ministro in Schemate statim fit progressus ad subdistinctivum. §. 2. Ubicunque in Schemate unus modo Minister ponitur, is est perpetuus. §. 3. Si ditio Silluki & Atnachi, nec non Segoltæ, sive tractus vocum, inde ratione accentuationis dependentium, duabus tantum absolvatur vocibus cohærentibus, tunc tardandæ pronunciationis causa pro Ministro solent substituere subdistinctivum suum minorem. E. g. *Silluk Esa.* XIV. 5. *Jerem.* VI. 14. *Atnach* 1. *Sam.* XII. 21. *Es.* VIII. 20. *Sægulta Exod.* XIV. 11. Idem *Sakefkaton* imitatur in voce Mackefata, vel habente syllabas una plures. E. c. *Deut.* I. 22. *Zach.* VII. 2. & rariuscule Domini minores.

(*c*) §. 1. Quilibet Dominus habet duos vel etiam tres subordinatos sive Vasallos, qui dicuntur *subdistinctivi* ejusdem, quia adhibentur ad minutiones distinctiones in tractu vocum ab illius dominio dependentium, & quidem *Minor*, *Major*, *Maximus*: ita enim ratione retrogradæ praxeos sese consequuntur. Utuntur vero Monarcha & Archidux Ducibus, Duces Comitibus, Comites Baronius, majoribus ad majores, minoribus ad minores subdistinstiones. §. 2. *Silluk*, *Atnach*, *Sagolta*, *Sakefkaton*, *Tiphcha*, atque *Refia* quandoque loco Servi subdistinctivum minorem, & hujus loco majorem usurpant, tardandæ pronunciationis causa. E. c. *Silluk Genes.* XIV. 6. *Esa.* IV. 6. *Atnach* VIII. 12. *Sakefkaton Gen.* II. 21. &c.

(*d*) §. 1. Si vox præcedens quoad sensum magis sit discreta, quam Tiphchata, accipit subdistinctivum Silluki vel Atnachi majorem, qui ordinarie est *Sakefkaton*, isque, si plures dentur in ditione-Silluki vel Atnachi sensibiliter discreti sensus, semel vel aliquoties repeti potest. E. c. in ditione Silluki *Gen.* III. 1. 2. *Sam.* XVII. 9. Atnachi *Exod.* VIII. 11. X. 7. XI. 5. *Jerem.* V. 5. Quod si vero vox præcedens in sensu non sit tantopere discreta, uti Tiphchata, tum non statim transeundum est ad subdistinctivum majorem Silluki vel Atnachi, (incongrue enim vox minus in sensu discreta gereret Accentum majoris distinctionis indicem) verum Tiphcha incipit novum dominium juxta n. VI. in Schemate. §. 2. Pro *Sakefkaton* adhibetur *Sakefgadol*, quando nullus Accentus ab eo dependens sive Minister sive subdistinguens præmitti debet. Caret quippe Sakefgadol famulitio & Vassallis subordinatis. E. g. 1. *Reg.* XIX. 4.

(*e*) §. 1. *Sægolta* ordinarie adhibetur, cum (ordine retrogrado) *Sakefkaton* vel *Sakefgadol* semel vel iterum adhibitum est. E. c. *Gen.* I. 7. *Num.* XVI. 28. *Jos.* I. 14. *Jerem.* XX. 10. *Ezech.* XLVIII. 10. *Hos.* IX. 4. §. 2. In ditione tamen Atnachi, si Tiphcha novum dominium occipiat, etiam non intercedente Sakef locum habere potest. E. c. *Gen.* XLIII. 33.

Exod. XXV. 33. XXXVII. 19. *Levit.* V. 11. *Num.* XI. 17.

(*f*) *Atnach* illic ponitur, ubi intra totam periodum maxima est distinctio. Ut ergo *Silluk* totam periodum obsignat, ita *Atnach* eandem in duo principalia membra seu hemistichia dividit, quæ sunt discreti argumenti, in sensu opposito vel redditivo, idque vel explicite seu sensibiliter, vel implicite, distinctione tum per profundiorem considerationem emphaseos investiganda, vel per tacitam interrogationem supplenda. E. g. *Gen.* I. 1. *In principio creavit Deus*, (creavit autem) *cœlum & terram*. §. 2. Quod si tamen versus constet e tam paucis vocibus, ut una modo opus sit distinctione minori, tum Atnach a versu abesse solet, ut *Gen.* I. 19. quod etiam quandoque contingit, licet in versu plures sint voces, si distinctio quædam majuscula (attamen non sensibiliter magna, sensum discretum, oppositum, vel redditivum faciens) afficiat vocem Sillukatæ proximam. E. c. *Gen.* III. 21. XXI. 2. *Hos.* IV. 17. &c. §. 3. Cæterum Atnach eundem plane requirit Accentum concatenatum nexum sive consecutionem cum Silluko, nisi quod proprius ipsius Minister sit Manuch: adeoque quæ suis locis circa nexum Silluk notata sunt, eadem hic quoque valent omnia.

(*g*) *Sægolta* & *Sakefkaton*, quando plures restant accentuandæ voces, sed quando sermo, in generali ditione Silluki vel Atnachi jam adhibito Sakefkaton vel Sægolta, adhuc continuandus est, novum occipit dominium, seu novam pro se ditionem instituit.

(*h*) *Sægolta* & *Sakefkaton* pro subdistinctivo minori quandoque Ministrum suum, & tum pro majori minorem substituunt, accellerandæ pronunciationis caussa. E. g. *Exod.* XXVIII. 27. *Deut.* I. 23. §. 1. Loco *maximi*, & ubi alias res poscit, iteratur Resia. §. 2. *Segolta*, *Sakefkaton*, & *Tiphcha* quandoque repetunt subdistinctivum suum minorem, & postea adhibent majorem, ubi hic de jure repetendus fuisset. E. c. *Sægolta Exod.* XII. 29. *Sakefkaton Genes.* XLVIII. 19. *Tiphcha Deuter.* IV. 38. Illicve, loco secundi minori. Sægolta atque Tiphcha, insolenter quoque *Pasta* usurpate solent. E. g. *Sægolta* 1. *Reg.* XII. 10. *Tiphcha Deuter.* XXVIII. 14.

(*k*) *Sakefkaton* pro repetendo Resia libere & alternis etiam *Pasta* adhibere solet. E. c. 1. *Reg.* II. 24. *Mich.* VI. 5.

(*l*) *Sakefgadol* nullum Servum neque Vasallum habet, sed illic modo pro *Sakefkaton* adhibetur, ubi nulla vox præcedit inde in accentuatione dependens.

(*m*) §. 1. *Tiphcha*, si vox præcedens non faciat tantam distinctionem in sensu, quantam sua, potest itidem condere novam ditionem, seu præmittere suos subdistinctivos, antequam ad subdistinctivum majorem grandis Domini *Silluki* vel *Atnachi* fiat progressus. §. 2. *Tiphcha* concurrit in eadem voce cum *Silluk* quinquies *Levit.* XXI. 4. *Num.* XV. 21. *Esai.* VIII. 17. *Hos.* XI. 6. 1. *Par.* II. 53. (cui quædam exemplaria alicubi habent Meteg.) cum *Atnach* undecies, ut *Gen.* VIII. 18. *Num.* XXVIII. 26. ubi reliqua loca in Masora enumerantur: cum *Servo* octies, ut *Levit.* XXIII. 21. ubi reliqua loca reperiuntur: quo casu dicitur *Meajiela*. Sic rariusculc contingit concursus aliorum, ut *Tlischa k tannæ* cum *Gerasch*, *Gen.* V. 29. *Levit.* X. 4. &c. Conf. Burtorfius *Thes. Gramm. l.* 1. *c.* 5. *p.* 57.

(*n*) *Resia* novam itidem ditionem incipit, si nexus orationis continuetur, & ita sit proportionatus, ut id poscat. Conf. 1. *Sam.* XXI. 10. 1. *Reg.* III. 11. *Jer.* IV. 30. XXIX. 14. &c.

(*o*) §. 1. *Resia* pro subdistinctivis adhibet *Geresch*, *Psik*, *Tuischa gedola*, *Paser*, quos tamen non semper adhibet eodem ordine, sed vel loco subdistinctivi minoris habet *Geresch*, & loco majoris *Tlischa gedola*, vel *Paser*, & loco maximi itidem *Paser*. E. g. *Gen.* VII. 21. *Dan.* IV. 14. §. 2. Vel loco minoris *Psik*, & loco majoris, vel quasi, *Geresch*, & loco maximi *Tlischa gedola* & *Paser*. E. c. 2. *Sam.* XV. 21. 1. *Reg.* XV. 18. *Deut.* XIII. 5. 6. §. 3. *Resia* quoque bis præmittere potest, *Psik*, & postea *Geresch*, ut *Gen.* VII. 23. *Deut.* XXXI. 16. §. 4. Quandoque *Psik* subdistinctivus *Resiæ* excidit, substituto sive relicto Ministro *Munach*, Servo tum præmisso *Darga*, ut *Jud.* IV. 9.

(*p*) *Schalschelet* cum *Psik* euphonico pro *Resia* septies usurpatur in prosa, *Gen.* XIX. 16. XXIV. 12. XXXIX. 8. *Levit.* VIII. 23. *Esdr.* V. 15. *Esai.* XIII. 8. *Amos.* I. 2. Cæterum nec Servum nec Vasallum habet.

(*q*) §. 1. Comites minores *Sarca*, *Pasta*, & *Tfir*, nexu ita poscente, itidem novam ditionem condere queunt, antequam ad subdistinctivum majorem ducum fiat progressus. E. g. *Jos.* IX. 24. *Ezech.* XXXIX. 9. §. 2. Iidem Comites minores extruso subdistinctivo *Geresch*, tam in proxima, quam secunda a se voce, substituunt Ministrum vicarium, vel suetum, vel alium, cum vi distinguendi. E. g.

E. g. *Sarca* ſubſtituit. *Kadma Joſ.* XVII. 2. *Eſai.* XX. 6. &c. *Paſta* ſubſtituit *Munach. Exod.* III. 18. *Kadma Jud.* XXI. 10. *Deut.* XXXI. 17. &c. *Tfir* ſubſtituit *Darga Num.* XVI. 5. *Munach. Deut.* XXVIII. 29. &c. Ejuſmodi ſubſtitutum locum ſubdiſtinctivi majoris excipit vel ſuetus, vel ejus loco ipſe *Gereſch*, uti partim e *ll. cc.* patet. §. 3. *Paſta*, *Sarca*, *& Tfir* loco ſubdiſtinctivi minoris aliquando *Tliſca gedola*, & loco majoris tum ordinarie *Paſer*, at extraordinarie *Gereſch* exhibent. E. g. *Gen.* XXXVI. 6. &c.

(*r*) *Itif* eſt *Paſtæ* vicarius, cum his carens prævio Servo incidit in primam ſyllabam vocis non ſchevatam. Cæterum nec Miniſtrum nec Vaſſallum habet.

(*s*) *Paſta* habet duos Miniſtros, *Merca* & *Mapach*, quorum non admittit alterutrum promiſcue, ſed determinate *Merca*, quando inter tonum vocis affectæ diſtinctivo, & alterius afficiendæ miniſtro nulla interjacet ſyllaba, ut ישרי לב, alias *Mapach*, ut עבד דמלך.

(*t*) *Tfir* præmittit loco Servi *Merca*, quando inter tonum Domini & Miniſtri una ſolummodo, vel plane nulla interjacet ſyllaba. E. gr. שמעו עלי, ſi vero plures quam una, requirit *Darga*. E. g. רוח מלא.

(*u*) *Merca kephula* ſive *duplex*, quater modo & decies occurrit pro *Tfir*, prævio Servo *Darga*. Loca recenſuit Maſora *Num.* XXXII. 42. Exiſtimant quidam, Scribas confudiſſe ‚‚ & *u*, ſed nos (ob conſenſum Codicum) malumus hic vel peculiare quid agnoſcere, vel certe ἐπέχειν.

(*w*) §. 1. *Paſer* eſt Accentus ſub eodem Domino remeabilis, pro re nata etiam ſæpiuſcule, Conf. 1. *Par.* XV. 18. זכריה בן ויעזיאל וג׳, it. *cap.* XVI. 5. §. 2. Miniſtrum *Munach* ipſe, ut & cæteri Barones, ſæpiuſcule præmittunt partim cum vi leviter diſtinguendi, & ad accelerandam, pronunciationem illic, ubi συνάφειαν in proclivi eſt ex aliis modis colligere. Conf. *Eſr.* VI. 9.

(*x*) *Karnepara* ſedecies pro *Paſer* occurrit, *Num.* XXXV. 5. *Joſ.* XIX. 51. 2. *Sam.* IV. 2. 2. *Reg.* X. 5. 1. *Par.* XXVIII. 1. 2. *Par.* XXIV. 5. XXXV. 7. *Eſr.* VI. 9. *Neh.* I. 6. V. 13. XIII. 5. 15. *Eſth.* IX. 7. *Jer.* XIII. 13. XXXVIII. 25. *Ezech.* XLVIII. 21.

(*y*) §. 1. *Gereſch* quando unum requirit Miniſtrum præcedaneum, tum ſi vox Miniſtro afficienda habet tonum in prima ſyllaba, vel Accentus incidit in primam literam ſyllabæ tonicæ, adhibendus eſt *Munach*, alias *Kadma*. §. 2. Quando plures premittit, non omnes actu diſtinguunt, ſed fere *Tliſcha ketanna* & *Kadma* quaſi alternis ſerviunt & ſubdiſtinguunt etiam tunc, cum *Gereſch* excidit, atque per ſubſtitutum modo adeſt. E. g. *Geneſ.* III. 14. XXXIX. 20. *Exod.* III. 18. VIII. 13. *Levit.* XIII. 6. *Jud.* VII. 4. *Jer.* XXXIII. 11. LII. 27. &c.

(*z*) §. 1. *Pſik* itidem præmittit plures Miniſtros, at non actu conjungentes, ut plurimum tamen *Munach*. §. 2. *Pſik* aliquando, præſertim in vocibus repetitis, non eſt diſtinctivus, ſed *euphonicus*, atque ad moderationem ſolummodo pronunciationis adhibitus, ut *Joſ.* XXII. 22.

APPLICATIO.

Applicatio fiat in *verſu* 2. *capitis* 1. *Geneſ.* qui dividitur in duo hemiſtichia: prius clauditur *Atnacho* in voce תהום, ubi ſcil. maxima eſt intra totam periodum diſtinctio, (Conf. nota E.) poſterius *Silluko* in ultima voce h. m.

והארץ היתה תהו ובהו וחשך על פני
תהום ורוח אלהים מרחפת על פני המים׃

Et terra erat inanis atque vaſta tenebræ quoque ſuper facie abyſſi (Atnach) *ſed Spiritus Dei incubabat ſuper-facie aquarum* (Silluk.)

Ultima proinde vox המים habet *Silluk*, uti poſcit Schema, (conf. notam A.) præcedens על פני (nam voces per *Makef* copulatæ æſtimantur ceu una, uti ſupra monitum eſt §. 9. *obſ.* 7.) habet *Merca* Miniſtrum *Silluki*, quem Schema repræſentat, quia vox iſta cum ſequente *Sillukata* cohæret per ſyntaxin regiminis *ſuper-facie aquarum* (conf. B.) Præcedens vox מרחפת *incubans*, ex præſcripto Schematis habet *Tiphcha* ſubdiſtinctivum minorem *Silluki*, (a quo ſcil. ratione nexus ſenſualis dependet) quia non cohæret per regulam ſyntacticam cum ſequente על פני, vel certe non tam arcte, quam duæ ſequentes. (conf. C.) Præcedens vox אלהים juxta Schema poſceret Miniſtrum *Tiphchæ Merca*, verum quia אלהים *Dei*, & מרחפת *incubans* non cohærent, tranſilio Miniſtrum, & adhibeo ſubdiſtinctivum majorem *Sakefkaton*. (uti ne docet nota D.) Præcedens vox ורוח adhibet Miniſtrum τῶ *Sakefkaton Munach*, quoniam cum voce illius per ſyntaxin regiminis cohæret: *Et-Spiritus Dei*: atque ſic explicit *ditio Silluki* ſive tractus vocum, in accentuatione continua a *Silluk* dependentium, & ſequitur *ditio Atnachi*, ſive tractus vocum ab *Atnachata* ad primam totius verſus, ubi vox תהום *abyſſi* eſt *Atnachata*, præcedens על פני *ſuper-*

perfacie habet ejus Miniſtrum *Munach* juxta Schema . (conf. notam F.) Præcedens vox וחשך & *tenebræ* , habet *Tiphcham* ſubdiſtinctivum minorem ſive priorem *Atnachi* , ex præſcripto Schematis. Vox præcedens ובהו , quia non cohæret, ſed ſenſibiliter eſt diſcreta , & quidem majus ſpatium ſenſuale conſtituit quam *Tiphchata* , non adhibet Miniſtrum *Tiphchæ* , quem Schema exhibet, ſed eo prætermiſſo ſubdiſtinctivum majorem *Sakefkaton*. (vide notam D.) Hic in Schemate remittor ad numerum V. *de Sakefkaton* , qui hic ditionem inchoat, ſive verſum ulterius continuatum ſuis ſubdiſtinctivis inſtruit , (vide G.) quoniam vox præcedens תהו ex intentione Scriptoris Sacri cum ובהו non cohæret ſyntactice , ſed emphatice diſcreta eſt h. m. *Inanis*, *itemque vaſta*, wuſte / dazu leer / hinc tranſilitur Miniſter *Munach* in Schemate, & adhibetur *Paſtæ* (in voce *Millel* geminus, ſupra §. 9. *Obſervat.* IV.) ſubdiſtinctivus minor τȣ̃ *Sakefkaton* . Vox præcedens היתה habet *Paſtæ* Miniſtrum , qui (juxta notam S.) eſt *Merca* , quia inter tonum vocis תהו & היתה nulla interjacet ſyllaba (*hajetha tohu* .) Vox præcedens videtur quidem etiam cohærere , ſed 1. tres voces (*terra erat inanis*) per regulam unam ſyntacticam cohærere nequeunt, adeoque diſpiciendum eſt , quid magis minuſve cohæreat ? 2. Nominativus ex mente Scriptoris Sacri ſæpe emphatice eſt exponendus per Accuſativum abſolutum hoc modo : *Quod vero ad terram iſtam*, modo *verſ.* 1. allegatam , *ea erat*, &c. Ideoque adhibetur ex præſcripto Schematis ſubdiſtinctivus major τȣ̃ *Sakefkaton*, ſc. *Reſia*. Faciat jam Lector juxta ductum noſtrum periculum in aliis, & ſi in uno verſu res non ſtatim ſuccedat, non deſpondeat animum, ſed tranſmiſſo iſto verſu tranſeat ad alium , donec in facilioribus paululum confirmatus ulterius progredi queat.

MANTISSA
DE
DUPLICI ACCENTUATIONE
DECALOGICA.

Duplicis accentuationis Decalogicæ *Exod.* XX. & *Deuteron.* V. cujus veram rationem ante Bohlium nemo, quod ſciamus, ſatis perſpexit, vera cauſa eſt *duplex reſpectus*, unus *ad præceptum*, alter *ad verſum*. Voluit quippe Spiritus S. quodlibet præceptum peculiari Accentuum catenæ includere . Cum itaque quædam præcepta tam prolixa eſſent, ut uni verſui, legitima quantitate conſtanti, & ad cæteros proportionato, commode includi non poſſent, (ſcil. *primum* atque *tertium*) ideo digeſſit ea quidem Spiritus S. in plures pericopes , (ſcil. *primum* in quinque, *tertium* in quatuor) *diſtincta accentuatione verſuum* inſtructas, ita tamen, ut ad unitatem præcepti demonſtrandam per omnes iſtas ſimul pericopas continuetur una & *continua accentuatio præcepti* . Contra cum alia præcepta, ſcil. V. VI. VII. & VIII. tam brevia eſſent, ut verſui non ſufficerent, ea in unam pericopen quidem Spiritus S. compegit, ad obſervandam proportionem verſus, attamen ne diſtinctioni præceptorum quid decederet , nihilominus ſingulis præceptis , quantumvis minutulis , peculiarem accentuationem deſtinavit . Quando ergo vox duos habet Accentus, unus eſt *e nexu ordinario verſus*, alter *e nexu peculiari præcepti* , quorum uterque ex præſcripto Schematis noſtri facile oſtendi poteſt . Denique cum alia, ut II. & IV. verſui eſſent apta & proportionata, non opus erat *duplici accentuatione verſus & præcepti* , ſub una ſufficiebat . Duo ultima præcepta quare in unum verſum compacta ſint, mox dicemus. Simile quiddam conſpicitur *Gen.* XXXV. 22. ubi una accentuatio dependet ab *Atnach* ישראל , & infert ſenſum a Spiritu Sancto emphatice abruptum , altera ab *Atnach* אביו , & indicat ibi eſſe ordinarium medium verſus & e textu nihil periiſſe . Cæterum quo hæc omnia quam evidentiſſime pateant , ob oculos ponemus duplicem illam præceptorum tam æquo prolixiorum , quam æquo breviorum accentuationem, additis noſtris obſervationibus. Prolixiora præcepta ſunt I. & III. Illud iiſdem verbis & literis *Exod.* XX. & *Deut.* V. (niſi quod ultima vox illic ſit מצותי, hic מצותו) ita conſtat:

PRI-

PRIMI PRÆCEPTI PER V. VERSUS CONTINUA ACCENTUATIO.

אנכי יהוה אלהיך אשר הוצאתיך מארץ מצרים מבית עבדים : לא יהיה לך אלהים אחרים יזל פני : לא תעשה לך פסל וכל תמונה אשר בשמים ממעל ואשר בארץ מתחת ואשר במים מתחת לארץ : לא תשתחוה להם ולא תעבדם כי אנכי יהוה אלהיך אל קנא פקד עון אבות על בנים על שלשים ועל רבעים לשנאי : ועשה חסד לאלפים לאהבי ולשמרי מצותי:

QUINQUE VERSUUM PRIMI PRÆCEPTI DISTINCTA ACCENTUATIO.

אנכי יהוה אלהיך אשר הוצאתיך מארץ מצרים מבית עבדים: לא יהיה לך אלהים אחרים על פני : לא תעשה לך פסל וכל תמונה אשר בשמים ממעל ואשר בארץ מתחות ואשר במים מתחת לארץ : לא תשתחוה להם ולא תעבדם כי אנכי יהוה אלהיך אל קנא פקד עון אבות על בנים על שלשים ועל רבעים לשנאי : ועשה חסד לאלפים לאהבי ולשמרי מצותו:

Utraque accentuatio conjuncta est in Codice Sacro, quam ibi vide.

TERTII PRÆCEPTI PER IV. VERSUS CONTINUA ACCENTUATIO,

juxta *Exod.* xx.

זכור את יום השבת לקדשו: ששת ימים תעבד ועשית כל מלאכתך : ויום הרביעי שבת ליהוה אלהיך לא תעשה כל מלאכה אתה ובנך ובתך עבדך ואמתך ובהמתך וגרך אשר בשעריך : כי ששת ימים עשה יהוה את השמים ואת הארץ את הים ואת כל אשר בם וינח ביום השבעי על כן ברך יהוה את יום השבת ויקדשהו:

juxta *Deut.* v.

שמור את יום השבת לקדשו באשר צוך יהוה אלהיך: ששת ימים תעבד ועשית כל מלאכתך ויום השביעי שבת ליהוה אלהיך לא תעשה כל מלאכה אתה ובנך ובתך ועבדך ואמתך ושורך וחמרך וכל בהמתך וגרך אשר בשעריך למען ינוח עבדך ואמתך כמוך: וזכרת כי עבד היית בארץ מצקים ויציאך יהוה אלהיך משם ביד חזקה ובזרוע נטויה על כן צוך יהוה אלהיך לעשות את יום השבת:

QUATUOR VERSUUM TERTII PRÆCEPTI DISTINCTA ACCENTUATIO:

juxta *Exod.* xx.

זכור את יום השבת לקדשו : ששת ימים תעבד ועשית כל מלאכתך : ויום השביעי שבת ליהוה אלהיך לא תעשה כל מלאכה אתה ובנך ובתך עבדך ואמתך ובהמתך וגרך אשר בשעריך : כי ששת ימים עשה יהוה את השמים ואת הארץ את הים ואת כל אשר בם וינח ביום השביעי על כן ברך יהוה את יום השבת ויקרשהו:

juxta *Deut.* v.

שמור את יום השבת לקדשו כאשר צוך יהוה אלהיך : ששת ימים תעבד ועשית כל מלאכתך : ויום השביעי שבת ליהוה אלהיך לא תעשה כל מלאכה אתה ובנך ובתך ועבדך ואמתך ושורך וחמרך וכל בהמתך וגרך אשר בשעריך למען ינוח עבדך ואמתך כמוך : וזכרת כי עבד היית בארץ מצרים ויציאך יהוה אלהיך משם ביד חזקה ובזרוע נטויה על כן צוך יהזה אלהיך לעשות את יום השבת:

Utraque accentuatio conjuncta exstat in Codice Sacro, quam ibi vide.

QUINTI, SEXTI, SEPTIMI, & OCTAVI PRÆCEPTORUM DISTINCTA ACCENTUATIO.

Exod. xx. & *Deut.* v.

לא תרצח: לא תנאף : לא תגנב : לא

תענה ברעך עד { שקר : / שוא :

QUINTI, SEXTI, SEPTIMI, & OCTAVI PRÆCEPTORUM CONTINUA ACCENTUATIO PERIODICA.

Exod. xx. & *Deut.* v.

לא תרצח: לא תנאף: לא תגנב: לא

תענה ארעך עד { שקר : / שוא :

Utraque accentuatio conjuncta exstat in Codice Sacro, quam ibi vide.

OBSERVATIONES.

1. Accentuatio utraque tam *præcepti*, quam *versus* congruit nostris datis regulis. Tyrones rationem consecutionis petere poterunt e Dorselio.

2. Quan-

2. Quando accentuatio in præcepto & versu, juxta præscriptum Schematis nostri, est eadem, tum idem Accentus non bis, sed semel ponitur, capiendus tamen duplici respectu. Obiter notetur in ויום *Exod.* XX. 10. non esse *duplex Pasta*, sed *Pasta* & *Kadma* diverso respectu.

3. Eadem vox לא *vers.* 13. habet distinctivum *respectu præcepti*, juxta notam b. §. 2. at conjunctivum *respectu periodi*. Idem judicium esto de similibus.

4. Vox פני non est legenda *penaja vers.* 3. sed habet *Kamez* respectu *Silluki* periodici, *Patach* respectu *Resia* præceptivi. Idem judicium esto de voce תרצה *vers.* 13.


5. Voces תרצח, תנאף, תגנב habent *Raphe* ratione Ministri periodici, at *Dages lene* ratione Regii præceptivi.


6. *Nonum* & *decimum* præceptum in unum versum compinguntur, tum ob cognationem, tum quod aptissime ad unam pericopen proportionata sint, tum quod octo præcedentibus accurate distinctis per se pateat restare duo, cum עשרת הדברים *decem præcepta* esse debeant. Nihilominus in *Deuter.* per ס & *Sophpasuk* apertissime discriminantur. Adeoque ex accentuatione infallibiliter demonstrari potest vera divisio Decalogi, uti factum a M. Sam. Bohlio, peculiari in hanc rem *Dissertatione*. Cujus rationes nequicquam impugnat Buxtorfius *Diss. de Decalogo* §. 64. &c. unde quæ Bohlio opposuit Hakspanius *Not. Bibl. ad Exod.* XX. desumsit, quibus e dictis sufficienter responderi potest. Conf. *Dubia nostra Vexata*.

PARS SECUNDA, DE ACCENTUATIONE METRICA.

§. 1. IN tribus libris, scil. *Psalmorum*, *Proverbiorum*, & *Jobi*, qui a literis capitalibus Judæis אמ"ת, Christianis vulgo *Metrici* dicuntur, accentuatio longe aliter se habet atque in aliis Scripturæ S. libris, (quod vel e sola collatione *Psalmi* XVIII. & 2. *Sam.* XXII. patebit, ubi idem textus accentuationem diversam habet) non quod sit formalis ratio nexus, sed quod variet specialis applicandi modus.

§. 2. Causam hujus rei alii quæsiverunt in metro, alii in cantu. Verum si accentuatio metrica (quam vocant) esset de formali ratione metri sacri, utique a textu metrico abstrahi non posset: quod vero fieri posse tum *Canticum Canticorum*, tum Cantica heroum & heroinarum Vet. Test. tum *Psal.* XVIII. recensitus 2. *Sam.* XXII. satis luculenter testantur. Potius ad singulare, tum dicendi genus, tum institutum Autoris accentuationis, confugiendum videtur. Quod tamen ad cantum non omnino negabimus, Accentus eo aliquid contulisse, verum non *formaliter* ad exprimendos sonos, sed *accidentaliter* dirigendo intensionem & remissionem, mensuram, interjecta silentia, &c. Qua de re explicatius egimus in *Dubiis Vexatis* sub init. *Psalmorum*. Prorsus quippe inepta est Judæorum Musica juxta Accentus, dum cuilibet certam tribuunt melodiam, & hanc voci Accentum talem habenti applicant, (fere ut juxta interpunctiones textus *Evangeliorum* & *Epistolarum Dominicalium* decantantur) & hinc Legem præsertim tam misero cantu disperdunt, (præsertim omnibus promiscue cantantibus) ut eos audiens omnem catulorum gregem concinuisse dicas. Melodias, quibus fere utuntur, exhibet Alstedius in *Musica sua Sacra Triumph. Bibl.* p. 153. 154. E. g. primus Scripturæ S. versus ex eorum instituto juxta Accentus ita esset decantandus:





§. 3. Ut vero nunc propius ad rem ipsam accedamus, sequentes Accentus, libris prosaicis peculiares, in metricis prorsus exulant, *Sægolta*, *Sakefgadol*, *Pasta*, *Itif*, *Tsir*, *Tlischa gedola*, *Geresch*, *Karnepara*, *Tlischa ketanna*, *Darga*.

§. 2.

§. 4. *Ministri* in libris metricis occurrunt sequentes:

Munach inferior.
Munach superior.
Tippcha tonicus.
Merca.
Mapach.
Jerach.
Kadma.

§. 5. *Domini* in libris metricis obvii sunt sequentes:

Silluk, claudens pericopen ut in prosa.
Merca Mapachatus, Dux Magnus.
Atnach, Dux parvus.
Refia simplex } Comites majores.
Refia Gereschatus }
Schalschelet
Sarca } Comites minores.
Tiphcha anterior }
Paser, Baro magnus.
Psik, Baro parvus.

Unde patet dari hic duos Accentus compositos, scil. *Mercam Mapachatum*, e *Merca* inferiori & *Mapach* superno, & *Refiam Gereschatum*, e *Refia* & *Geresch* supra localis. *Schalschelet* vero a latere habere lineolam uti *Psik*, e prosa jam constat.

§. 6. Tenendæ vero sunt προγνώσεως ἕνεκα sequentes observationes atque hypotheses. 1. Voces ante tonum non habentes syllabas una plures, vel plane nullam, dicuntur hic peculiari termino technico *laborantes*. 2. Scheva mobile post vocalem longam hic censetur constituere syllabam, alias nec ipsum, nec vocalis, quæ stat ejus loco, adeoque vox אמרי in accentuatione æstimatur pro trisyllabica, at ומושב pro dissyllabica. 3. Ditio sive tractus vocum talis, ubi Dominus quispiam adhibet subdistinctivum suum minorem, & post hunc requirit subdistinctivum subdistinctivi, dicitur *mediata*, cum autem adhibet minorem & statim majorem, *immediata*. 4. Quando vox dicitur *secunda* vel *tertia*, retro est numeranda a voce gerente eum Dominum, cui illa ratione accentuationis subjacet. 5. Titulus *Psalmi* mononymus cum sequente, & vox סלה cum præcedente voce utplurimum conjunguntur, utut non cohæreant. 6. Servus *Mapah* (& quandoque *Merca*) præmittunt sibi in eadem voce (quasi conservum, & citra omnem vim distinguendi) *Sarcam*, si ante tonum vocis sit litera cum vocali longa vel longæ vicaria *Psal*. X. 5. ut in vocibus *Makefatis* vel explicite vel implicite sive de jure, ut *Psalm*. XLIX. 15. LXII. 9. Impedit vero id *Refia* antecedens, si ejus ditio non sit vocum plurium.

§. 7. Nexum ordinarium Accentuum in metro adjuncto Schemate συνοπτικῶς exhibemus, additis notis, quibus speciales potissimum variationes recensemus, præsuppositis e prosa principiis generalibus.

SCHEMA ACCENTUATIONIS METRICÆ

DOMINI	Ministri	SUBDIST. MINORES	Ministri	SUBDIST. MAIORES
I. SILLUK a	[illegible] b.	[illegible] c. z.	[illegible]	[illegible] d. g k
II. MERKA MAPACHATUS e	[illegible] f	[illegible] g.	Vide n. 7.	[illegible] g
III. ATNACH e fin e h. k	[illegible] i.	[illegible] k	[illegible]	[illegible] l.
IV. REFIA GERESCATUS g k m	[illegible]	[illegible] n.	[illegible]	[illegible]
V. REFIA SIMPLEX q r	[illegible] p.	[illegible] q.	[illegible]	[illegible]
VI. SCHALSCHELETH r.	[illegible]	[illegible]	[illegible]	
VII. SARKA s.	[illegible] t.	[illegible] u. q.	[illegible]	[illegible]
VIII. TIPCHA ANTERIOR q w	[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
IX. PASER x	[illegible]	[illegible] y.	[illegible]	
X. PSIK z	[illegible]			

N O T Æ.

(*a*) A *Silluk* etiam hic, sive in analysi, sive genesi Accentuum fit initium, & ordine retrogrado tenditur ad *Atnahatam*, ab hac vero (si adsit) ad *Merca-Mapachatam*, & ab hac ad primam.

(*b*) 1. *Silluk* habet tres Ministros, non promiscue, sed cum delectu adhibendos, namque requirit usitate & ordirie loco præcedanei Ministri *Munach superius*, quando consecutio juxta regulas & observationes mox tradendas poscit *Psik* subdistinctivum: *Munach inferius*, si tonis vocis Ministrum habituræ incidat in

in primam dictionis ſyllabam, vel vox ſit monoſyllabica: harum conditionum ſi neutra adſit, *Merca*. 2. In ditione duarum vocum *Silluk* non laborans pro Servo præmittit *Reſiam Gereſchatum*. E. c. *Pſalm.* XXVIII. 5. XXXVIII. 23.

(*c*) *Silluk* præ cæteris variat ſuam conſecutionem, inſtar cujuſdam Protei, idque juxta ſequentes regulas. I. *Silluk*, *Atnacho* præſente in verſu, ſemel tantum minori diſtinguendus, idque (α) in *tertia* a ſe voce, pro *ſubdiſt. minori Pſik* adhibet *majorem Reſiam Gereſchatum*, ut *Pſal.* VI. 6. *Prov.* II. 16. *Job.* IV. 7. V. 20. (β) in *ſecunda* a ſe voce, ſi *Silluk non laboret*, itidem pro ſubdiſtinctivo minori majorem adhibet, ut *Pſalm.* XXI. 6. Si vero *Silluk laboret*, pro *ſubdiſtinctivo minori* uſurpat *Miniſtrum Munach vicarium*, & ante hunc *Tiphcham tonicum* ceu Miniſtrum, ut *Pſ.* XX. 4. XXII. 3. II. *Silluki*, *Atnacho præſente*, duplex *immediata* diſtinctio (ſeu ubi ſubdiſtinctivus minor, & poſt hunc ſtatim major, ſenſu ita poſcente, præmittendus eſt) regularis eſt, ſi incipiat a *tertia*, ut *Pſalm.* III. I. X. 14. At, ſi incipiat a *ſecunda*, irregularis, nam pro ſubdiſtinctivo minori adhibetur *Munach vicarius* cum præcedente *Tiphcha tonico*, pro majori *Schalſchelet*, ut *Pſal.* XIII. 2. 3. XXIX. II. LXXXIX. 3. &c. Ibique *Schalchelet* ante ſe loco ſui ſubdiſt. minoris *Tiphcham* tonicum legare poteſt, ut *Job.* XXXVII. 12. At loco Servi *Merca* habet. III. *Silluk Atnacho præſente mediate* diſtinguendus, (id eſt, ſi ipſe debeat premittere ſubdiſtinctivum minorem, & hic iterum ſubdiſtingui) ſi diſtinctio incipiat a *ſecunda* voce, a *Sillukata*; pro ſubdiſtinctivo minori *Pſik* adhibetur *Munach vicarius*, cum prævio *Tiphcha tonico*, (uti ante membro. I. (β) dictum eſt) & deinde præmittitur *Mapach* vel *Kadma*, ceu ſubdiſtinctivus ſubdelegatus τȣ̃ *Pſik* hoc modo:

ı| *Vic.* | *Toni* | vel *Kadma* | *pro*
ı| ,' | | *ſubdiſt.* τȣ̃ *Pſik*.

Ut *Pſalm.* XXVIII. 8. LIV. 8. At ſi a *tertia*, pro ſubdiſtinctione minori *Silluki* adhibetur major, & huic præmittitur *Merca*, quaſi ſubdiſtinctivus τȣ̃ *Pſik* hoc modo:

I| *min.* | ·ʻ | *Merca legatus*, | pro
I| *min.* | I' | *Vicar. ſubdiſt.*

tumque *Merca* legatus præmittere poteſt alium *Mercam* loco ſervi, ut *Pſalm.* IX. 16. XLII. II. *Job.* VII. 9. XVI. 8. IV. *Silluki*, *abſente Atnacho*, in ditione ſemel diſtinguenda, eadem eſt, quæ *præſente Atnacho*, (juxta membrum I.) adeoque ſi diſtinctio fieri debeat in *tertia* voce, talis poſitus eſt:

I| *miniſt.* | ·ʻ | *miniſt.* pro
I| *miniſt.* | I' | *min. Pſ.* CXXVI. 5.

In *ſecunda*, ſi *Silluk non laboret*, talis:

I| ·ʻ | *min. Pſalm.* XLVIII. I.

At in eadem ſecunda, ſi *Silluk laboret*.

I| ,*Vic.* | vel , *tonic Pſal.* XXXVIII. I. *Pſal.* CVIII. I. LXXXI. I. V. In ditione *Silluki*, *Abſente Atnach*, ſæpius *mediate* diſtinguenda, poſt adhibitum *Silluki* ſubdiſtinctivum majorem (vel hujus vicarium) *Atnachi* ſubdiſtinctivi & ſubditi uſurpantur, ut adeo *Reſia Gereſchatus* ſeſe illic gerat ceu vicarius *Atnachi*, ut videre eſt ex hiſce & ſimilibus conſecutionibus:

I| " | *min.* | ,*anterior* | *min.* | I' | *min.* | *Pſal.* XXXI. 3.
I| *min.* | ·ʻ | *anterior.* | *min.* | *Pſik.* | *min.* | ʻ, | *Pſal.* LXVIII. 36.
I| ʻ | *anterior* | *min.* |:| *min.* | *Pſik.* | I' *Pſik.* | *Pſalm.* CIV. 35.
I| ,*Vic.* τȣ̃ | *min.* | -ʻ | *min.* | *Pſik.* | *min.* &c.

De aliis quibuſdam, præſertim irregularibus, conf. Reg. X. Waſmuthi. Patet e dictis in conſecutione *Silluki* ante omnia reſpiciendum eſt ad *præſentiam* vel *abſentiam Atnachi*. Cæterum & hic & in ſequentibus obſervandum, licet tantopere variet poſitus, tamen non laborare officium Accentuum tacticum, cum ſemper valeat illatio, ubi talis (ut a nobis deſcribitur) eſt Accentuum poſitus, ubi talis (ut indicavimus) eſt nexus. Adeoque nexus colligendus eſt non e natura ipſorum Accentuum ſemper, ſed ex inductione talis vel talis poſitus, qui proinde ſimul & τάξιν indicat, & pronunciationem moderatur, & peculiari inſtituto Auctoris in hiſce tribus libris deſervit.

(*d*) Plerumque *Reſia Gereſchatus*, rarius ſimplex.

(*e*) I. *Merca Mapachatus* in primam Syllabam incidens rejicit ſuum *Mapach* in ultimam vocis præcedentis *Jerachatæ*, ſi eam reperit vacuam, *Pſal.* VI. 3. §. 2. In media totius verſus metrici interſectione, ſi ea ultra quartam a *Silluk* vocem fiat, ordinarie adhibetur *Merca Mapacha-*

pachatus, mediante tum inter ⌐ & ÷ duce Atnach, ut Pſalm. XXIV. 8. LXX. 5.

(f) In ditione duarum vocum pro ſervo adhibet Reſiam, Pſal. XXVII. 14. Job. XXX. 13.

(g) 1. ÷ diſtinctivum minorem impreſſurus *tertiæ* a ſe voci, conſecutionem habet regularem, tum ubi eum ſolum, tum ubi & majorem requirit. E. c. *Pſal.* XI. 5. LIII. 3. c: 3. CXXIII. 4. Sic & cum poſt minorem mediata ſit diſtinctio, *Pſal.* XXXI. 3. LVII. 5. 2. Alias ÷ pro minori premittit ſibi immediate majorem ∸ prævio ſervo, ut *Pſal.* IX. 21. XXIX. 3. LXXVIII. 50. LXXXVII. 10. & hinc *Sarca* quandoque præmittitur vi diſtinguendi ſuperans ipſum *Reſiam*.

(h) 1. *Atnach* in metro non facit maximam diſtinctionem intra totam pericopen, ut in proſa, ſed vel maximam membri poſterioris, vel ſecundum membrum, e. c. *Pſal.* I. 1. 2. In media verſus interſectione adhibetur *Atnach ſolus*, ſi ea fiat in quarta a *Silluck* voce, vel tertia etiam, niſi poſtremæ laborent, *Pſal.* LXXII. 20. CXXI. 4. *Prov.* XX. 16. XXI. 16. vel ultra has quandoque, *Pſal.* XXII. 24. XXVIII. 8. LXXXVI. 4. *Prov.* XV. 16. *Job.* V. 19. 3. Pro *Atnach* alternat quandoque *Reſia Gereſchatus*, uſurpatque pro re nata illius ſubdiſtinctivos & ſubditos, tam regulares, quam irregulares, *Pſal.* XXXI. 23. XXXV. 24.

(i) 1. *Atnach.* præmittit loco Miniſtri utplurimum *Munach*, ſi præcedat ejus ſubdiſt. *Tiphcha*; alias *Merca*. 2. *Atnach* in ditione duarum vocum, præſertim polyſyllabam vocem vel *Makefatas* afficiens, pro ſervo ſubſtituit *Tiphcham* anteriorem, ut *Job.* XXXVII. 16.

(k) 1. *Atnach* diſtinctivum minorem impreſſurus *tertiæ* a ſe voci, conſecutionem habet regularem, tum ubi illum ſolum, tum ubi & majorem requirit, ut *Pſal.* III. 5. XXXIV. 13. *ſeq.* LXXI. 6. *Job.* XXXV. 10. (aliquando tamen, præſertim ſi vox *Atnachata*, ut & Miniſtro ejus afficienda, ſit polyſyllabica, vel etiam ſi diſtinctio in tertia voce ſit ἐμφατικώτερος, pro *Tiphcha* adhibet *Reſiam*, ut *Pſ.* V. 3. XVIII. 12. ſic & cum poſt minorem vel majorem mediata ſit diſtinctio, ut *Pſalm.* XIX. 7. LXXXVI. 12. *Job.* XIX. 3. 2. *Atnach. laborans* pro *Tiphcha* anteriori in *ſecunda* ſede requirit vicarium Miniſtrum *Munach*, cum prævio *Munach*, cætera conſecutione ſalva, ut *Pſalm.* II. 4. XV. 3. CIV. 31. id quod & vicarius Dominus (*Reſia Gereſchatus*) cum ſuo Miniſtro *Merca* imitatur. 3. In *mediata* diſtinctione *Atnachi* pro immediate diſtinguente quandoque eſt vel ⌐ vel ∸ vicarius, & mediate diſtinguit *Schalſchelet*, qui denuo ſubdiſtinguentem *Pſik* præmittere poteſt, ut *Pſalm.* LXXII. 3. *Prov.* I. 9. VI. 27.

(l) Uſitate *Reſia ſimplex*.

(m) Poteſt eſſe vicarius *Atnachi*, ut dictum h. 3. & k. 2.

(n) *Reſia Gereſchatus* raro nexum plurium vocum per ſe inſtituit, & pro ſubdiſtinctivo quandoque Miniſtrum *Merca* ſubſtituit.

(o) *Raſia* Accentus eſt in metro remeabilis ſub eodem Domino.

(p) 1. *Reſia* præmittit *Merca*, quando vox immediate ſequens (naturali ſcil. ordine) habet *Mercam Mapachatum Reſia* Dominum. E. c. *Pſal.* CXXX. 7. alias vel *Mapach* vel *Munach ſupernum*: illud, cum vel plane nullus ſubdiſtinctivus præcedit, vel, facta nova *Reſia* ſubdiſtinctione, *Mapach* poteſt habere conſervum *Sarka*, ſcil. ſyllaba vocali longa affecta ante tonicam; alias *Munach ſuperius*. 2. In ditione duarum vocum ſubſtituit *Pſik*, ut *Pſalm.* XXVIII. 9. *Job.* XXXIII. 27. &c.

(q) 1. *Reſia* conſecutionem fere habet regularem, tum ubi ſemel diſtinguit, ut *Pſal.* XXII. 24. LXXI. 6. LXXVIII. 31. LXXIX. 9. tum ubi bis, ut *Pſalm.* II. 12. LXXIX. 1. CLI. 4. 2. *Reſia*, *Sarka*, & *Tiphcha* in ditionis mediate bis diſtinguendæ prima ſede habet *Paſer*, & ante hunc *Pſik*, *Pſal.* V. 12. CXXVI. 2. CXL. 6. & in immediata licet quandoque repetere *Pſik* loco majoris *Paſeri*, *Pſalm.* XL. 6. XLIV. 3.

(r) *Schalſchelet* vicarius eſt *Reſiæ*, conf. c. n. 2. & k. n. 3.

(ſ) Quandoque eſt Miniſtri ſocius. Vide §. 6. r. 6.

(t) 1. *Sarka* habet *Merca*, quando tonus Miniſtri ipſius incidit in primam dictionis ſyllabam, vel literam dageſchatam, ut *Job.* III. 5. alias *Munach*. 2. In ditione duarum vocum præmittit loco ſervi *Pſik*, *Pſal.* XII. 3. *Prov.* XXIV. 24.

(u) 1. Conſecutio *Sarkæ* eſt fere regularis, tum ubi ſemel diſtinguit, ut *Pſal.* XXXII. 7. XXXV. 27. LXXVIII. 38. LXXIX. 6. tum ubi bis, ut *Pſal.* XXXII. 6. LXXV. 6. 2. Valet & de eo, quod monuimus de *Reſia quæſt.* 2.

(w) 1. *Tiphcha* ponitur ante primam vocalem vocis, quando Dominus eſt. 2. Conſecutio utcunque regularis, tum ubi ſemel diſtinguit, ut *Pſal.* II. 5. XVI. 9. tum bis, ut *Pſal.* XXVII. 1. *Job.* XXXII. 1. Cæterum in *ſecunda* a ſe voce diſtincturus *Tiphcha* anterior etiam ſubſtituit Miniſtrum, præcedente ſervo *Mapach*, com-

componendo cum conservo *Sarka*, ubi potest. 3. Valet & de eo, quod de *Resia* dictum ad *quæst.* 2.

(x) *Paser* Accentus remeabilis in metro.

(y) Consecutio utcunque regularis. E. c. *Psal.* XXII. 25. XXXIX. 13. CXLI. 5. *Prov.* XXX. 8.

(z) 1. *Psik* in metro remeabilis est. 2. Quando præmittit servum *Mapach* est *Kadmatus*, alias *Mapachatus*. 3. Aliquando deficit, manente solo *Mapah* vel *Kadma*. 4. Pro subdistinctivo subdelegat Ministrum.

APPLICATIO.

Praxin accentuationis metricæ aggressurus in accentuatione prosaica probe sit exercitatus, & notas hactenus exhibitas probe expenderit, necesse est. Modum præibimus e *Psal.* XII. 6. ubi ultima vox 17 habet pro more *Silluk*, (vide notam A.) præcedens יפיח utpote cohærens (*ut respiret sibi*) habet *Silluki* Ministrum, eumque *Mercam*, ex præscripto Annotationis B. 1. Præcedens vox בישע juxta ductum Schematis posceret subdistinctivum minorem *Psik*, verum ejus loco adhibitus est major *Resia Gereschatus* juxta *c.* 1. *α*. Præcedens vox אשית utpote cohærens (*ponam in salutem*) habet *Resiæ Gereschati* ordinarium Ministrum *Mercam*, & sic explicit *ditio Silluki*, sive ultimum orationis membrum, cujus Accentuum nexus a *Silluko* dependet.

Vox יהוה inchoat (ordine retrogrado) *ditionem Atnachi* (conf. *c.* 2. *b.* 1.) ubi vox præcedens *Atnachata* יאמר utpote cohærens (*Dicit Dominus*) habet ejus Ministrum *Munach* (juxta *l.* 1.) Præcedens vox אקום habet e præscripto Schematis subdistinctivum minorem *Atnachi Tiphcham anteriorem*: præcedens עתה cohærens (*jam surgam*) *Tiphchæ* anterioris ordinarium Ministrum *Munach*, & ita quoque desinit *ditio Atnachi*, qui, ubi *Merca Mapachatus* in versu præsens est, minorem eo distinctionem periodi facit.

Vox אביונים habet *Mercam Mapachatum* majorem *Silluki* subordinatum Dominum sive distinctivum (juxta c. 2.) Vox præcedens מאנקת quia cohæret (*ob gemitum pauperum*) habet *Merca Mapachati* ordinarium Ministrum *Jerach*. Vox præcedens עניים distincta in sensu, subdistinctivum ejus minorem *Sarkam*, præcedens משד in sensu connexa (*ob desolationem*) *Sarkæ* Ministrum, eumque *Mercam*, ob vocem dagessatam (juxta notam t. 1.) Plura dabit exercitium, in quo ita sese gerat Philebræus, ut difficiliora, & quæ assequi non valet, trasmittat primum, donec in facilioribus satis sit confirmatus, & sic paratior ad cætera.

JOHANNIS BUXTORFII
TRACTATUS BREVIS
DE
PROSODIA METRICA
HEBRÆORUM.

COpiose & sufficienter pro instituti nostri ratione, solutæ orationis modos duobus libris præcedentibus explicavimus. Nunc cum temporis aliquid ad nundinas adhuc supersit, ligatæ quoque certoque metro ac syllabarum numero conclusæ orationis formam, hic breviter subnectemus, ne quid ad plenam hujus linguæ tractationem Grammaticam studiosi requirant. Non tantum enim prosaice, ut loquuntur, sed & metrice aliquot Veteris Testamenti libri, ut Jobi, Psalmorum, Proverbiorum & alii quidam scripti leguntur, item Sanctorum quædam Cantica, ut Israelitarum *Exod.* 15. Mosis *Deut.* 32. Deboræ & Barak, *Jud.* 5. Hannæ 1. *Sam.* 2. Habacuci *Hab.* 3. & alia. Quippe placuit Deo, quandoque soluta simplicique oratione, suam voluntatem hominibus per homines sanctos & propheticos aperire, quandoque numerosa & concisa, quæ brevitate sua ingens præstaret memoriæ subsidium, & pia modulatione (quæ ad eam fere accedebat) ad animos ardenti pietatis studio afficiendos, adminiculum suppeditaret efficacissimum. Unde de poeseos antiquitate non est, quod quisquam quærat, quum nihil ipso Verbo Dei scriptis comprehenso, cum quo poesis fuit publicata, nihil nobis sit antiquius. Neque tamen tunc primum fuit nata, quippe quæ cum ipso sermone populari orta, & ut Aristoteles loquitur in Poetica, *elocutioni jam constitutæ, natura ipsa mox proprium ad invenit metrum*, sed usus ejus præclaro exercitio confirmatus, & Dei laudibus consecratus. Esse autem quædam scripta biblica poetica, præter omnes Hebræos, etiam in Latina Ecclesia Hieronymus, Christianorum omnium sui temporis Hebraice doctissimus, in Prologo in Jobum testatur, dum scribit: *A principio voluminis, usque ad Verba Jobi, quæ tertio capite incipiunt, apud Hebræos prosa oratio est. Inde usque ad versum septimum capitis ultimi hexametri Versus sunt, dactylo spondæoque currentes, & propter linguæ idioma, crebro recipientes & alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quoque rhythmus ipse dulcis & tinnulus fertur numeris pedum solutis, quod metrici magis, quam simplex lector, intelligunt. A supradicto autem versu usque ad finem libri, parvum comma quod remanet, prosa oratione contexitur. Quod si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebræos, & in morem nostri Flacci, Græcique Pindari, & Alcei, & Sappho, vel Psalterium vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia ferme Scripturarum cantica comprehendi, legat Philonem, Josephum, Origenem, Cæsariensem Eusebium, & eorum testimonio, me verum dicere comprobabit.* Hæc ille. Josephus in fine libri secundi Antiquit. Judaic. de cantico Mosis & Israelitarum scribit: *Moses carmen laudes Dei, & ob præsentem favorem gratiarum actiones continens, hexametro versu composuit.* Præter hæc, idem non obscure demonstrant ipsum genus orationis ab omnibus aliis libris diversum, concisum scilicet & brevibus membris conclusum, sublime, allegoricum, hyperbolicum, & quibuslibet figurarum luminibus illustre, quale fere poeticum in omnibus linguis esse solet. Denique accentuum specialis in libris istis & Canticis usus id evidenter evincit. Sunt enim ad metron & cantum ita accomodati, ut modulationem & numerum poeticum singulari artificio olim regerent, qua in resanctam Hebræorum antiquitatem, optime exercitatam fuisse credendum. Sed cum metri sacri modus numerusque artificiosus, post prophetarum tempora paulatim negligi cœperit, ac tandem decrescente magis magisque prisca Hebræorum sapientia, heu pudenda nimis apud eos oblivione sit deletus, nos pauca tantum de eo in genere dicemus, ac metricæ orationis popularis rationem solidius & perfectius explicabimus.

Oratio metrica est, quæ perpetuis certi numeri poetici legibus astringitur. Hebraice dicitur שיר vel שירה *Canticum*, & sic Verbum שורר *Cecinit*, Versus dixit,

xit, ut & apud Latinos poetæ dicuntur *Canere*, quando carmine res describunt, ut in illo: *Arma virumque cano*. משורר *Cantor*, versus dicent, Carminis, autor. A Davide etiam Carmen vocatur משל *Parabola*, חדה *Ænigma*, *Psal.* 49. 5. & sic ab Asapho, *Psal.* 78. 2. a genere dictionis parabolico & allegorico. Posteriores Rabbini dixerunt פיוט *Poema*, פיטן, *Poeta* Græcorum vocem in suam flectentes.

Numerus poeticus est vel *Metrum* vel *Rhythmus*.

Metrum est, quod vel certum syllabarum *numerum* tantum, vel certæ mensuræ *pedes* certis locis collocatos simul continet.

Partes ejus duæ sunt, quæ Latinis Græcorum voce *Hemistichia* dicuntur, conjunctim autem *Distichon* efficiunt. Prius Hemistichium Hebræis dicitur הלת vel דלת *Ostium*, introitus, ingressus metri: posterius סגר *Clausura*, conclusia metri. Hæ conjunctæ, sive totum Distichon vocatur בית *Domus*, quasi perfecta metri structura ædificiumque absolutum. Hinc porro vocant פסוק pauciora quam decem complectens בתים metra sive disticha, & שירה quod decem ac plura continet.

Metrum certo ac solo syllabarum numero constans; juxta R. Mosche Schem tobh, aliosque Hebræos, poema sacrum est, Jobi Psalmorum, ac Proverbiorum libris maxime, tum etiam aliquot Sanctorum Canticis, descriptum. Hic vero pro ratione sententiæ, vel unico versu metrum absolvitur, aut duobus hemistichiis, aut etiam tertio, quartove additis, ita ut vel tristichon aut tetrastichon unus פסוק sive versus comprehendat.

Utrumque hemistichium vel pari syllabarum numero constat, vel alterutrum numero excedit.

Pari numero conveniunt,

בי לא סגר דלתי בטני ויסתר עמל מעיני:

Quoniam non clausit fore uteri mei; nec abscondit molestiam ab oculis meis, Job.3. 10.

הנה זאת חקרנוה כן-היא שמענה ואתה רע-לך:

Ecce hoc investigavimus, & sic est: audi illud, & tu scito tibi, Job. 9. 27.

שמע בני מוסר אביך ואל-תטוש תורת אמך:

Audi fili mi disciplinam patris tui: & ne dimittas legem matris tuæ, Prov. 1. 8.

אגר בקיץ בן משכיל נרדם בקציר בן מביש:

Congerit in æstate filius intelligens: somno sopitus est in messe filius pudefaciens, Prov. 10. 5.

קראתיך הושיעני ואשמרה עדותיך:

Invoco te, serva me: & observabo testimonia tua, Psal. 119. vers. 146.

עשה משפט לעשוקים
נתן לחם לרעבים
יהוה מתיר אסורים:

Qui exercet judicium erga oppressos, Dat cibum famelicis, Dominus *solvit vinctos*, Psal. 146. vers. 7. & sic plurima.

Excedentis numeri, quando scilicet alterum hemistichium plures syllabas habet, alterum pauciores, exempla infinita sunt, & sic fere Cantica omnia sacra descripta extant, in quibus aut excedens numerus grata modulationis celeritate absorbetur, aut deficiens suavi vocis variatione minuritioneve quadam completur & perficitur.

Rhythmus curatus non aliter fuit, quam qui sua sponte prodiret, & fortuito incideret, non autem studio elaborato videretur accersitus, quod non raro etiam, Davidi inprimis, accidisse animadvertimus, quo nomine Hieronymum antea dicentem audivimus, rhythmum quandoque tinnulum audiri: ut,

האנכי לאדם שיחי ואם-מדוע לא-תקצר רוחי:

Nunquid ego ad hominem sermonem meum? quod si, quare non angustiis afficietur spiritus meus? Job. 21. 4.

שלח מלך ויתירהו משל עמים ויפתחהו:
שמו ארון לביתו ומשל בכל-קנינו:

Misit rex & expedivit eum: dominator populorum, & solvit eum: Preposuit eum dominum domui suæ: & dominatorem in totam possessionem suam, Psalm. 105, vers. 20. 21.

לראות בטובת בחיריך
לשמח בשמחת גויך
להתהלל עם-נחלתך:

Ut fruar bono electorum tuorum, ut læter lætitia gentis tuæ: ut glorier cum possessione tua, Psal. 106. vers. 5.

אל-תתחר במרעים אל-תקנא ברשעים:

Ne effervescas propter maleficos: ne invideto improbis, Prov. 24. vers. 19. & similia.

Si quæ alia dimensionis ratio in hac poesi fuit, quam fortasse occulta accentuum dispositio indicarit, ea inde a prisca illa vetustate cum sapientibus Hebræis in oblivione sepulta jacet. Fuerit ergo

hæc

hæc quasi infantia quædam poeseos istius sacræ solo syllabarum numero circumscripta, quam popularis usus suavitate Rhythmi & accuratiore dimensione expolivit. Sic sane & aliis quibuslibet gentibus animadversum est, primitivam poesin sine ulla longarum vel brevium dimensione, solo rhythmo definitam fuisse. Unde Quintilianus *lib. 9. cap. 4.* scribit, *rhythmum aurium mensura, & similiter decurrentium spaciorum observatione, esse generatum, mox in eo repertos esse pedes. Ante enim carmen ortum est, quam observatio carminis:* indeque illud,

Fauni vatesque canebant.

Quare יעמול לרוח *in ventum laborabit*, (ut loquitur Koheleth 5. 15.) qui in his penitius perscrutandis, operam ulterius impendet, consequeturque id, quod Rabbi Akibha cuidam anxie laboranti sed parum proficienti, respondit, ut legitur in Bava Kama *pag.* 95. צללת במים אדירים והעלית חרס בידך: *Demisisti te in profundum aquarum validarum, & eduxisti testam manu tua.*

Metri altera species est, quæ *pedum* apte dispositorum certa dimensione constat, qualis populari usu magis exculta fuit.

Pes est dimensio certis syllabarum temporibus definita, estque *monosyllabus* aut *bisyllabus*.

Monosyllabus dicitur תנועה id est, *Motio*, syllaba scilicet justo tempore mota & prolata, hoc est, longa, quam *semispondeum* appellare possumus. Hunc pariter efficiunt quinque longæ & quinque breves vocales: ut, אב, אך. Si continuo repetatur, Latinis dicitur *Spondeus*, Hebræis שתי תנועות *duæ motiones:* ut, ספר. Quod si Tenuah vel Syllaba longa adhuc accesserit, fit *Molossus:* ut, כפים.

Bisyllabus dicitur יתד id est, *Clavus*, quasi obtusam & acutam habens, hoc est, primam brevem & alteram longam, qualem Latini *Jambum* vocant. Hunc constituunt vocales brevissimæ quatuor, Scheva simplex mobile, Chateph. pathach, Chateph sægol, Chateph kametz, ut, בכל, שמר, עני, עלי, חצי, פרי. Si addatur ipsi semispondeus a fine, fit qui Latinis dicitur *Bachius*, ex prima brevi, & duabus longis: ut, חמרים, אמונים, עכדים, מלכים. Qud si ab initio adjungatur syllaba longa, fit *Amphimacer* sive *Creticus*, ex prima longa, media brevi, ultima longa: ut, עברך sed hic rarissime usurpatur, ut inter carminum genera apparebit. Plures pedes Hebraica poesis non habet, unde Trochæo uti caveas. Nam Scheva post vocales longas pro mutuo habetur, si eo ad jambum opus non habeas, ut mox declarabitur.

Porro in brevis Syllabæ constitutione, negotium omnium maximum est, unde ulterius explicanda. Ergo Schurek in litera ו initio dictionis, non sequentes Scheva, breve est, ut, ומה, ובי, Jambus, ופיך Bachius. Schurek enim hic est loco Scheva, & ita eandem quantitatem retinet, ut in hoc carmine:

– – ∪ – – – ∪ – – – ∪
ומרשות והוד מלך ברחה
דרוש צדק ובקש לך נכוחה:

A potestate & majestate regis fuge,
Sectare justitiam, & require tibi rectum.

Hic ום Jambus est, æque ut in altero, דרוש: item ובק idem est cum והוד. At si hoc ו post se habeat Scheva, tunc loco Chirek ponitur (ut *lib. 2. cap. 21.* tradidimus) ac proinde constituit syllabam longam, sicut ipsum Chirek, ut Eliæ Cantico *6.*

– – – – ∪ – – –
אחד משרת אל-כלם
ושמו שוא ולכך נברא:

Unus est *minister omnium illorum,*
Cujus nomen Scheva, ideo creatus.

Observandum præterea de vocalibus brevissimis.

Primo, ab initio dictionis semper adhibentur ad constitutionem jambi, neque Scheva unquam absorbere illic licet.

Secundo, in media dictione usus ipsarum plane liber est: volo dicere, Scheva post vocalem longam per se mobile, hic potest esse quiescens, si syllaba brevi opus non habeas, & Scheva post vocalem brevem per se quiescens, hic mobile fieri potest, si syllaba brevis tibi necessaria sit. Deinde Scheva compositum, quod per se semper mobile est, hic in simplex & quiescens resolvi potest, aut saltem pro eo sumi, si necesse sit, ut videre est in sequentibus:

– – – ∪ – – – ∪ – – – ∪ – – – ∪
אדון עולם אשר מלך בטרם כל יציר נברא:
לעת נעשה כחפצו כל אזי מלך שמו נקרא:
ואחרי כי-כלות הכל לבדו י מלוך נורא:

Dominus mundi qui regnavit antequam ulla creatura creata esset,
Quo tempore factum est per voluntatem ejus omne, tunc Rex nomen ejus vocatum est,

Et

Et postquam absolvit omnia, ipse solus regnat reverendus.

Hinc in secundo hexametro נעשה spondeum facit, ut in primo עולם. In tertio ואח Jambum constituit, ut in secundo לערה. In eodem, in vocibus ככלות & ימלוך Scheva, quod alias quiesceret in prosa, trahitur ad constitutionem jambi. Sic R. Chai in celebri isto Carmine morali, quod vocat מוסר השכל במליצה: ut,

– – ∪ – – – ∪ – – – ∪

מלאכתך ת-היה באמת נכונה
ומאזנך בצדק ו-אמונים:

Opus tuum esto in veritate rectum,
Et statera tua sit in justitia & fidelitate.

Hic Scheva in תהיה fit mobile, & in מאזנך quiescens: Chateph sægol autem in באמת quiescens, ac si esset scriptum באמת. Idem in eodem Carmine.

– – ∪ – – – ∪ – – – ∪

תהי נא אז-נך אל-פי חכמים
ועינך ת--אסוף מהם לשמים

Esto auris tua attenta *ad os sapientum,*
Et oculus tuus colligat ab ipsis topazios.

En Scheva post Tzere quiescens.

בכיסך אל תרנא ב--חברך

In crumena tua ne invideas sodali tuo.

Hic Scheva post Chirek longum fit quiescens. Elias Canticos 8. eodem carminis genere scribit:

– – ∪ – – – ∪ – – – ∪

חזק ואמץ בני ולמד זמיר זה
מפרש דין משרת ל--מלכים

Confortare & roborare, fili mi, & disce canticum hoc,
Exponens judicium ministri regum.

En Chatph sægol pro Scheva quiescente usurpatum in ואמץ: Schurek cum Scheva quiescente, syllabam longam constituit in ולמד: Scheva quiescens, mobile factum in למלכים, & sic in probatissimis quibusque Carminibus invenitur.

Tertio, gemini in media voce Scheva posterius, semper syllabam brevem constituet, ut in יחצאל. Vitiosum nimis est, si posterius pronunciatione etiam absorbeatur, ut a quibusdam Cantoribus factum legitur. Posterius enim syllabam semper inchoat, ac proinde eodem modo se illic habet, ut in principio dictionis.

Quarto, Scheva sub litera dagessata, syllabam brevem efficiet: ut in ויהי ,הדברים, in quo similiter quandoque poetæ peccasse deprehenduntur. Attamen cum Dagesch in prosa oratione ex litera Schevata sæpe excidat, eodem jure Elias in metro quoque utitur, & Dagesch ejecto Scheva facit quiescens, ut Cantico 12. להמלכים ,והטעמים, quibus pro jambo & Spondeo utitur.

Sic sunt pedes & eorum mensura.

Rhythmus est numerus poeticus, certum syllabarum numerum certis clausulis terminatum continens, qui Hebræis dicitur חרז vel חירוז, & inde שיר חרוזי Carmen rhythmicum. Hunc numerum ut in omnium gentium & nationum sermone ipsa natura generavit, & quidem vel ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων (ut Aristoteles in Poetica loquitur) ex ipsis ex temporariis & sponte se profundentibus loquendi modis: ita & in gente Hebræa antiquissimus habetur. Unde R. Mosche Schem tobh, ex celebri familia Chabbibh, quæ in Hispania aliquando floruit, oriundus, scribit in libello מרפא לשון *Marpe laschon*, se in longinquis peregrinationibus suis vidisse in magno monte aliquo lapidem sepulchralem Amasiæ regis Judæorum, in quo hæc tantum insculpta legere potuerit, reliquis vetustate obliteratis:

שאו כינה בקול מרה לשר נדול לקחו יה
לאמציה

Ex istorum simili fine collegit, rhythmicum numerum in Versibus fuisse etiam tum usitatum, cum Israelitæ adhuc in terra sua degerent.

Rhythmus, ut scribit R. David Jechai fit tribus modis: *primo* quando fines una litera conveniunt, ut נחמד ,גלעד ,ברד ,אבד: Hujusmodi Carmen vocatur שיר עבר *Carmen transiens*, tolerabile, quod transire & ferri potest, etsi parum elegantiæ habeat, & autores raros. *Secundo*, quando duabus literis: ut לשמר ,לנמר ,לאמר: Hoc vocatur שיר ראוי *Carmen conveniens*, aptum, dignum, estque omnium usitatissimum. *Tertio*, quando tribus: ut, ספרים נברים דברים: hoc dicitur שיר משבח *Carmen laudabile*, etsi ob paucitatem talium vocum non ita frequens sit, aut si usurpatur, brevius est. Denique vitiosum habetur, literas similis pronunciationis in rhythmo usurpare, ut סכה & צוקה, aut מסה & מצה & quæ sunt similia. In voca-

calibus similibus id non tantopere curatur, ut חכרות חמורת, quod tolerari possit, etsi melius sit abstinere a talibus.

Hæc de Rhythmo: nunc de metri generibus.

Ex pedum & rhythmorum varia dispositione, varia metri oriuntur genera. Innumeris enim pene modis illud fieri potest pro cujusque arbitrio & libidine, modo semel instituta mensura in eodem semper continuetur.

Genera ejus summa duo sunt: פשוט *Symplex*, ומרבע & *Compositum*. Utrumque vero vel קשור *Ligatum*, vel מחלק *Incisum*.

Simplex, quod ex meris syllabis longis, spondeis vel semispondeis constat. Quatuor spondei hic frequentissimi sunt & vocatur שיר פשוט ומרבע *Carmen simplex & quadratum*. Simplex, quia tantum syllabas longas habet: Quadratum a quaterna dimensione, quasi *Tetrametrum* dicas. Binæ enim syllabæ semper conjunguntur, quas, ut dictum, שתי הנועות *duas motiones* sive syllabas vocant, neque unico vocabulo, ut Latini per Spondeum, eas hactenus nominare instituerunt. Hujus possunt plures esse species, quarum quasdam, quæ magis frequentes sunt, ponemus.

Prima species est, quando bini quique versus eodem rhythmo clauduntur: ut,

- - - - - - - - -
אתן שבח גם תפארת
לאל תכן רום בזרת:

Tribuam laudem atque gloriam,
Deo, qui *direxit sublimia palmo.*

Hujus tamen pauca illustria exempla in integro Carmine extant.

Secunda, quando omnium omnino versuum finis idem est, & vocatur שיר חרוזי *Carmen rhythmicum*:

אשירה נא   שיר נכבדות
באר הטב   ובלי חידות:
ואבאר ע   שר הנקדות
איך נחלקו   לשתי ידות:
חמש מהן   אנשי מדות
חמש מהן   אנשי דות:

Cantabo nunc canticum rerum honorabilium,
Explicando bene & absque ænigmate.
Explicabo autem decem puncta,
Quomodo divisa sunt in quatuor partes.
Quinque ex eis sunt viri magnæ mensuræ,
Quinque ipsorum sunt sicut ipsi Pigmæi.

Sic totum est Eliæ Canticum secundum, elegans & artificiosum.

Tertia, quando secundum hemistichium quodque eodem semper rhythmo clauditur, in primo autem nulla plane rhythmi ratio habetur. Hoc vocatur שיר קשור *Carmen colligatum*, nempe secundo quoque versu: ut,

אהיה קל כנשר וצבי
גם עז כנמר או לביא:
אשים פני כחלמיש
לעשות ברצון אלי אבי:

Ero levis sicut aquila & hinnulus,
Etiam robustus ut pardus aut leo,
Disponam faciem meam ut rupem durissimam,
Ut faciam secundum voluntatem Dei mei patris mei.

Hæc species rhythmi omnium usitatissima est, tam in simplici quam composito genere, (ut postea videbitur) eaque & totum carmen Eliæ, libro Masoreth & Tisbi præfixum, compositum est. Talia quoque & hæc sunt,

על כל קניז תקנה חכמה
על כל-מעלה תבחר שפלות:
הרחק מכל-מרה רעה
ובראש כלן מן הכילות:

Supra omnem possessionem acquire sapientiam,
Supra omnem dignitatem elige humilitatem:
Longe abesto ab omni proprietate mala,
Ante omnia vero a tenacitate.

שוכני חבל   רודצי הבל
לשוא עמלו   כל-חייהם:
ובסכלותם   עד יום מותם
גם צידה לא   עשו להם:

Habitatores orbis, sectatores vanitatis
Frustra laborant, tota vita sua:
Et stultitia sua, usque ad diem mortis suæ,
Etiam viaticum non comparant sibi.

Quarta, quando rhythmi intersecantur, ut primo versui tertius, secundo quartus respondeat, & ita deinceps: ut,

חונן דלים   מלוה לאל
וישלם לו   עשר מונים:
לכן אשרי   משכיל אל-דל
פזר נתן   לאביונים:

Gra-

Gratiose-largiens tenuibus, *mutuat Deo*, Prov. 19. 17.
Qui reddet ipsi decem vicibus, id eſt, decuplum:
Ergo beatus qui attendit ad attenuatum, Pſal. 41. 2.
Qui diſpergit, *dat egentibus*, id eſt, liberaliter dat, Pſal. 112. 9.

Quinta, quando hemiſtichium quodque, quatuor membris inciſum eſt, quorum tria priora ſemper eodem rhythmo finiunt, quartum peculiarem rhythmum habet, in toto Carmine ſimilem. Non ſemper tamen in inciſis Rhythmo opus eſt. Hoc vocatur שיר פשוט ומחלק *Carmen ſimplex & diviſum*: ut,

צדיק תמים מלא אמים
מאיש דמים על לא פשע:
תציל אותו רוב צדקתו
וברשעתו יפול רשע:

Juſtus integer, *repletus eſt terroribus*
A viro ſanguinolento, *ſine ſua iniquitate*:
Liberabit ipſum, *multa juſtitia ſua*,
At in improbitate ſua, *corruet improbus*.

Plures ſpecies formari poſſint, ſed hæ uſitatiores & elegantiores ſunt.

Compoſitum carmen eſt, quod ex omnibus pedibus, jambo ſcilicet ac ſpondeo, moloſſo bacchioque miſcetur: eſtque triplex: *Tetrametrum*, *Pentametrum*, aut *Hexametrum*. Trimetrum enim per ſe nullum inſigne eſt, niſi in Carmine mechullak ſeu inciſo, ut videbitur: unumquodque deinceps, in totidem & plures ſpecies, inverſis pedibus, ſubdividi poteſt, quod cujuſque relinquitur arbitrio. In omnibus autem primum locum promiſcue habet vel jambus aut ſpondeus. Rhythmorum eadem diſpoſitio hic eſt, quæ in præcedenti genere.

Tetrametrum eſt, quod quatuor conſtat dimenſionum locis.

Prima forma ex Spondeo, Jambo, Spondeo duplici: ut,

– – – ⏑ – – – – –
אלה מלכים העשרה
המלכים בהברה:
חמש משרתות להמש
קטון לגדול כתורה:

Illi ſunt reges decem
Regnantes in ſyllaba:
Quinque miniſtrant aliis *quinque*
Minor majori, *ut æquum eſt*. Elias Cant. 6. Sic:

קומה אלהים עזרתה
לי וענה בצרתה:

Surge Deus in auxilium
Mihi, *& reſponde in anguſtia*, Ab. Eſra.

Secunda, ex Jambo & ſpondeo alternatim poſitis: ut,

⏑ – – – ⏑ – – –
אני אגלה שלש אלה
ברתיהם ודיניהם:
מקומתם למושבותם
ותחנותם באחעה הם:

Tria illa ego revelabo
Cum judiciis & legibus ſuis:
Locus ipſorum cum ſede ipſorum.
Et manſione eorum in gutturalibus eſt: Elias Cant. 12.

והוא אלי וחי גאלי
וצור חבלי בעת צרה:
והוא נסי ומנוסי
מנת כוסי ביום אקרא:
בידו א- פקיד רוחי
בעת אישן ואעירה:
ועם רוחי גויתי
הוה לי ולא אירא:

Ipſe eſt Deus meus & vivus redemtor meus,
Et rupes ſortis meæ in tempore anguſtiæ:
Ipſe eſt vexillum meum & refugium meum,
Pars calicis mei, *die quo ipſum invoco*;
In manum ejus commendo ſpiritum meum,
Quando dormio & quando vigilo:
Et cum animo meo ac corpore meo,
Dominus *meus eſt*, *ideoque non timebo*: Ex lib. precum.

Tertia, ex ſpondeo & Jambo alternis: ut,

– – ⏑ – – – ⏑ –
מה־לך יחידה תשבי
דומם כמלך בשבי:

Quid tibi ſola ſedes?
Silens ut rex in captivitate, Gebhirolis.

Pentametrum eſt, quod quinque dimenſionum loca habet.

Prima forma, ex Jambo, ſpondeo gemino, Jambo, ſpondeo:

בעת

- - - - ∪ - - - - - - ∪

בעת תהיה דיך שפוט צדק
ואל חט דבר משפט חדל חדול:
שניהם שמע יחד ולא תשא
פני דל ולא תהדר פני גדול:

Quo tempore fueris judex, judica juſte,
Et ne pervertas rem judicii: abſtinendo abſtine:
Duo hæc animadverte ſimul: ne auferto,
Faciem tenuis, neque honorato faciem magnatis, R. Moſche Chabhibh. Tale quoque eſt Eliæ Canticum 8. Sic,

בשם אל חי הגיון לשוננו
בעוד רוח חיים באפנו:

In nomine Dei vivi loquela linguæ noſtræ,
Dum adhuc eſt ſpiritus vitæ in naribus noſtris, &c.

Hoc metro eſt editus liber quidam, cui titulus שקל הקדש *Siclus ſanctitatis*.

Aben Eſra hoc metrum intermedio rhythmo ornavit: ut,

ברום גלגל יסוב עלי מעגל
שמך יגל איום וגם נדגל:

In elevatione ſphæræ, quæ vertitur in orbem,
Nomen tuum revelatur timendum & inſigne.

Secunda ex ſpondeo, Jambo, ſpondeo, Jambo, ſpondeo: ut,

נפש אשר עלו שאוניה
אנה תשלח רעיוניה:

Animus cujus aſcenderunt perturbationes,
Quo mittet ratiocinationes ſuas? Gebhirolis.

Hoc genere metri uſus Elias Cantico 9. item R. David Kimchi in principio ſui Michlol, quod cum forte, dum hæc materia prælum ſubire deberet, inſpicerem, ita ſua ſuavitate arriſit, artificioque placuit, ut deſcriptum ac verſum, dignum judicarim, quod huic tractationi inſereretur.

השכל וידוע אשו נכחי
ולעלגי שפה אחו רוחי:
יזל כטל שיחי ואמרתי
על גז כהטר יערוף לקחי:
אקרא בשם אל לעזור אותי
כי הוא לבד שברי ומבטחי:

ידע לבבי כי בתום הולך
בוחן סעיפותי ובן טוחי:
לא לעשות לי שם אני כותב
ולהעלות זכרי וטוב שבחי:
אכן לישר נעוה לשון
ולנחלה שפה יהי אמרתי:
וליודעים חן מענה אתן
גם לחכמים ארקחה רקחי:
ספרי יהי זכרי ואעדהו
תמיד בטוטפת עלי מצחי:
כספי זהבי הוא וטוב סחרי
הוא יהיה מכרי ומקחי:
הוא יהיה לחמי בעת ארעב
ולריב לשונות יהיה שלחי:
הוא יערוך שלחן לכל רעב
שלחן לשון עבר ובו יחי:
ולשואלים לו מי ילדהו
יענה לבב דוד בנו קמחי:

Intellectum & ſcientiam diſponam coram me,
Et balbutientibus ſermone indicabo ſpiritum meum:
Fluet ut ros eloquium meum & ſermo meus
Super herbam-ſectam, ſicut pluvia ſtillabit doctrina mea.
Invocabo nomen Dei, ut auxilio ſit mihi,
Nam ipſe ſolus eſt ſpes mea & fiducia mea.
Ipſe novit cor meum quod in integritate ambulem.
Ipſe probat cogitationes meas & intelligit præcordia mea.
Non ut comparem mihi nomen, me ſcribere,
Aut ut extollam memoriam mei aut magnam laudem meam.
Sed certe ut dirigam perverſum lingua,
Et ægrotanti labiis, ſerviat emplaſtrum meum.
Scientibus autem gratiam, reſponſum dabo,
Etiam ſapientibus condiam condituram meam.
Liber meus erit memoriale mei, ipſum ornabo
Jugiter, ſicut ornamentum ſuper frontem meum:
Argentum meum & aurum meum ipſe eſt, & optima merx mea,
Ipſe erit venditio mea & emtio mea:
Ipſe erit panis meus quo tempore eſurio:
In contentione linguarum ipſe erit enſis meus.
Ipſe diſponet menſam omni eſurienti,
Menſam, inquam, linguæ Hebrææ, ut in ea vivat.
Si qui autem interrogent ipſum: Quis genuit ipſum?
Reſpondebit: animus Davidis *filii* Kimchi.

Tertia, ex ſpondeo, Jambo, ſpondeo, Jambo Moloſſo: ut,

– – ∪ – – – ∪ – – – – ∪ – – –

עת שערי רצון להפתח
יום בו אהי כפי לאל שוטח

Cum tempus eſt portas benevolentiæ aperiendi,
Die eo ipſo ero manus meas ad Deum expandens, Maimonis.

קרחא להרחיב כנשרים שרים
חושו ותחת שיר אמרים מרים:

Calvitium dilatandum eſt inſtar aquilarum, o cantores,
Feſtinate, & pro cantico, dicta amara, &c.

R. Joſephi ben Jehajæ obitum cujuſdam deflentis, in quo etiam ſpecies echus obſervanda. Tale quoque eſt Eliæ Canticum primum:

אשא לבבי נא אלי כפים
אל-אל אשר חסדו בהשמים:

Levabo cor meum nunc cum manibus,
Ad Deum, cujus benignitas eſt in cœlis.

In reliquo toto iſto carmine obſervanda eſt anomalia in prioribus hemiſtichiis, in quibus pro ultima ſyllaba longa ſemper utitur, Jambo, quod idem feciſſe obſervo R. Joſeph in Carmine Bibliis Venetis magnis præfixo, quod ex hac quoque pentametri forma eſt.

Quarta, ex ſpondeo, Jambo, ſpondeo gemino, bachio: ut,

– – ∪ – – – – – ∪ – –

אמנם לברך שם נורא ועילום
עמי בשיר קומו ולכו לשלום:

Certe ad benedicendum nomini reverendo & excelſo
Popule mi, cum cantico ſurgite & pergite in pace.

Tali & Rabi Abraham Eſra alicubi uſus: ut,

כי אשמרה שבת אל ישמרני

Quum ego cuſtodio ſabbathum, Deus cuſtodiet me.

Quinta forma, ex Jambo, ſpondeo, Jambo, ſpondeo, bachio: ut,

∪ – – – ∪ – – – ∪ – –

שמע קולי אשר ישמע בקולות
והאל המקבל התפלות:

Audi vocem meam, qui attendis ad voces
O Deus, qui ſuſcipis preces.

וכל-גבר אשר אין לו תבונה
הלא הוא כבהמה באמונה:

Omnis vir cui non eſt intelligentia,
Nonne eſt ſicut jumentum in veritate?

Hujus generis quoque eſt illud Kimchianum, ſi modo ipſe autor eſt, quod in fine Michlol legitur:

אשר למד ותורה לו לקנין
ולא למד ימוד דקדוק ולא בן
כמו חורש אשר ינהג שורים
וידו מבלי מלמד ודרבן:

Qui ſtudet ut Lex ſibi cedat in poſſeſſionem,
Neque diſcit fundamentum Grammaticæ aut non intelligit illud,
Eſt ſicut arator qui regit boves
Et manus ejus eſt ſine ſtimulo aut aculeo.

Hoc metro etiam ſcriptum eſt carmen ethicum R. Chai, & multa alia in libris precum judaicarum.

Hexametrum eſt, quod ſex dimenſionum loca continet.

Prima forma ex ſpondeo, Jambo, ſpondeo gemino, Jambo, ſpondeo, qua uſus R. Moſche ben Chabhibh in hoc carmine: ut,

– – ∪ – – – – – ∪ – – –

נפשי במצות אם יפו פעמיך
בתי ברו כה את יאמר אלהיך:
לכן בכל כחך בשת עלומיך
זכרי והנקי מכל-בדיליך:

O anima mea, in præceptis Dei ſi pulchri fuerint pedes tui;
Filia mea benedicta tu es, dicet Deus tuus.
Idcirco omnibus viribus tuis pudoris adoleſcentiæ tuæ
Recordare, ut mundes te ab omni ærugine tua.

Tale quoque eſt Eliæ Canticum undecimum.

Secunda, ex ſpondeo & Jambo, alternatim ter poſitis: ut,

– – ∪ – – – ∪ – – – ∪ –

גבר אשר תבא להתפלל לבית
קדש וצפצופך כמו צפור דרור:
איך מפשעיך תטהר לבך
או תמצא בזה לנשמתך דרור:

כוז בכל כח לברך צורך
אז יעלה ריחך כריח מור ברור:

O vir qui venis ad orandum in domo Sancta, eſtque muſſitatio tua ut aviculæ liberæ,
Quomodo ſcilicet ab iniquitatibus mundaturus ſis cor tuum,
Aut inventurus illic animæ tuæ libertatem:
Intentus eſto omnibus tuis benedicere Rupi tuæ,
Tunc aſcendet odor tuus ſicut odor myrrhæ liberæ.

Tertia, quando prius hemiſtichium conſtat ſimiliter ex ſpondeo & Jambo ter alternatis, alterum autem ex Spondeo, Jambo, Spondeo, Jambo & moloſſo, quali R. Moſche ben Chabhibh in refractarias mulieres uſus eſt in hunc modum:

–⏑ –– –⏑ –– –⏑ ––
––– –⏑ –– –⏑ ––

אם אשתך רעה ולא תשמע לקול
שיחך לשרתך ורע חורשת:
דע כי במקל עז לפרה סוררה
תישר תלמיה והיא חורשת:

Si uxor tua mala fuerit, neque auſcultaverit voci
Sermonis tui, ut miniſtret tibi, ſed malum machinetur:
Scito quod ſi baculo forti vitulam refractariam
Direxeris, ſulcos ſuos tum ipſa recte arat.

Quarta ex ſpondeo, bachio, Jambo, ſpondeo, Jambo, ſpondeo: ut,

Tali uſus R. Jehuda Hallevi in precatione, quam compoſuit in ingreſſum ſuum in urbem Jeruſalem: ut,

–– –⏑ –– –⏑ –⏑ ––

ציון הלא תשאלי לשלום אסיריך
דורשי שלומך והם יתר שריריך:

O Sion, nonne requires pacem vinctorum tuorum
Quærentium pacem tuam, qui ſunt reliquiæ gregium tuorum.

Simile huic.

גבר אשר דת וחוק חרות עלי לבו
ישמח וישש כגבור עת שלוף חרבו:

Vir ſuper cujus cor lex & ſtatutum exſculptum eſt,
Gaudebit & lætabitur ſicut potens tempore quo ſtringit gladium ſuum.

Quinta, cum prius hemiſtichium conſtat ex ſpondeo, Jambo, ſpondeo gemino, Jambo, ſpondeo: alterum autem hemiſtichium ex ſpondeo, Jambo, duplici ſpondeo, bachio. Hoc uſus R. Moſche Schem tobh, hoc modo:

–– –⏑ –––– –⏑ ––
–– ⏑– –––– –⏑ ––

לבי מאד יהמה כל־יום ולא ישקוט
כי בערה בו חום עם אש מלקחת:
כראות איוש זריז חריף ומשתדל
לא תמצא ידו קיתון וצלחת:
שבתי וראי תירפה ומתרשל
סכל וגם עצל ידו נצלחם:

Cor meum valde tumultuatur quotidie neque quieſcit,
Ardente in ipſo calore cum igne ſuſcepto,
Cum videt hominem ſolicitum, acrem & induſtrium,
Ut non inveniat manus ejus calicem aut patinam.
Cum ſedeo & video, remiſſi & etiam agentis,
Stulti & pigri manum proſperantem.

Sexta ex bachio, Jambo, ſpondeo, bachio, Jambo, ſpondeo.
Hoc uſus eſt alicubi R. Abraham Aben Eſra: ut,

⏑–– –⏑ ––⏑ –– –⏑ ––⏑

בשם אל אשר יצר והעוז באמרותיו
וערך ויצר כל וכלה פעלותיו:

In nomine Dei qui formavit, & robur eſt in verbis ejus.
Quique diſpoſuit & formavit cuncta, ac perfecit opera ſua.

Eodem metro & R. Solomon Gebhirolis filius precationem conſcripſit, ex his verbis:

אמת אל אמת אתה ואם לא ראיתיך
ואולם ברוב טובך בכל עת הסיתיך:

In veritate Deus veritatis tu es, etſi non viderim te,
Verumtamen propter amplam bonitatem tuam quovis temporo confiſus ſum tibi.

Porro שיר מחלק Carmen quaternis membris inciſum (de quo etiam in ſimplici metro dictum) hic ſimiliter excellens & varium eſt. Membra fere ſunt trimetra vel tetrametra: rarius bimetra. Rhythmi eadem ratio, quæ ſupra.

Membra trimetra ex Jambo & duplici ſpondeo: ut,

מאוד נפשי תנעל לכל-אנשי מעל
במכרם נפשם על צרורות כספיהם:
וירבו קנינים ונטעי נעמנים
ויבנו בנינים בארץ לא להם:

Vehementer anima mea faſtidit, omnes homines prævaricationis.
Cum vendunt animas ſuas pro loculis pecuniarum ſuarum.
Multiplicantque poſſeſſiones & plantationes locorum amænorum,
Et conſtruunt ædificia in terra non ſua.

Tale quoque eſt Eliæ Canticum quintum, & Aharonis quod in fine Methurgeman Eliæ legitur.

Aliud ubi Jambus eſt in medio:

אל-אל אשר ברא כל-יש אשר נברא
קרמון בלי חברא אליו תשובתי:

Ad Deum qui creavit quidquid eſt quod creatum eſt,
Antiquum ſine ſocietate, ad eum eſt converſio mea.

Hujus generis eſt Elianum duplex, quod legitur in fine Bibliorum magnorum Venetorum, quorum primum initialibus literis Eliæ Nomen, familiam, gentem, ſtudiaque indicat.

Elias hac forma uſus eſt abſque rhythmo in inciſis:

חמו חרוזי שיר עשרים וארבעה
אל-מהלל ספר עשרים וארבעה:
אדם ישלש את היום ויקרא בו
שעות שמנה מן עשרים וארבעה:

Finem habent rhythmi mei, carmen verſuum viginti quatuor,
In laudem libri Eſrim vearbaah, id eſt, Bibliorum
Homo in tres partes dividet diem, & leget in eo
Horas octo ex horis *viginti quatuor.*

Membra *tetrametra* ex Jambo & ſpondeo alternatis: ut,

אני ישן ולבי ער בתחבולות זמן סוער
ותוך לבי כאש בוער מואד עצור בעצמותי:
ביום זכרי מזמותי תכונותי וערמותי
וקרותי וחכמותי ואנצור בא חליפותי:

Ego dormio ſed cor meum vigilat, propter curas temporis turbulenti,
In medio cordis mei eſt quaſi ignis ardens: vehementer conturbatus ſum in membris meis.
Quum recordor ſcelerum meorum, diſpoſitionum & aſtutiarum mearum,
Caſuum & calliditatum mearum: exſpecto igitur adventum viciſſitudinum mearum.

רבים שכורי יין זדון לבם עתידים לענוש
אז ישכרו מי רוש ולא יין ישמח לב אנוש:

Multi ebrii ſunt vino ſuperbiæ, ſed animo ſuo futurum eſt ut dent pœnas:
Tunc inebriabuntur aquis cicutæ, neque Vinum lætificabit cor hominis.

Aliud ejuſdem,

אמת תבחר בדבורך ולא כזב בשום עניין
והאמת יסוד שלום וכזבי בת נשיא מדין:

Veritatem elige in ſermone tuo: Et non mendacium in ullo negotio:
Nam veritas ipſa eſt fundamentum pacis, At falſitas filia eſt principis contentionum.

Nota elegantem alluſionem a nomine proprio כזבי *Cosbi* petitam, quod hic ponit pro *Falſitate*: eſt enim a כזב *Mendacium, falſitas*. Cosbi autem iſta fuit filia Tzur, principis in מדין *Midjan*, (*Num.* 25. *verſ.* 15.) ubi rurſum Nomen proprium מדין, traducit in uſum appellativi, (ut vocant) ad ſignificandum *Contentiones*; ſic enim מדינים ſumitur *Prov.* 18. *verſ.* 18. Hæc veræ duo metra hoc habent plus artificii, quod ſecundum & quartum inciſum, rhythmo conveniunt.

Membra *bimetra* ex puris ſpondeis, quale illud eſt, quod libro Zohar præfixum legitur ita incipiens: ut,

יופי זוהר זוהר שחר
תוקף שמש בצהרים:
וכגן השם מלא כל טוב
יצא ירכב ממצרים:

Pulchritudo Zohar *eſt ut ſplendor auroræ,*
Ut robor ſolis in ipſa meridie
Et ut hortus Dei repletus omni bono,
Egreditur, vehitur ex Ægypto.

Aliud ex *puris bachiis:* ut,

אנוש השׂ לרעים מכסה פשעים
ושנאת מרעים תעורר מדנים:
וחכם מהרה יבטל לעברה
וסכל שמרה לימים ושנים:

Homo ſolicitus de malis, Tegit defectiones:
Odium maleficorum, Excitat contentiones.
Sapiens velociter tollit excandeſcentiam,
Stultus ſervat eam in dies & annos.

Hinc

Hinc quidam Jehoſua multiplicem congeriem titulorum connexuit in principio Præfationis in librum Tzemach David, initialibus literis nomen indicantibus: ut,

יקידי והודי׃ פארי מאדי׃ לראשי כבודי׃
פניני זהבי :
הדרי יקירי׃ זהורי ואורי׃ בחירי גזירי׃
ואלפי דבבי :
והוא לי משושי׃ סגלה לנפשי׃ לראשי׃
וחפצי לבבי :
שלדי ודמי׃ וכתר הלומי׃ מעוזו וחומי׃
נסיכי ורבי :
עטרת שבחי׃ גויי ורוחי׃ ארוני ואבי׃
קציני כאבי :

Facilitate ſua explicationem non deſiderat. Eodem & R. Moſche Schem tobh uſus eſt: ut,

כזקן בעולל׃ היבטח במעלל׃
ברשע מגולל׃ לבלתי ישלם :
ראיתיו בעיני׃ מאדם כשני׃
בפשע וגוני׃ ויצר ושלם :

Tam ſenex quam puer, an confidet in opere
Quod improbitate involvit, & non perſolvet?
Vidi eum oculis meis, rubentem ut coccinum
Improbitate & turpitudine innatiſque vitiis, & juxta ea perſolvit.

In hunc ſenſum Latinorum poetarum aliquis ſcripſit:

Vidi ego, qui, lætis rerum ſucceſſibus utens,
Tollebat tumidum ſtultus ad aſtra caput:
Immemor atque Dei prorſus, rebuſque ſecundis
Ebrus, æthereas deſpiciebat opes.
Vix ego tranſieram, cum protinus ora retorquens,
Cum factis vidi hunc jam periiſſe ſuis.

Aliud ex meris Creticis, quod rude & inelegans cenſetur:

אדרשה חסדך׃ כי אני עבדך׃
אערוך נודך׃ מהלל נחמד :

Requiro benignitatem tuam, cum ego ſim ſervus tuus,
Diſponam coram te laudem deſiderabilem.

Denique eſt aliud adhuc inſigne ornamentum in metro מחלק inciſo, ſive ſimplici ſive compoſito obſervandum. Etſi enim per ſe pulchrum ſit, tamen cultu factum eſt ornatius. Sic utique omnis pulchritudo non tantum forma, ſed & probiore cultu commendari ſolet. Hinc deliciæ aurium ſunt, ſi ultimæ voces fiant reſonæ, hoc eſt, quarti cujuſque inciſi ſpondeus ultimus finem præcedentis dictionis, ſuavi repercuſſu, reſonantis inſtar echus, repetat. Tale præfixum eſt libro עקרת יצחק cujus primum & ultimum tantum ſpeciminis cauſa apponam. Membra ſunt trimetra, ex Jambo & gemino ſpondeo.

מקור בינה נשחת׃ וכל-משכיל נחת
במזרה או רחת׃ ונפעמים עמים :
יחזק אל דתו׃ יעורר חמלתו׃
עלי צאן מרעיתו׃ ברב רחמים חמים :

Fons intelligentiæ corruptus eſt, omniſque prudens attritus eſt,
Ventilabro aut vanno, & conquaſſati ſunt populi.
Roboret Deus Legem ſuam, ſuſcitet miſericordiam ſuam,
Super populum paſcui ſui, pro amplitudine miſerationum æſtuantium.

Ex eodem genere eſt, quo noſtra Epitome Radicum Hebraicarum & Chaldaicarum, lectorem alloquitur, cujus luſu tunc forte ſic oblectabamur.

Hoc modo poeſis Hebraica popularis, numeroſis ſyllabis vel diductior vel contractior, in varias & multiplices formas transformata eſt. Eas non omnes ſed præcipuas & uſitatiores adduximus, atque exemplis variis declaravimus, & ad ea ſingulas formas revocavimus. Quantitatis & pedum rationem, quam exquiſite & perſpicue ex uſu ipſo expoſuimus, ita ut juventus ſtudii hujus amore inflammata, imitationis viam hic planam & expeditam habeat. Sic poeſi Hebraica explicata, ſequenti Carmine bimetris membris inciſo, hunc Tractatum claudere placuit:

דרכי שירים הנבחרים
בלשון עברים פה נשל- מים :
חרוז נאה ויפה מראה׃
ובכן יראה אורים תו מים :

PO-

POLYCARPI LEYSERI DISSERTATIO DE FRUSTRA QUÆSITA POESI IN CODICE SACRO HEBRÆO.

NON existimaram, *Calmeti* dissertationem de *Poesi Veterum Hebræorum*, illiusque solide dicta, illustratione egere amplius. Adeoque promissam in fronte editionis Latinæ Dissertationem, de *Frustra quæsitis Poeticis in Hebræo V. T. Codice*, adjicere tunc nolui, satis habens, publice affixa scheda præmissa, in Prælectionibus Ordinariis, occasionem *Cautionibus ad præcognita Poeseos* suggerentibus, susius rem ipsam explanare. Dictorum pauca repetam momenta, ut aliquo modo constet, frustra poetica in V. T. fingi.

Ignorare artem Poeticam, qui, eam in Sacro Codice Hebræo invenisse se, putant, evici ex eo, quia 1. omne Poema, legibus Artis Poeticæ constrictum, requirit diversitatem *Syllabarum* ratione quantitatis, & paritatem sive æqualitatem *Metri*. Meræ breves, meræque productæ syllabæ nullam faciunt variationem Syllabarum; nullum Numerum poeticum, nullam Poesin. Irregularia & ordinata Metra ad stylum potius Lapidarem pertinent, nec carmen construunt justum. Concidit itaque omnis Poeseos doctrina quod ad verba, syllabarum diversitate & Metri convenientia concidente. Ea vero Hebrææ linguæ est conditio, ut omnes Syllabæ eandem Moram patiantur, & productæ sint, ad Arabicæ cæterarumque Orientalium Linguarum naturam. Ea deinde est prætensæ Hebraicæ Poeseos indoles, ut ne paucorum quidem linearum carmen metrum continuet idem. Mutilata Hebræorum Poesi quod ad *Verba*, videamus 2. an quid ipsi reliquum sit de *Rebus*. Quod ad Res, Poeta dignoscitur imprimis ingeniosa, & studio quæsita, *Fictione* circumstantiarum, quæ vere quidem non adsunt, finguntur tamen adesse. Ejusmodi quid de Sacro Codice Hebræo probari nequit.

Imo *Impius* foret, qui traderet 1. Psalmos Davidis, cum magnalia Dei fataque Israelitarum enarrat, fingere; vel 2. quod ad verba, metrorum certorum legibus adstrictos eos esse. Quæ sententia quantum corruptioni S. Codicis asserendæ faveat. Theologorum non uni adversus *Marcum Meibomium* iverunt demonstratum.

His fundamentis præstruetis, contradicentium objecta examinavi, quæ nunc repetere nolo. Monui coronidis loco, non esse, cur Theologici Psalmorum Davidis Enarratores doctrinam de *Re Poetica* in genere, & *Leges Poeseos* fundamenta suæ Expositionis ponant. Leges Veræ Poeseos traditas hactenus & receptas ad stylum Psalmorum nullo modo quadrare. Imo, si vel maxime Poetico stylo scripti essent Psalmi, tamen, cur, qui Sensum Textus Sacrum explicare jussi sunt, *Rem Poeticam* præmittere debeant, nullam esse causam. Perabsurdus foret, qui, *Religionis Christianæ* fundamenta ad *Hugonis Grotii* librum hujus argumenti traditurus, atque exemplar primum Batavum secuturus, ideo *Regulas artis Poeticæ* premitteret, quoniam liber carmine Belgico est conscriptus. Dabo etiam, tantisper esse non imaginaria, sed vera, in Psalmis Poetica; non magis in eorum explanatione Theologica *Leges Poeseos* præstruendæ, & sigillatim exponendæ sunt, quam Fundamenta Historiæ, Linguæ Hebreæ, totiusque Philologiæ, Matheseos, Philosophiæ, Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, & plurium specialiorum disciplinarum, quippe quarum omnium vestigia aliqua in Psalmis deprehenduntur. Inprimis *Linguæ Hebrææ Institutiones* præmitti semper Psalmorum Interpretationi deberent, quia nullum est dubium, quin ea lingua sint conscripti, cum dubium valde sit, utrum sint Poetici.

Hæc olim plenius discussa sunt. Repeto vero ea, atque animadversionibus subjiciendis augo. Nec vereor, mihi objici posse, quod corvo illi pennis, satis egregiis quidem, sed adscititiis, superbienti. Ne-

Neque falcem me in alienam messem immittere quis dixerit forte. Vi enim *Statutorum nostrorum* imo omnium Academiarum, *Poeseos Professori*, eique *Soli*, officium demandatum est, Doctrinam de *Re Poetica* in genere tradere, *Legesque* Poeseos exponere. Nam animus non est, de Psalmorum mente & argumento, sed solum de eorum Constructione Poetica dispicere. Et, quamvis ex dictis oppugnari satis possint, quæ adversantes afferunt, tamen, in eorum gratiam, qui artem Poeticam ignorant, aliisque, dari *Poesin Hebræorum in Codice Sacro*, persuadere conantur, penitius in objectionum sive soliditatem, sive imbecillitatem, erit inquirendum, ne, illotis manibus Poesin tractantes, eam inquinare pari ausu pergant. Nam, licet antiquissimus Pseudo-Poetarum *Bavius* dudum sit ex Orbe Literato præscriptus, tamen ejus soboles subinde repullulascit in *Neo-Baviis*.

Dicit *Bavianorum* nonnemo: *Quum nulli alii potius, quam diviniorum rerum notitiæ, conveniat determinare, quid sint illi Psalmi & Hymni, & Cantica Spiritualia, de quibus Paulus Col. III. 16. &c.* Mihi ea determinatio potius Philologi, quam Theologi, esse videtur. Quicquid tamen hujus sit, si demonstraverit *Bavianus*, quænam illa sint Cantica, nondum demonstravit, illa esse *Carmina*. Est Hymnus, est Canticum, est Psalmus, vulgatum illud ex sacro Codice versionis Lutheri Germanicæ desumtum, & in templis Nostratium cantari solitum: *Meine Scel erhebt den HErrn;* neque tamen est Carmen.

Mali Interpretis nota est, inferre sensum textui, neque ab hoc vitio immunem se præstabit Bavianus, qui ex 1. *Reg.* IV. 32. 33. carmen elicit, nisi imperite Cantica omnia dixerit esse Carmina. Neque, si vel objiciens *e Sileno* loquatur, sive Silenus ex objiciente, Virgilii verba huc quadrant. Virgilii tempore cantui sæpe poema junctum fuit, & versa vice. In Sacro vero Codice canentes fuisse Poetas, non largior.

Theologi qua talis esse determinare, quid in Canticis Hebraicis Arti, quid Spiritui Sancto magis competat; non asseruerit, nisi qui omnem rationem ejuraverit, atque dedidicerit, disciplinarum limites ab objectis definiri, ideoque Theologiam, quæ *Artem* nullam *Poeticam* tradit, etiam de Canticis, quamvis ratione argumenti sacris, non indicare, quid eidem Poetici insit. His contradicens concedere tenetur, quod, quicquid Carminibus *Theologici* inest, *Poeseos* sit judicare, *Sententiam*, *Rhythmum & Vocis Modulationem requiri ad omnem cantum*, falsissimum est. Ad *Cantum* præter vocis Modulationem, nihil horum requiritur. Ad *Canticum* ne quidem singula adducta requiruntur. Multa enim canuntur, quæ non sunt rhythmica. De singulis sigillatim.

Per *Sententiam* intelligit Bavianus *res ipsas & harum inventionem. Nimirum res quælibet, ut ad orationem, sic ad Carmen, aptæ sunt*, ex illius hypothesi. Egregie? Scilicet! Quia de omnibus rebus carmen conscribi potest, ergo omnes res sunt Poeseos, tanquam Poeseos, objectum. Orationum, imo cujuscunque sermonis, argumenta omnes Res esse possunt. Idcirco materia sermonis, orationis & Poeseos, cum sit eadem, formale Poeseos, Oratoriæ, & Linguarum Doctrinæ in genere non differunt. Itane? Nulla harum disciplinarum differentia? Frustra ergo Majores hodiernique Philologi sermonem *Naturalem*, *Oratorium* & *Poeticum*, distinguunt. Sed, qui male distinguit, male docet. Tyrones Artis Poeticæ norunt, Poetam non solum versari circa *Res*, sed etiam circa *Verba*. Utraque vero longe aliter esse comparata, si in *Vulgari Sermone* occurrant, aliter, si in *Oratoria*, aliter, si in *Poesi*. Vel in puero ferula dignum esset pronunciatum: *Res quælibet, ut ad Orationem, sic ad Carmen aptæ sunt*. Discat pseudo-poeseos doctor: *Res* quatenus objectum sunt Poeseos, ut ad Oratoriam *aptas*, sic ad Carmen *ineptas* esse. Nulla itaque veritatis, sed magnæ confusionis, specie dicitur: *Res historicæ, Geographicæ, Rhetoricæ &c. sunt res Poeticæ*. Ita quidvis ex quovis fieri, & in quodvis redigi posset. Theologus, quoniam de singulis rebus, Physicis, Historicis, &c. pie meditari potest; quoniamque in explicatione S. Codicis cognitione variarum scientiarum opus habet, aut saltem iis uti potest, suas faciet omnes adductas res, quia de singulis loqui potest. Quoniam itaque confusio rerum, cuique disciplinæ assignandarum, ex hypothesi oritur, rejiciendam eam esse ex vera Poesi, patet. Nam Theologus utitur quidem rebus Physicis & Historicis, non vero tanquam Physicus & Historicus iis utitur, sed ut Theologus. Ita & res Poeticæ non complectuntur res Historicas & Physicas, proprie tales. Sed Poeta per accidens iis utitur, ut Poeta, non ut Historicus &c.

Geographiam ab *Historia* separare, & vi hujus separationis *profundioribus* scientiis annumerare, per est absonum. Profundioribus scientiis communiter annumerantur, quæ meditationis & ratiocinationis ope indagantur, ex quibus Geographia sane exulat. Forte aliquando profundo cœno fuit immersus novus scientiarum locator, ut

ut inde ex particula terræ de profunditate scientiæ, quæ globum terraqueum respicit, judicaverit.

Sed, quæ *Res* præcipue sint *Poeticæ*, adhuc docebimur a Baviano: *Non gratior est*, inquit, *Poetis materia*, *quam ubi se campus affectuum prodiit*. Spe tamen & hic excido. Video enim, hæc de omni Oratore, etiam non Poeta, dici posse. Nullas hic invenio Res Poesi soli vindicandas.

Inventio Poetica non minus frigide describitur, esse *ut in oratione qualibet*. Imo, non est illa Inventio Poetica, quæ in Oratione qualibet locum habet. Apage & illum Poeseos doctorem, qui *intumescere* docet *Anaphoris*, *Epiphoris*, *Homoeoptotis*, *& Homoeoteleutis*, *& similibus*; quæ carminum vitia sunt, quamvis in soluta oratione tolerentur, & in Carminibus a Bavio olim frequenter sint adhibita.

Differentiam *Oratoriæ* & *Poeseos* anxie quæsivi hactenus in nova Poeseos doctrina. Invenio fortassis in verbis: *Non toti invicem conveniunt Poeta & Orator*. *Ipsi inter se discreptant Poetæ imitatione ac troporum apparatu*. *In Jambico genere ad Heroici Carminis majestatem haud facile ascendimus*. *Ut ergo propter similitudinem aliquam*, *quam alioqui Carmina inter se habent*, *non tollitur ista differentia*, *ita quoque*, *qui in genere propter imitationem pares sunt*, *in specie tamen ac modo imitationis toto cœlo distare possunt Oratores & Poetæ*. Verba prætereaque nihil. Dic ergo, Baviane, differentiam. Dari *posse* differentiam, non tanto verborum apparatu dicere opus erat, cum a *posse* ad *esse*, ne brutorum quidem logica concludat. Dari differentiam, audio, non quænam sit illa. Quæ enim hactenus de Rebus & Inventione dicta, sunt ad Poesin solam non pertinent. A differentia carminum ad differentiam Oratoriæ & Poeseos nullam video viam. Si quis diversitatem Theologiæ Theticæ & Polemicæ inde evinceret, quia Theologiæ dogmaticæ varia dantur capita, & diversæ eam tractandi methodi, nihil dixisset, nihil probasset. Bono interim omine ablegamur ad disputationem Schraderianam de *convenientia & discrimine Oratoriæ ac Poeseos*. Quamvis vero hæc sit ad manus, tamen eam examinare, & perlegere, supersedeo. Quodsi enim veram Oratoriæ ac Poeseos differentiam dederunt *Schraderi*, cur male adeo ex ea profecit commendans, ut ne unicam quidem in medium attulerit differentiam, atque adeo de rebus Poeticis verbis solum, non Re ipsa, egerit.

Miror sane hominem, qui novam finxit Hebræorum Poesin, non animadvertisse, *Fictionem* esse in præcipuis, quæ Rebus addita Poesin indicet. Fateor quidem, dari & extra Poeticum forum fictiones. Eæ tamen ingeniosæ non sunt, sed invita nimis Minerva ab Arachne elaboratæ. Fieri posset, ut aliquando Medico careret civitas, essentque in Ministerio Ecclesiastico, qui filium affinemve ad hoc officium promotum vellent, & reliquos sui ordinis inducerent ad adeundum Principem, atque ad supplicandum, ne quis, nisi a se quod ad orthodoxiam probatus, vacuefacto muneri admoveretur. Interesse enim ægrorum, ne quis eos nisi orthodoxus adeat. Mihi nullum est dubium, quin Princeps fraudes & figmenta facile sit deprehensurus, &, quamvis Majori huic Propositioni addetur Minor: Noster filius aut affinis est orthodoxus; tamen conclusionem non fit ex fingentium voto formaturus, Princeps, cognita crassiori fictione. Elegantium & apertarum fictionum alius est sperandus eventus, quæ audientem & attentum reddunt & movebunt facile.

Quæ a novello Poeseos doctore male circa Res tradita sunt, forte ubi ad *Verba* devenitur, emendabuntur. *Rhythmo* absolvi Bavianus putat doctrinam Poetæ de verbis. Per Rhythmum autem *non vocum tantum similiter sonantium conjunctionem intelligit*, *sed primo potius Numerum & Quantitatem*, *ac proinde etiam Qualitatem cum Verborum*, *tum Syllabarum*, *& ipsorum quoque Elementorum*, *ex quibus constant*, *totam rationem comprehendit*. Quamvis nova hæc *Rhythmi* notio autoritate debita careat, sequemur tamen vestigia ducentis, dummodo de lapsu simus securi, id quod magis optandum, quam sperandum esse videtur. Non possumus enim non notare, totum hoc definitum ad Artem quoque Oratoriam quadrare, adeoque minus recte Poesi assignari. Attendamus tamen ad explicationem. *Numerum*, inquit Bavianus, *gignunt Periodi*, *Periodos Incisa*. *Incisa ex ipsis Vocibus ac Syllabis*, *nunc pluribus*, *nunc paucioribus*, *fiunt*, *prout nempe materia Carminis copiam præbet Poetæ*. Recte omnia, si deleantur prorsus. *Incisa* non oriuntur ex vocibus ac Syllabis. Sed ex Syllabis oriuntur *Voces*, & ex Vocibus demum *Incisa*. Imo si Genealogia Poetica accurate struatur, dicendum: Ex Literis oriri *Syllabas*, ex Syllabis *Voces*, & ex Vocibus *Incisa*. Falsum etiam est, *Incisa* fieri ex Syllabis, nunc pluribus, nunc paucioribus, prout materia Carminis copiam præbet Poetæ. Carmen enim sæpe

est

est amplissimum, cujus Incisa sunt brevissima. Incisa gignere Periodos, falsum est in Poesi. Ignorare hoc eum, qui *Periodorum Oratoriarum* & *Poeticarum* differentiam nescit, non miror. Quod denique Periodi gignant *Numerum* & in Oratoria, & in Poesi, falsum est. Datur enim & Literarum, & Syllabarum, & Vocum, & Incisorum, & Periodorum, & Styli, *Numerus*.

Poesi vitam quasi addere Modulationem, agnosco, quatenus *Quasi* Poeta opponitur *Vero* Poetæ. Arripio etiam ambabus, quod novæ Poeseos conditor concedit: *Modulationem omni Orationi facile tribui posse*. Unde consequitur, eam non esse Poesi propriam, adeoque ab ea ad Poesin non valere consequentiam. Axioma autem: *Nullum est Poema, cui nomen Cantici vel Carminis haud competat*; vacillat ad ædificii vetustate collabentis instar. Canticum & Carmen toto cœlo differunt. Dantur, vel ex concessis, Cantica, quæ non sunt Carmina. Dantur & Carmina, dantur Poemata, quæ non sunt Cantica. Æneidem Virgilii, & similia Heroica carmina, neque cantarunt majores, neque cantabunt posteri. Modulatio sane emergeret incongrua prorsus, si ad ejusmodi carmina applicaretur.

Hactenus *Poeseos ideam* datam esse nullam, vel imperitam, evictum est. Videamus, utrum *Poeseos Hebraicæ* demonstratio felicius succedat. Quæ ex *Buxtorfii* sententia afferuntur, & contra *Scaligerum* disputantur, me non morantur. Rationes volo & probationes. Imo, ne *Buxtorfius* quidem eam in *Codice Hebræo Poesim* agnoscit, quæ ex *Regulis Poeseos* deducatur, sed styli & numeri quandam dissimilitudinem, quæ tamen cum hodiernæ Poeseos præceptis nullam habet affinitatem.

Accedamus igitur ad Novi Aristarchi rationes. *A Poetarum*, inquit, *sententiis seu materiis initium sumentes, facile in Sacris Literis nil nisi magna quævis deprehendimus*. Qui male Res Poeticas in sua Poeseos Idea generali conceperat, non poterat non in applicatione impingere. Ergo totus Sacer Codex, vel maxima ejus pars, Poema est vel Carmen. Ubique enim *Magna*.

Quod in *Rebus* universaliter consideratis reperire non potuit, in *Argumentorum Inventione* quærit Bavianus. *Non magis quidem*, arguit, *hæc sacri autores, quam summam dicendorum præcipuam, excogitarunt, sed a Spiritu Sancto potius singula acceperunt. At nihil hoc obstat, quin pro indole rerum & populorum, præcipue Orientalium, etiam minuta quælibet depingere imitatione, & posteris, Spiritu Divino instigante & gubernante, relinquere, omnem operam adhibuerint*. Recte. Nam singula quidem dicta Veteris Testamenti, in Veteri Testamento repetita, ex Concordantiis facile corraduntur. Sed hoc non obstat, quo minus pro indole scriptorum, etiam ejusmodi nullius usus evulgentur. Aut ego nexum non capio, aut dicendum esse arbitror: *Singula* quoniam a Spiritu Sancto suppeditata sunt, *Nihil* superest artificio Scriptorum Poetico relinquendum.

Sed *Figuræ in illis scriptis occurrunt. Sic ad Amorem erga Christum nos commovet David Psalmo secundo, quando, cum v. 6. Regem ab ipso Deo Patre declaratum, testatur, item, cum blandam hujus ad illum allocutionem v. 7. exprimit. Tu es filius meus, ego hodie genui te*. Figuram ego nullam video, nisi quæ & in prosaicis scriptis, etiam Novi Testamenti, occurrit. Idem de reliquis observationibus Pseudo-Poeticis, & Psalmis obtorto collo adductis, tenendum est. Quis dixerit, eum ex Purpuratis Poema loqui, qui minus ambienti figurate responderet? Quæri hominem rerum docendarum peritum. Sed opportune redit ad aliam mentem novus Poeseos, ne humana quidem vocatione pollens, Professor: *At ea*, addens, *argumentorum stylique sublimitas est etiam in scriptis Prophetarum*. Ita est. Similes prorsus *Res Poeticæ*, quas Bavianus habet, tales reperiuntur in Prophetis. Ergo vel Prophetæ Poetæ sunt, vel ex dictis Poetæ inepte delineantur. Putas objectioni solidam pro more responsionem deesse. En eam: *Plura ad Poetam, quam stylus & argumenta, requiruntur. Rhythmum enim Poeticum paulo ante junximus Materiæ hujusque Inventioni. Prophetæ quoque sano sensu Poetæ vocari possunt*. Siccine occupari pateris, Baviane, propugnaculi unam partem *Rebus* superstructam. Res, concedis, nullas esse Tuæ Poesi vindicandas. Ad Asylum te confers verborum. Agnosco docilitatem animi, atque meliora etiam, quod ad verba, de te spero. Sanum, quem præfers, sensum sane nullus est. Qui enim Artis Poeticæ sensu non est Poeta, nullo sensu est Poeta. Non enim alius cujusdam doctrinæ est Poetam constituere. Oratores erant *Prophetæ*, scio, sed non artificiales, verum divino afflatu tales. *Musici* quoque erant Prophetæ. Posito non concesso. Ergo & Poetæ? Multi sunt Musici, pauci tamen Poetæ. Sunt, quod magis meam sententiam confirmat, Musicorum directores, qui ne quidem sunt Poetæ, sed in primis Poeseos Præceptis rudes.

Properemus ad *Verborum* doctrinam, quam *Rythmum* dicit Bavianus. Vel hic tandem Poesis Hebraica, quæ hactenus, quod ad *Res*, agnosci non potuit, propullulabit, aut nullibi. *Quodsi*, ait, *Numerum seu Verborum species seu Syllabarum eundem breviorem in Carminibus, & plerumque æqualem, interdum vero etiam inæqualem deprehendens. Æqualis est in Versibus Isocolis. Inæqualis vero sententias Trimetras vel Tripodas continet. Sunt & nunquam versus Isocoli Tetrametri, vel Tetrapodes.* Quem superius numeri Oratorii & Poetici differentiam ignorare monui, cur non, eodem fultus privilegio, etiam in prætensa Poesi Hebraica hallucinaret. Quoniam vero ex *Accentibus* distinctivis Hebræorum versus Isocoli, trimetri, & tetrametri, definiendi sunt, quod Noster facit, mirum est, Eruditos in hunc usque diem non invenisse metrum Hebræorum certum, ita ut omnes, aut aliqui saltem, in notando hoc vel illo Psalmo convenirent, cum tamen Accentus sint certi. Scilicet ignorabant, *Metrum Poeticum* cum *Numero oratorio* convenire, nec ea Isocola, trimetra, & tetrametra, Poesi tribuere ausi sunt, quæ omni sermoni competunt. Nostrum si audivissent, non hæsitassent amplius. Monendi mox sunt futuri Poetarum editores, ut Numerum hunc observent Poeticum, atque v. c. initium Æneidos hoc modo exprimant;

Arma virumque cano:
Trojæ qui primus ab oris Italiam,
Fato profugus.
Lavinaque venit littora;
Multum ille & terris jactatus,
Et alto.
Vi superum:
Sacræ memorem Junonis ob iram.

Commoda vero est Nova Hebræorum Poesis. Tetrametros enim versus ad Dicolos & Dimetros longiores reducit, quam facilitatem *Vera Poesis* ignorat, magis ad *Regulas* adstricta.

Quod ad *Quantitatem*, agnoscit Bavianus, *in Scansione sua Hebræos Syllabas breves cum longioribus permiscere*. Ego, nullas dari Syllabas breves, sed vocales tantum, in fronte hujus scripti monui. Hoc tamen non urgens video: eam Syllabarum confusionem indicare, Poesin si qua datur Hebræorum nullis *Poeseos Regulis* esse alligandam, sed destitui etiam, quod ad *Verba*, illa re, quæ ligatum a soluto sermone distinguit. Obiter habere *Syllabas brevissimas* Hebræos nego, quamvis ejusmodi *Vocales* habeant.

Sed salva est Poesis Hebræorum quod ad Verba. *Nam Hebraici in suis Metris ad corripiendas vel producendas Syllabas Aurium Judicium inprimis attendunt, quod rectius dirigitur per varios animi Affectus, & Accentum in sermone familiari obvium, quam per Præcepta Artis, hinc inde anxie conquisita; unde est, quod vel ipsum Scheva interdum suspendant vel producant, & contra Kamez, vel similes Vocales longas, absorbendo quasi, raptissime proferant.* Itaque *Aurium* diversitas diversas faciet Syllabas. Crassior auris producet syllabam, tenujor corripiet. *Affectuum* diversitas eodem modo syllabas diriget cum Accentibus. *Præcepta Artis* hic exulant. Maximæ magnitudinis Pilularum aut Bolorum devorationi assuefactum esse oportet Bavianum, qui Kamez in pronunciando absorbere novit. Sed monendi sunt incautiores spectatores, esse in Agyrtarum præstigiis, devorationem simulare quæ nulla est. Vera Poesis genium sequitur linguæ. Baviena sola eidem contrariatur. En harmoniam! Ex fronte scripti & ejus primis lineis non conjiciebam, nos aliquando amicissime esse conventuros. Ego, nullam esse *Poeticis Legibus* conformem *Hebræorum Poesin*, dixi. Tu, dari in Codice Hebræo *Scripta Poetica*, quæ nisi præcognitis *Legibus Poeseos* explicari non possint, contendisti. Nunc fateris, magis incerto *Aurium Judicio* vagisque *Affectibus* dirigi *Quantitatem*, quam per *Præcepta Artis*, eandemque Syllabam mox *brevem* esse, mox *longam*, quod Ars nulla admitteret. Sic *Arte* ex Carminibus Hebræorum profligata, *Poesin* nullam superesse agnosces, confido. Ego interim solidæ Poeseos cultoribus nunquam non inculcavi, ne quidem summorum Poetarum exempla, ubi *Regulis Poeseos* adversentur, sequenda esse, multo minus *Aurium*, quas etiam plebs vilissima, nulla Arte, nullo judicio pollens, sibi vindicaverit, dictamini aliquid esse concedendum. Ne tamen nova *Aurita Poesis*, novaque Regulas damnans regula sua destituatur auctoritate, Carminis cujusdam Apographum cum adversante communicabo, quod revera Regiomonti prodiit, Autore Studioso Russo:

VERSUS HEROICI IN PETRUM MAXIMUM,

Magnæ Russiæ Monarcham.

Petro non major vixit in Russia Princeps,
Non vicit Succum cum toto exercitu suo.

Prin-

Principatus multos Gothis detruxit, & nostro
Imperio junxit: Scilicet Livoniam totam,
Ingriam, Careliam, Semi-Finniam, Estoniamque.
Smolenko atque Kiow, etiam Curlandia nostra est.
Cætera quæ restant, habebit nostra Potestas
Commodo quum fuerit Petro, cumque ita placebit.
Nam nostrum putat requiescere posse Monarcham?
Non sane! sed aliis dormientibus invigilabit.
Et rapiet, capiet terras suo tempore multas.
Plura petit Petrus, quam quisquam credere potest.
Scilicet ut Dominus fiat sine termino mundi.
Et faciet: quoniam audet resistere nemo.
Nystadiana satis pax est jam cognita cunctis,
Hanc pro exemplo ponas, hinc collige, Lector:
Accidit hoc humido ligno, quid arida reddent?

Elegans specimen, canonem Bavianum de consulendis Auribus illustrans. Injuria vero maxime sit Italis, Gallis, & Germanis. Nullus Italorum *accŏrde*, *fidāre* ponet in versu. Nullum Gallorum leget *fabŭleux*, *rapidē*. Nullus Germanorum pronunciabit *Bedĕcken ummōglich*. Hæc enim & similia non possunt non omnibus *Auribus*, omnibus in *Affectibus*, ingratum sonum parere. Nec in cæteris Poesi fictæ favent Europæorum aliqui. Exemplum *dāhĕr* & *dăhēr* est incongruum. Priorem enim vocabuli pronunciationem ignorat Germanus.

Neque constat sibi novus Artis Poeticæ efficior, applicans dicta sua ad locum quendam *Psal.* XIX. 13. Mox enim *Hexametrum* ibi videt in Utopia natum, quippe cujus nullum in ullo vel Poeta occurrit vel Artis Poeticæ scriptore exemplum. Mox eundem Hexametrum facit *Anapæsticum*, propter quatuor Anapæstos, fictos scilicet, cum syllaba remanente. Non disputabunt amplius eruditi, utrum transmutationes dentur. Noster si a poesi, qua in quidvis ex quovis facere studet, animum ad physicam applicuerit, cupri, viliorisve alius metalli fabros auro plenos reddet. Vereor autem, ne transmutata nimis cito transmutentur rursus, quod adducto contigit versui. Qui nunc Hexameter erat & Anapæstus mox in nihilum redigitur. Fatetur enim eundem juxta vocales aliter sonare. Subita nimis metamorphosis! adeoque periculosa. Oportebat esse memorem Nostrum, se paulo ante vocalibus omnem *Rhythmi Hebraici* vim tribuisse. Quicquid hujus sit, Artem aliquando docebit Bavianus in tanta incertitudine verum eligendi metrum. Ad Calendas scilicet Græcas, ubi Præcepta ejus Poetica solemniter notabuntur, quo calculo experientia docebit. *Græci*, objicit, *non parcunt vocalibus longis & diphthongis, quin breviter efferant ante Vocales*. Parcunt tamen ita, ut non tripliciter mutent, aut mox hexameter idem versus appareat, mox Anapesticus, mox nullus. *Græci*, addit, *nec accentus in prosa, vel vocibus extra contextum ac metrum occurrentes, magnopere respiciunt*. Quos innuat Græcos divinandum relinquit, Veteres Græci, cum lingua vernacula adhuc esset, iisdem utebantur accentibus, quibus hodie Germani, id est nullis. Recentiores Græci num vera utantur pronunciatione, adeoque & accentuatione, valde est dubium. Horum vero error linguæ Græcæ genium non facit. Itaque diversitas pronunciationis, sive quantitatis, in lingua Græca prosaica, & metrica, nec probata est, nec Poesi falso dictæ Hebrææ opitulatur. *Latini*, ait, *cum autoritatem sequuntur, tum Syllabas multas habent ancipites*. Quid inde inferetur? Forte, Hebræorum Poesin eodem modo se habere; quod nego. Veteres Latini non sequuntur autoritatem, sed hodierni, quibus de quantitate non constaret satis, nisi a veteribus eam docerentur. Sequuntur autem autoritatem ita, ut nunquam eandem syllabam, quæ brevis autoritate est, producant, aut longam corripiant pro lubitu & ex solo Aurium pruritu. Quæ in contrarium afferuntur rara admodum sunt, & licentiis, id est vitiis, potius adscribenda, quam a cultore Poeseos veræ imitanda. Syllabas habent Latini *Ancipites* multas, sed longe plures vel longas, vel breves, quas nunquam ancipites faciunt.

Novam audiamus Regulam Bavianæ Poeseos: *Accentus apud Hebræos Numerum Syllabarum & Quantitatem indicare, & Modulationem ipsam hinc flectere, quam Scansionem etiam vocare licet, nullum omnino dubium est*. En veram Poeseos Hebrææ indolem. Omnes V. T. Codicis Sacri Libri Accentus habent, ergo omnes scanduntur, omnes sunt poetici. Omnes omnium linguarum sermones accentu diriguntur. Omnes ergo sumus Poetæ. Gratula-

tulamur disciplinæ ambitum hactenus ignoratum; nunc feliciter detectum, ab altero literati orbis Columbo nescio an Corvo, qui ad detegendas novas terras emissus periit forte infeliciter. Facit hoc inventum, ut Hexameter *Exod.* XV. 2. detectus, Trochaicus evadat *Psal.* CXVIII. 16. Ex solo Aurium judicio. Utinam modo æqualitatem aurium haberemus. Alioqui infinita generabuntur ex quocunque versu metra. Sed ea est inventi hujus fertilitas, merito versibus Novæ Poeseos Hebraicis decantanda & celebranda.

Observationi justæ, quod ficta Hebræa Metra nullis *Legibus Poeseos* pareant, nullis *Generibus* certis concludantur, eleganter obviam itur respondendo: *quod quidem singula ad regulas Græcorum & Latinorum, si rigide secundum præcepta examines, revocari non possint, nec proinde etiam inter se quoad Metra vel pedes componi*. Quæ itaque ad hæc componi non possunt, ea sunt irregularia, nec in præceptis Poeticis locum inveniunt. Si vero idem de Hebræa Tua Poesi dicendum est, cur *Regulas Poeseos* Theologicæ Psalmorum Interpretationi præmittendas ducis! Si præter Terentium & Plautum non haberemus Poetas alios, Regulis Poeseos non multis haberemus opus. Nec ad Terentium ne philologice quidem explicandum Regulas Poeseos qui cum fructu præmiserit facile. *Aurium*, concludit Noster, *hic ubique opus est judicio, quod adjuvant Accentus, juxta quos Syllabæ quævis extendi vel absorberi, item vel celeriter conjungi vel divelli, & sic conveniens Modulatio fieri debet. Quod nec Latini ignorant, quando v. gr. pro* Plējadās *ponunt* Plēĭădas. Sed *Arrige Aures* Baviane! Exemplum hoc prorsus est incongruum. Syllabas contractas divelli rursus posse, & disjunctas contrahi, nemo negaverit. At vero pro Accentu syllabas quasvis extendi, vel absorberi posse, novæ Poeseos regula est. Ita eleganter ex sententia Nostri diceretur *Dēŭs* pro *Dĕūs*, *C̆ŏelum* pro *Cōĕlum*. Observamus obiter, Aures nostrum cum Accentu fefellisse, cum notaret in *Plēĭădas* primam syllabam longam, quæ vel ex hac scriptione brevi notanda signo, vel aliter fuisset scribenda.

Singulare Bavianæ Poeseos etiam hoc est, quod *duæ breves* syllabæ solæ *Pedem* constituunt sæpe, quamvis id contra naturam & indolem omnis pedis esse, *Regularum Poeseos* Conditores recte hactenus existimarint.

Ad illustranda exempla Poeseos novæ suggero Inventori, eam Poesin latere in omnibus *Scholiasticis*, quos omnes Poetice scripsisse evincitur facile. Exemplum ex *Scoto* adduco:

∪ – | ∪ – | ∪ – | ∪∪ –
Utrum ad intellectionem,
∪ – – | ∪ – | – –
Qua Deus intel ligit,
∪ – | ∪ – | ∪ – | ∪
Lapi dem & asi num
∪∪ | ∪ – | ∪ – | ∪
Præexigantur
– ∪ | ∪ ∪ – | ∪
Respectus diversi
∪ ∪ | – ∪ ∪ | ∪ ∪ | ∪∪
Et rationes diversæ.

∪∪ | ∪ –
Quod sic
∪ – ∪ ∪ | ∪ – | ∪
Quia idem manens
– ∪ ∪ | ∪ ∪
Idem omnino
– | – ∪ ∪ | – ∪∪ | – –
Non potest esse rat io
– – – | – – – | –
Cognoscendi diversa.

Rogandus est novæ Poeseos inventor, ut hac ratione omnes Scholasticos, quibus Epistolæ obscurorum virorum jungi possent, evulget, num forte pretium, eis, quod satis vile hodie constituitur, aliquod concilietur? Dices, me contra autoritatem ac accentum syllabas notasse. Sed hic est novæ Poeseos genius, accommodatus ad aures illius, qui Psalmo Davidis secundo metrum dedit.

Satis vero de Pseudo-poesi pro specimine. Reliqua alii tempori servabuntur. Illud adhuc miror, *Calmetum* suggillari ob leviora, quando v. c. *Herbertus* scripsit pro *Ebertus &c.* non tamen responsiones tulisse ad objecta solidissima, qualia: 1. *Exiguus versuum numerus, si forte in prosaico opere occurrat, non probat integrum scriptum Poeticum esse*. 2. *In Gomari Principiis Poeticis plurimæ sunt contradictiones*. 3. *Rhythmus Hebræorum est per accidens talis*. 4. *Poesis in Hebræo Codice si qua datur, cum sit sine meditatione prævia, est naturalis potius quam artificialis, adeoque nullis regulis Poeseos superstructa*. Hæc pauca ex cæteris ante relinquimus Novæ Poeseos fictori enotanda, quam sententiam nostram ulterius exstruamus, demonstraturi, *nec Poesin ad* Regulas Poeseos *formandam dari in S. Codice*,

dice, nec, si detur, Theologici fori esse de ea judicare.

Et *notabile est*, non nisi Artis Poeticæ ignarissimos Poesin in Sacro Codice invenisse, e contrario Scaligerum aliosque Poeseos callentissimos eam non vidisse. Scilicet spectrum est & Phantasma, nonnisi a certo die natis conspiciendum. Adde quod pro luculento figmenti indicio, sibi non constant Baviani. Sed eidem Psalmo singuli peculiare tribuunt metrum, pro Poeseos certitudine cerebrina, quæ quot capita tot sensus admittit.

Colophonis loco uno in conspectu Harmoniam *Poeseos veræ* cum Poesi Psalmis afficta exhibemus, ut rationis, cur Theologicæ Psalmorum expositioni fuerit præmittenda Poeseos veræ doctrina, pateat soliditas. Scilicet, Baviane, Ilicet.

VERA POESIS	NOVA POESIS
Principia tradit	Figmenta quærit
in ipsa Poeseos tractatione	in Theologico Scripto tractando
ex scopo Philologico.	ex scopo imaginario.
Docet res	Usurpat materias
Alii sermoni non communes.	Omni sermoni proprias.
Fingendo superat Oratoriam.	Inveniendo sequitur Oratoriam.
Rhythmum habet partem doctrinæ	Rhythmo complectitur omnem doctrinam
quod ad Verba.	quod ad Verba.
Incisa facit ex metro;	Incisa struit ex Syllabarum copia;
Periodos Oratoriis dissimiles;	Periodos Oratoriis similes;
Carmenque sine modulatione.	Nullumqne Poema nisi cum modulatione
Magnifica sibi non vindicat ante	Magna sibi vindicat adeo
quam Metro sint conclusa,	ut nullæ Poeseos regulæ accedant,
nec Figuras.	etiam Figuras.
Non Aurium judicio definit Syllabas,	Aurium judicio submittit Syllabas,
Nec Affectibus,	& Affectuum ineptui vago,
Nec Accentuum præsentia.	Et Accentibus.
Ex quovis textu non nisi certum	Ex quovis textu quodvis
Carminis genus format:	Carminis genus fingit:
Syllabas longas producendo	Syllabas longas Corripiendo
breves corripiendo	breves producendo
pro legibus Poeseos.	pro voluntate Poetastri.
Irregullaria metra ex suo foro	Non nisi irregularia metra in suum forum
rejicit.	recipit.
Plures duabus syllabis brevibus	Solis duabus syllabis brevibus
pedi concedit.	claudicans concidit.
Omnia	Nullis
Legibus & Rationi	Nisi Phantasiæ & Errori
subjicit.	subjacet.
Adeoque	Ideoque
Longo labore constructa durabit.	Quæ cito fit cito perit.

JOHANNIS CLERICI
DISSERTATIO CRITICA
DE
POESI HEBRÆORUM.

QUI linguæ Hebraicæ cognitione aliqua imbuti sunt, sciunt omnes, quanto studio viri docti a duobus retro seculis illam illustrare fuerint conati, iidem non ignorant, plures in quærendis Poeseos Hebraicæ regulis diu laborasse, plerosque tamen de earum inventione desperasse, & si qui eas reperisse sibi visi sunt, ipsos a vero aberrasse statim ab aliis demonstratum fuisse. Cum v. g. Franciscus Gonarus hujus Poeseos regulas sese investigasse arbitratus, librum cui titulum fecit * *Lyram Davidis* edidisset, Ludovicus Capellus exiguo libello omnia ejus fundamenta subvertit. Eandem & nos hic metueremus sortem, nisi alia plane via incessissemus. Confidimus enim nihil a nobis affirmatum iri, quod non ipsa linguæ Hebraicæ natura cæterisque principiis nitatur; præterquam quod de veritate regularum proponendarum ex earumdem applicatione ad librum Psalmorum & alia vetera Hebræorum Poemata nobis consistit.

Cum tamen fieri facile possit ut quis amore falsæ etiam opinionis, quam ipse ut novum inventum amplectitur, abripiatur, aut aliqua saltem ex parte fallatur, maluimus cogitata nostra publico judicio exponere, ut vel errores hinc inde a nobis commissi corrigerentur, vel nostra opinio aliorum calculis novisque accedentibus rationibus firmaretur, vel denique ea omnia quæ fundamento isti superstruximus, si infirmum esse compertum fuerit, omnino suprimeretur. Breviter igitur Hypoteseos nostræ rationes proponemus eidemque confirmandæ responsiones ad objecta quædam subjuncturi.

I. Primo loco observamus non omnes linguas omnis generis versibus idoneas esse. Sunt enimvero linguæ, ut Græca & Latina, idoneæ versibus quos *metricos* vocabimus i. e. qui per pedes ex syllabis longis brevibusque constantes mensurari possunt: aliæ contra sunt linguæ quarum Poesis unice consistit in certo Syllabarum gratam auribus modulationem formantium numero, sive versus eodem sono terminentur sive non. Talis est lingua Gallica, tales etiam sunt pleræque omnes linguæ quarum usus hodie vulgo obtinet; versus enim metrici, quos Desportes aliique Poetarum nostrorum facere conati sunt, tanquam duri, & contra indolem linguæ Gallicæ facti, contemti fuerunt. Eadem etiam est ratio linguæ Hebraicæ, Syriacæ & plerarumque Orientalium quæ facile ὁμοιοτέλευτα suppeditant, versus autem Metricos ferre non possunt quod Josephus Scaliger Animandv. in Eusebium *p.* 7. jamdudum notaverat.

Utinam vero vir iste magnus rationes sententiæ suæ in medium protulisset quo pacto censuras quorundam doctorum evitasset! Non equidem affirmare ausim, Scaligerum easdem rationes, quæ mox exponentur in animo habuisse; crediderim tunc per Censores illius mihi jam licere eadem affirmare quæ ille affirmaverat. En igitur rationes quæ mihi persuadent versus Metricos lingua Hebraica non magis quam Gallica fieri posse.

1. Versus Metrici fieri non possunt ubi verba transponere non licet. Non enim semper suppetit vocum aut formularum variæ quantitatis copia ad sensa nostra exprimenda. Sæpe certis quibusdam vocibus quæ propter quantitatem suam non nisi certo loco in Poemate stare possunt, uti cogimur; sublata igitur alias voces transponendi licentia, istis locus concedi nequit, quo pacto Poetis plurimæ voces eriperentur, adeoque crux figeretur, imo Poesis Metrica plane distrueretur; si quis v.g. in isto Lucani versu:

> *Bella per Æmathios plusquam Civilia Campos.*

Vocem *Civilia* suo quem occupat loco moveret, & in aliam regionem collocaret, modulatio versus statim periret. Hoc apud eos quid sit quantitas norunt probatione non eget: qui vero hoc ignorant, de his judicare nec possunt, nec debent.

Atqui lingua Gallica verborum transposi-

* *Lugduni Bat.* 1637. *in* 4.

positiones non fert; Non possumus nomina adjectiva pro libitu transponere, sed alia substantivis necessario postponenda sunt, dicimus *un grand Prince*, non vero *un Prince grand*, *un Cheval noir*, non autem *un noir Cheval*. Hunc verborum ordinem neque in soluta, neque in ligata oratione licet invertere. Apud Hebræos etiam quoties nihil subintelligitur substantivum adjectivo semper præponitur ut בן חכם ben chacam filius sapiens, non Chacam ben Latinis autem Græcisque at perinde est sive adjectivum precedat sive sequatur.

Gallis autem non licet transponere pronomina. Non possumus aliter dicere quam mon pere, ma mere &c. Imo ne quidem illa omittere licet, nisi certis casibus, ubi omissio ista longa periphrasi supletur, cum Latini & Græci æque dicant Pater, ac mi Pater & Pater mi. Hebræi vero eodem modo constricti tenentur quo Galli, præfixis, suffixis & pronominibus eorum separatis constanter in eodem situ manentibus. Neque ullum eorum omittunt excepto pronomine relativo; omissionis enim pronominum possessivorum exempla repertum iri vix credo.

Denique Galli non possunt transponere nomen substantivum quod ab alio regitur. Non potest dici de David les Pseaumes pro les Pseaumes de David. Quod vero Ronsardus aliique illius temporis Poetæ tales transpositiones usuparunt, id inde factum est quod linguam Gallicam ad formam Latinæ detorserunt, quæ quidem licentia cui diu venia data erat, jam a Poesi Gallica penitus exulat. Pari modo apud Hebræos substantivum quod ab alio regitur semper præcedit ut דברי שלמה Dibre Schlomo verba Salomonis nunquam vero Schlomo debarim. Quod si aliquando per Phrypallagem locum permitant, licentiæ magnæ, quæ rara est, id adscribi debet.

Cum ergo linguarum Orientalium pleræque eundem perpetuum verborum ordinem servent, fieri nequit, ut versus metrici illis linguis eleganter scribantur. Imo vero simile est Græcos Latinosque propter hanc ipsam rationem ut nimirum versus metricos facere possent naturalem verborum ordinem transponere cæpisse, quod Vossius libro de Poematum Cantu & viribus rythmi *pag.* 41. observavit.

2. Altera ratio quæ versus Metricos Græcis Latinisque reddit faciles, est varia apud ipsos terminatio casuum; absque eo si foret, dubito utrum versus Græci aut Latini componi possint. Contra apud Gallos singuli casus eodem modo terminantur, adeoque omnium quantitas eadem est quæ nominativi, omnesque in Poesi Metrica non nisi unum atque eundem pedem faciunt. Eodem modo res se habet cum Lingua Hebraica; unde necessario consequitur, eam non magis quam nostram versibus metricis idoneam esse. Porro Hebræi aliique Orientales duas tantum numeri pluralis terminationes habent Masculinis apud Hebræos in IM fœmininis in OTH terminantibus. Si quis ergo ista lingua versus metricos scribere vellet, pluralia pro eodem pede semper adhibere cogeret.

3. Tertia ratio quæ compositionem versuum metricorum lingua Gallica impedit est multitudo syllabarum longarum & paucitas brevium; de quo facile constare potest, dummodo quis primo quoque libro Gallico in manus sumto aliquo versus legere velit. Eadem linguæ Hebraicæ est ratio cujus syllabas longas non illas voco, quibus Massorethæ unam ex quinque vocalibus quæ longæ appellantur supposuerunt, dubito enim utrum punctatio ipsorum semper certa sit, sed illas voco longas, quæ propter plures diversasque consonantes sequentes, quicquid Gramatici contra dicant, omnino breves esse nequeunt ut prima syllaba vocis חפצו chephtso & postrema syllaba omnium vocum in consonante *mobili* terminantium incipit v. g. Syllaba posterior verbi halac in vocibus חלך בעצח halach bagnatsath non potest brevis esse & dactilum halac-ba facere, ut ostendit Cappellus in refutatione Gemarj *pag.* 22. *& seqq.* His positis cuivis qualemcumque locum librorum Poeticorum scripturæ inspicienti, tantus syllabarum longarum numerus statim sese offeret ut appareat versus metricos ex iis omnino componi non posse. Si qui autem versus metricos componere tentarunt, nullam istius rei habuerunt rationem: quod æque absurdum est, ac si quis neglecta syllabarum quantitate versus Græcos Latinosque scribere aggrederetur.

Objiciet forte aliquis versus Rabbinorum juniorum in quibus Buxtorfius libro scripto & Thesauro suo adjuncto, tanquam in versibus metricis pedes quæsivit. Facillimum autem foret ostendere quod omnino deceptus fuerit cum Rabbini nonnisi ad cæsuras numerosque syllabarum attendant, ipsorumque licentiæ ut plurimum in pronunciatione aut supressione τῶν scheva simplicis vel compositi consistant. Ista fusius persequi jam non vacat, confidimus autem omnes qui vel supremis labris Hebraica degustarunt noruntque quid sit modulatio nostrorum versuum ὁμοιοπελλάτων sola exemplorum ab

ipſo Buxtorfio allatorum lectione ultro in noſtram ſententiam conceſſuros. Accidit autem neſcio quo fato, ut illi qui ad ſtudium linguarum Orientalium animum adjungunt, propriam linguam plerunque excollere negligant, quæ forte cauſa eſt cur Poeſeos Hebraicæ ratio hactenus non fuerit perſpecta.

4. Abunde ni fallor oſtendimus verſus Metricos lingua Hebraica ſcribi n. per notandum autem eſt hoc ipſum verſus ὁμο-σοτελεύτους hæc lingua reddere faciles cum enim caſus & pronomina ſuffixa ut & omnia pluralia ſimiliter deſinant, tanta inde ſimilium ſonorum terminationumque multitudo exoritur ut vix omnis ſtudio adhibito evitari poſſit. Et hæc ipſa verſus ejuſmodi componendi facilitas ipſis apud Hebræos originem dediſſe videtur; nam ut acute Voſſius *p*. 25. „ Lib. citati diſſerit „ ipſa natura una cum cantu hanc Poe- „ ſeos rationem mortalibus tradidit. Et „ ſane (inquit) ſi quis puerorum canere „ incipientium morem obſervet, quomo- „ do nempe illi dum verba næniæ ſue „ aptare conantur, ut cantum impleant, „ eadem vocabula pluries ſoleant repetere „ in hac quoque balbutie & battologia „ vulgaris rythmicæ rudimenta inveniet. „ Neque enim negari poteſt, quin eædem „ voces repetite faciant conſonantiam ſi non „ elegantem & jucundam, maxime tamen „ naturalem & perfectam, multarumque „ gentium uſu comprobatam, licet delicatio- „ res homines imprimis ab eo ſibi caveant, „ vitioſumque exiſtiment ſi in carminum „ fine idem vocabulum ſibi conſonet. "

II. Hæc cum ita ſint, nemini mirum videbitur ſi aſſerimus Poeſin Hebraicam nonniſi in verſibus ὁμοιοτελεύτοις iiſdem valde irregularibus conſiſtere. Indoles linguæ Hebraicæ ut videmus, aliud verſum genus reſpicit; neque difficulter concipimus Hebræos nationem parum cultam non multum curaſſe, ut carmina ſua ad regulam artis formarent, quod Arabes & Rabbini poſtea fecerunt.

Veſſius obſervavit non Arabes Perſas atque Afros ſolum, verum Tartaros etiam & Sinenſes plureſque Americanas gentes aliam Poeſin quam verſuum in eodem ſono terminantium non agnoſcere. Quin vero ſimile eſt Populos Septentrionales qui occidente Imperio Romano Europam occuparunt, tales verſus habuiſſe; Monachoſque ſequentium ſeculorum compoſitionem verſuum ſimiliter deſinentium ſive Leoninorum qui in veteribus Officiis Eccleſiaſticis magno numero Latine ſcripti reperiuntur, ab illis didiciſſe: Britanorum veterum fragmenta quædam Poetica adhuc ſuperſunt, quale Uſſerius Brit. Ant. *pag*. 254. refert Thaleſſiani cujuſdam quem Bardorum Principem appellat & Juſtiniani temporibus vixiſſe teſtatur.

I. Cum vero populis Septentrionalibus quantum quidam conſtat nullum cum Orientalibus interceſſerit commercium ab illis ad iſtis argumentum non valebit, Arabibus ergo inſiſtimus primoque loco obſervabimus duo Poeſeos Arabicæ diſtinguenda eſſe tempora. Diu illa regulis caruit, & unice ex verſibus aliquo modo ſimiliter deſinentibus & abſque certa menſura conſiſtit. Nihilominus ſi qui libri toti verſibus ejuſdem irregularibus ſcripti erant illi eleganti ſtylo exarati judicabantur fine verſuum interdum vario, interdum vero per integrum Poema eodem. Talis erat Poeſis Arabica cum Alcoranus ederetur h.e. ante medium ſeculi ſeptimi. Totus iſte liber fere verſibus ſimiliter deſinentibus conſtat, licet periodi admodum ſint inæquales: & ex quo prodiit adeo bene ſcriptus eſſe videbatur ut ipſe Mahometus jactarit ad elegantiam ſtyli ſui ne Angelos quidam, nec Dæmones aſſurgere poſſe; unde concludimus rationem hanc ſcribendi a longo jam tempore apud Arabes laudatam fuiſſe, alias aut impoſtor ipſe hanc methodum non selegiſſet, aut lectoribus ſuis non iſta placuiſſet. Qui poſt ipſum ſcripſerunt eum immitari conati ſunt quod plures eruditi obſervarunt præcipue Joh. Fabricius Dantiſcanus in ſpecimine Arabico ל ubi inter alia Scripta Arabica edidit tractatum Calherir Auctoris in Aſia celeberrimi qui ſtylum Alcorani omnium optime aſſecutus eſt. Si quis ſuis oculis hæc videre velit conferat librum iſtum cum Alcorano ut minimum cum Suratis XII. & LXIV. ab Erpenio Arabice & Latine editis.

Poſſet forte aliquis objicere hos non tam eſſe verſus quam orationem ſolutam verbis eodem ſono alicubi deſinentibus cum dimenſio non ſit æqualis; ne vero de vocibus litigemus, reſpondemus ab initio hanc Poeſin aliam non fuiſſe; id quod conſtat ex verſibus *Ali* aliorumque Poetarum Mahometo contemporaneorum quorum ſcripta apud Arabes adhuc ſuperſunt. Cum vero gens Arabum longiſſimo tempore ab aliis diviſa fuerit, ita ut nulla peregrinatio in Arabia penetraret, exiſtimamus ipſorum conſuetudines antiquiſſimas fuiſſe, quo primum tempore exteris innotuerunt. Licet enim Poeſis illorum ſero demum ad noſtram notitiam pervenerit, minime inde ſequitur novam eſſe atque nuperam. Neque mirum videri debet iſtam Poeſin per multa ſecula valde imperfectam fuiſſe, cum populi iſti ea ætate ſtudia, artes atque ſcientias ignorarent.

Poſt

Post Mahometi demum tempora sub Al-Raschid Calipha exeunte seculo VIII. eruditus Arabs Al-Chalin Ebn Ahmed Al-Farachidi dictus, Poesin in artem redegit. Hæc ars non consistit in syllabarum longarum breviumque distinctione, sed unice in versibus similiter desinentibus in numero syllabarum & observatione cæsurarum quarundam cui sese adstringunt solicite destinguentes consonas mobiles & quiescentes. Si quis hæc accuratius scire velit, adeat Libellum Samuelis Clerici Eruditi Angli, Oxonii Ann. *1661.* in octavo editum cujus titulus est: Scientia metrica & rythmica, seu tractatus de Prosodia Arabica.

2. Habent etiam Ethiopes Poesin versibus similiter desinentibus; illa vero magis ad veterem quam ad novam Arabicam accedit, si fides Ludolfo qui Hist. Ethiop. *lib.* IV. *cap.* 2. *num.* 38. eam ita describit: Poesis inquit Ethiopum constat unice ex versibus similiter desinentibus, si omnino similiter desinentes appellare licet consonas ejusdem ordinis quæ versus finiunt, quamvis vocales sint diversæ. Addit varii generis ipsos habere versus quorum specimina in nova sua Grammatica Æthiopica, & in Commentario qui sub prælo esse dicit se allaturum promittit.

3. Si quis jam quærat cuinam Poeseos generi Hebraica sit simillima, respondemus veteri Arabum Poesi. Hebræi enim nunquam artes valde excoluerunt neque ornandæ linguæ suæ aut styli elegantiæ operam dederunt. Agricolturæ toti dediti frequens commercium cum vicinis gentibus a quibus forte scientias acquirere potuissent non inierunt. Hoc ex veteribus ipsorum libris patet, in quibus nulla loca eruditione plena reperiuntur qua Græcorum & aliarum quæ ad scientias animum applicuerunt gentium libri scatent: Habuerunt nihilominus Hebræi inde ab initio Reip. Cantica versusque quibus laudes Dei celebrabant, Historiamque gentis suæ narrabant. Hoc testantur Cantica Mosis, & Liber Bellorum Domini qui continebat collectanea Poematum ut patet ex *Jos.* x. 13. 2. *Sam. l.* 18. Non ergo paradoxum erit si dicamus Poesin Hebraicam æque atque Arabicam non fuisse regularem atque expolitam. Si sciremus qualis fuerit Poesis Ægyptiorum veterum, possemus in Hebraica easdem regulas quærere, cum vero simile sit Mosem ab illis rationem componendorum versuum didicisse. Cum autem de ea nihil nobis constet, oportet inquirere in regulas Poeticas gentium vicinarum, Arabum puta atque Æthiopum, & videre utrum Poesis Hebraica illis sit similis. Id quod modo fecimus demonstravimusque in lingua Hebraica aliam Poesin locum habere non posse.

Superest ut præcipuas illius regulas tradamus easque libris Hebræorum Poeticis applicemus.

III. Cum Poesis Hebraica cum nunquam ni artem redacta fuerit, non possumus multas illius regulas proponere, quæ tum demum a Poetis observari solent, postquam studio formatæ sunt. Id unum ergo nobis relinquitur, ut per animadversiones quasdam generales naturam hujus Poeseos explicemus.

1. Est Poesis cujus versus similiter desinunt, uti nostri, quod & etiam observavimus, & mox in clariori luce collocabimus.

2. Versus illi similiter desinentes sæpe parum sunt accurati, ut Arabum, de quibus caput ultimum Prosodiæ Arabicæ jam citatæ videri potest. Rabbini qui Poesim suam ab Arabibus mutuati sunt, bene distinguunt versus similiter desinentes in tria genera. Primum est cum duo versus in eadem consona eademque vocali finiunt, licet litera præcedens, diversa sit, sicut אבד abad & פקד Phatead, hoc genus vocant versus tollerabiles. Secundum genus est quando duæ postremæ consonantes congruunt ut אמר emor & שמר schmor, hi versus secundum ipsos justi sunt. Tertium genus est quando tres postremæ consonæ congruunt, ut ספרים sphárim & דברים dbarim, hi sunt versus laudabiles. Licentiam esse dicunt quando duo versus desinunt in vocibus, quarum pronunciatio congruit literis deversis existentibus, ut סכה succha & צוקה tsouka. Alia sed minor licentia est, ubi versus terminantur vocibus, quæ non in eadem sed affini vocali finiunt, si v. gr. earum una finiat in schurec, altera vero in cholem, ut חמות thamouth & חכרות thichroth. Cum distinctiones istæ indoli linguæ Hebraicæ consentaneæ, Arabumque distinctionibus simpliciores sint nihil impedit quominus eas veteri Hebræorum Poesi applicemus. Observamus igitur licet in veteri Hebræorum Poesi plerique versus sint justi, atque laudabiles, non paucos etiam reperiri magis minusve tolerabiles. Rarissimi sunt quorum non nisi ultima vocalis congruit verbis finientibus in quiescente, cujus sonus non auditur, ut חת thain חי thi חו *tho &c.* בה *ba* בי *bi* בו bo &c. Si quis exempla talium versuum ex Poesi recentiori petita videre cupiat eos consulat qui de Poesi Hispanica scripserunt, quibus versus Rabbinis tollerabiles dicti assonantes, reliqui vero consonantes vocantur.

3. Ver-

3. Versuum similiter desinentium numerus non est certus, atque fixus. *Psalmo* II. 3. 5. V. G. quinque sunt versus in מו mo, qui non nisi duobus versibus in *ac* commatis quarti interdistinguuntur. Dantur Psalmi quorum singuli pene versus in eodem sono finiuntur, qualis est *Ps.* CXI. qui fere totus in ך cha finit. Arabum Poemata similia sunt: Poema Tograi dictum totum finit in li: Poema vero Abu-el-ula in la &c. Ordo etiam versuum in eodem Psalmo non idem, sed versibus nostris irregularibus, quos pro lubitu collocamus, plane similis est. Forte etiam alicubi modulationem sufficere rati, terminationem similem non quæsiverunt, sunt enim loca quædam Psalmorum, ubi versus non similiter finiunt, licet sensui nihil deesse videatur, ut in fine *Psalmorum* CXI. & CXII. Ita linguis, quæ hodie in usu sunt Anglica puta, atque Italica optimi versus scribuntur observatis tantum numeris quibusdam modisque absque eo, ut similiter desinant.

4. Raro versus sunt æque longi. Nimirum videtur Hebræos de hac re plane non fuisse sollicitos: ubi duo versus ejusdem mensuræ sese sponte obtulerunt eos non rejecerunt, at æqualitatem istam mensuræ non quæsiverunt. Quod ostendit Poesim illorum non fuisse elegantissimam.

5. Cum Hebræi non habeant longas Periodos, versus ipsorum raro longi sunt. Tales sunt versus *Psalmi* CXIX. cæteri vero tam breves sunt, ut quidam duabus tantum syllabis constent perinde ut nostri versus irregulares & fortuiti. Et hæc forte est ratio cur Hymnum vocent מזמור mismor a זמר zamar quæ vox significat scindere: quia stylus eorum admodum est concisus, ita ut ad exprimendam versuum modulationem in lectionem unius ejusdemque Periodi, spiritus aliquoties suspendendus sit. Hoc verbnm fateor in conjungatione Piel significat canere, sed significando זמר Piel derivatur a significatione זמר Kal atque hodienum apud Arabes qui versus suos in varias cæsuras scindendo decantant, zamara significat canere.

6. Cum Poesis Hebraica parum sit regularis non potest non abundare licenties circa versus similiter desinentes. Maxima secundum Arabes illa est, quæ literas dummodo earum similis sit pronunciatio, in fine versuum admittit. Cum enim Poemata ad cantum potius, atque recitationem quam ad lectionem pangerentur, non tam soliciti erant ut oculis placerent quam ut aures demulcerent. Licet igitur versus in diversas literas desinentes legentem offendere possunt, non ægre tamen admittebantur, quia auribus ingrati non erant. Ita v. g. *Psal.* I. 3. חנה הנח jehgueh componitur versui in פלג phalgue desinente & commate משפט mischpat cum עדת adath.

7. Eadem modulatio in versibus Hebraicis observatur, quæ in nostris, excepto quod cæsuras fere negligunt, sine quibus nostri versus recitari nequeunt. Cæsuræ autem in versibus Hebraicis non valde sunt necessariæ, quia nostris plerumque multo sunt breviores, imo sæpe tam breves ut Cæsura locum habere non possit.

8. Hebræi æque ac pleræque aliæ gentes in Canticis suis versus habent quos repetunt ut videre est *Psal.* CXVIII. & CXXVI. Illud autem apud ipsos singulare est, quod versus intermedii aliquando non similiter desinant, cujus rei exemplum extat in Psalmorum modo citatorum posteriori.

9. Illud etiam aliquando spectant Hebræi ut versus suos a certa quadam litera incipiant. Octo v. g. priores versus *Psal.* CXIX. incipiunt a litera א, octo sequentes a ב & ita porro usque ad finem Alphabeti. Idem *Psal.* XXXVIII. observatur ubi non singuli quidem versus sed singulæ strophæ ab aliqua literarum Alphabeti ex ordine incipiunt. Unde Psalmos quosdam versibus acrostichis constare conjecimus; observavimus etiam primas diversorum versuum literas junctas sensum gignere: Cum vero irregularitas versuum impediat quo minus singulorum initia certo cognoscantur, cum item casu fortuito evenire possit ut primæ literæ sensum forment nihil de eo asseverare ausi sumus.

10. Non opus est, ut de stylo Poeseos Hebraicæ multis hic agamus, cum eadem fere illius sit ratio, quæ alterius cujuscumque Poeseos. Hoc tantum notamus Poeseos Hebraicæ elegantiam istud cum Græcorum Poesi commune habere quod verba, & loquendi modos a Dialectis vicinis Linguæ puta Chaldaicæ mutuatur. Exempla extant *Ps.* CIII. 3. 4. 5. CXVI. 7. 12. ubi suffixa Chaldaica reperiuntur. Aliud notatu dignissimum occurrit *Psal.* II. de quo infra agetur. Hæc observatio maximi est momenti ad loca quædam explicanda erroresque quosdam Librariorum, quibus ratio versuum similiter desinentium alias ubique conspicua, turbatur, corrigendo.

His regulis positis alias rationes speciales afferemus, quibus simul firmabitur quod hactenus generatim adstruximus, Poesin nimirum Hebræorum veteri Arabum Poesi esse similem.

IV.

IV. Viri quidam docti * cum versus similiter desinentes in Libris Poeticis veteris testamenti passim deprehenderent, illos casui fortuito non vero scriptorum sacrorum studio originem debere existimarunt. Hujus opinionis falsitatem sequentia demonstrant.

1. Ipse omnes Psalmos in versus similiter desinentes disposui, ex quo opere si in lucem prodiret, veritas hypotheseos a nobis in medium allatæ ad oculum pateret. Idem in aliis librorum Poeticorum Hymnorumque in Pentateucho Judicibusque repertorum locis tentavi. Ubique satis feliciter successit, paucis quibusdam exceptis cujus rei rationes infra indicabimus. Nemo igitur postea in animum inducet, ut credat versus similiter desinentes in Poematibus veterum Hebræorum casui fortuito adscribendos esse. Feri enim non poterat, ut hoc ipsis inadvertentibus toties accideret: si vero ipsis scientibus hoc factum est, ideo factum est, quia ratio Poeseos ipsorum tales versus exigebat. Exemplo rem illustrabimus circa finem hujus Dissertationis.

2. Observatur easdem voces citra necessitatem sæpe repeti tantum ut versus similiter, desinant, ita *Ps.* CL. vochale louhou, plurimæque aliæ quas allegare supersedemus alibi repetentur.

3. Sæpissime porro voces ejusdem soni quas sensus proprie non exigebat in fine versuum repetuntur. Ita אבד abad periet aliquoties cum עד ad *semper* repetitur. Ex quo planum fit, neque casum fortuitum, neque phraseos necessitatem effecisse, ut harum vocum altera alteri componeretur sed studium voces similiter desinentes adhibendi. Absque quo si esset non toties vicinæ reperirentur.

4. Ubique fere videre est versus similiter desinentes produxisse alium similem, imo duos interdum aut tres quos phrasis non necessario requirebat talis est Mo *Ps.* II. cujus septem versus charactere latino sic exprimuntur.

Eth mos rothe Mo
Venas chlicha mimmenou abothe Mo
Joscheb baschamaj ins jisch AK
Adonai jil AG
La Mo
Az jedabber ele Mo
Bappho oubacharono jebahale Mo

Dubium mihi non est Autorem hujus Psalmi Versus in *O* desinentes studiose affectasse; Tertius enim neutiquam erat necessarius, cum sufficeret dicere: jilag vajedabber elemo. Imo si Poesis Hebraica in hoc non consistebat, debebat versus istos ὁ μοιο) ἐλδ'τυς, qui alias aures offenderent, *suffixo* HEM adhibito evitare. Idem quod hic afferimus confirmatur *Ps.* LXVIII.

5. In quibusdam textus Hebraici locis versus similiter desinentes non reperiuntur, uti scimus, & sensus admodum involutus, & verborum ordo Linguæ Hebraicæ indoli contrarius est: sin autem verba ordini naturali, quem constructio exigit; restituantur, non tantum sensus clarus plenusque fit, verum etiam versus similiter desinunt. Unde jure concludimus verba prius fuisse transposita, & versus similiter desinentes, cum sensui congruant, a Poeta sacro quæsitos fuisse. En sensum commatis 6. & 7. *Psalmi* IX. secundum ordinem, quem hodie servant ad verbum redditum: *Perdidisti impium, delevisti nomen ipsorum in perpetuum, inimicus, vastationes completæ sunt in seculum, & diruisti Urbes, memoria ipsarum periit ipsi, vel ipse*. Quam impedita sit constructio ista nemo non videt, clarius autem videbit, qui fontes Hebraicos adire potest. In eodem isto loco neque versus similis desinunt. Levi autem mutatione, quæ aliis locis parallelis firmatur, facta, & versus similiter desinunt, & verba sensum planum facilemque fundunt, & regularem constructionem habent. *Perdidisti impios delevisti nomen ipsorum in perpetuum inimicus periit, vici, urbesque dirutæ sunt, in seculum destruxisti ipsas, & memoriam ipsarum*. In his verbis sensus, qui prius obscure videbatur plane cernitur. Quin etiam constanter observavimus, locis obscurioribus versus similiter desinentes difficillime reperiri; unde verosimili ratiocinatione concluditur obscuritatem istam, vel a transpositione, vel ab omissione vocis, aut literæ, sine qua versus similiter desinere nequit, oriri. Sensus e contra facilis est, quoties versus similiter desinentes facile reperiuntur. Si brevitas, qua hic adstringimur id permitteret, magnum exemplorum numerum afferemus; unicum tantum apponemus & *Psalm.* XVI. initio, quod versio Genevensis additis quibusdam vocibus, quæ charactere Romano hic expressæ conspiciuntur, ita reddidit: „ Protege me Deus „ fortis quia ad te confugi. *Anima mea*. „ Dixisti Jehovæ, tu es Dominus, bo„ nitas mea ad te non *pertingit*, *id* ad „ Sanctos, qui sunt in *terra*, *ad* claros „ *ejus* viros, quibus delector. Angustiæ „ eorum, qui currunt post alium Deum „ multiplicabuntur “. Sensu, quamvis Interpretes multa suppleverint, satis obscuro, verbisque impeditis. In Hebraico au-

* Vid. Buxtorf. in Prosod. *Hebr.*

autem difficultas longe major est propter punctuactionem quarumdam vocum, & propter literas quasdam necessario, vel addendas, vel immutandas. Inde est, quod locus iste interpretibus crucem fixit, unde nemo illorum sese expedire potuit. Nos vero illum locum, prius a nobis emendatum, ita vertimus: *Protege me Deus, quia in te speravi. Dixi Jehovæ, tu es Dominus, omnis spes mea in te sita est. Magno numero iverunt ad indos, qui sunt in terra tua, magnates delectantur in illis, Idola sua alienorum Deorum studiose multiplicarunt*. Ne longum faciamus, conversionis nostræ rationes reddere non aggrediemur, sufficit quod non nisi illa posita Versus in eodem sono desinunt.

6. Constat apud omnes Criticæ Veteris Testamenti peritos, in versione LXX. Interpretum verba reperiri, quæ in textu Hebraico desunt. Talia loca in Psalmis æque ac in aliis libris occurrunt. Istud autem observatu dignum est, quod alicubi textus Hebræi versus jam non similiter desinunt, fient autem ὁμοιοτέλευτοι, si verba versionis Græcæ addantur. Unde patet illa verba a Librariis Hebræis omissa, adeoque restituenda esse. *Psalmo* 1.4. v.gr. τὸ bis posuerunt οὐχ οὕτως, *non sic*; quod in Hebræo hodierno semel tantum occurrit. Ope vero similis terminationis comperimus hanc phrasin bis ponendam esse. Alius locus relatu dignior est *Psalm.* VII. 12. Ubi in Hebræo hæc habentur: Deus justus, & judex, & Deus, *qui toto die irascitur*. Hic neque versus similiter finiunt, neque descriptio justitiæ divinæ, iis quæ alibi in libris sacris reperiuntur, congruit: solent enim Deum describere, non solum ut longanimem in summo gradu, verum etiam facile placabilem, qui iram quidem per momentum ostendat, misericordiam autem diutissime continuet vid. *Ps.* XXX. 6. Secundum τοὺς 70. & versuum idem sonus, & sensus planus est. En verba: *Deus justus est judex patiens, qui non perpetuo provocatur*. *Ps. similiter* CXXXIV. 20. tria verba, ut versus similiter desinant necessaria, Hebræis desunt: apud LXX. Interpretes vero reperiuntur: vos omnes servi *Jehovæ qui statis in domo Jehovæ* (*in vestibulo domus Jehovæ*) *elevate manus vestras versus sanctuarium*. *Quæ uncinis hic* inclusa conspiciuntur, Hebræis desunt, ut versus similiter desinant necessaria. Isti ommissioni repetitio vocum בת י״י beth *jahvoh*, domus *jehovæ* originem dedisse videtur, ut omnes, qui scripta, in quibus eædem voces repetebantur aliquando descripserunt, facile reperiantur.

7. Alia ratio, qua probatur sensus Hebræorum in eodem sono desinere, hæc est, quod autores sacri hinc inde verba Hebræis parum usitata, aut Phrases a consuetudine vicinarum dialectorum petitas adhibuerint, ubi verba phrasesque Hebræi ordinarie non in eodem sono finniissent. *Ps.* II. 12. E. Gr. occurrit vox Chaldaica בר bar *filius*, quæ in eundem sonum desinit cum sequenti יבער *Jibar*, cui vox בן *ben* Hebræis idem significans, & commate ד adhibita non congruisset. *Ps.* item CIII. Psalmista animam suam idest seipsum alloquens fœminino utitur, quia vox נפש *anima* ejus generis est, scribitur אל תשכחי al Thischechi, *ne obliviscare* tu *anima*; unde versibus sequentibus suffixo Chaldaico, sive Syriaco, כי *chi* uti coactus fuit, quia Hebraico suffixo adhibito idem sonus non constitisset. Versus iste in *chi* desinens tribus aliis, fateor originem dedit, hoc vero ipsum ostendit, versus similiter desinentes non sponte natos, sed studio quæsitus fuisse.

8. Poesim Orientalium exponentes de Phœnicum Hebræis vicinorum eademque lingua utentium Poesi verbum addere potuissemus; ut cum ea, quæ de Arabibus, Æthiopibusque diximus indubia sint, ratio vero Poeseos Phænicum in obscuro lateat, sitam tractationem maluimus in finem rejicere, postquam ex aliis indiciis comperimus Hebræorum Poesim ex versibus similiter desinentibus constitisse. Unde cum lingua Hebraica a Phænicia non sit diversa sponte sua consequetur Phænicum versus alios non fuisse, quam similiter desinentes, quia lingua Hebraica alios producere non potest. Unicum Poeseos Carthaginensis, quæ eadem est atque Phænicia superest fragmentum decem linearum in *Pœnulo Plauti*. Cum vere isti versus numquam alio quam latino charactere, & a librariis sensum eorum non intelligentibus exarati fuerint, non audemus promittere nos certa emendatione illos integritati suæ restituere posse. Plautus equidem undecim versibus latinis illos reddidit. Verum 'I' ex hoc ipso constat versum unum periisse, quia in versibus latinis occurrit repetitio, quæ indoli linguæ Latinæ non congruit, linguæ autem Pheniciæ maxime familiaris est:

> *Measque ut gnatas*, & mei fratris filium
> *Reperire me sinitis, Dii vestram fidem!*
> *Quæ mihi susceptæ sunt*, & fratris filium.

Num-

Nunquam ſane Plautus verba, & *fratris filium* bis poſuiſſet, niſi bis poſita in fontibus Phæniciis reperiſſet. 2. Videtur Plautus hos verſus libere convertiſſe, quod Bochartus, qui eos omnino feliciſſime reſtituit, demonſtravit; quamvis igitur nulla verſuum ſimiliter deſinentium, veſtigia ſua apparerent id ſententiam noſtram non labefactaret: at vero tam clara deprehenduntur indicia ut verſus ὁμοιοτέλευτος fuiſſe nullum ſit dubium. Hoc ut eo facilius cognoſcatur, ſcribam eos characteribus Hebraicis, Latiniſque cum verſione Latina ſingulos verſus ad verbum reddente, partim *Bochartum*, partim Plauti verſionem potiuſquam verba Phænicia Latinis characteribus expreſſa ſecutus.

נא את עליונים ועליונות
שכורת יסמכון זות
כי נתם מלכי
ומתרברי עשקי
לפוחנת אות במצותי
את בני ואת בנותי
ברוח רוב שלהם
עליונים ובמשורתהם
בנות שננובו לי
ובן אחיו
בטרם מות וחנותו
תא נתלכתי אנטירמרכו
איש שירע לי ברם תפל
את חילי שכינתם לאפל
את בן אמיץ
דבור תם נקוט נוח אגורסטוקליס
חותם חנותי חכיור הזה
לי חוק זות נושא
בין חחיל הוו לי לגבולם
לשבת תם
בוא די עלי תרע אנא
אשאל אם מנכר לו שמו.

Na eth eljonim veljonoth
Schechoreth jiſmchoum zoth
Chi nittham milchi
Oumithdabbre iski
Lephochanath oth bimtſoti
Et bni veth bnothi
Brovah rob ſchellahem
Elionim oubimſchourathethem
Bnoth shenignbou li
Ouben achi
Boterem moth uchanoutho
Tha nhelachthi Antidamarco
Iſch ſchejada li bram thippel
Eth chale ſchchinatham lophel
Eth ben amits
Dibbour tha ncot nave Agoraſtoclis
Chothem chanouthi hacchior hazze
Li chok zoth noſe
Ben hachajil hivvon li ligboulam
Lſchebeth tham
Bodi alethra inna hinno
Eſchal im manchar lo ſchmo.

Oro Deos Deaſque
Qui hanc regionem protegunt
Ut conſilium meum ſuccedat,
Ut negotium meum dirigant
Et ut ſignum agnoſcam reperiens
Nepotem meum, filiaſque meas
(Per ſpiritum abundantem qui
In ipſis eſt in Diis, inquam & ipſorum
Providentia) filias meas furto
Mihi ablatas nepotemque meum
Priuſquam Antidimarcus moreretur
Habitabam in ædibus ejus,
Homo erat mihi notus, ſed abiit
Ad congregationem eorum quorum habitatio eſt in tenebris.
Pro certo dicitur
Filium ipſius Agoraſtoclem ibi habitare
Signum de quo inter me & hoſpitem meum
Convenit, eſt hæc tabella inecta
Quam apporto ut mihi ſit pro ſigno.
Aſſeverant mihi hic verſus extremitatem ipſum habitare
Venit aliquis per hanc portam, eccum
Interrogabo ipſum an nomen ejus noverit.

Non jam ſingulos verſus explicare aggrediar, cum & Bochartus iſtud ex parte jam fecerit & verſio noſtra eum in fine ſufficiat. Tria tamen lectorem monebo 1. Singulas lineas Phænicias Latinis characteribus apud Plautum expreſſas, continere duos verſus, qui ideo juncti eſſe videntur, quia uno verſu Latino duos Phenicios reddit, ita ut pro undecim Plautinis vigintiduo Phænicii fuerint, quorum hodie viginti tantum ſuperſunt, una linea duorum verſuum, ut jam dictum deperdita. Hanc lacunam vertentes verſum Plauti duobus verſibus brevibus ſimiliter deſinentibus explevimus. 2. Nos pronunciationem vocalium linguæ Punicæ neſcire. Forte ad Syriacam vel Arabicam magis quam ad Hebræam accedebat. Imo forte Carthagine & in Africa verba quædam longe aliter quam in Aſia pronunciabantur, ſicut hodienum & linguæ Arabicæ dialecti variant, & gentes Europeæ quarum linguæ eandem originem habent, eandem radicem, retentis licet conſonis, reſpectu vocalium longe aliter pronunciant. Quamvis igitur literis radicalibus, vel Hebræorum vel Syrorum more puncta vocalia annotaremus, inde enim minime ſequeretur hanc eſſe veram vocum pronunciationem. Præcipue igitur ad conſonas attendendum videndumque eſt, an ita ut verſus ſimiliter deſinerent pronuntiari potuerint. Quis v. g. nobis dicet utrum vox בנותי, hanotha an

an benothi an benothe fuerit pronunciatum. Cum itaque ignoramus quomodo Carthaginenſes hanc vocem pronunciaverint, ſufficit, ut verſus ſequens voce in תי finiente claudatur. 3. Monendum nos a conjecturis Bocharti verſibus 3. 4. 5. 11. 17. & 22. receſſiſſe præterquamquod 9. 10. ſupplevimus. Non opus eſt ut hujus immutationis rationes reddamus, conferat, cui lubeat noſtros verſus cum iis, quos Bochartus edidit. Illud ſaltem obſervamus verſu quinto פיחנת ſecundum dialectum Chaldaicam, quæ כ Hebræorum in פ mutat poſitum & pro כיחנת.

V. Omnibus iſtis rationibus expoſitis citra periculum erroris concludere poſſumus Hebræorum verſus nonniſi ὁμοιοτελ'τυς fuiſſe, antequam huic diſſertationi finem imponamus ſcrupulos quoſdam tum circa muſicam Hebræorum tum circa methodum inveniendi Poeſeos Hebraicæ rationem, animis lectorum noſtrorum eximire conabimur.

1. Quod ad muſicam attinet cum illa a vario ſenſu ac ingenio ſingulorum populorum magis quam a certis regulis pendeat, conjectura aſſequium poſſumus, quibus modis muſicis Hebræi carmina ſua adoptaverint. Multitudo Hymnorum, quos habebant, & Hiſtoria Davidis, nos equidem docent, ipſos Muſica delectatos fuiſſe: non in ipſos de Muſica ſcripſiſſe legimus, imo ſi ſcripſiſſent, vix mente eorum intelligeremus. Ea tamen quæ de ipſorum Poeſi diximus, nihilominus certa ſunt etiamſi nullo pacto divinare poſſemus quomodo verſus ſuos cecinerint. Et Grecos olim verſus ſuos ceciniſſe, imo rationem muſices ſuæ literis conſignaſſe ſcimus, cum ſcriptionis iſtius, fragmenta quædam ſuperſint: hoc tamen non obſtante omnino illa periit, ita ut numeros modoſque odarum, v. g. Pindari cognoſcere ſit impoſſibile. Quin etiam ſi quis verſus Sinentium optimo in Europa Cantori oſtenderet, ille Muſicam eorum divinare non poſſet: uti nec Sinenſes noſtros verſus canere ſciunt. Imo quod mirum eſt, illi noſtram Muſicam rident, ſicut nos viciſſim ipſorum Muſicam ludibrio habemus.

2. Muſica Hebræorum irregularem fuiſſe a veriſimilitudine remotum non eſt. Gens erat Agricolturæ tota dedita, neque Theatra, neque Ludos ejus generis Publicos habens. Muſica nonniſi in cantu hymnorum ſacrorum a Davide inſtituto adhibebatur; nihil vero nos cogit credere cantum iſtum egregie modulatum fuiſſe. Judæos in Synagogis preces confuſe canere, Libroſque ſacros ſive ligata, ſive ſoluta oratione conſcriptos cantillando legere ſolere, hodienum videmus. Quin etiam Mahometani Alcoranum ſuum, qui a verbis ſimiliter deſinentibus abundat, decantant. Nec Proſa Hebræorum oratio iſtis verbis deſtituitur, quæ forte cauſa eſt cur & illam a tempore immemoriali æque, atque Libros Poeticos decantent, licet in quonam Poeſis Biblica conſiſtat, ipſi ignorent.

Si porro ſupponamus Hieronymum & ſexaginta Interpretes locum. 2. *Samuelis* 6. 5. bene convertiſſe, noſque nomina Inſtrumentorum, Muſicorum, de quibus ibi ſermo eſt, recte intelligere, pro voto affirmare licebit, Muſicam Hebræorum non fuiſſe elegantiſſimam cum illa Inſtrumenta, nonniſi confuſos diſcordanteſque ſonos edere potuerint. En deſcriptionem concentus a Davide arca comitante formati ſecundum verſionem Hieronymi: David autem, & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus Lignis fabrefactis; & Cytharis, & Lyris, & Timpanis, & Siſtris, & Cymbalis. Secundum LXX. autem Interpretes nomina Inſtrumentorum iſtorum ita reddenda ſunt in Cyneris (inſtrumenta decem Cordarum, quæ Fidibus pulſabantur, referente Joſepho) Nabliis (Inſtrumento 12. ſonorum, quod digitis pulſabatur juxta eundem) Timpanis (forte cantantibus) Cimbalis (i. e. Timpanis cantabricis ex ære factis, quæ digito pulſabantur) & Tibiis. Verum Interpretes iſti hunc locum, ut innumera alia fortuito tranſtulerunt ignari, de quibus proprie Inſtrumentis hic ageretur; & vox ultima *tſilts.el.* non *Tibiam* ſed *Cymbalum*, vel *Siſtrum* ſignificat. Eodem modo Rabini Muſicam Templi deſcribunt referente Lightfooto in Libro de miniſterio Templi cap. 7. ſect. 2. dicunt voces Inſtrumentis fuiſſe junctas, notantque Pſalmos, qui ſingulis hebdomadæ diebus præcipuiſque feſtis canebantur. Verum eruditi probatum dederunt ipſorum narrationem hac in parte non ſatis eſſe fide dignam. Iſtud ſaltem inde concludimus, quod Hebræorum Muſica admodum confuſa noſtræque diſſona ſit, nec ipſos Judæos diffiteri.

3. Ponamus autem Muſicam ipſorum auribus fuiſſe gratiorem, nihil utique impediebat, quo minus verſibus irregularibus aptarent modos quales nos aptamus noſtris. Conſtat modos Muſices illis Tabulis, quæ machinis reppræſentantur, ut vulgo *Opera* vocantur aptari ſolitos ſatis eſſe gratos, licet verſus ſint irregulares. Quamvis igitur Muſica Græcorum modique Poeſeos ipſorum lyricæ, quæ fert verſus æquales ſtrophaſque, & antiſtrophas regulares habet admodum celebren-

brentur: certum tamen eſt, numeros ſemper recurrentes modoſque continua ſerie vities auditos non tam placere quam varios numeros, modoſque ubique fere immutatos, quales verſibus irregularibus aptari debent.

4. Sicut Muſicus perfectus tabulam verſibus conſcriptam, cujus quidem modum non vidiſſet legens aliquatenus ex materia verſuumque numeris de modo conjecturam facere poſſet, ita ex numeris Hebraicorum verſuum, qui breves, & inæquales ſunt, vel modulum eorum, aliqua ex parte aſſequi licebit. Si quis v. gr. *Pſalmum* CL. ut oportet ad exprimendos numeros legat, nemo non qui auris conſulit, judicabit, verba iſtius Pſalmi illi modo Muſico, qui Taratantara appellatur eſſe aptiſſima.

6. Supereſt ut objectionibus quoad rationem inventæ a nobis Poeſeos iſtius formandis occurramus. Mirum primo videri poſſit tot viros doctos veteres, Junioreſque, qui Poeſeos Hebraicæ miſterium ſollicite indagarunt, de re tam obvia verſibus, puta ſimiliter deſinentibus non cogitaſſe. Verum hæc objectio ex metaphyſica petita, nihil aliud probat, niſi eruditos iſtos viros non ut poterant, & debebant, animum ad hoc advertiſſe. Sæpe quærendo myſterium in re facili, ipſa res redditur difficilis. Cæterum hanc objectionem ipſa experientia refellere in promtu habemus in mediuum prolato integro Pſalterio in verſus ſimiliter deſinentes diſpoſito: id quod alio forte tempore fiet, interim vero perſequentes obſervationes reſpondemus.

1. Verum non eſt neminem Doctorum verſus ſimiliter deſinentes Poeſeos Hebraicæ animadvertiſſe. *Buxtorfius* Pater ut ex initio Proſodiæ ipſius patet aliquos notavit, eoſdem, quia aliquos tantum, & ubi verſus æquales erant obſervaverat caſu fortuito ortos opinatus. Porro Theodorum Herbertum quemdam de Poetica Hebraica ſcripſiſſe, pluriumque verſuum ſimiliter deſinentium mentionem feciſſe legimus. Ante iſtum Auguſtinus Steuchus de Eugubio præfatione in Pſalmos conceptis verbis dixerat; Poeſim Hebræorum, Italorumque, Græcæ, & Latinæ non eſſe ſimilem. Latinos immitatione Græcorum ſervare quantitatem ſyllabarum, non vero Hebræos, qui numeros tantum, modoſque curent. Idem tamen Libris Hebræorum Poeticis verſus ſimiliter deſinentes reſtituere non tentavit, uti nec Ludovicus Capellus in Arcan. Punctat. Lib. l. c. 13. cui opinio eruditi illius viri non diſplicuit. Eruditi quidam exiſtimarunt Hieronymum verſus ὁμοιοτελεύτους Poeſeos Hæbraicæ agnoviſſe, quia Præfatione in Jobum: interdum ait quoque Rithmus ipſe dulcis, & Tinnulus fertus numeris pedum ſolutis. Ubi Buxtorfius credit Rytmum idem quod hodie vulgo ſignificare, nimirum verſus ſimiliter deſinentes; cum ab omnibus, qui de Proſodia ſcripſerunt diſcere potuiſſet hanc vocem, nihil aliud ſignificare, quam modulationem; quo ſenſu Joſephus Scaliger loco jam cit. ea voce uſus eſt quantum, inquit, ſententia poſtulat Rythmus nunc longior, nunc brevior eſt, hoc eſt verſus, verſuumque modos, magis minuſcuæ longos eſſe, prout ſenſus plura, pautiorave requirat verba. Ferandus tamen præfatione in *Pſ.* C. 11. Scaligerum repræhendit, ac ſi per Rythmos verſus in eodem ſono terminantes intellexiſſet. Tunc vero errorem Scaliger Linguæ Græcæ peritiſſimus nunquam commiſiſſet; erravit potius ipſe Ferrandus verbis Scaligeri alienum ſenſum affingendo, neque minus erravit idem, dum verſus æqualiter finientes in Poematibus Hebræorum poſt Buxtorfium caſui fortuito adſcripſit.

2. Qui jam Pſalmos in modum verſuum ſimiliter deſinentium diſpoſitos videbit, exiſtimabit forte eos reperire facillimum fuiſſe: ſed quod poſt explicationem facile videtur, antea ſæpe erat difficillimum. Enigmata eleganter excogitata luce mæridiana clariora ſunt illi, qui myſterium intelligit unde frequenter miramur non ſtatim eorum ſignificationem nobis in mentem veniſſe. Eodem modo res ſe habet cum Poeſi Hebraica. Impedimentis e medio ſublatis, nihil videtur eſſe facilius; En vero quid ab initio cognitionem ipſorum verſuum reddiderit difficilem! verſus in Libris Hebraicis non diſtincti, ſed continua ſerie ſcripti ſunt ad inſtar ſolutæ orationis; quo factum eſt, ut quamvis aliquos Libros poeticos eſſe non ignoraretur paulatim tamen cognitio verſuum eorumque diſtinctionis periret. Hanc difficultatem duo auxerunt, primum quod verſus plerique eſſent breviſſimi, alterum quod non ubique iiſdem exactæ ſylabis, eodemque ſono terminarentur. Si quis v. g. Verſus Hiſpanicos irregulares, qui aſſonantes vocantur, continuo ductu ſcriberet, pauciſſimis in mente veniret eſſe Poema, niſi ex ſtylo cognoſceret, imo Poeſeos hyſpanicæ ignarus initia, terminoſque ſingulorum verſuum diſtinguere non poſſet. Eadem eſt ratio Poeſeos Italicæ irregularis, in qua verſus interdum ſimiliter deſinunt, interdum vero non. His adde eum qui verſuum hoc modo ſcriptorum initium & finem indagat, veram illos pro-

pronunciandi rationem ſcire debere, quod ut norunt omnes, qui aliqua linguæ Italicæ cognitione pollent, exteris admodum eſt difficile. Atqui idem reſpectu Linguæ Hebraicæ cujus pronunciatio tam eſt ingrata, quam pronunciatio Linguæ Italicæ grata eſt, multo erit difficilius. Adeoque & ratio ſcribendi Poemata ſine diſtinctione verſuum, & verſuum inæqualitas, brevitaſque porro omiſſio, vel neglectus verborum ὁμοιοτελεύτων in fine verſuum, difficultas denique pronunciationis ſatis ſuperque impediebant quo minus ratio verſuum Hebraicorum facile intelligeretur.

3. Pateat inde etiamſi librarii nuſquam haberraſſent iſtos verſus reperiri difficillimum fuiſſe. At vero credi par eſt Librarios parum attentos cum menſuram verborum deſcribendorum ignorarent, ordinem verborum iſtorum alicubi tranſpoſuiſſe. Conſtat enim veteres manuſcriptos, Codices Autorum Græcorum, Latinorumque non eorum tantum, qui ſoluta oratione ſcripſerunt, ſed Poetarum etiam quorum verſus Rythmum ſenſibilem non habebant in diſpoſitione verborum admodum variare. Conſulantur ſuper iſta re Poetæ Lirici, Grammaticique, Græci, & Latini, in quorum ſcriptis viri docti frequentes tranſpoſitiones obſervarunt. Quod ſi variationes ejuſmodi acciderunt Libris Græcorum, Latinorumque qui ſatis accurate a Librariis Linguarum iſtarum peritis exarati ſunt; facile intelligitur cum lingua Hebræa in captivitate interiret, Librique a Librariis minima ex parte ſenſuum verborum aſſequentibus deſcriberentur, potuiſſe leves aliquas mutationes irrepere, quæ licet ſenſui non obeſſent verſus tamen turbarent. Demonſtrare opinor poſſum, tales verborum tranſpoſitiones in Pſalmis occurrere, qui verſuum turbant, ſenſumque obſcuriorem reddunt. Exemplum *Pſ.* IX. ſupra allatum eſt. Pari modo *Pſal.* LXXI. v. 16. & ſeqq. Verſus non ſimiliter finiunt, & ſenſus minus eſt clarus. Verſio Genovenſis in hunc locum ita tranſtulit: De tua unice juſtitia loquar o Deus, tu erudiviſti me a juventute mea, & uſque in hunc diem anuntiavi mirabilia tua. Porro etiam ad ſenectutem uſque, ad canam ſenectutem uſque, ne me deſeras, o Deus. Hæc verba perplexa eſſe nemo non videt, clariuſque cernunt, qui Hebraicæ intelligunt, & hic vix *disjecti membra Poetæ* reperire poſſunt: ſin autem verba ita diſponantur, ut verſus ſimiliter deſinant, ita vertenda erunt: Domine tu ſolus Deus es, celebrabo juſtitiam tuam, annuntiabo mirabilia tua. Tu me erudiiſti o Deus ab infantia mea uſque nunc, ne me deſeras o Deus uſque ad canam ſenectutem &c. Neque exiſtimandum eſt verſus iſtos, ut per tranſpoſitionem ὁμοιοτελεύτῳ fierent, diu multumque ſolicitari debuiſſe, quin contra emendatio ultro fere ſeſe obtulit, quem ipſum inquirenti, annon Pſalmi verſibus ſimiliter deſinentibus conſcripti ſint, ultro oblatum fidem facit, tales verſus ab ipſis Poetis Hebræis ſtudioſe quæſitos, & de induſtria factos fuiſſe.

4. Præter tranſpoſitiones in Pſalmis occurrentes Librariis forte alicubi verbum pro alio verbo ſubſtituerunt, aut aliquot verba plane omiſerunt. Haud ægre id fatebuntur, qui vel quid ſit Critica intelligunt, vel varias lectiones novi Teſtamenti a Crucellæo, & Oxonienſibus æditas examinarunt. Si quis tales aberrationes in veteri Teſtamento accidere potuiſſe, negaret, teneretur probare id quod in novo teſtamento Librarii Chriſtiani, quorum lingua vernacula Græca erat, admiſerunt, idem in Pſalmis quos Librarii nonniſi ſtudio Hebraica edocti poſt captivitatem deſcripſerunt, contingere non potuiſſe. Tantum vero abeſt, ut Librarios alicubi aberraſſe ſit impoſſibile, ut potius quod Capellus, aliique plures demonſtrarunt, revera aberraverint. Conferatur *Pſal.* XIV. cum LIII. qui certe idem eſt, & comperietur XIV. minus eſſe emendatum, verba quædam deeſſe Librarii eoſque aliquoties aberraſſe, quod & ſenſum, & ſonum in quo verſus deſinere debebant turbavit. Conferatur porro *Pſalmos* XVIII. in Libro Pſalmorum cum eodem *Pſalmo cap.* 22. poſterioris libri Samuelis recenſito, ubi qui Hebraicæ legere norunt, ultra quinquaginta omiſſionis, tranſpoſitionis, & permutationis verborum, quorum literæ quædam ſimiles ſunt, exempla obſervabunt.

5. Hoc Ludovicus Cappellus in Critica ſua tam clare demonſtravit, ut eadem poſt ipſum fuſe exponere ſuperfluum fuerit, idem vir doctus oſtendit, puncta vocalia Hebræorum a Maſſorethis, qui alicubi male ea appoſuerunt profecta eſſe. Et hæc etiam una eſt ex rationibus cur myſterium Poeſeos Hebraicæ difficilioris fuerit indagationis, verſu v. gr. Pſalmorum primo pro holech poſuerunt חלך halach quo facto τὸ ὁμοιοτελεύτῳ periit. Ab ipſorum fateor punctatione non temere recedendum, & quoties appoſitione aliorum punctorum verſus ſimiliter deſinentes a nobis formantur rationibus non firmandum eſt quod reſpectu verſus modo citati aliorumque innumerum facillime fieri poteſt.

Ve-

Verus præterea quarumdam vocalium ſonus ignoratur v.gr. Kametaj magnum alicubi ut *O*, alicubi ut *A*, pronunciatum fuiſſe videtur: uti Arabum fata & Damma ſingulæ duos habent ſonos, qui nonniſi uſu dignoſcuntur.

Maſſorethæ porro quarumdam vocum pronunciationem ſtudio immutarunt v. gr. vocis יהוה, quæ in Pſalmis frequentiſſime occurrit, & cujus vera pronunciatio ſcitu neceſſaria eſt, ut verſus ſimiliter deſinentes reperiantur. Oſtendit autem Cappellus pronunciandum eſſe fahroh, quam pronunciationem verſum requirere ex multis Pſalmorum locis nos intelleximus.

Patet inde punctatione Maſſoretharum tonos ſyllabarum, in quibus verſus deſinunt admodum fuiſſe turbatos, idemque numeris, modiſque neceſſario accidiſſe. Numerum enim ſyllabarum apponendo ſyllabis, quæ antea aliter punctabantur ſcheva mobile, aut quieſcens, vel auxerunt, vel minuerunt, quod notantibus multis viris eruditis ex innumeris nominibus propriis e. gr. שלמה Schlomo pro Schalamo conſtat.

Difficultates iſtæ, quæ hactenus in cauſa fuerunt quo minus numeri, modique, & termini verſuum ſimiliter deſinentes reperirentur, faciunt etiam ut ſperare non liceat nos aliquando verſus Hæbraicos, integritati ſuæ reſtituturos eſſe. Ridiculæ enim temeritatis foret promittere nos omnes, quæ hic emergunt difficultates, quæque ex parte ſuperari poſſunt, omnino ſuperaturos. Sufficere autem exiſtimo, ſi locis claris, atque expeditis magno numero prolatis oſtenderimus, quid de iis quos impedit eſſe fatemur ſentiendum ſit. Habemus loca in Fragmentis veterum Lyricorum, & Drammaticorum Græcis, Latiniſque ex quibus evidenter conſtat, quodnam verſuum genus adhibuerint, quamvis aliquot locis reſtitui non poſſint. Neque nos pollicemur, nos omnia Scripturæ Sacræ Poemata vero ſuo ordini, vel reſtituiſſe, vel reſtituere poſſe: ſed regulas noſtras longe maxime iſtorum Poematum parti applicatas congruere, atque hoc pacto eos qui illas in dubium vocant revinci poſſe credimus.

6. Notamus porro veterum quoſdam de Hebræorum Poeſi male judicaſſe. Cum enim aliam quam Grecorum Latinorumque non intelligerent, temere exiſtimamarunt Poeſim Hebræorum, illi neceſſario ſimilem eſſe. Hunc errorem Hieronymus commiſit, ut ex illis, quæ Præfatione in Jobum & alibi dicit, conſtat; non tamen primus opinionis iſtius autor extitit, ſed Euſebium, Origenemque quos citat, ſecutus eſt; qui etiam ipſi autoritate Filonis atque Joſephi * canticum Moſis *Exod.* XV. verſibus hexametris ſcriptum aſſerentis ſe tueri potuiſſent. Nil autem a veritate alicujus fingi poteſt, neque iſtud unicum eſt judicium, quo Joſephus æque ac Philo Hebraicæ linguæ imperitiam prodiderunt. Forte etiam cum Gentilium hymni Sacri ut ſunt Homeri, atque Callimachi verſibus plerumque hexametris conſtarent. Joſephus ut ſeſe indoli opinionibuſque Gentilium accomodaret, quod obſervantibus viris eruditis ipſi conſuetum fuit idem de Hebræorum hymnis aſſeruit. Sive autem linguæ Hebraicæ ignorantia, ſive ſtudio placendi Gentilibus ita ſcripſerit, certum eſt nullos apud Moſem verſus hexametros reperiri, qui linguam Hebraicam primis labris deguſtavit, verſuſque ſcandere norit; ne jam adamus nos canticum iſtud in verſus ὁμοιοτελεύτους ſatis commode diſpoſuiſſe, ſi neceſſitas exigit publice luci exponendos. Hieronymus qui verſus Lyricos ſibi repeeriſſe viſus eſt non videri in hanc cogitationem incidiſſe, niſi quia alii ante ipſum idem aſſeruerunt. Solebat enim ut ipſemet fatetur Origenem ſequi, ſine prævio examine, utrum id quod excribebat verum eſſet nec ne. Fruſtra igitur Steuchus & Capellus *arc. punct. lib.* I. *cap.* 13. ipſum excuſare conati ſunt, cum errores quos ſcriptor parum accuratus hic & alibi ſæpius admiſit ingenue fateri mea ſententia multo ſit ſatius.

7. Quæ de Joſephi & Philonis ignorantia Librariorumque erroribus modo diximus ſupponunt falſam eſſe opinionem quorumdam, qui nonniſi ſuperficiaria Critices ſacræ acquiſita notitia, ſibi perſuadent veteres Hebræos religioſiſſime ſuos Libros tractaſſe, neque unquam a ſtudio Linguæ ſuæ ceſſaſſe. Ex quo inferunt Codicum quos nunc habemus eam eſſe integritatem, eamque fuiſſe Liberiorum peritiam, ut vetus Teſtamentum jam multo emendatius extet, quam novum. Hæc vero præjuditia quæ nonniſi auctoritate Juniorum Judæorum & rationibus quibuſdam metaphyſicis nituntur deponet quicumque ſequentia conſideraverit.

1. Legem Moſis nunquam fere a Judæis exacte ſervatam fuiſſe, quod hiſtoriæ ipſorum, & quærelle Prophetarum clare oſtendunt. Quamvis igitur *Moſes Deut.* 17. 18. Juſſiſſet ut Rex exemplar Legis in uſus ſuos haberet proprium, adeo id neglexerunt, ut Joſias poſtquam jam 18. annos regnaſſet, quid iſto Libro Legis contineretur, ignoraret. *Vid.* 2. *Reg.* 22. 18. Quæ hiſtoria ſimul docet exemplar

* *Antiq. Jud. L.* 2. *c.* 7.

plar in ipso Templo asservandum inde ablatum, neque ut oportebat lectum fuisse; ex quo sponte sequitur Judæos isto tempore Libros suos non studiosissime servasse.

2. Quamvis multi veterum dixerint Esdram Libros Sacros durante captivitate Babilonica neglectos restituisse, & in volumen quod jam extat, impegisse: si quis tamen Genealogias Libri Esdræ accurate examinet ommissiones quæ non nisi a Librariorum negligentia proficisci potuerunt v. g. *cap. 6. 3.* sex generationes ommissas fuisse reperiet. Tanta etiam in Libris Esdræ Nehemiæ circa numeros reducum ex captivitate est diversitas ut medium aliud hunc modum seccandi non supersit, nisi dicamus Librarios describendo ipsos libros, non eam quam debebant diligentiam adhibuisse.

3. Observandum est ab eo tempore Judeos non amplius Hebraica lingua usos fuisse, sed Caldaica ita ut lingua Hebraica studio addisci debuerit. Eo tempore adminicula linguas mortuas addiscendi nondum suppetebant, cum neque lexica, neque præcepta Grammatica haberent, atque per traditionem unice oralem eorum cognitionem servarent, sicuti Judæi multis postea Seculis fecerunt. Nemo non videt cognitionem accuratam linguæ Hebraicæ, hoc pacto acquiri non posse, cum sine regulis grammaticis in construendis vocibus perpetuo aberretur, & sine ope Lexici significatio plurimorum verborum necessario pereat, eorum præcipue quæ nonnisi semel, & ubi sensus persequentia non determinatus est, reperiuntur.

4. Hebræi illo tempore usum punctorum non habebant; adeoque cum pronunciationem verborum veteris Linguæ Hebraicæ non in scripto, sed in memoria tantum retinerent, fieri non potuit, quin plurimæ orationes varientur. Ludovicus Capellus tract. de punctis Hebraicis, & Critica sacra utrunque demonstratum reddit.

5. Si quis aliquos Textus Hebræi Libros cum versione LXX. Interpretum studiose conferat, reperiet interpretes istos innumera loca divinando convertisse, nescientes quid verba proprie significarent, ipsos porro in locis obscuris officio Interpretum malo fuisse functos, cum nil nisi verba sensu coerentia protulerint, constructionem item Verborum sæpe non intelexisse, denique aut exemplari negligenter scripto fuisse usos, aut innumeris locis per errorem unam vocem pro alia accepisse. Non æquidem ignoro a viris Æruditis quosdam ipsorum excusatos fuisse: quin etiam ipsos interdum injuria repræhendi fateor: certum tamen est plurimos errores qui excusari non possunt, ab istis fuisse admissos, quod ex notis Criticis Ludovici Capelli nunc sub prælo sudantibus clarissime patet. Vir iste doctus, sicut recte agnoscit multum ex ista versione affulgere lucis lectionem illius aliquando Hebraica esse meliorem, sæpius a librariis fuisse corrupata, quæ ab Interprætibus bene conversa erant, ita ab altera parte tantum errorum cumulum notat, ut dubitari non possit Exemplar, quo usi sunt inemendatius ipsosquæ linguæ Hebraicæ, imperitiores fuisse. Ista tamen versione Judæi ante aventum Christi utebantur, quæ in eo honore apud ipsas erat * ut planum inde sit, studium Linguæ Sacræ ipsos tunc omnino neglexisse.

6. Judæi istis temporibus unice studio Legis ceremonialis traditionis & alegoriarum detinebantur, ita ut nullum extet inditium ipsos grammatices, aut Critices Linguæ Hebraicæ peritos fuisse. Quin etiam constat nec Hieronymi tempore eos acuratam Grammatices cognitionem habuisse, cum ipse conversione sua in regulas communes & certas impingat, errores eosdem, quos in septuaginta Interpretibus notavimus committat, in locis præcipue difficilioribus constructionem plerumque non curet, ut sæpius phrasi quadam obscura elabatur. Hæc admiratoribus Hieronymi, & septuaginta Interpretum fortassis dura videbuntur, verum cur in re luce meridiana clariori scapham appellare non liceat?

Hæc prolixius pertractare non opus est quæ dicta sunt sufficiant ad indicandum, cur mysterium Poeseos Hebraicæ tamdiu latuerit. Si quis ex principiis hic positis nobis invidiam conflare variasque sequellas nectere vellit, ei respondemus, nos sequellas illas non agnoscere, ipsum vero ad binos Capelli tractatus jam citatos remittimus, quibus demonstravit causam Religionis Christianæ disquisitionibus criticis, contra quas malevoli, vel imperiti quid declamant, plurimam juvari. In rebus ejusmodi facti istoria cum veteribus monumentis consulenda est hisque fundamentis superstruendum, non vero infinita ratiotinia nectenda sunt, ut tandem ipsa hystoriarum veritas, quia cum ratiosiniis istis non congruit, in dubium vocetur.

VII. Ut lector specimen Poeseos Hebraicæ videat *Psalm.* CL. qui & brevis est, & certissime vocibus similiter desinentibus selegimus. En istam Psalmum in versus ὁμοιοτελεύτους dispositum.

הללויה

* *Antiq. Jud. lib. 12. cap. 7.*

הללויה הללו אל בקרש הללוהו ברקיע עזו
הללהו בגמרתיו הללוהו ברב נהלו
הללוהו בתקע שופר הללוהו בנבל וכנור
הללוהו בחף ומחול הללוהו במנים ועגב
הללוהו בצלצלי שמע הללוהו בב לצלי תרועה

Versus Psalmi CL.

Halleloujah : I. Laudate Sanctitatem Dei. II. Laudate extensionem virium ejus. III. Laudate potentiam ejus. IV. Laudate majestatem ejus supremam. V. Laudate ipsum tuba canendo. VI. Laudate ipsum Lyris, & fidibus. VII. Laudate ipsum. VIII. Tympanis & Tibia. IX. Laudate ipsum Chordis & Organis. X. Laudate ipsum Cymbalis resonantibus. XI. Laudate ipsum Sytro, cujus sonus inæqualis est. XII. Quicquid respirat. XIII. Laudet Deum. XIV. Laudate Deum.

Observationes in Psal. CL.

Halleloujah) hæc vox istius Psalmi & quorundam aliorum, qui unice laudes Dei continent videtur esse titulus, vide *Psal.* CXI. 1. Hæc est ratio cur LXX. Interpretes in sua versione ipsam vocem ἀλληλȣ̈ία retinuerint, a quibus Ecclesia Christiana illa accepit. Inde tamen concludi non debet veram ipsius vocis pronunciationem fuisse IA non LO vel IAO; potuissent enim LXX. Interpretes studio gentilibus veram hujus vocis pronunciationem occultando illam aliter exprimere quod in voce integra יהוה cujus ista compendium est fecerunt; Cum utique constet ipsos superstitione quadam Judaicam ductos credidisse, illud nomen, quod Hebræis nomen Dei proprium vocatur, a solo summo Sacerdote pronunciandum esse, ideoque semper pro salmo vocem Κύϱιος posuisse videatur, de hac re Drusius & Amama. Hanc vocem punctavimus IOH, quia ut versus similiter desinerent ita legendum est, & quia IAHVOH pronunciandum est. Omnia etiam hujus Psalmi Schevata pro quiescentibus habuimus, exceptis illis, quæ primæ litteræ Lamed verbi hallel & Thau verbi Theallel subjacent, propter *he* sequens.

1. Laudate sanctitatem Dei. Hic sex versus ab hallelouhou incipientes, & quatuor in eandem voce finientes conspiciuntur, quod canticorum generi X tarantara dicto apprime convenit LXX. Interpretes voce bkodseho verterunt ἐν ἁγίοις αὐτȣ̃ in loco ejus Sanctissimo nam ἅγια hic sumuntur pro ἅγια ἁγιών sancta Sanctorum, ut constat ex *capite 9*. Epistolæ ad Hebræos. Vox quidem Hebraica sæpe hoc significat, cum vero etiam sanctitatem significet hunc sensum pretulimus propter sequentes versus quorum postrema verba non locum, sed attributum Dei denotant. Neque tamen ideo convertimus Laudate Deum in sanctitate sua, serviente phrasi Hebraicæ, quia planum est aliud illa non indigitari ab eo, quod expressimus. Phrasis ordinaria linguæ Hebraicæ est חללו את קרש י"י halelou eth Kodesch jahvoh, Laudate Sanctitatem Jehovæ.

2. Laudate extensionem virium ejus, LXX. verterunt, in firmamento potentia ejus, hoc est, in Cœlo potentia ipsius facto. Huzzo & Kodscho sunt, ut Hispani loquuuntur versus assonantes, verum etiam aliis psalmorum locis junguntur, ut *Psal.* CV. 3. 4.

3. Laudate potentiam ejus, Vox Hebraica pluralis est, potentias quia numerus pluralis, ac lingua præ singulari majorem habet emphasim.

Laudate supremam majestatem ejus. Si verbum verbo reddamus in multitudine magnitudinum ejus, Hebræus inquit. Pro גדלו majestatem ejus versus exigit, ut legatur גרלוהו gedoulothau, magnitudines ejus, quæ vox plurali numero voci גבורות gehouroth juncta legitur. *Psalm.* CXLV. 4. 5. *6.*

5. Laudate ipsum tuba canendo. Rabini ajunt cum tuba caneretur, primo auditum fuisse sonum longum, & æquabilem quem thekouha הקועה vocant, postea sonum variatum therouha הרועה, dictum denique sonum æquabilem. Similia in sono nostrarum tubarum observantur. Duplicem tubæ sonum fuisse etiam ex X. cap. Numerorum constat. Radix רוע rorah proprie significat rumpere, unde coniicimus apud Hebræos forte cum de Tubis agerent phrasim frangere sonitum in usu fuisse, ut apud Latinos in versu Virgiliano.

—— *Fractos sonitus immitata tubarum.*

6. Laudate ipsum Lyris, & Fidibus. Hæc erant instrumenta fere similia. Nehel describente Josepho *antiq. Jud.* I. VII. *c. 6.* erat instrumentum decem sonorum, digitis pulsari solitum, si hoc instrumentum Hebræorum simile fuit Liræ decem chordarum, apud Græcos figura ipsius extat in Libro Voissii de Poematum cantu *Pag. 97.* Chinnor vero est istrumentum decem chordarum finibus tangi solitum. Voces שיפה & בנור in eodem sono desinunt, quia legendum est schofor. Duæ istæ voces eodem modo duos versus finiunt *Psal.* XCVIII. 5. *6.*

7. 8. Laudate ipsum in Tympano & tibia תף thoph tympani æneì, quod a cantabricibus, aut saltatricibus pulsabatur species fuisse videtur. *Exod.* XV. 20. *Jerem.* XXXI. 3. Ob hanc rationem LXX. Interpretes vocem sequentem מחול Machol verterunt saltationem, quam alii tybiam convertunt. Cum vero hic de instrumentis musicis agat, explicationem postremo loco allatam præferimus.

9. Instrumentis chordarum, & organis Τοὺς ό secuti sumus, qui verterunt ἐν χορδαῖς καὶ ὀργάνοις, non tamen certum est hanc versionem accuratam esse.

10. Cymbalis resonantibus. Hebræi duo genera tsiltsel sive timpanorum æneorum habebant, unum rotundum erat, ut nostra tympana, ut videtur formatum. Alterum figuræ erat ovalis ad latera perforatum, bacilis, Æneis longioribus foramina pertransientibus, qui cum Cymbala pulsarentur in cavitatibus suis libere moti sonum edebant. Hoc instrumentum vocabatur Sistrum, cujus figura in variis ectypis & sculptilibus veterum Ægyptiorum conspicitur, ut & prima parte gemmarum antiquarum Leonardi Augustini *p.* 214.

Hoc forte per tsiltsel Therouha versus sequentes, hoc est, Sistra soni inæqualis intelligitur. Vide Bocharti Phalegum *lib.* 4. *cap.* 11.

Et hæc quidem de Poesi Hebraica & in *Psalmum* CL. dicere in animo habuimus. Duo adhuc Lectorem monemus; alterum est quod pauciora exempla probandis nostris de Poesi Hebraica assertis produxerimus, brevitatis unice causa factum esse, cum necessitate id exigente longæ major eorum numerus afferri possit: alterum est *Ps.* CL. ideo tantum selectum esse, quod brevior esset, non vero quod Hypothesi nostræ stabiliendæ magis inserviret,





PSALMORUM LIBER,

In Versiculos Metrice divisus,

et cum aliis

CRITICES SUBSIDIIS,

tum præcipue

METRICES OPE,

Multis in locis integritati suæ restitutus.

CUM DISSERTATIONE

DE ANTIQUA HEBRÆORUM POESI,

Aliisque Quæsitis,

Ad Psalmorum Librorum pertinentibus.

Ad finem Operis adjecta sunt Poeseos Hebraicæ Specimina,

Ex iis quæ ediderunt,

Franciscus Gomarus, *Marcus Meibomius*, & *Johannes Clericus*.

EDIDIT

FRANCISCUS HARE, S. T. P.

EPISCOPUS CICESTRENSIS.

LECTORI PHIL-HEBRÆO.

Ut scias B. L. quo consilio ad hanc Psalmorum editionem adornandam, cum longe alia meditarer, me converterem; breviter dicam, hanc me provinciam eum unice in finem suscepisse, ut veterem Hebræorum Poesim, ab annis plus bis mille intermortuam, si qua possem, opera mea instaurarem. Qui conatus si ex voto succederet, rem non modo sacris Literis promovendis utilissimam, sed & eruditis omnibus gratissimam me facturum arbitrabar. Probe quidem

noram,

noram, eruditis rem hane non tantum difficilem admodum, atque arduam habitam, ſed etiam inter ἀδυνάτα unanimi fere ſuffragio poſitam, nootitiamque Poeſeos hujus doctiſſimos quoſque tantis tenebris obrutam cenſuiſſe, ut nulla hominum induſtria in lucem revocari poſſit (*). Atque horum ſententiæ acceſſit pondus haud exiguum ex infelicibus eorum conatibus, qui rei tam expetendæ ſpem abjicere turpe exiſtimantes, inveſtigationem ejus ſtrenue aggreſſi ſunt, operamque in hoc ſtudio multam quidem, ſed inanem poſuerunt. Hæc certe facile deterrere potuiſſent a ſimili conatu viros ingenio & doctrina maxime præſtantes, nedum hominem eruditionis *inopem*, *animique puſilli*, qualem me lubens profiteor; & diu profecto deterruerunt. A tot tantiſque viris diſſentire veritus, operam omnem in Hebraica Poeſi reſtituenda poſitam, tam irritam putabam quam qui maxime, nec quicquam minus cogitabam quam meas ipſius curas illo in ſtudio ponere, quod aliis omnibus tam male ceſſerat, donec occaſio quædam ante aliquot annos incideret, quæ fecit ut hanc ad cauſam attentius animum adverterem. Ut enim, quod res eſt, dicam, omne hoc conſilium meum ex fortuito quodam cum amico colloquio de voce *selah*, & interpretatione ejus Meibomiana, cujus Biblicarum emendationum librum nondum videram, natum eſt. Cum occaſione hinc arrepta, de Poeſi Hebraica inveſtiganda ſerio mecum cogitarem, hæc duo certa mihi & indubia videbantur, primo, quoſdam SS. libros revera eſſe Poeticos, hoc omnium tam Judæorum quam Chriſtianorum conſenſu, in confeſſo eſt: ſecundo, Poeſin metro omni carere non poſſe, cum Poeſis ἄμετρος abſurde dici videatur, quoniam hoc pacto eadem oratio & ligata & ſoluta eſſet, quod plane repugnat. Nec aliam ſane ob cauſam videntur homines erudititiſſimi Hebraicæ Poeſi metrum abjudicaſſe, niſi quod metrum non a *numero*, ſed a *quantitate* ſyllabarum, prout apud Græcos & Latinos fit, pendere cenſerent.

Quod ſi Libri quidam Veteris Teſtamenti Poetice, id eſt, oratione, metro, & numeris aſtricta, ſcripti ſint, quid impedit, quo minus Poeſis hæc feliciter inveſtigetur, ſi ſyllabarum numerum quibus ſingulæ voces conſtant, recte teneamus? quidni vero teneamus, ſiquidem veram Hebraica legendi rationem Magiſtri tradiderint, ſi puncta Codici Hebræo recte appoſuerint, Textuſque ipſe a mendis integer ad nos pervenerit? Quod igitur Poeſeos Hebraicæ ratio hactenus incognita fuerit, & oculatiſſimorum hominum induſtriam fugerit, qui in illa exploranda incaſſum laborarunt, quamvis operam maxime ſtrenuam adhibuerint, & acutiſſime animum in omnes par-

tes

(*) Quis veteris Poeſeos leges & rationes ei (Lud. Cappello) revelavit, cujus ignorationem omnes hactenus profeſſi ſunt alii Interpretes? An metri ratio hic aliquid patiatur vel non patiatur, nemo pronuntiare poteſt, quia nemo eſt, qui ſacrorum illorum metrorum rationem intelligat. *Buxt. Antier.* p. 377.

Maneat potius æternum ſepulta Poeſis, quam ſacrarum literarum ſolicitetur integritas. *Pfeifferi Dubia Vexata* p. 530.

De Pſalterio magis miror, quum neque in eo, neque in Threnis, ullum canticum ſit muſicis legibus adſtrictum, ſed mere ſoluta oratio ſit, charactere poetico animata. *Scal. Animad. ad Chron. Euſ. p. 6.*

Pour tout le reſte, je voux dire l'harmonie des paroles, la meſure des verſes, & l'air du chant; je dis hardiment, qu' il n' y a homme ſur la terre, qui en ſache rien. *Diſſert. de Calmet.* 1. *vol. p.* 114.

Qui plura hujus generis velit, adeat, ſi placet, *Carpzovii* Introduct. ad Libros Biblicos Vet. Teſt. Part. II. cap. 1. & 3.

tes verterint, his demum caufis deputandum exiftimavi, quod in his omnibus aliter fe res habeat, quam vulgo creditum eft, quod recta Hebraica legendi ratio hodie ignoretur; quod puncta Mafo-retica veram legendi rationem corruperint; quod denique facer Codex fua quoque facta paffus fit, pariter ac alii omnes cujuf-cunque generis Codices, & ab injuria temporum, exfcriptorum-que incuria atque infcitia multum labis acceperit; omnifque fere generis menda, ad aliorum veterum fcriptorum modum, illum etiam commacularint. De quibus omnibus recte an fecus fenferim, penes Lectorem fit judicium, cum Differtationem proxime fequen-tem legerit, ad quam illum remitto.

Hic tantum dicere liceat, in hac me femper fuiffe fententia, nunquam cum facris Literis bene actum fore, neque illarum In-terpretes in iis recenfendis atque enarrandis eadem cum laude ver-faturos, quam in aliis Veterum Scriptis edendis atque illuftran-dis obtinuerunt, donec iifdem Criticis fubfidiis, eadem judicii ἀκριβείᾳ, præjudiciis omnibus fepofitis, libere utantur, fruantur. Quæ enim idonea ratio reddi poffit, cur magni illi in omni literarum genere & præftantes viri, qui in Ethnicorum Scriptis recencendis tam præclare operam pofuerunt, totque in iis loca priftino nitori atque integritati curis fuis feliciter reftituerunt, in facris tamen excolendis nihil fimile, nihil egregii fecerint, nec eandem ulla ex parte gloriam adepti fint; nifi quod in illis liberi, libere agerent, & quicquid rationes Criticæ fuadebant, id pronis animis ipfi ex-ciperent, nullo partium ftudio, affectu nullo præpediti, & quod ipfis videbatur lectori palam exponerent & aperte? In his contra, omnem judicii libertatem exuiffe videntur, quafi non amplius fui juris effent, fed partium quibus addicti erant, mancipia. Unde factum, ut acumen, ingenium, iudicium, eruditio, artefque illæ Criticæ, quæ aliis fcriptis tantum locis, elegantiæ, ornatus, attule-runt, nævis detegendis, maculis eluendis, pravis lectionibus elimi-nandis, luxatis in ordinem cogendis, fuperfluis refecandis, lacunif-que & hiatibus fupplendis (quæ omnia illis in fcriptis fæpiffime egregie, & pæne fupra fidem præftiterunt;) ad facras literas con-verfis ftudiis, quafi priftini muneris oblitæ, novis prorfus modis quid poffint, experirentur. De tollendis enim huiufmodi mendis ne cogitarunt quidem plerique Interpretes, fed toti fuerunt in iis occultandis, tuendis, confecrandis; nec in id laborarunt, ut pra-vam lectionem meliorem vel levi emendatione facerent, fed ut ex recepta lectione, quæcunque demum fuerit, fenfum qualem qualem elicerent, durifque & coactis interpretationibus, invita Critica, invita Grammatica, quafi vi quadam extorquerent. Mihi igitur in hoc opere elaborando alteram illam viam infiftendum duxi, libereque omnibus Critices fubfidiis uti decrevi, ac fi in alio quo-vis fcripto verfarer, præconceptis cujufcunque generis opinionibus procul amotis, iis præfertim quas de divina vel θεοπνεύστῳ punctorum origine, & de abfoluta facri codicis per omnia integritate Maiores

nostri de Judæis magistris avide nimis arripuerunt: cum ipsa luce clarius sit, si similes his opiniones de aliis Veterum scriptis apud eruditos invaluissent, non eo quo nunc sunt loco humaniores literas futuras; hodieque etiam scripta illa, quæ nunc tam emendata, pura, nitida, integra leguntur, iisdem fere mendis obsita essent atque obfuscata, ac editiones illæ, quæ primæ post renatas literas prodierunt, quarum nullæ iam ferendæ sunt, nec quisquam paulo eruditior legere sustineat.

Ita animatus ad hanc operam accessi, & primo quidem, plures Psalmos raptim legi, unoque impetu per ampla illorum Spatia libere ferebar, nec singulis immorari, quæ vel obscura vel mendosa viderentur, mihi permisi; ut hac ratione periodorum numeros, metrum, rythmum, modulationem, si quæ se sponte legenti ingererent, facilius, ad hæc tantum attendens, exciperem: nec similes sonos, repetitis crebro vicibus ad aurem accedentes, temere elabi passus sum. Cum hoc pacto Poeseos huius naturam ὡς ἐν τύπῳ deprehendisse mihi videbar, Psalmorum editionem Leusdenianam, totam in frustula dissecui, singulasque lineas, aut linearum particulas, prout res ferebat, puræ chartæ glutino quodam illitas affixi, sed ita ut facile refigere possem, & novo ordine singula disponere, ubi quid in hac prima versiculorum dispositione corrigendum erat, quod sæpissime faciendum facile prævideram. Jam vero cum Psalmorum librum ad hanc fere formam, qua nunc editus est, dispositum mihi comparassem, tum lento pede per singula eundum erat, loca ubi numeri inoffenso pede incederent, notabam, iisque diutius inhærebam, ut ex iis Canones efficerem, ad quos alia exigerem; parallela expendi, sicubi invicem discreparent; licentias Poeticas diligentius observabam, quibus voces vel contrahi vel produci contigit, apocopas, syncopas, crases, epentheses, paragogas; Ellipses, ἀσυνδετα pleonasmi, aliaque id genus, quibus nulla Poesis carere potest, hæc omnia attentius observanda erant, & ad examen revocanda, quod præcipuum Critices subsidium hic deesset, Codices nempe MSS. Masoretarum temporibus antiquiores. Quorum vicem quadam tenus quidem, sed auctoritate nequaquam pari supplerunt antiquæ sacri Codicis Versiones, imprimis Græca illa quæ septuaginta Interpretum dicitur; quæ licet in locis difficilioribus reddendis sæpissime peccet, multisque in locis luxata & interpolata, aliisque modis depravata ad nos venerit, utilissime tamen in Hebraicis excutiendis adhibetur, cum verborum ordinem plerunque servet, adeoque veram sæpe lectionem indicet etiam tum cum a vero verborum sensu aberret.

Sed hæc versio hoc potissimum nomine se commendat, quod cum sit antiquissima, sæpe suppleat verba quæ in hodierno Codice Hebræo desiderantur. Loca quædam ex versus mensura mutila esse ad oculum patet; hujusmodi vero lacunas ex conjectura resarcire sæpe difficillimum, & nonnunquam de eo plane desperandum fuit. Hic igitur ad antiquas Versiones confugiendum erat: reli-

quæ

quæ vero, vel ex hac traductæ ſunt; vel longo ſaltem poſt hanc intervallo factæ, iis demum temporibus, cum ſacri Codicis integritati Judæi attentius invigilare cœperunt, majoremque quam antea illi conſervando curam adhibuerunt, ne textus, qui jam plurimum affectus erat, indies in deterius rueret. In illo enim temporis intervallo, quod inter hanc aliaſque Heb. Codicis Verſiones Græcas interceſſit, multa in illum menda irrepſerant, locaque plurima labem acceperant, quæ tum cum illa verſio facta eſt, ſana, integra, illibata erant, omniſque mendi expertia, cujuſmodi plura Lector in Notis noſtris reperiet exempla. Multis igitur nominibus hæc Verſio, ut ut mendoſa, eſt tamen utiliſſima, præcipue vero lacunis ſupplendis, quæ alias eſſent inſanabiles. Recentiores enim Grecæ Verſiones, quid quod Fragmenta tantum earum ſuperſint, cum ad Maſoretarum tempora propius accedant, vel iis ſaltem temporibus, ut dixi, factæ ſint cum ſacro Codici in ſtatu quo tunc erat conſervando diligentius invigilaretur, a Maſoretico Codice raro diſcedunt, ideoque ad Codicem Hebr. emendandum parum juvant. Illa enim Maſoretarum cura factum eſt, ut ab illorum temporibus ad hæc noſtra ſacer Codex optime conſervatus fuerit, nullaque graviora menda irrepere potuerint. Sed id dolendum, quod ſollicita illa de ſacro Codice conſervando cura ſero nimis adhiberetur; graviter enim falluntur qui cenſent veteres Hebræos ſemper eandem diligentiam in ſacro Codice conſervando adhibuiſſe, aut ſemper linguæ ſuæ ſtudio ſollicite incubuiſſe. Hoc temere nimis a multis retro ſeculis creditum: atque hoc fundamento nititur ſententia vulgo recepta de ſacri Codicis integritate, eam ſcilicet in excribendo illo librariorum fuiſſe curam & peritiam, ut vel a minimis erratis religioſiſſime caverent; atque inde factum eſſe, ut Teſtamentum vetus multo emendatius ad nos pervenerit quam novum. Quod verum quidem eſt de Codice Hebr. ex quo curis Maſoreticis munitus eſt; ſed nihil hac ſententia minus verum ratione temporum quæ illos anteceſſerant. Cum Maſoretæ de ſacri Codicis integritate, qua poterant, conſervanda, ſerio agere inciperent, jam tum labis multum acceperat, quam doctores illi tollere vel non potuerunt, vel noluerunt, religioni ducentes quicquam in recepta lectione immutare. Mendaque in illum plurima invecta ſunt, verſionibus omnibus antiquiora; quibus adeo ex conjectura tantum mederi licet contextus συναφείᾳ, locis parallelis, linguæque uſu in ſubſidium advocatis. Sed de his plura in Diſſertatione quæ Præfationem excipit.

Jam paucis accipe B. L. quid in hac editione præſtiterim: Primo igitur una pagina Textum Hebræum literis Hebræis accurate ad Athiæ editiones, ſed ſine punctis, excuſum exhibet, nulla in illo mutatione facta, niſi quod in verſiculos diviſerim, & quæ in eadem periodo contineri exiſtimarem a ſequentibus ſpatio interpoſito ſejunxerim, ſervatis tamen punctis *soph paſuc* dictis, quæ Maſoretici Codici periodis apponuntur. Ubi vero aliquid

excidiſſe videbatur, ſyllabarum quæ deerant, numerum aſteriſcis totidem notavi. Notare etiam quæ tollenda videbantur in animo fuit, minutiore illa charactere exprimendo, ſed ab incœpto deſtiti, cum Typographi non ſine maxima moleſtia id exequi potuerint. In altera vero pagina idem Textus Hebræus, ſed pro modulo noſtro emendatus, literis Romanis excuſus eſt; & ut lector primo oculorum obtutu videat quid addiderim, vel immutarim, loca illa diverſo charactere, *Italico* dicto, exprimi curavi; quæ vero ut ſuperflua ſuſtuli, illa vel ex Textu Hebraicis literis exarato, vel e notis petenda. Ceterum in Hebraicis Latino charactere exprimendis, cum recepta conſuetudo mihi vehementer diſpliceret, quæ ipſum Hebraicorum conſpectum tam horridum reddit, ut lectores minus peritos ipſo in limine ab iis legendis arceat atque abſterreat, hanc rationem inii, qua facilior lectio redderetur; primo aſpirationes illas quas tanto numero ingerunt, in literis *begad cephat* dictis, prorſus omittendas cenſui, eandemque conſonam Hebræam eadem ſemper Latina, exprimendam, excepta *y*, quam retinendam exiſtimavi, cum ſuæ ſit poteſtatis litera.

Ne literas quidem *quieſcentes* ſupremi volui, ut Lector ſtatim intelligat ex ipſo aſpectu, quibus literis vox Hebræa conſtet, niſi quod *aleph* quoties vocali a *kamez* diverſa animetur, ſub illa lateat; *vau* occultetur in *holem*; *jod* vero, quoties ſub ſe *zere* habet, propria forma amiſſa, per ἐψιλόν exhibeatur. Cumque Alphabetum Latinum Hebraico per cetera non adamuſſim reſpondeat, huic defectui medicinam quam potui facillimam adhibui. Primo, cum Hebræis tres ſint ſibili, *samech*, *ſin*, & *ſchin*, primam repræſentat *s* s minuſculum, ſecundam *ſ* ſ longiore figura pictum, tertiam eadem litera, in capite falcata, ſ *ſ*: Secundo, cum duæ ſint Hebræis literæ, *Teth* & *Thau* dictæ; poſteriorem *t* t exprimit, cui in Alphabeti Latini ordine reſpondet, alteram eadem litera in capite etiam falcata, *t* t: Tertio, cum Hebræis ſint *He* & *Heth*, priorem exhibet *h* h, cui idem in Alphabeti Romani ſerie locus, alteram eadem litera tranſverſa linea trajecta, *h* h: Poſtremo, cum Hebræi habeant & *Zain* & *Tzade*, prius per *z* z pingitur, poſterius per eandem literam, ima ejus parte paululum producta hoc modo z. Atque hæc de vocibus Hebræis Latinis literis expreſſis dicta ſint. Verſionem porro Leuſdenianam adieci, ad textum prout a nobis emendatus eſt, accommodatam, aliiſque nonnullis locis immutatam, ubi Muiſiana commodior videbatur; huius ſubſidio, qui Hebraice neſcit, intelliget quomodo receptam Lectionem, ſicubi mendoſa viſa eſt, corrigendam arbitrer, & qua ratione periodi conſtituendæ ſint, quæ in Codice Hebr. peſſime interdum ab invicem divelluntur. Spes quidem mihi non exigua eſt, multos hoc noſtro labore excitatos fore, ad Linguam Hebraicam addiſcendam, quæ nimium quantum apud nos neglecta jacet, cum tamen aliqualis eius notitia, ſi recta via incedas, facili negotio comparetur; ſed ut ut hoc ſit, aliquis tamen ex verſione adjecta laboris hujus fructus redi-

redibit ad illos etiam qui Hebraice nec ſciunt , nec ſcire volunt .

Imæ denique paginæ notulas ſubieci , quibus emendationum noſtrarum ratio , quam potui paucis redditur , loca parallela annotantur , & difficilia quædam explicantur . Argumenta Pſalmorum omiſi , ex aliorum Commentariis petenda , ne liber in tyronum uſum comparatus in nimiam molem excreſceret, quod ad Titulos, in Diſſertatione adiuncta invenies quæ de illis dicenda habui .

Hæc inſtituti mei in hoc opere ratio eſt ; cum tentamen hoc & novum ſit , & in difficillimo argumento occupatum , lectores me non minus æquos quam eruditos habiturum ſpero ; erranti in tanto verſuum numero qui ad 5660 eoque amplius aſſurgit , æqui facile ignoſcent , eruditi benigne corrigent . Alii forſan , quos hoc exemplum ad hæc ſtudia excitabit , feliciores erunt in locis obſcuris & depravatis explicandis & emendandis . Ego certe meliora me doceri , non modo lubens patiar , ſed ſolide gaudebo , cum ſacris literis promovendis quicquid vel hilum conferet , mihi ſemper erit gratiſſimum . In levioribus quidem me ſæpius erraſſe , facile conceſſerim , quod vero ad ſummam rei attinet , propoſito non excidiſſe , ſed genuinam Poeſeos Hebraicæ rationem e tenebris quibus per tot ſecula ſepulta delituerat feliciter eruiſſe , veramque ejus notitiam inſtauraſſe, mihi, ſi quid aliud, perſuaſiſſimum eſt , nec eruditos , rebus omnibus probe expenſis, diſſenſuros confido .

Antequam vero manum de tabula, meritiſſimo mihi memorandus , Gulielmus Washbourne , Eccleſiæ Paulinæ Londin. Subdecanus , amicus ille , cujus ſub initio mentionem feci , cui maximas debeo gratias pro egregio illo quod mihi perlibenter præſtitit in hoc opere auxilio . Primo enim , cum in Hebraicis Græcis & Latinis promtiſſime & nitidiſſime deſcribendis exercitatus ſit , totum Pſalmorum librum literis Latinis , brevi ſpatio pulcherrime exſcripſit , dein in Schedis a prælo madidis corrigendis diligentiſſimam operam adhibuit , nec facile credibile eſt quantam in hac parte moleſtiam devoravit , cum enim Typographi noſtri in Hebraicis excludendis prorſus per deſuetudinem imperiti eſſent, fieri non poterat , quin infinita fere menda in prima Schedarum omnium ſpecimina irreperent , ad quæ tollenda curam ille quam potuit maximam adhibuit . Adde quod nonnunquam ſuis etiam me obſervationibus adjuverit, cum in Linguæ Hebrææ ſtudio diu & gnaviter verſatus ſit . De ceteris quidem libris Poeticis edendis mihi nunquam conſilium fuit, verum in his etiam vir amiciſſimus operam ſuam deeſſe noluit , ſed & Jobi & Proverbiorum libros cum Cantico Canticorum & Threnis, aliiſque permultis , ad eandem, qua Pſalmos , formam , literis Hebraicis exaravit , ut ingratæ illi operæ parceretur , quam in Pſalmis ita digerendis me poſuiſſe ſupra memoravi . Poſtremo , cum nulla alia ratione tam certum de veteri Linguæ Hebraicæ pronuntiatione judicium ferri poſſit, quam ex Nominum propriorum in Verſione illa ſeptuaginta-virali ſcriptione , illorum

quo-

quoque meo rogatu indicem confecit elegantissime scriptum, tribus laterculis, quorum primo exhibentur nomina Hebraica, tertio Græca, medio Sacri Codicis loca, in quibus leguntur. Propensum hoc doctissimi viri in Sacras Literas studium, magnaque illa quæ in hac Editione adornanda mihi præstitit auxilia, silentio premi iniquum duxi, cum non meam modo, sed eruditorum omnium gratiam meruerint, quibus hoc tentamen nostrum haud ingratum futurum est.



PROLEGOMENA IN PSALMOS,

SIVE

DISSERTATIO

De veteri Hebræorum Poesi.

Cui adduntur nonnulla de illorum Musica Musicisque Instrumentis, nec non de Psalmorum autore, & eorum in unum volumen collectore, de illorum Ordine, Chronologia, & Titulis.

CUM eruditi fere omnes non modo de veteri Hebræorum Poesi se nihil scire fateantur, sed nec quicquam de illa resciri posse censeant, paucique illi qui rem aggressi sunt, omnium judicio operam perdiderint, frustra me speraverim sola rationum vi evellere posse opinionem, quæ tam alte doctorum animis insederit, aut argumentis ullis quantumvis in speciem solidis evincere, id revera a me factum esse, quod ipsis, fieri non posse, firmissime persuasum est: ne dum is fidem impetraverit, qui cum M. Meibomio, nullis rationibus adductis, fidenter affirmavit se reperisse, quod eruditissimos quosque hactenus latuerat. Missis igitur ambagibus, ad rem illico deveniam, & exemplo, quod unum probationis genus incredulis hac in causa assensum extorquere possit, clarissimo & certissimo ostendam. Poeseos hujus naturam atque indolem non modo deprehendi posse, sed de facto me deprehendisse. Exemplum quo utar erit *Ps.* CXI. qui probe expensus, clavis instar ad Poeseos Hebraicæ notitiam Letori facilem aditum apariet.

PSALMUS CXI.

hallelujah.

1 " ódeh jáhvoh bécol lébab, 1.
bésod jésarím veyédah.

gedólim máyse jáhvoh, 2.
derúsim lécol hópezéhem.

5 hod véhadár payálo, 3.
vezidkató yomédet láyad.

zecér yasáh lenípleótav; 4.
hannún veráhum jáhvoh.

terép natán liréav; 5.
10 jizcór leyólam bríto.

" cóh maysav higgíd leyámmo, 6.
látet láhem náhlat góim.

mayse jadáv emét umispat; 7.
nemánim cól pikkúdav:

15 " sémucím layád leyólam, 8.
yásuím b'emét vejásar.

pedút saláh leyámmo, 9.
zivváh leyólam bríto;
kadós venóra sémo.

20 " résit hócmah jírat jáhvoh, 10.
sécel tób lecól yosehem;
téhilláto yómedt láyad.

In hoc Psalmo, ad Poeseos Hebraicæ naturam perspiciendam hæc diligenter observanda sunt.

I. Cum Psalmus sit Alphabeticus, & singuli ejus versiculi a literis secundum Alphabeti Hebraici ordinem incipiant, eorum initia & fines certo dignoscuntur, nec errare possumus, singulorum limites intra brevius spatium contrahendo, vel ultra debitum terminum producendo. Hujusmodi carmen *evaganti fræna licentiæ* injicit, neque fas est versiculos contractiores aut productiores pro arbitrio facere, ut hypothesi inserviatur, qua in parte insigniter peccavit Vir. Cl. Johannes Clericus, ut cola ubique ὁμοιοτέλευτα inveniret, vel potius faceret, de quo infra pluribus dicendi locus erit. In hoc carmine nullus ejusmodi licentiæ locus, certi hic fines sunt,

Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Quod

Quod cum maximi momenti sit ad Poeseos hujus naturam intelligendam, miror omnes eos qui illam investigandam sibi sumpserit, non hoc carmen ante omnia sub examen revocasse, primamque operam in illo expendendo posuisse; quod cum a multis magnisque eos erroribus immunes præstitisset, a nemine tamen præter Gomarum factum videtur, de quo infra dicetur.

I. Cum vero Psalmus hic Alphabetico ordine conscriptus sit, versiculi in toto carmine pro literarum numero sunt viginti duo; atque hinc etiam clare liquet *hallelujah*, quod in limine ponitur, esse extra versum, cum versus primus ab *Aleph* inchoetur.

II. In Psalmo hoc periodi sunt numero decem, quarum priores octo duobus constant versiculis, duæ vero ultimæ tribus; unde liquet periodos in Psalmis omnes non esse bimembres, contra ac censuit M. Meibomius, qui in operis sui limine Lectores monet, " totum Psalmorum opus distichis constare, excepto „ primo, qui alio metro constat, & præfationis instar ceteris præfixus est. Disticha igitur Psalmorum in templo, „ aliisque in solemnitatibus non ab uno „ sacerdote, aut ab uno choro recitata, aut cantata fuerunt, sed a duobus. —— Hæc observatio magnum, „ præsertim in Psalmorum difficilibus locis, usum habet; & multos, a recentibus præsertim interpretibus, commissos errores detegit. Qui non discriminatim utrumque versum, ut debuerant, „ sed confusim, verba quandoque præter „ Hebrææ scripturæ ordinem trajiciendo, „ velut unius sententiæ sermonem, interpretati sunt. Singuli igitur versus „ singulos sensus exponunt; quod vel ex „ his quos nunc edo Psalmis, metro & „ versibus distinctis, colligent, qui accuratam operam in sacro sensu investigando collocare voluerint. " Hæc Meibomius, quæ omnia non modo gratis dicta, sed prorsus falsa sunt, quod hic ipse Psalmus clarissime ostendit, cum duæ ultimæ periodi manifesto sint trimembres. Ludovic. quidem Cappellus Criticæ Sacræ, *pag.* 46. Masoretas in hoc errasse censet, „ quod tria hemistichia in ultimum „ & penultimum versiculum conjecta sint „ præter reliquorum omnium versiculorum „ morem, qui duobus duntaxat constant „ versiculis, cum singuli versiculi binis „ potuerint constare hemistichiis. Rectius „ ergo esset, si *Koph* & *Resh*, penultimum, *Shin* & *Tau* ultimum constituerent versiculum ". Sed in his Vir eruditissimus, cum de Hebræa Poesi nihil intelligeret, egregie fallitur, cum ex metro, ut mox ostendam, pariter ac sensu, manifestum sit duas has periodos in tres dispesci non posse. Verum quidem est periodos in Psalmis, longe maximam partem, esse bimembres, sed non ob rationem a Meibomio allatam, ut in recitando, vel cantando, alter alterum exciperet, sed ex Poeseos Hebrææ indole; idem enim in Jobo etiam, & Proverbiis plerunque factum, quos tamen libros in Templi usum conscriptos, ut a sacerdotibus cantarentur, nemo sanus unquam somniavit. Multa quidem Psalmorum loca commentum hoc Meibomianum invicte refellunt; sed hunc unum si probe expendisset, errorem hunc, qui multis illi corruptelis occasionem dedit, vir doctiss. non errasset.

III. Ex hoc Psalmo liquet, non necesse esse, ut omnes ejusdem carminis periodi metri genere conveniant. Hic enim prima, sexta, octava, & decima, unius plane sunt generis, reliquæ vero alterius. Priores utique Trochaicis constare versibus non immerito dicamus, reliquas Jambicis. In prioribus enim accentus in prima syllaba ponendus, ut recte cadat versus, in reliquis autem secunda syllaba acuenda est, ut Lector facile sentiet ex accentibus hic appositis.

IV. Ex hoc Psalmo constat, ejusdem periodi versiculos debere ejusdem esse generis; in distichis scilicet, uterque est, vel Trochaicus, vel Jambicus. Atque hoc perpetuo fit, nisi in perpaucis periodis, ubi versus alternant, & prior unius periodi versiculus cum priore proxime sequentis convenit, posterior vero cum posteriore; cujus exempla habemus. *Psalm.* XXV. *pag.* 13. 14. XXXIII. *pag.* 14. 15. LXXIII. *pag.* 4. 5. Idem observatum est in periodis trimembribus, ut ex duabus ultimis hujus Psalmi liquet, in quarum utraque versiculi sunt omnes unius generis. Sin periodus quatuor membris constet, interdum prior & tertius unius sunt generis, secundus vero & quartus alterius, ut *Psalm.* XXXV. *pag.* 4. *&* 26. XL. *pag.* 15. *&* 17. nonnunquam autem prior & secundus uno metro conveniunt, tertius vero & quartus altero, ut *Psal.* XLIV. *pag.* 4. LVII. *pag.* 5. LXIX. *pag.* 5. CIX. *pag.* 4. sed utrorumque horum rarissima sunt exempla. Est unum quidem exemplum, si locus sanus sit, ubi versus Jambicus sequitur tres Trochaicos, *Psal.* XXIX. *pag.* 1. 2. Duo etiam alia sunt, *Psal.* XCVI. ubi primus & quartus versus unius generis sunt, secundus vero & tertius alterius, *pag.* 1. 2. 7. 8. Ex dictis clare liquet, duas ultimas Psalmi hujus periodos re-

recte constitui, nec in tres bimembres, quod voluit Cappellus, distrahi oportere, cum nonæ periodi versus ultimus sit Jambicus, primus vero decimæ Trochaicus; quod idem ex ipso periodorum harum sensu, ut supra dixi, manifestum est. Sed

V. Ex hoc Psalmo liquet haud necesse esse, ut ejusdem periodi versiculi pedum numero conveniant. In hoc quidem carmine, idem in versibus Trochaici generis pedum in eadem periodo numerus est; omnes scilicet quatuor constant pedibus, seu duabus dipodiis, sed hoc non perpetuum, ut infra dicetur; in Jambicis vero, hic etiam, ut plerunque in aliis Psalmis, versiculi, quamvis in eadem sint periodo, pedum tamen numero discrepant. Quinta quidem & nona periodus pedum numero conveniunt; utriusque nempe versiculi sunt hepthemimeres, seu tribus constant pedibus cum dimidio; & magna sane Psalmorum pars hoc numero decurrit. Atque hoc forte metri genus ab Hebræis ad Græcos derivatum est; hoc enim metrum illud est quod Anacreonticum dicitur, ab illo qui hoc præcipue metro usus est; Θέλω λέγειν Ἀτρείδας, vel pueris notum. Hujusmodi sunt quinta & nona periodus; verum in p. secunda, tertia, quarta, & septima, versiculi numero pedum impares sunt; in secunda nempe & tertia versiculi posteriores prioribus uno pede productiores sunt; contra, in quarta & septima priores alteros uno pede exsuperant. A vero igitur graviter aberraverit qui pedem addiderit vel ademerit nullam aliam ob causam, nisi ut ejusdem periodi membra reddat ἰσόμετρα, seu pedum numero æqualia. Ejusdem enim periodi versus longe sæpius numero pedum impares sunt, quam contra, ut hoc ipso in Psalmo, exemplis adductis liquet. Quod, ut multa alia, infantiæ Poeseos rudis adhuc atque incultæ deberi putem, cum provectiore ejus ætate, qualisque apud Græcos fuit Anacreontis etiam tempore, nil tale videamus. Apud illum enim versus ejusdem Poematii sunt omnes & unius generis, & pedum numero æquales.

VI. Hinc certissime constat Poeseos Hebr. versus non necessario esse ὁμοιοτελεύτους, vel similiter desinentes, in quo uno tamen Hebraicam consistere poesim contendit Cl. Clericus, Dissertatione quam Gallice scriptam edidit Anno Dom. 1688. quæque ab amico quodam Latina nuper facta ad Commentariorum ejus in Prophetas finem adjecta est.

In Dissertatione illa, & sæpius in Commentariis, Vir Cl. spem Lectori fecerat, se totum Psalmorum librum in versus ὁμοιοτελεύτους divisum aliquando editurum; opere quidem illo caremus, cum vel infirma valetudo, vel aliæ causæ a proposito desistere coegerint; sed ut hypothesis hæc melius intelligeretur, metricæ suæ specimina non uno loco dedit, præcipue vero in Canticis Mosaicis *Exod.* XV. & *Deut.* XXXII. quæ metrice descripsit, & prius in ὁμοιοτελεύτοις LXVI. posterius, in CLVI. miris modis comminuit potius quam divisit, versus pro libitu vel producendo vel contrahendo, quo factum ut nonnulli versus quinque aut sex pedibus constent, alii vero quatuor tantum aut tribus syllabis, imo unus atque alter est dissyllabus. Sed audi ipsum de hac re loquentem in Dissertatione prædicta. „ Cum „ Hebræi non habeant longas periodos, „ versus ipsorum raro longi sunt. Tales „ sunt versus Psalmi CXIX. ceteri vero „ tam breves sunt, ut quidam duabus „ tantum syllabis constent. “ Ubi obiter observandum est, ipsum *versus* vocabulum doctiss. Viro fraudi fuisse, cum enim periodi in quas sacer Codex divisus est, versus appellentur, periodique in hoc Psalmo sint Alphabeticæ, putavit singulas periodos hoc in Psalmo versum unum constituere, & ideo dixit, versus in eo longos esse, cum revera singulæ periodi duobus constent versibus, qui longitudine eadem fere sunt ac alii. Eundem errorem alii videntur erraffe, qui quod integræ periodi vocentur versus, earum partes pro hemistichiis habuere, cum tamen membra ista periodorum versus integri sint. Sed pergit ibi Vir doctiss. „ Hæc „ forte est ratio, cur hymnum vocent „ *mizmor*, a *zamar*, quæ vox significat „ *scindere*, quia stylus eorum admodum „ concisus est, ita ut ad exprimendam „ versuum modulationem in lectione unius „ ejusdemque periodi spiritus aliquoties „ suspendendus sit. “ Hæc ille; sed aut valde fallor, aut mira hac versuum inæqualitate Hypotheseos hujus falsitas se satis prodit; nec sic tamen ὁμοιοτέλευτοι semper obtinendi sunt, nisi ordo, & terminatio verborum sæpius immutetur. Sed ut Lector ipse de hac Hypothesi judicet, horum speciminum alterum, idemque nostro more descriptum ad Psalmorum calcem exhibebo. Atque his artis etiam Meibomianæ specimen unum atque alterum adjungam, cum rara sint libri ipsius exemplaria, de quo infra pluribus dicendi locutus erit. Miror equidem Virum in omni eruditionis genere præstantem hanc suam Hypothesim per tantum annorum intervallum tam perdite amasse, ut nunquam sibi eripi passus sit, cum nullas ve-

ne-

neres habeat quæ alios in amorem ejus illicere potuerint. Psalmi certe ad unum omnes falsi arguunt, ut legenti ad oculum patebit. Verum ei refellendæ hic unus satis fuit, si attentius ad illum Vir Cl. animum advertisset; cum enim ordine Alphabetico descriptus sit, fixique versiculorum singulorum fines, nulla hic, cum se captum sentiret, elabendi ratio fuit, vel ordinem verborum pro libitu immutando, vel versiculorum terminos movendo, ut supra observavi. Sed non opus est ut huic commento refutando diutius immorer. Dissertationis, qua illam explicat & tuetur, summa huc redit; Poesim Hebræam a Græca & Latina longe diversam esse, cum in hac syllabarum quantitas non attendatur, adeoque illorum metra nec habeat, nec habere possit. Ergo, in ὁμοιοτελεύτοις tota consistit. Quænam vero hæc consequentia, quasi nihil inter hæc medium esset? Hæc cum ita sint, „ nemini, inquit, mirum videbi„ tur, si asserimus Poesim Hebraicam, „ non nisi in versibus ὁμοιοτελεύτοις, iis„ demque valde irregularibus consistere. „ Indoles Linguæ Hebraicæ aliud ver„ suum genus respuit.“ Et alibi, „ om„ nibus istis rationibus expositis citra pe„ riculum erroris concludere possumus, „ Hebræorum versus non nisi ὁμοιοτελεύ„ τους fuisse.“ Imo, quo magis hanc ratiocinationem in viro doctiss. mireris, ipse agnoscit, „ Linguis quæ hodie in usu „ sunt, Anglica puta atque Italica, opti„ mos versus scribi, observatis tantum „ numeris quibusdam modisque, absque „ eo ut similiter desinant.“ Probe certe novit Vir Cl. nobilissimum Miltoni nostri Poema de Paradiso amissa, nequaquam cum Græcis vel Latinis convenire, nec tamen ὁμοιοτελεύτον esse; autoremque ejus versus similiter desinentes de industria vitasse, quæ non ultima Poematis istius laus est. Quod de Hebraicis quidem poetis dici nequit; illi enim, etsi ὁμοιοτέλευτα ad versuum constitutionem non essent necessaria, libenter tamen illa captarunt, ut videre est in periodo nona, ubi autor verborum ordinem mutando, & secunda loco ultimo ponendo a simili versuum istorum terminatione, si ita visum esset, facile cavere potuisset. Sed multis exemplis idem liquet, & ex genio linguæ certum est voces similiter desinentes scribentibus ultro se offerre.

VII. Ex hoc Psalmo clare constat, nullam in Poesi Hebr. quantitatis syllabarum rationem haberi; in quarto enim & quinto versiculo, ut alia exempla mittam, brevissimæ syllabæ *le* & *ve* locum obtinent, longis, ex Græcæ & Latinæ Poeseos legibus, debitum. Contra, in decimo quinto, & vicesimo secundo, *mu* in *semucim*, & *hil* in *tehillato* brevium vices implent; quod & hodie obtinet in omnibus, ni fallor, Europæis Linguis. Contraria huic sententia Cl. Gomari πρῶτον ψεῦδος fuit, fecitque, ut quamvis Psalmorum omnium Alphabeticorum Analysin institueret, omnem tamen qui examine ex illo sperari poterat, operæ fructum perderet, uti liquebit ex hujus ipsius Psalmi analysi, quam in Lectoris gratiam ceteris speciminibus ad finem operis adjiciam. Hinc vero

VIII. Sequitur, omnes in poesi Hebr. pedes dissyllabos esse; si qui enim tribus syllabis constarent, brevium & longarum discrimen, ratione mediæ syllabæ, necessario in illa, æque ac in Græca & Latina Poesi, locum obtineret.

IX. Ex versibus sexto & ultimo invicem collatis liquet, in Poesi Hebr. metri gratia voces interdum contrahere licuisse; *yomedet* enim quæ vers. *6.* sexto trissyllaba est, vers. 22. est dissyllaba. Et idem discrimen in eadem voce factum est in Psalmo proxime sequente, versu sexto, & decimo octavo. Sed & idem liquet ex vers. 10. & 18., in quorum utroque *berito* contrahitur in dissyllabum, ut sæpe alias; & vers. *16.* *be emet* contracte est *b' emet*. Neque sane hac licentia ulla poesis carere potest, uti nec illa, quæ huic contraria est, qua voces literis paragogicis aliisque modis produci possint, ubi res postulat. Hujus quidem Licentiæ nullum in hoc Psalmo est exemplum, sed in *Psalm.* CXIII. plura reperies. Vid. ibi vers. 10. 11. 13. 16. 17.

X. Ex vers. 1. 3. 8. 20. liquet nomen tetragrammaton esse dissyllabum, neque pro eo legi oportere *adonai*, vel *elohim*, cum substitutio vocis trissyllabæ in locum dissyllabæ metrum necessario corrumpat. Atque hinc certo colligi potest, superstitionem istam Judaicam, qua ab hoc nomine pronuntiando abstinuerunt, aliudque pro eo suffecerunt, tum demum exortam fuisse, cum Poeseos Hebr. notitia omnis intercidisset. Cum vero prave *adonai* in locum τοῦ *jahvoh* substituatur, quo metrum toties corrumpitur quoties illa vox occurrit in Psalmis, (occurrit vero sæpissime,) sequitur vocis hujus in obliquis quoque casibus punctationem pravam esse, metrumque corrumpere, cum, *l. b. m.* illi præfixis, eadem apponantur puncta, ac si τῷ *adonai* præfigerentur, quod fieri non possit absque manifesta metri ruina. Miror equidem Interpretes nostros, Judæis magistris tam cæca fide se addixisse, ut vel cum iis ab hoc nomine pronun-

nuntiando prorsus abstinerent, vel juxta puncta ab illis posita *jehovah* legerent, cum Veteres Scriptores Græci Judæorum deum ΙΑΩ esse dixerint, quod τὸ *jahvoh* exprimit, quantum Græcis literis fieri potuit.

Sed de hoc nomine non abs re fuerit paulo fusius agere, cum tantæ inter eruditos Lites fuerint non modo de vera ejus pronuntiatione, sed acriter etiam disputetur, quæ ejus vis sit, & unde derivetur, seu quæ vera vocis sit Etymologia. Ad lites de his dirimendas locus *Exod. cap.* III. *vers.* 14. 15. ubi Deo hoc sibi nomen indere placuit, attentissime expendendus erat, qui ita se habet. *Tum Deus Mosis inquit*, ehjeh aser ehjeh; *sic ergo dices Israelitis*, ehjeh *misit me ad vos*. *Et ulterius dixit Deus Mosi, sic dices Israelitis*, jehovah, *Deus patrum vestrorum*, *Deus Abrahami*, *Deus Isaaci*, *Deus Jacobi*, *misit me ad vos; hoc mihi nomen in seculum*. Verus loci hujus sensus pendet a recta verborum horum interpretatione, *ehjeh aser ehjeh* —— *ehjeh* —— & *jehovah*. Prima, *ehjeh aser ehjeh*, Græci reddunt, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ex Platonismo procul dubio, qui supremum omnium deum τὸ ὂν dixere, ᾧ μόνῳ πρόσεστι τὸ εἶναι. Hæcque versio plerisque interpretibus placuit, qui his verbis significari censuerunt, necessariam quam vocant Dei existentiam, & æternitatem, qui solus natura *est*, & est omnis principii & finis expers. Secundum, sc. *ehjeh*, reddunt ὁ ὤν, quasi hæc tertia priorum vox sit, cum certissime sit prima, ideoque vertendum erat, εἰμι, *sum*. Tertium hic, ut semper alias, reddiderunt, Κύριος, quasi legissent *adonai*, cum ipsorum tempore invaluisset ista superstitio, nomen aliud tetragrammati loco substituendi. Quænam puncta huic nomini apponerent iis temporibus cum nondum ab ejus pronuntiatione abstinerent Judæi, ex ipsorum scriptis sciri nequit; sed ex locis hujus serie mihi certissimum videtur, si recte punctetur præcedens vox *ehjeh*, hanc punctari debere *jehjeh*, cum hæc vox eadem sit ac prior, hoc solo discrimine, quod illa prima futuri persona sit, hæc vero tertia, ideoque verti oportuit ἐστί, *est*. Jam ut aperte dicam quid ipse de tota hac re sentiam, hæc mea est sententia, tertia, ut dixi, vox eadem est ac secunda, mutata tantum persona; secunda vero, manifesto compendio dicta est trium priorum loco, quarum illa prima est. Cardo igitur quæstionis in hoc uno vertitur, quid sibi velint *ehjeh aser ahjeh*, & quomodo verba hæc vertenda sint. Ego vero vertenda puto, non, *ero qui*, vel *quod*, *ero*, sed, *sum qui fui*; & ut *ehjeh* horum compendium est, ita hæc ipsa arbitror compendium esse aliorum, hujus scilicet integræ orationis; *Sum* (idem) *qui* (olim) *fui*, Deus sc. *patrum vestrorum*, *Abrahami*, *Isaaci*, & *Jacobi*. Hæc plena atque integra enuntiatio est; horum compendium *sum qui fui*; horum iterum compendium *sum*; sic prima persona Deus ipse loquitur. Moses vero ad Israelitas hoc repetens, tertia persona dicit, *est*. Nomen igitur tetragrammaton nihil aliud est quam tertia persona futuri, *ehjeh*, & si *ehjeh* recte punctetur, legendum *jehjeh*. Sed cum ex Græcis scriptoribus constet veram tetragrammati pronuntiationem esse *Jahvoh*, puto in hac de Dei nomine narratione, *hajah* ubique substitui pro *havah*, & primitus lectum fuisse, *ahvoh aser ahvoh*. *ahvoh* —— & *jahvoh*, ad formam *jaÿkob*, Ita nullum supererit dubium, vel de vi vocis, vel de ejus origine, vel de vera ejus pronuntiatione.

Nec vero est quod miremur vocem Chaldaicam *havah* hic pro *hajah* a Deo fuisse usurpatam, si reputemus *man* quoque verbum esse Chaldaicum; verba enim illa *Exod.* XVI. 15. *man hu*, Græci videntur recte vertisse, τί ἐστι τοῦτο; cum sequatur, *nesciebant enim quid esset*. Cum Abrahamus Judaicæ gentis pater, ortu Chaldæus esset, quidni putemus voces quasdam Chaldaicas in antiquissimis gentis illius historiis interdum occurrisse, quas posterioribus temporibus in Hebraicas mutare placuit? Cum unum hujus exemplum in τῷ *man* etiamnum supersit, facile fieri potuit, ut hic alterum fuerit, licet ad posteros intactum non pervenerit. Cum hæc explicatio locum alias obscurum in clara luce collocet, litesque de nomine tetragrammato motas tam facile dirimat, his adducor, ut hanc solam veram esse existimem. Qui aliorum de hoc nomine sententias scire velit, adeat, si placet, Clericum ad hunc Exodi locum, & Cappelli Diatribam ad finem Criticæ Sacræ, ubi prolixe de illo agitur, multisque probatur, *Jahvoh* veram ejus esse pronuntiationem. Sed de his hactenus.

XI. Ex primo omnibusque fere aliis hujus Psalmi versibus, liquet *Sheva* simplex mobile revera vocale esse, & cum litera cui subjacet, syllabam simplicem constituere, contra quam volunt Grammatici, qui docent, illud consonam suam cum litera sequente tam rapide & arcte connectere, ut divulsionem aliquam non admittat, multo minus *Sheva* illud per se unquam syllabam distinctam constituat, quæ Buxtorfii verba sunt *Thes. Gramm. pag.* 15. Hunc de *Scheva* Mobili Ca-

Canonem non modo falsum, sed maxime absurdum esse pluribus monstravit Cappellus in Animadversionibus suis ad *novam Davidis Lyram*, *Critic. Sacr. pag.* 653. —— 657. Si nulla, inquit, ejus haberetur in Carminis dimensione & structura ratio, evaderet Linguæ Hebr. pronuntiatio, non impedita modo atque perplexa, sed horrida & barbara plane, quæque duritia & asperitate sua, ob frequentem multarum consonarum concursum atque allisionem, linguas maxime barbaras, adeoque vel ipsam Sarmaticam, longe superaret.

XII. Ex vers. 3. 11. 12. 13. 14. liquet gutturales sub se recipere *Scheva* quiescens pariter ac alias quasvis consonas; adeoque *mayse* ex. g. dissyllabum esse eodem modo ac *malce*. Unde sequitur numeros, quoties hujusmodi gutturales occurrunt, corrumpi a Masoreticis doctoribus, qui gutturalium gratia *Scheva* compositum confinxerunt, cum *Scheva* illud juxta ipsos, *Scheva* simplicis mobilis vim habeat, & proinde syllabam per se constituat. Quicquid dicitur contra Grammaticorum Canonem de *Scheva* simplici, æque valet contra compositum, cum, ut Buxtorfii verbis utar, literarum gutturalium proprium sit loco *Scheva* simplicis, & suam consonam sequenti jungat eadem quantitate, qua ipsum *Scheva* simplex.

Hi duo de Scheva simplici & composito canones veram Hebraice legendi rationem penitus corruperunt, adeo ut Poesis illa, etsi nihil aliud obstaret, nunquam feliciter investigari potuisset, quamdiu illis fides haberetur.

XIII. In vers. 5. ex metro liquet, *poyal* cum affixo tertiæ male a Masoretis punctari; *haieph kamez* enim sub *y* *Scheva* quiescentis loco est, adeoque juxta prædictos canones esset dissyllabum, cum metrum ostendat esse trisyllabum, legendumque *poyalo*, ut *debaro*.

XIV. Ex vers. 11. liquet *patah furtivum* ineptum prorsus esse & incommodum, cum *coh* monosyllabum esse metrum ostendat, *patah* vero ultimæ subscriptum dissyllabum facere videatur; imo doctissimo Hillero verba hujus formæ diserte dissyllaba censentur, Instit. L. S. *p.* 41. quod tamen omnino falsum esse ex metro clare constat; Scheva certe quiescentis locum subit, & incremento accedente evanescit, in plurali enim *ruhot*, non *ruahot* dicitur.

XV. In vers. 16. Ex metro liquet, *be emet* in dissyllabum contrahi, & legendum *b' emet*; ideoque non oportuit punctuatione fieri trisyllabum, quod tamen in similibus a Masoreticis punctatoribus semper factum, nulla metri ratione habita.

XVI. Ex vers. 4. manifestum est, textum Hebr. ante Masoretarum tempora corruptum, ab illis pro sano atque integro habitum, cum ex sensu pariter ac metro constet legi oportere, non *hepzehem*, sed *hopezehem*. Qui metrum intellexissent, non trisyllabum loco quadrisyllabi; nec qui sensum, nomen loco participii posuissent. Hoc vero mendum Græca Versione antiquius, cum illi quoque ita legeriut. Unde liquet, eorum quoque tempore Poesim Hebr. intercidisse, quod & mille aliis argumentis certo constat.

Atque hæc sunt quæ in hoc brevi carmine notanda existimavi, quæ omnia ad Poeseos Hebr. notitiam restituendam haud parum juvant. Psalmus qui hunc de quo egimus, proxime excipit, ipse quoque ad hujus formam ordine Alphabetico conscriptus est, constans decem periodis, quarum duæ postremæ sunt trimembres, quas, licet metri genere conveniant, in tres tamen bimembres dividi non posse ex sensu satis manifestum est, ut cuivis inspicienti primo intuitu patebit. Verum in hoc Psalmo omnes periodi præter primam generis sunt Jambici; in secunda & quarta periodo versus sunt, ut $4\frac{1}{2}$: $3\frac{1}{2}$: in tertia, quinta & sexta, ut $3\frac{1}{2}$: $4\frac{1}{2}$, in septima sunt æquales, ut 4 : 4. in tribus ultimis versus sunt omnes Anacreontici. Quod ad cetera, omnia fere quæ ad Ps. priorem notavi, ex hoc firmari possunt. Quæ de novo hic occurrunt observanda, hæc sunt.

I. Ex vers. 16. liquet, *aser*, etsi plene scribatur, interdum tamen contracte legendum, *se*, quomodo quandoque etiam scribitur; & procul dubio semper ita scripsissent Masoretæ ubi contrahendum erat, si Poeseos antiquæ cognitionem aliquam habuissent. Hujus contractionis, ubi tamen plene scribitur, duo eximia sunt exempla. *Psal.* XCV. *p.* 4. *&* 5. sed etiam in ipso Psalmorum limine *Psal.* I. vers. 12. idem videas. Cum vero contracte scribitur, Masoretæ sequenti voci per *dagesh* forte illigant, in quo ab iis discedendum putavi, cum hæc scribendi ratio lectionem impediat potius quam adjuvet.

II. Vers. 17. ex metro liquet, legendum contracte *l' ebjonim*, ut sit trisyllabum, sed Masoretæ punctatione fecerunt quadrisyllabum, *la ebjonim*, excluso, si illis credimus, *h* emphatico, sed in re manifesta contra ipsius rei evidentiam nemini credendum. Eodem, ut mihi videtur, errore *h* emphaticum excludi volunt vers. 7. legentes *lajesarim* pro *laje-sa-*

ſarim, *dugesh* accelerandæ pronunciationis cauſa ſublato; metro quidem hoc pacto, ſi legas *laiſarim*, non offecerunt, ſed cur *h* emphaticum hic lectori obtrudant, & ad τȣ̃ *dagesh* omiſſionem, quod in analogiam peccat confugiant, cum nihil vetet legere *l' iſarim*?

III. Metrum in hoc Pſalmo vitiatur prava lectione verſ. 8. copulam inſerendo ante *zaddik*, quo verſus ille ſyllaba una juſto longior, ſenſus vero prorſus corrumpitur. Ut in *Pſal.* priore, verſ. 8. de *Jahvoh* dicitur, *clementem* illum eſſe & *miſericordem*, his verbis, *hannum ve rahum jahvoh*, ita hic idem dicitur in laudem hominis pii & probi, *hannum verahum zaddik*. Similiter in hoc atque illo Pſalmo verſ. 6. idem de utroque prædicatur; quod, ut id obiter dicam, oſtendit hymnorum horum autorem, (uterque enim procul dubio ab eadem manu eſt) vena parum divite fuiſſe; alias enim ex uno in alterum, cum utrique ſint breviſſimi, verſus integros vix tranſtuliſſet. Cum vero *hannun ve rahun* de τῷ *zaddik* prædicari Librarii non perſpicerent, copulam ante *zaddik*, inſeruerunt, quo & metrum & ſenſum graviter corruperunt.

Eſt quidem non levis mihi ſuſpicio mendum etiam eſſe in verſu decimo in voce *debarav*, cum pluralia cum affixis tertiæ ſingularis ſoleant contrahi ad modum nominium in regimine, ſed cum hoc non prorſus certum ſit, id jam miſſum facio. Vid. notata ad locum.

Pſalmus decimus tertius totus conſtat Jambicis, iiſque Anacreonticis, præter ſextum & decimum ſeptimum. In hoc vero carmine hæc obſervanda ſunt.

I. In verſ. 3. & 9. metrum indicat, *Jahvoh*, etſi plene ſcribatur, in monoſyllabum contrahendum, & legendum *jah*; atque hoc in Pſalmis frequens, & in hac forma nonnunquam ſcriptum eſt.

II. In periodo tertia levem eſſe errorem ex metro deprehenditur, & vel, *ve* inſerto ante *yad*, legendum,

> mimmizrah ſemeſ *ve* yad
> meboo mehullal ſem jahvoh.

vel in ſecundo verſu, pro *ſem* legendum *ſemi* cum *jod* paragogico.

> mimmizrah ſemeſ yad meboo,
> mehullal ſemi jahvoh.

jod ante aliud *jod* facile poterat excidere, & hanc lectionem prætulerim, tum ob ὁμοιοτέλευτον, tum quod prior verſus integer habeatur *Pſ.* I. verſ. 2.

III. Si prior correptio verior ſit, hic exemplum erit verſiculi, qui integrum ſenſum non conficit, contra quam cenſuit Meibomius, ex cujus ſententia ſinguli verſus ſingulos exponunt ſenſus. Cujus verba ſupra adduxi *p.* 5. Quæ opinio pariter ac altera de *Diſtichis*, graviſſimorum illi errorum cauſa fuit in paucis illis Pſalmis quos edidit ut Specimina Poeſeos Hebr. ab ipſo reſtitutæ. Verum quidem eſt in hoc ſcribendi genere, uti videmus in poematis Anacreonticis, hoc plerunque fieri; ſed rem non ſemper ita ſe habere, cum rei ipſius ratio, tum exempla abunde comprobant. Unum tantum afferam ex *Pſal.* XCV. *p.* 3. quæ ſic ſe habet;

> ci el gadol jahvoh, u melec
> gadol yal col elohim.

Hanc periodum, ὑποθέσει δȣλεύων, ad hunc modum interpolavit vir doctiſſ.

> ci el gadol hu jah,
> u melec gadol yal col elohim.

Quo quid invenuſtius? Verum quam falſa ſit hæc opinio, ex ipſo Pſalmorum introitu patet; tres enim primæ periodi primi Pſalmi luculentiſſima ſunt in alteram partem exempla. Fatendum quidem eſt Meibomium ipſum hunc Pſalmum excepiſſe, cum in illo nequaquam ſe expedire potuerit, ſed idem videre eſt in omnibus illis Pſalmis quos e toto illorum numero, ut artis ſuæ ſpecimina elegit, præter *Pſal.* CXLVIII. *&* CL. quos miſeris modis vexavit, atque interpolavit, ut in ſententiam ſuam invitos cogeret. Verum idem ipſa rei ratio clariſſime evincit, cum nulla poeſis, cujuſcunque generis ſit, pati poſſit, ut intra tam arctos limites perpetuo concluſa teneatur. In multis quidem poeſeos generibus tantum abeſt ut hoc in laude ponatur, ut contra, Poetarum Principes ab eo ſedulo cavendum ducerent. Homeri certe & Virgilii poematis gratia longe maxima ex eo conciliatur, quod plerunque ſenſus cum verſu non terminetur, ſed porro porroque feratur in ſecundum, tertium, quartumque aliquando verſum, idque imparibus commatum intervallis; ex quo mira oritur rythmi varietas, & ex varietate venuſtas, cum contraria conſuetudo in Poetis infra illos poſitis lectori tædium afferat vix ferendum.

IV. Ex verſ. 8. & 12. liquet *ſamen*, non ut Maſoretæ punctarunt, *ſamaim*, legendum, cum hoc manifeſto ſit triſylla-

labum; & sic per totum Psalmorum librum dissyllabi vices semper implet. Qui igitur pro trisyllabo habuerunt, necesse fuit illos hærere, nec se expedire potuisse in versibus dimetiendis, in quibus vox hæc occurrit, occurrit vero in permultis. Versus si placet, in ipso Psalmo pete.

V. In vers. 11. legitur *lirot* ex forma *pekod*, cum ruina versus, cum ex metro constat legendum, *leraot* forma *pakod*, alias syllaba versui deerit.

VI. In vers. 10. 11. 13. 17. *jod* paragogicum participiis additur, quo versus syllaba augeatur, quod metrum postulat, plura ejusmodi exempla vide *Ps.* CIII. vers. 5. *6.* 7. 8. *9.* 10. ubi omnia, præter unum quod participium est, nomina sunt substantiva.

VII. In versu quidem decimo quinto legitur infinitivus cum *jod* paragogico, *lehosibi*, sed ut hoc fine exemplo est, sic metrum mendosum esse ostendit, cum parum credibile sit autorem voluisse carmini huic elegantissimo, quod totum ex Jambicis constat, distichum Trochaicum immiscere, impari pedum numero constans, qui est ut 4:3. cujusmodi periodus raro admodum occurrit. Præterea, si id voluisset autor, non *hosichi*, scripsisset, sed *hosipo*, cum affixum tertiæ ad sensum necessario sit subintelligendum. *Jod* vero quod hic abundat, ad versum sequentem pertinet, ubi scribendum *yimmi*.

VIII. Verum quidem est nullum jam, si Interpretibus fides, superesse in Codice Masoretico exemplum, ubi *yim* scriptum est cum *jod* paragogico, sed ita quandoque scribi oportuisse, & hic locus, & alia nonnulla liquido ostendunt. Nec quicquam prohibet quin *yimmi* scribatur æque ac *minni*, cum ex sensu statim sciri possit, paragogicum sit necne. Vid. *Psal.* XVIII. vers. *61.* LXXXIII. vers. 14. & LXXXVII. vers. *9.* sed transeo ad *Psal.* CXIV.

Hic etiam Psalmus totus constat Jambicis, & secundi quique versiculi usque ad ultimam periodum sunt Anacreontici; primi vero quique præter quintum & nonum, Anacreonticos, uno pede auctiores sunt. In ultima periodo versiculi quatuor pedibus utrique constant.

I. In vers. 3. clarum exemplum est, Hebræos parum curasse quantitatem syllabarum, alias autor, non *hajetah jehudah* scripsisset, sed *jehudah hajetah*. Clericus quidem locum de mendo suspicatur, sed immerito.

II. Ex vers. *6.* liquet, *le* ante *aleph* cum *kamez* in unam cum eo syllabam posse connecti, cum metrum ostendat legendum, non *le abor*, sed *l' abor*.

III. Ex vers. 8. & 12. liquet, *ce* male a Masoretis in unam syllabam cum sequente consona componi, neque enim cum illis legendum *cibne*, sed *cebene*; atque hæc exempla invicte probant falsum esse canonem illum, quo docent duo *Scheva* ab initio concurrere non posse; hujus enim canonis jussu ex *cebene* fecerunt *cibne*, cum trisyllabum esse ipsa luce clarius sit. Interdum etiam peccant in alteram partem, cum *ce*-ante *aleph* liceat metri gratia in unam syllabam contrahere, ut *c' abotam*, *Ps.* LXXVIII. vers. 21. & 137. quod illi punctatione sua fecerunt quadrisyllabum. Hujusmodi errata in ratione punctandi, cum syllabarum numerum justo plerunque minorem, nonnunquam vero majorem reddant, Poeseos Hebr. instaurationem affeclis suis plane ἀδύνατον fecerunt.

IV. Ex vers. *9.* liquet, male scribi *leca*, cum metrum postulet *lac*. Eodem modo erratur *Psal.* I. vers. 33. LXXIV. vers. *36.* & LXXXIX. vers. *30.* His exemplis constat *lac* non in pausa tantum, sed in initio etiam & medio sententiæ locum habere.

V. In vers. 17. insigne exemplum est, quo probatur *patah furtivum* syllabam non constituere, ut supra observavi ad *Ps.* CXI. vers. 11. ex metro enim constat non *cloah* legendum, quasi trisyllabum esset, sed *eloh*; vid. etiam *Psal.* XVIII. vers. 72. I. vers. 47.

VI. In vers. penultimo metrum ostendit *jod.* paragogicum prave affigi τῷ *hahopec*; in eodem versu excidit *l* ante *agam*, forte quod præcesserit *r*, cum quo, librariorum errore, aliquando confunditur. Vid. *Ps.* CVII. vers. *70.* ubi eodem loquutio, *l' agam maim*.

VII. In vers. ultimo legitur *mayjeno* cum *holem* paragogico, ne versui syllaba deesset. Hæ literarum paragogicarum affixiones clare ostendunt versum in Poesi Hebr. pendere a numero syllabarum, adeoque poesim illam *metricam* esse, non *rythmicam*, ut multi existimarunt.

Hæc sunt quæ in his quatuor Psalmis, qui sunt & brevissimi, & facillimi, duxi annotanda, quibus lector paulo attentior sensum adducatur ad Poeseos Hebr. naturam atque indolem penitius perspiciendam, qui si hos hymnos iterum atque iterum legerit, donec memoriæ alte insigantur, facile metrum & numeros assequi possit per totum Psalmorum librum, ubi non obstant vel prava punctatio, vel mendosa lectio.

Ex his Psalmis aliisque omnibus mani-

nifestum est, quæ de *milyel* & *milray* præcipiunt Grammatici, nec non totam illorum de accentibus doctrinam, quatenus ad pronuntiationem cujusque vocis attinet, nullum in Poesi Hebr. usum habere, sed rythmum metrumque prorsus evertere, æque ac accentus apud Græcos, quod cuivis statim patebit, qui paucas periodos prout a Masoretis punctantur, legerit. Ita enim legenti ne minimum supererit versiculi vestigium.

Quæ etiam de *Maccaph* docent vel merum otiosorum hominum figmentum sunt, vel saltem ad Poesim Hebr. intelligendam inepta prorsus & inutilia. Hujus officium volunt esse, lectionis cursum urgere, & arctiori nexu voces unire, unde voces binæ, quæ distinguendæ erant, in unam sæpissime conjunguntur, maximo lectoris incommodo. Et quo magis lectio impediatur, post vocem penacutam exeuntem in *h* præcedente *kamez* vel *segol*, &c. *dagesh forte* imprimit primæ consonæ vocis sequentis, unde *yasab li* legendum *yasalli*, *jaledah bat jaledabbat*; imo propter exclusum *maccaph* hoc fit post penacutam in *c* vel *t* cum *kamez* desinentem, &c. Et hac regula interdum non tantum ridicule, sed etiam cum ruina versus utuntur. Ex. gr. *Psal.* III. vers. ult. desinit in *bircateca*. *selah*; hic, quasi *selah* non extra versum esset sed pars ejus, τῷ *bircateca* per *dagesh* innectunt, & legendum docent, *bircatecasselah*. Sic *Ps.* XLIV. *p.* 9. *nodech*, *salah*, juxta hanc regulam est *nodesselah*. In his quidem metro non officitur; sed cum nihil certius sit, quam *selah* extra versum esse, voci quæ revera ultima est, hoc modo illigare, summæ imperitiæ est, Sed est etiam, ut id obiter moneam, ubi absurda hæc de *selah* notio metrum corrumpit, ut observavi ad *Ps.* CXLIII. *p.* 6. Jam vero tempus est ut vestigia mea relegam, & ut Poeseos hujus indoles facilius intelligatur, quæ dixi, ordine componam, quibus quæ supersunt dicenda locis suis inseram.

I. Primo igitur in hac poesi pedes sunt omnes dissyllabi.

II. Quantitatis syllabarum nulla ratio habetur.

III. Versiculi constant vel pari syllabarum numero, vel impari.

IV. Ubi par est syllabarum numerus, ejus generis versiculi pro Trochaicis non immerito haberi possunt, in prima syllaba acuendi.

V. Si impar sit syllabarum numerus, pro Jambicis censendi sunt, & syllaba secunda, ut rythmus servetur, acuenda.

VI. Periodi plerunque constant duobus versiculis, sæpe tribus quatuorve, aliquando pluribus.

VII. Versiculi ejusdem periodi sunt ejusdem generis, exceptis perpaucis, in quibus alternant; priores nempe in duobus distichis uno metri genere conveniunt, alteri altero. In iis vero quæ quatuor versibus constant, interdum fit, ut primus & tertius, vel primus & secundus sint unius generis, secundus vero & quartus, vel tertius & quartus alterius.

VIII. Versiculi Trochaici plerunque pedum numero conveniunt, atque illi nunc tres sunt, ut *Psal.* XCIV. *p.* I.

" el nekamot jahvoh,
el nekamot hopiy.

Et celebre illud *Psal.* CVI. *p.* I.

" hodu lihvoh, ci tob;
ci leyolam hasdo.

Quod occurrit etiam *Psal.* CVII. *p.* I. CXVIII. I. CXXXVI. I. sed hoc rarius. Nunc sunt quatuor pedum, ut *Psalm.* XXIX. *p.* I.

" habu lihvoh bens elim,
habu lihvoh cabod vayoz.

Atque hoc metrum frequentissimum. Vid. *Psal.* XXIV. *p.* 7. & 9. Nunc quinque pedibus constant, ut *Psal.* IX. *p.* 5.

ci yasita mispati ve dini;
jasabta le cisse sopet zedek.

Vid. etiam periodos duas proxime sequentes, & *p.* 12. neque hoc rarum.

Verum versus Trochaici generis sæpe etiam numero pedum impares sunt, quorum alii, ut 3:4. ut *Psal.* III. *p.* 9.

" lihvoh hajesuyah,
yal yammeca bircateca.

Alii, ut 4:3. ut *Psal.* CXVIII. *p.* 3.

" jomeru na bet aharon,
ci leyolam hasdo

Alii ut 4:5. ut *Psal.* IX. *p.* I.

odeh jahvoh becol libbi;
asaperah col nipleoteca.

Alii ut 4:6. ut *Psal.* XXXVII. *p.* 9.

" ci meriyim jiccaretun,
vekove jahvoh, hemmah jiresu arez.

Et

Et ejusdem formæ est periodus proxime sequens. Alii ut 5:4. ut *Psal.* VI. *p.* 9.

> " suru mimmenni, col poyalε on;
> ci samay jahvoh, col bicji.

Alii, denique ut 5:6. ut *Psal.* IX. *p.* 16.

> tabeyu goim besahat yasu;
> beresest zu tamanu, nilcedah raglam

Vid. etiam *Psal.* CIII. *p.* 10.

Atque hæc sunt in Trochaicis discrimina; totum vero hoc genus Jambico longe rarius occurrit, neque ullus Psalmus est, qui solis constat Trochaicis, præter CXVII; sed pauca exempla sunt ubi plures hujus generis periodi simul habentur, ut *Psal.* CXVIII. quatuor, XXI. sex, LXIX. novem, CXXXIX. decem. Verum quoties hujus generis versus abhibentur, hanc notam " primæ literæ apposui, ut lector hoc genus ab altero statim dignoscat.

XI. In periodis Jambici generis, sæpe quidem versus pedum numero conveniunt, sed plerumque discrepant.

Qui conveniunt, sunt vel ut 3 ½: 3 ½, ut *Psal.* I. vers. 1. 2.

> asrε haif aser lo
> halac bayazat risym.

cujus generis octo versus concurrunt *Ps.* 1. *p.* 2. 3. Vid. *Ps.* XXXIX. qui magna ex parte, & *Ps.* CXIII. qui fere totus hujusmodi versiculis constat; vel ut 4 ½ : 4 ½. Ut in eodem primo Psalmo vers. 3. 4.

> ubederec hattim lo yamad,
> ubemosab lezim lo jasab.

Vel denique ut 5 ½: 5 ½ ut *Psal.* LVIII. *p.* 12.

> ve jomar adam, ac peri lazzaddik;
> ac jes elohim sopetim baarez.

Hujus generis periodi in illo *Psal.* septem aliæ sunt.

Illorum vero qui pedum numero non conveniunt, quidam sunt ut 3 ½ : 4 ½, ut *Ps.* XXIII. *p.* 1.

> jahvoh royi, lo ehsar;
> beneot dese jarbizeni.

Quidam, ut 4 ½ : 3 ½, ut *Psal.* XXIV. 1.

> lihvoh haarez umeloah;
> tebel, vejosebε bah.

Alii, ut 4 ½: 5 ½, ut *Psal.* VII. *p.* 9.

> jehvoh jadin yammim: septeni
> jahvoh cezidki, ucetummi yalai.

Alii ut 5 ½: 4 ½, ut *Psal.* XXI. *p.* 9.

> timza jadeca lecol objebεca,
> jeminca timza sonεca.

Alii ut 5 ½ : 3 ½, ut *Psal.* VIII. 7.

> vattamsilehu bemaysε jadeca,
> col sattah tahat raglav. Vid. *Ps.* XVIII. *p.* 40.

Alii, ut 3 ½: 5 ½, ut *Psal.* XIX. *p.* 3.

> jom lejom jabbiy omer,
> velailah lelailah jehavveh dayat.

Sunt denique, ut 3 ½ : 2 ½, hujus memorabile exemplum & fere unicum *Ps.* XIX. ubi a vers. 15. octo sunt hujusmodi periodi, quarum prima est,

> torat jahvoh temimah,
> mesibat napes.

Ex his liquet, in hoc carminis genere versum nunc priorem breviorem esse, nunc posteriorem, ad autoris libitum, idque interdum duorum pedum discrimine.

Idem in periodis trimembribus evenit, ut nunc pedum numerum increscat, ut 3 ½, 4, ½, 5 ½, nunc eodem ordine decrescat. Vid. *Psal.* V. *pag.* 7. 8. & VII. 7. alias hæc tria metra nullo servato ordine usurpantur.

X. Utriusque generis versiculi, perpetuo miscentur; ut nullus enim Psalmus, ut supra observavi, solis constat Trochaicis, ita raro accidit, ut Trochaici Jambicis non immisceantur. Quod arti rudi adhuc & incultæ tribuendum, cum nondum ad illam perfectionem pervenisset, quam postea apud Græcos consecuta est.

Hæc autem quæ dixi vera esse, ut sunt verissima, constat exemplis hic adductis, & cuivis Psalmos inspicienti facile liquebit, cum quavis fere pagina exempla legenti in oculos incurrent.

XI. Postremo Hebraicam Poesim syncopis, elisionibus, apocopis, paragogis, ellipsibus, asundetis, pleonasmis, repetitionibus, aliisque modis uti, quibus & voces & versus vel contrahuntur vel producuntur, non opus est ut dicam, nedum ut exempla singulorum afferam, cum his subsidiis nulla Poesis, cujuscunque gene-

neris sit, aut quacunque lingua scripta, carere possit.

I. Ex exemplis adductis hæc tria perquam manifesta sunt, primo periodos omnes non esse bimembres, licet hoc de parte longe maxima verum sit.

II. Singulos versus singulos sensus non exponere. Quamvis plerunque verum sit singulos versus colon, vel saltem comma integrum conficere, multis tamen exemplis liquet hoc non perpetuum esse, nec sane ex rei natura esse potuit.

III. Luce meridiana clarius est versus non omnes esse ὁμοιοτελεύτους. Licet Linguæ Heb. indoles ὁμοιοτελεύτοις abundet, & libenter iis utantur Poetæ sacri, Psalmi tamen ad unum omnes palam testantur Hebræorum artem poeticam nequaquam in iis quærendis positam fuisse.

Quod si res adeo simplex vetus sit Hebr. Poesis, unde factum, inquies, quod viros acutissimos cognitio ejus hactenus fugerit, & ut eruditi fere omnes ejus instaurationem inter ἀδύνατα posuerint? Respondeo, hanc ipsam ejus simplicitatem partim in causa fuisse, quod ejus investigatio quærentibus non felicius cesserit. Qui non satis secum reputantes, antiquissima quæque esse simplicissima, artesque omnes quo initiis propiores essent, eo fuisse rudiores, nec nisi longo temporis progressu ad ἀκμὴν suam perductas, temere nimis crediderunt Poematia hæc, quod sacra essent, nec sine quodam numinis afflatu composita, ideo esse in genere suo perfectissima, omnemque Poeseos cultum & ornatum, quæ multis post seculis apud Græcos obtinuit, in his quæri oportere; quæ videtur sententia fuisse doctissimi viri, Francisci Gomari, qui in Hebr. Poesi videre sibi visus est omnes Poeseos Græcæ elegantias, & venustates, omniaque versuum genera in illa invenisse, quæ in Sophocleis, Pindaricis aliisque Lyricis carminibus occurrunt: & cum per multos annos rem secum meditatus esset, magnoque labore, & studio indefesso in Poesin hanc inquisivisset, anno demum 1637. arbitratus se *certo comperisse Lyrica sacra & profana, distincto parumper linguarum genio, probe inter se convenire*, *Davidis Lyram* edidit, quæ primo magno cum plausu a multis accepta est, & a doctissimis viris comprobata (*a*). Sed anno 1643. Lud. Cappellus sub censuram vocavit & Animadversiones in illam scripsit, quibus novam illam Metricam funditus evertit, (*b*) Canones ab ipso traditos de syllabarum quantitate absurdissimos esse clarissime ostendit, frustraque ab illo Hebraica quæri Pindari & Sophoclis versibus παράλληλα, cum Græcorum versus certo & semper eodem pedum ac syllabarum numero constent, atque iisdem semper recurrant spatiis. Quod si sic liceret ἀναλύειν, ac ille fecit, nihil non Poesim futurum, etiam ea quæ maxime videntur esse a ratione Carminis aliena; cum ista ratione commata in quovis scripto omnia erunt totidem versus, quorum alii dici poterunt Jambici, alii Trochaici, quidam Sapphici, alii Dactylici, vel Anapæstici, Choriambici, Jonici, Pæonici, Antispastici, iique vel puri, vel mixti, vel analogi, vel anomali. Eorumque alia erunt Monometra, alia Dimetra, Trimetra, Tetrametra, Pentametra, vel Hexametra. Juxta hanc resolvendi & dinumerandi rationem, quam tradit hujus Poeticæ autor, nihil non, inquit, erit versus. Omnia invenientur Carmine scripta, etiam Ciceronis Epistolæ, & Demosthenis Orationes, &c. Unde merito concludit Vir doctissimus, novam istam Metricam nihili esse, frustraque a tanto viro per tot annos fuisse meditatam, atque animo conceptam. Omnesque deinceps Cappelli rationibus victi videntur in eandem de Lyra illa sententiam concessisse.

Quod si erraverit Gomarus de Poesi hac tam magnifice sentiens, non solus aut primus hoc erravit. Gomaro prælusisse videtur Hieronymus, cujus nota sunt illa in Præfat. ad Chron. Eusebii. " Quid „ Psal-

(*a*) Neque quemquam futurum credo, nisi plane contumacem vel invidiæ livore occupatum, vel denique scepticum, qui jam poeseos veteris rationem in dubium vocare audeat.

Verum omne dubium tollit pars operis posterior, qua integra Bibliorum capita ac poemata ad istos revocavit Canones, quorum praxin in Græcis poetis antea demonstraverat. An hic ullum χρυσοφύγετον reperire est? Neminem itaque futurum qui hac nostri autoris sententia meliorem afferat, mihi persuasissimum habeo. *Const. L'EMPEREUR*, Epistolam ad Lectorem.

Venerandus senex, D.D. Gomarus in Lyra sua Davidica a temporibus Prophetarum collapsam & per tot secula sepultam Prosodiæ sacræ rationem & artificium primum ingeniosissime & sagacissime detexit & aperuit. Joh. Buxt. filius, in Epist. Lexico Talm. præfixa circa finem.

His addi possunt Dan. Heinsius, Lud. de Dieu, Hottingerus, alii.

(*b*) Canones ejus de syllabarum quantitate huc omnes redeunt.

Scheva nullum simplex vocale esse,
Syllabam longam fieri sola vocali longa, non positione.

Quos merito absurdissimos esse Cappellus dixit, cum non modo omnem rythmi seu numerorum speciem prorsus evertant, sed ipsam linguæ Hebr. pronunciationem plane impossibilem reddant, ut fuse probavit Vir doctissimus.

„ Psalterio canorius, quod in morem no„ stri Flacci, & Græci Pindari, nunc „ Jambo currit, nunc Alcaico personat, „ nunc Sapphico tumet? ——

„ Quid Deuteronomii & Isaiæ Cantico pulchrius? Quid Salomone gravius? „ Quid perfectius Job? Quæ omnia Hexametro & Pentametris versibus, ut „ Josephus & Origenes scribunt, apud „ suos composita occurrunt." Et in Epistola ad Paulinum. " David Simonides „ noster, Pindarus & Alcæus, Flaccus „ quoque Catullus & Serenus, Christum „ Lyra personat." Et Præfat. in Jobum. „ Quod si cui videtur incredulum, „ metro scilicet apud Hebræos, & in mo„ rem nostri Flacci, Græcique Pindari & „ Alcæi & Sapphus, vel Psalterium, vel „ Lamentationes Jeremiæ, vel omnia fer„ me scripturarum Cantica comprehen„ di, legat Philonem, Josephum, Orige„ nem, Cæsariensem Eusebium, & eo„ rum testimoniis me verum dicere com„ probabit." Hæc vero Hieronymum non de suo dicere ex ipsiusmet verbis manifestum, quibus Josephum, Origenem, Eusebium testes appellat. Re vera Eusebium in his exscribit, sed pro more suo ornat, auget, amplificat; Eusebius vero Josephum; neque enim ipsi quicquam de Hebræa Poesi intellexerunt, sed Josephum idoneum testem putarunt. Qui *Antiq. lib.* II. *cap.ult.* de Cantico Mosis 15. *Exod.* dicit, Mosem carmen ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ, versu hexametro, composuisse. Et *lib.* 4. de Cantico *Deut.* XXXII. ποίησιν ἑξάμετρον αὐτοῖς ἀνέγνω, carmen hexametrum iis recitavit. Et de Davidis hymnis, *lib.* 7. ᾠδὰς εἰς τὸν θεὸν καὶ ὕμνους συνετάξετο ποικίλου μέτρου· τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησεν. Odas & hymnos composuit vario metri genere, partim trimetro, partim pentametro. Josephus vero frustra quasi idoneus testis in partes vocatur, cum ille de Hebr. Poesi nihil quicquam sciret, plusquam illi qui ipsum exscripserunt, cum longe ante illius tempora in desuetudinem & oblivionem abiisset. Sed testes frustra allegantur contra facti evidentiam; nihil enim fingi potest a vero magis alienum, cum certissimum sit Hexametros aut Pentametros in Poesi Hebr. nullos esse, nec esse potuisse, cum nulli in illa pedes sint trisyllabi ne dicam non temere Josepho credendum in iis quibus gentis suæ gloriam aucupatur, cum multa sint quæ fidem ejus elevent, nec levis sit suspicio illum Hebraice non scivisse, cum multis indiciis linguæ ejus imperitiam prodat. Quivis certe cui vel mica salis est, sentiat illum Historias sacras pro arbitrio interpolasse, demendo, addendo, immutando, ut Antiquitates suas ad Lectorum Græcorum & Romanorum palatum accommodaret. Sed de his non hic agendi locus.

Ad recentiores ut jam redeam, proximus post Gomarum qui Hebr. metricam se reperisse credidit, credi saltem ab aliis voluit, fuit Marcus Meibomius, multæ vir eruditionis, quique antiquæ Musicæ Autores Græcos edendo nomen haud incelebre consecutus erat, sed mirum quantum φιλόδοξος, & φιλάργυρος, & gloriæ & lucri avidissimus. Hebr. metricam sibi soli a duobus minimum annorum millibus innotuisse insane gloriatur; sed eam sibi celatam servare decrevit, donec arcanum illud gravi ære ab ipso redimeretur. De quo cum in Belgio desperaret, anno 1674. in Angliam trajecit, ibique tres ferme annos commoratus est, operis sui edendi licentiam tanto tempore frustra sollicitans. Conditiones nempe ab illo propositæ hæ fuerunt. " Sex millia curiosorum hominum „ (ipsius verba sunt) poscebat, qui „ singuli exemplar, duobus voluminibus „ in folio editum, recipere vellent, pre„ tio quinque librarum sterlingicarum; „ daturum se saltem mille ducenta lo„ ca; — pro trecentis aliis, aut quot„ quot reliqua fuerint, parvum quid po„ stulaturum, aut plane ea donaturum. „ Quod si minores corruptelæ, quibus „ sensus, & loquendi ratio, nihil tur„ bantur, connumerentur, facile ter mil„ le loca exhibiturum. Deus, inquit, „ me reducet ad regem, aut principem, „ aut ad populum denique, virtutis & „ sapientiæ amantem, si hoc seculo ea „ in lucem venire velit" Hæc ille in fronte Speciminis secundi, excusi anno 1678. Et in Epistola Imperatori, Regibus, Principibus, &c. inscripta. " Novum sacræ eruditionis decus Europæ „ exortum videbitis, si vestro auxilio me „ juvare dignemini, illo majus quod „ Ægyptus olim orbi dedit, ideoque „ admirabile posteritati futurum; divina „ enim destinatione magna duo inventa „ nunc in lucem prodirent, Hebræa, „ inquam, Metrice, & linguæ ipsius „ major notitia, quibus caruere celeber„ rimi illi LXXII. Interpretes, omnis„ que reliquorum interpretum Chorus." Et ad Lectorem, " per viginti amplius „ annos in sacro Hebræo Codice emen„ dando & explicando, magno studio & „ memorabili felicitate laboravi. —— „ Quod si ad illam rationem (Thaletis „ & Pythagoræ) gratus erga supremum „ numen animus mihi declarandus fuis„ set, sexcentos, imo mille amplius bo-

„ ves

„ ves offerre debuiſſem, pro ter mille „ amplius erroribus, qui ſententiam turbant, e ſacro Hebræo codice ſublatis: „ labiorum ſacrificia decies mille, quod „ potui & debui, humillime obtuli, „ identidem, cum egregium aliquid inveniſſem, repetens; —— gratias tibi, Domine, maximas ex animo ago, „ luminis autori unico, qui immenſi „ ſplendoris tui radiolo mentem meam „ illuſtrare voluiſti, ut hæc tam multa, „ & tam præclara aperto oculo inſpicerem. Metrum enim, quo plerique „ omnes ſacri libri conſtant, mihi oſtendiſti, quod omnis inventionis hujus „ originem fateri debeo. Metri, inquam, Hebræi omnem varietatem, & „ leges ejus tot regulis & obſervationibus latentes, mihi aperire voluiſti. „ —— Quoniam omnis ſacræ Europæ „ intereſt —— doctos & potentes viros „ apud reges, principes, urbiumque rectores inſtituros ſpero, ut de hoc negotio inquirant, & me juvare velim, „ quod parva ſingularum eccleſiarum, „ ſeu parochiarum collatione fieri poſſet. —— Omnium in manibus Pſalmi „ fuiſſe videntur, —— hinc corruptiſſimum opus Pſalmi ſunt, pro libri magnitudine, in quo octingenta amplius „ loca reſtitui, quæ ſenſum turbabant." Et in operis initio, "Pſalmorum libros „ ingenti labore ante viginti amplius „ annos interpretari & explicare agreſſus „ ſum. —— Poſtquam autem Deo placuiſſet omnem divinæ poetices doctrinam mihi revelare, omni animi contentione elaborandum mihi exiſtimavi, ut non ſolum Pſalmos, ſed omnem „ Hebræam ſcripturam metro ſuo, hoc „ eſt, priſcæ & germanæ lectioni reſtituerem. Quanto igitur immenſi ſui „ luminis radiolo mentem meam Deus „ illuſtrare voluerit, hoc decem Pſalmorum ſpecimine lectoribus piis atque „ eruditis oſtendere volui". Piget plura hominis vaniſſimi exſcribere. Quis hæc legens temperet a riſu, quibus metrum a ſe repertum prædicat, ſed ſibi interea magnum illud arcanum ſervat, non niſi ingenti pretio redimendum, quibus ſcilicet legibus contineatur, vel quo nitatur fundamento. His vero tantis inventi ſui encomiis mercis ſuæ emtores fruſtra quæſivit; omnes contra ſpecimina quæ dedit exſibilarunt, & merito quidem, cum omnem omnium qui unquam fuerint criticorum temeritatem atque audaciam longe ſuperarir. Quapropter commentario ſuo in Pſalmos perpetuo illum caſtigat doctiſſ. Clericus, & omnia fere quæ attulit, exagitat, ut ſomnia, & mera commenta, *quibus forte ne ipſe quidem credebat, ſed fucum facere volebat, ut ingenti pecunia orbem Chriſtianum emungeret*. Sed de Meibomio ſatis, cum ſupra oſtenderim, duo illa quæ ſibi ſumſerat poſtulata eſſe falſa: Illorum igitur utrumvis, ſi nihil aliud obſtitiſſet, conatus ſuos ad poeſin Hebr. reſtituendam inanes irritoſque reddidiſſet, cum falſa veris ſint ἀσύστατα.

Poſtremus qui in hanc arenam deſcendit, fuit rigidus ille Meibomii cenſor, modo memoratus, qui melius ſe ſucceſſurum ſperavit, poeſin ὁμοιοτέλευτον fingendo, cujus, ut ſupra dixi, ſpecimina olim dederat in Canticis Moſaicis, & ſpem eruditis fecerat, ſe totum Pſalmorum librum eodem modo editurum; quod licet non præſtiterit, illa tamen ſpecimina ſatis oſtendunt, quale illud opus futurum eſſet, ſi fata ſiviſſent ut vir diligentiſſimus perficeret, quod deſtinarat: nec opus eſt ut quicquam addam iis quæ ſupra dicta ſunt, ex quibus abunde liquet virum eruditiſſimum fruſtra ſub ſpecie veri falſam hypotheſin tot per annos tam perdite amaſſe, votoque excidiſſe, dum totis animi viribus id quæreret quod nuſquam erat.

Verum præter falſas illas hypotheſes quæ tribus hiſce eruditiſſimis viris propriæ fuerunt, quæque ipſarum, fautores, quo arctius iis adhærebant, eo longius in Hebraica poeſi inveſtiganda a vero illos tramite abduxerunt, (ut jam prætercam difficultatem quæ ex eo orta eſt, quod in codice Hebr. verſus non diſtincti, ſed continua ſerie ſcripti ſint ad inſtar ſolutæ orationis, quo factum ut cognitio verſuum eorumque diſtinctionis paulatim periret; quæ ſemel amiſſa eo difficilius inſtaurari potuit, quod verſus hi non eodem pedum aut ſyllabarum numero conveniant;) duo alia maxima impedimenta memoranda, quæ felici Poeſeos Hebraicæ inveſtigationi obſtiterunt, quæque omnes eruditorum conatus ad illam inſtaurandam irritos reddent, quamdiu vel non eſſe impedimenta credetur, vel amoveri nec poſſe nec debere cenſebitur. Punctationem dico Maſoreticam, tum demum excogitatam cum lingua Hebr. dudum in uſu eſſe deſierat, & hodierni codicis textum injuria temporum & exſcriptorum incuria vel inſcitia multis in locis depravatum. Quamdiu eruditis perſuaſum erit punctationem hanc ab ipſis ſacris Scriptoribus originem ſuam habuiſſe, textumque hodiernum ex omni parte integrum eſſe & incorruptum, Hebraicæ Poeſeos inſtauratio pro conclamata merito habenda eſt.

Hoc argumento totam Gomari metricam evertit Cappellus, quod gemino hoc nitatur fundamento, totam sc. hodiernam punctationem ab ipsis esse sacris scriptoribus, non a Masoretis, quingentis minimum post Christum natam annis, excogitatam, codicemque Hebr. hodiernum totidem apiculis & punctis jam esse distinctum, quibus olim fuerunt ipsa sacrorum scriptorum αὐτόγραφα, neque hilum ab illis discrepare. Quorum utrumque falsum esse cum in Arcano punctationis, tum in Critica sacra luculenter ab ipso demonstratum est. Quare, everso gemino illo fundamento, quo metrica ista nititur, quicquid illi superstruitur, ruat ac concidat necesse est. Ita contra Gomarum Cappellus; idemque argumentum invicte probat nemini felicius quam Gomaro rem cessuram, cujus conatus iisdem fundamentis innituntur.

Ut de posteriore prius dicam, opinionem illam de hodierni codicis Hebræi ad apices usque integritate falsissimam esse infinitis exemplis, ut alios taceam, demonstravit in Critica sua Cappellus. Opinionem quidem illam, si penitius inspiciatur, non modo falsam esse, sed etiam maxime absurdam rationes certissimæ evincunt, cum integritas illa quam, ut sacro codici propriam, vindicant, non sine stupendo prorsus miraculo, seu potius continua miraculorum serie, ad nostra usque tempora conservari potuisset. Sed nec multis rationibus, nec Cappelli vel aliorum laboribus opus est ad hanc sententiam refellendam, cum quivis in sacro Codice paulo versatior per se manifestissima in illo errata deprehendet. Omnium vero sacri Codicis librorum nullus tantum a librariis passus est quantum hic Psalmorum; is enim frequentissime omnium in plebis usum exscriptus est; in eo igitur necesse est frequentissimi fuerint librariorum errores. Nec parum contulit libri hujus obscuritas ad mendorum numerum augendum, cum ex eo exscriptorum temeritati atque inscitiæ amplior locus esset; unde factum est, ut non modo omnis generis menda, quæ in aliis antiquis scriptis magno numero occurrunt, in hoc etiam habeantur, sed, quod merito mireris, iis etiam in locis sæpe erratum sit, quæ facillimum fuit ab omni mendo integra præstare. Quis enim, qui hanc periodum legerit *Ps.* XLII. *p.* 12.

> mah tistohahai napsi?
> u mah tehmi yalai? hohili
> leelohim, ci yod odennu,
> jesuyot panai, ve elohai.

Quis, inquam, qui hanc periodum attente legerit, eandemque repetitam *Ps.* XLIII. *p.* 5. non bis peccatum esse viderit in hac eadem periodo, eo in loco ubi primum habetur, *p.* 6. ubi in secundo versu *mah* deest, quartus vero ad hunc modum nunc scriptus est, *jesuyot panav*, cum ruina & metri, & sensus, *elohai* ad sequentem periodum rejecto? Vid. annotata ad locum.

Quis, qui nostra legerit, dubitare possit, in hac periodo, *Psal.* LXXXIX. *p.* 16. erratum esse?

> Asre hayam jodeyi (teruyah) jahvoh;
> beor paneca jehallecun.

Cui non manifestum, *teruyah* in versu primo abundare, & e margine irrepsisse, quod egregie & sensum & metrum perturbat? Quæ enim illa beatitudo quæ constat in scientia *jubilationis*? Quis de illa vel fando audivit? Nulla vero illa major quæ ex *dei* cognitione oritur. Quis denique qui *Psal.* CXVIII. *p.* 6. & 7. hæc legerit.

> jahvoh li;
> lo ira mah jayseh li adam.
> jahvoh li beyozerai;
> vaani erech be sonsai.

Quis qui hæc legerit, videritque primum tertiumque versum eodem modo Græce versum, Κύριος ἐμοὶ βοηθός, non statim agnoscat in primo versu lacunam, & *beyozerai* excidisse? Facile poteram plurima mendorum exempla non minus certa afferre, sed hoc esset lectoris otio abuti in re perquam manifesta. His igitur unum tantum, sed quod mille instar, argumentum addam. Dicant mihi, si placet, integritatis hujus illibatæ vindices, quid facilius fuit quam eos saltem Psalmos qui alphabetico ordine conscripti sunt, integros mendique immunes conservare, iis præsertim locis, quibus Alphabeti literas Librarii veræ scripturæ indices habuerunt? Nihil tamen certius quam his ipsis in Psalmis sæpius erratum esse; interdum periodo sua deest litera, ut *Psal.* XXV. *p.* 2. & 6. XXXIV. *p.* 7. XXXVII. *p.* 28. interdum duæ periodi ab eadem litera incipiunt, ut *Psal.* XXV. *p.* 18. & 19. nonnunquam litera ex abundanti periodi capiti præponitur, ut *Ps.* XXXVII. *p.* 39. qua literarum series turbatur, venustasque illa, quæ hac scribendi ratione captata est, invenusta redditur; imo semel saltem in Psalmis hisce integra periodus desideratur. Hujus postremi errati

rati clarissimum exemplum est, *Ps.* CXLV. in quo excidit periodus quæ a litera *nun* inchoata fuit. Et quo omnes cavillandi ansæ præcidantur, manifestum est librarios in hunc errorem incidisse post illa demum tempora, quibus Psalmorum liber Græce versus est. In illa enim versione periodus ista etiamnum superest. Nec quisquam causetur Græcos interpretes hoc de suo addidisse; observandum enim est nihil illos potuisse in hanc fraudem illicere, cum literarum Alphabeti ordo in Græcis servari non potuerit, neque adeo quicquam versionis istius elegantiæ ex unius aut plurium periodorum absentia decessisset. Qui igitur tam claro certoque exemplo obniti possunt, frustra cum iis contenditur, nullis argumentis in re etiam manifestissima revincendi sunt; *non persuadebis licet persuaseris*.

Quod si in literis, in verbis, in sententiis, integrisque periodis erratum sit, etiam in iis, ubi tam facile fuit ab erroribus cavere; multo minus censendum est punctationem integram atque illibatam ad nos pervenisse, in qua non errare est re vera difficillimum. Sed non jam de erratis, quæ processu temporis in punctationem irrepserunt, sed de punctatione ipsa agitur, quam dico sæpe fallere, cum excogitata sit ab hominibus linguæ suæ non satis peritis, quippe quæ dudum ante illorum tempora in desuetudinem abiisset. Hujus regulæ, (ne jam dicam puncta falsis lectionibus apposita, ipsas quoque falsas lectiones esse, cum lectione in melius mutata, ipsa quoque mutanda essent,) in multis peccant, lectoremque ab antiqua & vera Hebraica legendi ratione incautum abducunt; ut in supradictis, pluribus exemplis aperte ostendi. Nec aliquid Poesi Hebr. instaurandæ majori impedimento fuit, quam quod in illa eruditi, in legendo & pronuntiando Judæis magistris tam cæca fide se addixerint, qui ipsi de Poesi illa ne γρῦ quidem intelligerent. Mihi profecto certissimum videtur Poesi Hebrææ cum magistrorum illorum de punctatione præceptis non magis convenire posse, quam Poesi Græcæ cum iis, quæ recentiores Græci docuerunt de accentibus, quos si pro legendi norma habeas, nunquam Poeseos Græcæ rythmum & modulationem, nunquam versuum mensuram, aut syllabarum quantitatem intelliges: quod omnibus in confesso est, ut nemo jam paulo doctior sit, qui non in Poetis legendis omnem de accentibus curam prorsus abjiciat, utcunque in soluta oratione legenda etiamnum illorum ratio plerunque habeatur; quod absurde prorsus factum, cum orationi solutæ non minus quam ligatæ sui sint numeri, sui pedes, quos adeo accentus non possunt non corrumpere, pariter ac in poesi; unde omnis illa venustas, quæ ex verborum collocatione oritur, ab illaque pendet, perturbatur, seu, ut verius dicam, tollitur. Errores autem quibus punctationis magistri veram legendi rationem corruperunt, præcipui sunt hi.

I. Consonam *Scheva* mobili animatam, syllabam per se nunquam constituere, sed sequenti consonæ arctissimo nexu adhærere. Quo nihil absurdius dici potest, cum hoc pacto *dabar* fuerit dissyllabum, idem vero cum *Scheva*, *debar*, monosyllabum, quod nemo tamen ut unam syllabam toto connisu suo proferre possit. Hic autem error omnium gravissimus, & Poesi Hebraicæ maximam perniciem attulit, cum *Scheva* mobile omnibus locis occurrat, adeoque omnibus in versibus verum syllabarum numerum perturbet, voces quadrisyllabas in dissyllabas interdum contrahat, verborumque monstra infinito numero pariat, qualia in nulla lingua usurpantur, nec quisquam, ferreo licet ore, enuntiare possit, nedum sub metri leges mittere, quod Cappellus fuse ostendit in Animadv. in Gomari Lyram.

II. *Scheva* compositum, quod vocale est, sed vocali brevi aliquanto brevius, quodque *Gutturalium* gratia dicunt excogitatum, videtur merum figmentum, omnisque de eo doctrina, non modo ut inutilis, sed ut falsa, abjicienda, saltem quatenus in simplicis muti locum substituitur; cum Gutturales æque ac alias quasvis consonans, *Scheva* quiescens sub se recipere, & cum consona præcedente cui vocalis brevis subest, unam syllabam constituere, ex toto Psalmorum libro manifestum sit. Nulla una observatio, si priorem excipias, tantum, atque hæc, confert ad veram legendi rationem intelligendam; cum ex punctatorum doctrina omnia ita perturbentur, ut nec syllabarum numerus, nec quæ revera sint, seu quibus ex literis componantur, dignosci possit. Ut verbo dicam, *Scheva* hoc compositum veræ lectioni perdendæ natum videtur.

III. Quæ punctationis magistri docent de *patah furtivo*, vel falsa sunt, vel saltem inutilia. Si vocales censeatur & syllabam constituere, quæ nonnullorum sententia est, hoc plane falsum est, cum consonæ illo insignitæ eodem loco sint ac si *Sheva* quiescens illis subjiceretur, & in unam syllabam cum præcedente consona connectantur. Ita *coh*, *ruh*, sunt monosyllaba, *eloh* vero dissyllabum,

labum, quæ ab illis scripta sunt *coah*, *ruah*, *eloah*.

IV. Regula, qua docetur geminum *Scheva* ab initio vocis nunquam consistere, quod si ex analogia concurrant, prius mutari in *hirek*, *patah* vel *segol*, adeoque alterum quiescere; hæc eorum fons & origo sunt, quæ docent de præfixis, *c*, *l*, *b*, ante literam *Shevatam*, quæ tamen in multis falsa esse metrum clare evincit, *c* nempe, & *b* non in unam syllabam cum litera cui præfiguntur coalescere, sed syllabam per se constituere; *l* vero in multis, ubi conjungi cum sequente syllaba oportuit, *Scheva* vocali subjecto separant, in aliis conjungunt, ubi metrum separatim ponendum ostendit; quoties vero in horum aliquibus peccatur, toties metrum corrumpitur. Sed quod ad *c* & *b* attinet, num semper hæc præfixa a sequente litera sejuncta syllabam per se constituant, hic quidem incertus hæreo, nec quid statuendum sit scio; verior forte sententia est, utrumque licuisse, quod vix tandem adducor ut credam, cum licentia hæc nimia videatur; hac enim admissa, Ars Hebraica pangendi, alias facillima, adhuc multo facilior reddetur, minusque artis in se habebit, quam par erat, ut *ars* jure dici possit. Diu quidem hæc mea fuit sententia, opusque hoc totum fere absolutum fuit, antequam ab illa in nonnullis discedendum esse exempla quædam suaderent; quo factum, ut pluribus in locis receptam lectionem paululum immutarem, nullam aliam ob causam, nisi quod in præfixorum horum punctatione Masoretas falli censerem, de quibus in Addendis Lectorem monui, ut erratis his, siquidem errata sunt, sublatis, recepta lectio restituatur.

V. Errant in *suffixis* quæ *levia* vocant, pluralibus sive masculinæ sive fœmininæ formæ apponendis, cum formis absolutis semper adjungant, quæ prius in constructas immutandæ erant; nonnunquam etiam trisyllaba cum his affixis in disyllaba contrahenda sunt, etiamsi in constructa forma syllabarum numerus servetur. Hinc syllabarum numerus in vocibus *suffixa* hæc habentibus sæpenumero ultra debitum augetur, versusque ex eo ruina necessario sequitur. Sed nonnunquam hic etiam in lubrico res est, nec veram punctandi rationem certis ullis indiciis eruere potui, cum sæpe accidat, ut hanc punctationem æque ac illam metrum patiatur, de quibus etiam in Addendis.

VI. In verborum etiam punctatione non raro erratum est, cum punctando unius conjugationis fecerint, quæ metrum docet esse alterius, nec non in *affixis* verbis adjungendis, quo syllabarum numerum ultra debitum auxerunt; cujus exemplum est *h* fœmininum, cum adjungitur futuro singulari, subscripto *kamez*, & *segol* præeunte, ut *Psal.* XXIV. *p.* 2. *jeconeneha*, pro *jeconenah*.

VII. Cum punctationis autores Poeseos Hebr. leges nescirent, de licentiis poeticis dictis, quibus sc. nulla poesis carere potest, ne somniasse quidem videntur, ut ex eo, quod *johvoh*, *aser*, *leca*, plene scribant, cum metrum postulet *jah*, *se*, *lac*, liquet, & ex aliis contrahendis modis, de quibus altum apud eos silentium. Idem de modis voces producendi sentiendum, unde factum, ut literæ paragogicæ exciderint, ubi metrum addi præcipit.

VIII. Quæ de *Dages* leni præcipiunt, licet syllabarum numerum non immutent, inepta tamen & falsa videntur, cum nemo sanus credere possit, ut alia æque absurda mittam, ex voce præcedente pendere, ut idem nomen proprium, nunc *Paddan*, nunc *Phaddan* pronuntietur; & quod ad literas *b*, *g*, *d*, *c*, *p*, *t*, attinet, veriorem illorum sententiam putem, qui tres primas semper lenes, postremas vero tres semper asperas esse volunt. Idemque de *maccaph* censendum, de quo quæ docent, vel falsa sunt, vel certe inutilia ad Hebr. poesim intelligendam, cum syllabarum numerus, ex quo versus unice pendet, idem semper invarie maneat.

IX. Quæ de *Dages* forti docent, vix secum consistere videntur: docent enim sæpe ex literis *Schevatis* tolli accelerandæ pronuntiationis causa; *Scheva* tamen illud, quod alias post vocalem brevem quiesceret, esse vocale, adeoque syllabarum ejus omissione non imminui numerum, quod si hoc pacto idem maneat syllabarum numerus, frustra videtur *Dages* tolli. Exempla certe docent hanc posteriorem regulam non semper veram esse, sed sublata *Dagesh*, vocem quoque syllaba minorem fieri. Videntur quidem Masoretæ *Dages* hoc pro arbitrio tollere vel ponere; quæ enim justa ratio reddi possit, cur contra analogiam tolleretur, nisi iis in locis, ubi metrum postulat, ut hoc pacto vox in pauciores syllabas contrahatur.

X. In periodis invicem distinguendis sæpissime erratum est, magno cum poeseos damno. In *Ps.* XCV. bis hoc modo insigniter peccarunt. Primo enim, periodo septimæ versiculum primum sequentis adtexuerunt, cum non eodem me-

metri genere sit; secundo, duos ultimos pedes cum dimidio periodi nonæ, decimæ præposuerunt, quo periodi utriusque metra graviter corruperunt. In hæc errata non incidissent, si in Poesi non fuissent prorsus imperiti. Cum ex his in punctando erroribus alii multi necessario profluxerint, a veteri & vera legendi ratione hodiernos magistros immane quantum descivisse, dubitari nequit, cum vero prava punctatione metro non officitur, a consuetudine recepta in talibus punctandis recedendum non existimavi.

XI. Præter hæc vero quæ generales punctandi regulas spectant, quas in multis fallere ex prædictis liquet, singulares quædam voces sunt, in quibus ab illis perpetuo cum metri jactura erratum est. Hujus duo insignia exempla supra adduxi in nomine tetragrammato, pro dissyllabo trisyllabo ab illis substituto, & in *samaim*, quod in Psalmis semper est dissyllabum. His addi debent (*a*) *on*, quod illis est *aven*, & (*b*) *yon*, quod punctis *yavon*, sed in Psalmis utrumque semper est monosyllabum; idem etiam in *lemayam* factum, sic enim illi punctant, quasi esset trisyllabum, cum omnia in Psalmis exempla ostendant esse dissyllabum, & legendum *limyan*.

XII. Postremo, tota illa quæ tam superstitiose ab illis traditur de accentibus doctrina, & de vocalium punctorum mutatione propter illos facienda, perpaucis exceptis, videntur mera περιεργία hominum ingenio atque otio abutentium, linguamque fugientem frustra sistere conantium, cum in nulla alia lingua quicquam simile excogitare cuiquam unquam in mentem venerit. Nos certe tantæ farraginis auxilio, & tam multiplici regularum cognitione nihil proficimus in Lingua Hebr. intelligenda, qui unicus discendæ illius nunc finis est; non enim Hebraica discimus, ut lingua illa loquamur, vel scribamus, sed ut Hebraice scripta intelligamus, neque si quis accuratissime regulas has calleat, putandum est illum legitimam & antiquam pronuntiationem adepturum; ut liquet tum ex nominibus propriis quæ aliter a Masoretis lecta sunt, quam a Græcis interpretibus, tum ex re ipsa, cum soni non possint sine mutatione per plura secula servari. Optandum ergo esset ut molesta hæc regularum farrago de accentibus & vocalium mutatione ex Grammaticis hodiernis, exceptis paucis ad lectionem necessariis, tolleretur, quo facillima redderentur linguæ Hebrææ Elementa quæ nunc vel ipso aspectu tirones terrent. Atque hæc de punctatione Masoretica dicta sunto, quacum manifestum, est Poesin Hebr. consistere non posse; & proinde omnes, qui illam ab ipsis sacris scriptoribus profectam vel a viris θεοπνεύστοις, veramque adeo & immobilem censent, in hac investiganda frustra desudaturos.

Non me fugit Lud. Capellum, aliosque qui cum eo senserunt, in multorum offensionem incurrisse, quasi S. Scripturæ autoritatem labefactarent, & Deum minus providæ in Hebr. codice conservando curæ arguerent. Sed quo jure optimis & eruditissimis viris hoc objicitur? Nihil certe verius est quam sacrum codicem eandem communemque cum reliquis omnibus libris passum esse in describendo calamitatem, sive a librariorum incuria atque inscitia, sive aliunde ortam; nec sine stupendo supraque omnem fidem miraculo hic unus codex integer omnisque mendi immunis servari potuisset, cum alii omnes tantum labis acceperint. Profecto, si quis reputet sacri codicis libros omnium esse longe antiquissimos, haud mirabitur, si illis non modo a librariis, sed ab injuria temporis etiam plus labis sit illatum. Quod si ad hoc, populi Judaici fata in animum revocemus quam diras sæpe perpessi sint calamitates, nunc per complures annos in longinquas terras exsilio acti; nunc in sua ipsorum patria gravissime vexati; quod ante Captivitatem Babylonicam Judæi videantur nullo unquam tempore Legis Mosaicæ satis fuisse studiosi, ne dum in lectione ejus diligentes & exercitati, quod Josiæ tempore adeo rara Legis fuerint exemplaria, ut cum jam per annos octodecim regnasset prope pro deperdita haberetur, quod sub Antiocho demum Epiphane Judæis ab iniquissimo tyranno imperatum esset, ut omnia sacri codicis exemplaria traderentur, & quæ undicunque vi minisque conquiri poterant, impie direpta essent & combusta; qui hæc, inquam, serio secum reputaverit, omnisque fere literaturæ cultum omnibus temporibus in populo illo neglectum jacuisse, non tam mirabitur sacrum codicem multis in locis labem aliquam accepisse, quam quod tam integer post tot discrimina ad nos pervenerit. Menda enim istius generis pleraque omnia sunt, ut nihil inde veræ religioni metuendum sit, nihil sacri codicis autoritati decedat. Frustra igitur objicitur omnia hoc pacto in sacro codice dubia atque incerta reddi, codicive corru-

(*a*) Vox hæc occurrit in *Psalmis* 27. vicibus.
(*b*) Hæc vicibus 29.

corrupto & vitiato nullam habendam fidem. Hoc enim argumentandi genere, omnibus antiquis libris, seu Græcis, seu Latinis, fides omnis abroganda est, cum omnium omnino librorum sors & conditio sit, ut in illos hujusmodi menda magno numero irrepserint; quod nulli tamen sano facile persuaserint.

Sed ut proprius ad rem accedam, quidni liceat id de veteri Testamento credere, quod de novo abunde constat, in codices ejus MSS. plurimas de tempore in tempus irrepsisse varias lectiones? Variantes enim lectiones omnes in singulis locis præter unam totidem menda sunt. Ecquis tamen tam male feriatus est, ut novo testamento fidem omnem detrahendam censeat quod in illo variæ lectiones pæne infinitæ deprehendantur, quarum numerus etiamnum indies augetur, quoties sc. codex aliquis ejus MS. qui in eruditorum manus nondum venerat, excutitur, & cum excusis confertur. Quo criterio e tot lectionibus sciri potest quænam vera sit? Et si daretur tale criterium, ne sic quidem menda omnia tollerentur, cum quædam omnibus MSS. quæ jam supersunt, antiquiora sint, & adhuc conjecturis eruditorum locus relinquatur. Non igitur audiendi qui hoc modo ratiocinantur, si hoc & illo loco mendum irrepsit, utique corrigendum, quidni & alibi, quidni & ubique, ut pariter cuilibet liceat quodcunque voluerit corrigere & emendare? Quæ enim illa consequentia? Potuit hic & illic labi & impingere librarius; ergo reipsa erravit, & lapsus est. Neque satis non est causari lapsum & errorem, demonstrandus est error; si reapse erratum est, demonstrari poterat; si erratum non est, demonstrari non potest; imo contra, poterit demonstrari erratum non esse, quia verum vero semper consonat, nunquam adversatur; donec autem demonstretur error, causa nulla est cur locus in suspicionem vocetur. Sed de his hactenus, dudum causam hanc præclare egerunt alii, imprimis Cappellus ipse, ex quo postrema hæc delibavi. Qui plura velit, ipsum adeat.

Cum jam de Hebr. Poesi prolixe egerim, nexus ille qui inter Poeticam & Musicam intercedit, poscit ut de illa etiam, Musicisque Hebræorum instrumentis aliquid dicatur. Et antiquis quidem temporibus artes hæ tamen arcte invicem conjunctæ videntur, ut alteram alterius opem mutuo desiderasse merito credatur; unde factum ut multi putarint, Hebr. Poesim non esse metricam, sed μουσικόν τι, eorumque carmina ad Musicam ita accommodata fuisse, ut quodlibet periodi membrum certo vocum & syllabarum numero pro diversa ratione melodiæ contineretur. Quam sententiam validissime convellit Doctiss. Carpzovius, de libris SS. Poeticis, ubi acute vereque observat, intrinsecam Poeseos sive carminis rationem non ex solis Musicæ seu Melodiæ legibus constitui, nec ex iis æstimari debere, quanquam externæ versuum affectiones cantui sæpe accommodentur. Clarius dixisset, poeseos ratione Musicam externum quid esse, neque ejus naturam constituere, licet olim usu fuerint intime invicem innexæ. Dudum certe altera ab altera secessum fecit, adeo ut poetæ optimi nihil de Musica intelligant, & vice versa Musicæ peritissimi poesim tamen ne primis labris degustarint. Et antiquissimis etiam temporibus dubitari nequit, quin carmina essent, quæ nunquam in more fuit decantari, qualia omnium consensu Salomonis Proverbia, ut alia taceam. Nihil igitur opus est ut ad Poeseos Hebr. naturam intelligendam, eorum quoque Musica investigetur. Profecto si res ita esset, de Poesi Hebr. instauranda merito desperandum esset, cum nihil certius sit quam Musicam eorum prorsus nesciri, nec ulla jam subsidia supersint quibus in ejus genium atque indolem feliciter inquiri possit. Neque sane quisquam hujus vel minimam spem animo conceperit, qui reputarit, quam penitus hodie ignota sit celeberrima illa Græcorum Musica, quamvis non modo extent tot præclara Poeseos eorum Monumenta, quæ ad Musicos quosdam modos semper recitari solerent; sed etiam antiquæ Musicæ scriptores plures etiamnum supersint, qui Musicæ istius elementa tradiderunt.

Quod si Hebr. Musica, ejusque vel minima elementa omnino ignorentur, de Musicis ipsorum instrumentis, frustra meliora speramus. Nomina quidem plurium adhuc conservata sunt, & conjectura aliquantum assequi possumus, alia *pulsatilia* fuisse, vel bacillis pulsanda, vel digitis tangenda; (prioris generis sunt tympana, cymbala, sistra; posterioris cythara, nablium, & si quæ alia:) vicissim ἐμπνευστα, *flatilia*, vel ore hominis, ut tuba, buccina; vel subductis follibus inflanda, ut organa. Sed hæc nosse, quæ ex ipsa Musicæ natura facile deduci possunt, omnibusque adeo populis in usu sunt, perparum est; neque enim nunc sciri potest, qui numerus instrumentorum fuerit, nec quibus singula nominibus venerint, nec quæ illorum forma fuerint, aut quousque cum nostris re convenerint, quæ nomine saltem eadem videntur; multaque alia, quæ qui-

quivis Musicæ peritus de illis quæreret, prorsus ignorantur. Multus quidem in his explicandis est Kircherus in Musurgia universali, sed omnia fere quæ affert, sui ipsius ingenii commenta potius quam genuina antiquitatis vestigia merito censenda sunt. Dicitur quidem 1. *Paral.* XV. 20.21. quosdam Levitas constitutos ad canendum *banebalim* (vel, ut punctatur, *binbalim*) *yal yalamot*, alios vero, *becinnorot yal hassemini t*. Si hæc paucula verba probe intelligerentur, ad Psalmorum saltem titulos lucis plurimum afferrent, ubi jam prorsus cæcutimus. *Nebalim* quidem & *cinnorot* nomina instrumentorum esse nemo nescit, quorum alterum Græci reddiderunt νάβλαις, alterum κινύραις, i. e. *nabliis* & *citharis*, de quibus vix quicquam certi præter nomina novimus; est tamen aliquid, huc prodire tenus, & nosse hæc esse instrumentorum nomina, sed, quod ad sequentia vocabula, incommode accidit ut Græci ipsamet servarint, ἐπὶ ἀλαιμώθ, & ἐπὶ ἀσαμενὶθ, (sic enim procul dubio legendum, non ἀμασενὶθ.) Hæc etiam nonnulli existimarunt instrumentorum esse nomina, sed vix crediderim, cum instrumentis adjungantur; quale enim hoc fuisset, canere in *instrumentis super instrumenta?* Hoc non nisi absurde dici possit; rectius igitur illi, qui modos quosdam Musicos iis designari censent, cui sententiæ nomina ipsa favere videntur, cum *yalamot* sint *virgines*, *hasseminit* vero significet *octavam*. Ex præpositione quidem iis præfixa nihil concludi potest, cum *yal* de instrumento dicatur æque ac *be*. In titulo enim Psal. quarti est *beneginot*, quod Gr. ἐν ψαλμοῖς. *Psal. vero* LXI. *yal neginat*, ἐν ὕμνοις, Gr. enim legerunt hic quoque *neginot*, nec dubitari possit, quin ea sit vera lectio; *neginot* enim instrumenti genus fuisse admodum credibile est cum a *nagam*, *pulsavit*, manifesto derivetur. Cum hæc in Paral. vocabula tam obscura sint, non est quod miremur, si in aliis hujusmodi vocabulis ad Musicam spectantibus, quæ in multis Psalmorum titulis magna cum varietate occurrunt, meræ tenebræ sint, nec certo sciri possit, utrum instrumenta, an modi Musici, an cantilenarum initia intelligenda sint; sed de his, pluribus infra, cum ad Psalmorum Titulos deventum fuerit. Ex dictis satis constat, de Musica Hebr. instrumentisque Musicis nihil solidi & certi afferri posse, frustraque in illis quærendis operam ab eruditis collocari.

His igitur missis, jam tempus est, ut pergam ad alia quædam, quæ ad Psalmorum librum quæri solent, de Psalmorum sc. autore, de illorum in unum volumen, prout nunc extat, collectione, & quis collectionem istam fecerit, & quo tempore; de Psalmorum ordine, de illorum Chronologia, postremo de Titulis sive inscriptionibus, quibus pars maxima insigniuntur. De quibus omnibus satius forsan fuerit, uno verbo dicere me nihil scire, lectoremque ad ipsos Titulos remittere, cum ex iis fere solis petendum sit quicquid vere ac solide ad hæc respondéri possit; illique ipsi tam obscuri sint, ut nemo in iis explicandis, eruditis satisfecerit. Præstat certe prorsus tacere, quam incerta, dubia, falsa, inepta, absurda lectoribus obtrudere, cujusmodi multa sunt quæ de his apud interpretes invenias, qui se nihil nescire volunt, & officii sui putant ad omnia omnino quæsita, aliquid, quod eruditionis saltem speciem habet, reponere. Doctos profecto & indoctos inter, quod ad hæc quæsita, hoc maxime interest, quod doctis licet ineptiores esse, & copiose nugari, cum indocti, interrogati, statim obmutescant. Hæc ita esse clare patebit ex iis quæ ad hæc quæsita jam dicentur.

Primo de Psalmorum autore quæritur. Sunt sane qui velint unicum omnium autorem Davidem fuisse, quasi nomen regium dignitatis aut autoritatis aliquid iis conferret, quo alias carerent; quæ tamen est absurdissima opinio, cum non tantum stylus diversos plane autores arguat, sed & plurium materia atque argumentum, quæ manifesto sunt temporum a Davidis ætate longe distantium; ne dicam, quod satis constet nec Psalmorum collectorem in hac sententia fuisse, neque istius temporis Judæos; cum aliis Psalmis Davidis nomen præponatur, aliis, vel nomen nullum, vel alterius, totique volumini titulus sit, *Psalmorum* Liber, non addito Davidis nomine, cum tamen Proverbiis, Ecclesiastæ, & Cantico Canticorum, quæ unius fere sunt autoris, in fronte nomen ejus ponatur. Sed frustra cum his hominibus disputatur; de stylo facile est in infinitum contendere; vel eundem esse, vel si diversus sit, ad diversam scriptoris ætatem, ad diversam rerum suarum conditionem, vel ad argumenti diversitatem confugere. Ad objectum vero a Psalmorum argumentis petitum, semper illis præsto est Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, seu spiritus Propheticus, quo Davidi licuit de Templi incendio, de exilio Babylonico, de Judæorum denique ab illo reditu, eadem orationis perspicuitate, iisdem cum animi affectibus, eodem cum dolore, vel lætitia, dicere, ac si ipse illis præsens interesset.

Alii Davidi tribuunt Psalmos, non solum

lum eos qui ejus nomine insigniuntur, sed eos etiam, qui tacito ejus nomine, Asaphi vel aliorum nomina præ se ferunt; quod æque fere absurdum, cum idem argumentum, quod ex nomine ductum hos Davidis esse comprobat, illos pari ratione Asaphi &c. esse evincat. Volunt quidem Asaphum aliosve in titulis memoratos fuisse non autores, sed cantores, quibus sc. cantandi traderentur, sed hoc non modo gratis, sed inepte dictum, cum si hoc ita esset, Davidis quoque nomen apponi debuerat. Præterea præfectus Musicæ, cui decantandi traderentur, in iisdem illis Psalmis non nomine quidem, sed officio prænotatur, *lamenazeh* sc. qui proculdubio est præfectus Musicæ vel *Præcentor*; postremo diserte dicitur 2. *Par.* XXIX. 30. Hezechiam præcepisse ut *Levitæ laudes Deo canerent* verbis *Davidis & Asaphi*, quod sub impio Ahaxi imperio videtur vel vetitum fuisse, vel saltem turpiter neglectum. Vid. etiam *Nehem.* XII. 46.

Quod si ab illis Psalmos hos extorqueas, qui aliud a Davide nomen præferunt, illos saltem Davidi tribuendos contendunt, qui sunt ἀνεπίγραφοι, nullumque præ se nomen fuerunt; & hic sane aliquid afferunt, quod quandam veri speciem habet; Psalmi nempe nonnulli in novo Testamento Davidis esse dicuntur, quibus tamen nomen ejus non præfigitur. (hujus generis sunt *Psal.* II. & 95.; sed observandum est horum secundum in Vers. Gr. Davidi ascribi.) Quinetiam I. *Par.* XVI. 7. Davides dicitur hymnum Levitis decantandum tradidisse, qui ibi integer recitatur, cujus primæ quindecim periodi primam partem faciunt *Psal.* CV. qui est ἀνεπίγραφος. *Psal. vero* XCVI. totus continetur in posteriore hymni illius parte. Demus igitur hos Psalmos Davidis esse; at qua ratione inde sequetur, omnes ἀνεπιγράφους quorum magnus numerus est, Davidem autorem habere, quoniam hoc de tribus fortasse quatuorve verum sit? Contra hanc sententiam eadem fere militant argumenta, ac contra primam, styli nempe diversitas, & plurium argumenta, quæ in Davidis tempora nequaquam quadrant.

Alii Psalmos ἀνεπιγράφους eorundem volunt esse autorum, quorum in proxime præcedente facta est mentio; quæ sententia nulli priorum absurditate cedit. Ecce enim hymnorum syllogen miscellaneam! quorum quidam unius sunt autoris, quidam alterius, alii a tertia manu, alii a quarta, atque ita porro; nonnulli vero, iique haud pauci, nullum autoris nomen præferunt; nonne hujus omissionis manifesta ratio est quod collector operis nesciret, cujus essent? Si novit enim, cur non autoris nomen iis æque ac reliquis apposuit? Aut si ex nomine proxime præcedente sequentium hymnorum autorem eundem fuisse, a lectoribus intelligi voluit, cur non ita agit in ceteris? Cur Davidis aut Asaphi nomen apposuit Psalmis continua serie sese excipientibus? Cur non hoc vel illo nomine semel memorato, deinceps præfigere neglexit, donec ad novum autorem deventum esset? Hoc sane commento voluerunt multos ἀνεπιγράφους Davidi vindicare, cum non possent omnes; sed perquam incommode accidit, ut hac ratione idem Psalmus & Mosem autorem haberet atque etiam Davidem. Davidis enim esse *Psal.* XCVI. supra ostensum est diserto S. Scripturæ testimonio; verum si Psalmi ἀνεπίγραφοι ejus sunt cujus nomen proxime præcesserat, hic idem Psalmus Mosi tribuendus, cum ejus nomen *Psal.* XC. capiti præfigatur, qui vero sequuntur usque ad centesimum primum, nullo autoris nomine notentur. Sed piget tantis ineptiis diutius immorari. Quicquid ex Psalmorum titulis certo sciri potest, si fides titulis habenda est, huc redit; Davidi tribuuntur Psalmi 73. in primo sc. libro (in qninque enim divisi sunt) 37., in secundo 18., in tertio 1., in quarto 14., in quinto 28., quorum summa 73. memorabile vero est secundi libri ultimæ periodo hanc clausulam apponi. *Finem habent orationes*, sive preces (Græci, *laudes*) *Davidis filii Jesse*, i. e. hic postremus est Davidis Psalmus, quod manifesto indicio est primam Psalmorum syllogen in his finiri.

Proximus post Davidem autor, cui plures Psalmi inscribuntur, est Asaphus; duodecim enim hujus nomen præferunt, quorum undecim, tertio libro habentur, in secundo unus, qui est quinquagesimus. Undecim Psalmi inscribuntur filii *Korah*, quorum septem sunt in secundo libro, in tertio quatuor; his enim, non ut cantoribus sed ut autoribus, Psalmos hosce inscriptos esse nulla idonea ratione negari potest. Eadem enim, ut Carpzovii verbis utar, de filiis *Korah* adhibita in inscriptionibus phrasis, non cantores modo illos hymnorum, sed & conditores innuere videtur. Cum nulla possit sufficiens aut prægnans reddi ratio, cur *mixmor le david*, Davidem quidem arguat autorem, *mizmor libne korah* autem cantores modo, non item scriptores indicet. Quicquid in contrarium hic useris, pari certe id jure in Davidem ipsum & Asaphum retorqueri poterit, quos tamen nemo temere in controversiam vocaverit. Ad hæc, unus

unus Pſalmus Moſis nomine inſignitur, ſc. XC. unus *Ethanis* LXXXIX. *Hemanis* unus, ſc. LXXXVIII. Sed obſervandum eſt hunc Pſalmum filiis quoque *Korah* tribui, Pſalmoque huic neſcio quo caſu duplicem præfigi titulum, de quo poſtea pluribus. Hos autem utroſque, Ethanem dico & Hemanem, Muſicæ fuiſſe peritiſſimos conſtat, cum a Davide Muſico choro una cum Aſapho præficerentur. Vid. 1. *Par.* VI. 33. 42. 44. & XV. 17. 19. idem etiam ſapientia celebres fuerunt, Vid. 1. *Reg.* IV. 31. Pſalmi his nominibus inſcripti libri tertii ultimi ſunt. Poſtremo Salomonis nomen duo Pſalmi præferunt, unus qui librum ſecundum claudit, ſc. LXXII., alter libro quinto, CXXVII.; ſed horum prior merito ex clauſula modo memorata Davidis cenſetur, & proinde *lislomo* in titulo, non vertendum *Salomonis*, ſed *in Salomonem*, cum in illo videatur autor *Salomoni* juſtum, felix, latum & diuturnum imperium, adprecari. Hic enim primus carminis hujus ſenſus, quod myſtice de Chriſti regno exponendum ex omnium fere interpretum conſenſu eſt.

Unum adhuc in titulis nomen ſupereſt, quod autoris vel cantoris nomen eſſe plerique cenſuerunt, nempe *jedutun*; mihi vero ſecus videtur, nomen ſc. non hominis eſſe, ſed Muſici cujuſdam inſtrumenti, vel melodiæ, cui ille, qui idem manifeſto eſt ac Ethan, nomen fecit. *Pſal. enim* LXII. & LXXVII. ita ſcriptum eſt, *lamenazeh yal jedutun*. Sed hæc loquutio *lamenazeh yal* ſemper alias denotat quoddam inſtrumenti vel melodiæ genus; quidni igitur hic? Nec certe aliud quicquam τῷ *yal ſuper*, hic ſignificari poſſit, quam cum dicitur *yal haggittit*, *yal yalamot*, *yal ſoſannim*. Cum igitur *Pſal.* XXXIX. ſcriptum ſit *lamenazeh lidutun*, nullum mihi dubium eſt, quin exciderit *y* ante *l*, & legendum ibi quoque ſit *yal jedutun*.

Sed quod ad autores Pſalmorum, una adhuc ſupereſt difficultas, utrum ſc. Aſaphus, Heman & Ethan, in titulis memorati, illi idem fuerint, qui Davidis erant coætanei, an quidam ex poſteris eorum; nonnulli interpretes in priore ſunt ſententia, a quibus non poſſum non diſſentire, cum ex Pſalmis his nominibus inſcriptis quidam manifeſto ſint poſteriorum temporum. Exempli gratia *Pſal.* LXXXIX. cui Ethanis nomen præponitur, optimorum interpretum judicio deplorat, ut Muiſii verbis utar, graviſſimam populi Judaici calamitatem, & horribilem regni iſtius vaſtationem, quæ non alia eſſe poteſt quam quæ regnante Sedechia contigit. Pſalmus vero proxime præcedens, qui Hemanis dicitur, ejuſdem fere eſt argumenti, niſi quod hic ad privatam, ille autem ad publicam calamitatem pertinet. Idemque liquet de Pſalmis Aſapho inſcriptis, cum *Pſalmus* LXXIX. ne alios memorem, de vaſtatione urbis & templi per Nabuchodonaſorem, nec non ſtrage ab eo edita exponendus videatur. Atque idem cenſendum de filiis *korah*, cum Pſalmi quidam iis aſcripti videantur ſequiorum eſſe temporum, quæ Muiſii ſententia eſt, qui *Pſal.* XLII. XLIII. (qui unus forte cum priore Pſalmus eſt) XLIV. & LXXXIV. in exilio Babylonico compoſitos fuiſſe cenſet; *Pſal. vero* LXXXV. ad tempus illud referendum quod reditum ex captivitate Babylonica proxime eſt conſecutum; ſed de his nihil certi licet dicere, aut quaſi exploratum affirmare.

Atque hæc dicta ſint de nominibus quæ in titulis Hebraicis occurrunt; in Verſione Græca plures Pſalmi Davidis nomen præferunt, alii aliorum, qui in Hebraicis nullo nomine inſcribuntur; quarum inſcriptionum quædam manifeſto falſæ ſunt, aliæ non cenſentur a prima interpretum manu fuiſſe, cum non eſſent in Hexaplis; ſed de illis conſulatur, ſi placet, ipſa Verſio, & quid ad ſingulas interpretes.

Proximo poſt hæc loco quæritur de Pſalmorum in unum corpus collectione, & quis fecerit, & quo tempore, de quibus nihil certi proferri poteſt. Videtur quidem ſylloge quædam extitiſſe Hezekiæ tempore, vel ipſius forte juſſu edita, (uti nova Proverbiorum Salomonis collectio ex ejus mandato facta diſerte dicitur *Prov.* XXV. 1.) cum publicus Templi cultus, ab eo inſtauratus eſſet quem ſub Ahazo collapſum fuiſſe & neglectum nimis veriſimile eſt. Sunt etiam quæ ſuadent vel Jeremiam Pſalmorum collectionem aliquam feciſſe, vel tunc temporis aliquam extitiſſe, cum multa in ejus Prophetiis e Pſalmis deſumta videantur. Sed hæ meræ conjecturæ ſunt. Hæc certiora, duas minimum fuiſſe Pſalmorum collectiones diverſis temporibus factas, unam nempe quæ *Pſal.* LXXII. clauditur, cum clauſula illi ſubjecta, quam ſupra memoravi, nullum ibi locum habere potuiſſet, ſi Pſalmi qui ſequuntur, eodem tempore & in idem volumen compacti ederentur, cum in illis octodecim Davidis nomen præferant; ſed quocunque tempore hæc prima collectio facta eſſet, volumen quod nunc extat in quinque libros diviſum, non niſi poſt reditum ab exilio Babylonico, concinnari potuit, ut clare liquet ex

ex *Psal.* CXXVI. & CXXXVII. Hanc autem in quinque libros ad instar Pentateuchi Mosaici divisionem, vel ab ipso Psalmorum collectore, vel ante ejus tempora originem habuisse mihi nullus videtur dubitandi locus: cum singuli libri iisdem fere verbis terminentur, ut ad singulorum finem observavi. Vid. ad *Psal.* XLI. LXXII. LXXXIX. CVI., qui quatuor primorum librorum ultimi sunt.

Contra hanc divisionem objicitur, quod illa partitio neque numeri Psalmorum æqualitatem, neque rerum aut temporum distinctionem, neque autorum, qui in titulis ascribuntur, diversitatem, neque ullam aliam causam & rationem sapiat. Sed hæc objectio si quid probat, hoc tantum est, hanc divisionem fieri non debuisse, non autem a collectore factum haud fuisse, cui aliter visum est, & ob rationes forte idoneas, licet nobis jam incognitas. Forte in tot libros volumen distinctum fuit, cum totum concinnaretur, eo quod singuli seorsim prius editi fuerint; sed ut hoc sit, quæcunque rationes Judæos veteres impellere potuissent, ut hanc divisionem instituerent, quidni credamus easdem collectorem ut ipse idem faceret, inducere potuisse? Quod si singuli libri diversis temporibus ederentur, tota illa contra hanc in quinque partes divisionem objectio statim corruit; illi nempe, qui in singulorum collectorum manus venerant, a singulis editi sunt; qui non venerant, tunc saltem ab illis edi non potuerunt. Et ego quidem in hanc adducor sententiam, quod in secundo libro idem edatur Psalmus qui fuit in primo, *Psal. sc.* LIII. qui prorsus idem videtur ac *Psal.* XIV. vix enim futurum puto, ut idem Psalmus in his libris bis occurreret, si uterque eodem tempore & ab eadem manu editus fuisset; idemque observandum de *Psal.* LXX. qui antepenultimus est libri secundi, per omnia vero convenit cum quinque postremis periodis *Psal.* XL. qui penultimus est primi. Ad eundem modum *Psal.* CVIII. qui secundus est libri quinti, totus conficitur ex periodis quinque postremis *Psal.* LVII. & octo postremis *Psal.* LX. Quin idem suadet vexata illa vox *selah*, quæ in quarto libro nunquam, in quinto vero bis tantum occurrit, idque in Psalmis qui Davidis nomen in fronte gerunt. In primo tamen libro novem Psalmis vox hæc adhibetur, in secundo septemdecim, in tertio undecim. Unde vero hoc discrimen? Quæcunque illius voculæ vis sit, (de quo vid. ad *Psal.* III. *vers.* 4.) cur in prioribus libris sæpius adhibetur, in quarto ne semel quidem, in quinto bis tantum, *Psal. sc.* CXL. & CXLIII.? Unde hoc, si Psalmi omnes uno eodemque tempore collecti fuerunt? Nulla ratio afferri potest, cur uni brevi Psalmo, octo tantum periodis constanti ter apponatur, ut *Psal.* III. in aliorum vero magno numero ne semel quidem occurrat. Hoc mea quidem sententia, non modo diversos autores, sed tempora etiam diversa sapit, diversasque illorum collectiones; cum verisimile sit vocem hanc sensim in desuetudinem abiisse, nequaquam vero credibile, Psalmos illos qui tam notabili discrimine a posterioribus libris discrepant, per totum illud tempus quod inter Davidem & Captivitatem Babyl. intercessit, non editos, non collectos jacuisse, donec ex omnibus unum volumen conficeretur.

Quicquid vero de prioribus fiat syllogis, omnium in unam collectorem eruditi, Judæorum exemplo, Esdram certatim faciunt. Nec Psalmorum tantum volumen, sed totius veteris scripturæ canonem ab illo componi volunt. " Ubi a „ reditu, (Carpzovii verba sunt) post in„ stauratum Templi cultum Esdras cum „ sociis in eam incumberet curam, ut „ canonem veteris Testamenti compone„ ret, ac in ordinem divino nutu diri„ geret, Psalmorum potissimum rationem „ habuit, ut iis, qui jam in vulgato Ec„ clesiæ Israeliticæ volumine extabant, a „ se recensitis, & ad ductum spiritus san„ cti dispositis, reliquos omnes adderet, „ quos partim ex ecclesiæ testimonio, „ partim ex propriæ θεογνωσίας testificatio„ ne, pro genuinis ac θεοπνεύστοις agno„ sceret, & universæ omnium temporum „ Ecclesiæ destinatos intelligeret. " Quæ vero de Esdra tanto consensu Judæi, & ex illis alii, nullo vel levi admodum SS. nituntur fundamento, & traditioni, cui parum tuto fiditur, accepta referenda sunt. Ego quidem hanc Psalmorum collectionem, totiusque adeo veteris Testamenti, potiori jure Nehemiæ tribuendum putem, de quo dicitur, 2. *Macc. cap.* II. *vers.* 13. quod sacrorum librorum collectionem fecerit, qui locus ab eruditis non videtur satis expensus; idemque eodem in loco narratur fecisse Judam, (Mæccabæum) & *bello dilapsa omnia collegisse*.

Nehemiam Esdræ, viri in lege peritissimi, opera usum esse facile concesserim; quod si Esdras primas in canone componendo partes habuisset, parum credibile est Sirachidem aut hoc nesciisse, aut tanti viri & de republica tam bene meriti laudes prædicare noluisse, cujus tamen ne nominis quidem ulla apud il-

lum

lum mentio; quod facit ut vehementer suspicer laudes in Esdram tam liberali manu congestas traditione minus firma inniti. Sed ad alia properandum.

Cum omnia quæ ad Psalmorum in unum volumen collectionem spectant tam obscura sint, ut nihil certo definiri possit, nec de collectore, qui fuerit, nec de tempore quo facta sit, nec utrum collectio quam nunc habemus ex pluribus quæ ante hanc in lucem ederentur, compacta sit necne; & si collectiones plures hanc antecesserint, utrum quinque illæ fuerint pro numero librorum in quos Psalmorum volumen nunc divisum est, an pauciores; cum hæc, inquam, omnia tam obscura, seu potius tam incognita sint, ut de iis nihil afferri possit, quod, non dico, verum, sed ne veri quidem admodum simile merito æstimari possit, nemini mirum videbitur, si ad Quæsitum de ordine Psalmorum nihil respondeatur, quod eruditis ullatenus satisfaciat. In Psalmis digerendis nullum temporis ordinem servari cuivis oscitanter etiam legenti manifestum. Hoc, uno argumento ex titulis Psalmorum sumpto, invicte probari possit; in nonnullis enim occasiones Psalmi memorantur, quarum quædam, quæ ordine non priores tantum sed fere primæ sunt, ad posteriora tamen Davidis tempora pertinent; tertius sc. scriptus dicitur, cum *fugeret a facie Absalomi*, *Ps. vero* LIV. & nonnullis proxime sequentibus occasionem dederunt adversa quæ ante quadraginta annos a Saule tum regnante perpessus est. Unde vero acciderit, quod temporis ordo non servetur, quis dixerit? Hæc saltem duo hinc colligi certo possunt, primum est, ordinem quo nunc sunt, non ipsis Psalmorum scriptoribus deberi; alterum, eos qui collegerint, verum temporis ordinem non scivisse, ideoque pro temporibus quibus singuli scripti sunt, digerere non potuisse. Nemo enim qui verum scriptorum ordinem norat, præsertim cum ex ipso ordine lux scriptis aliter sæpe obscuris haud exigua affulgeret, ordinem confusum & perturbatum vero & genuino prætulisset.

Ceterum, ut in Psalmis digerendis nulla ratio temporis habetur, ita certe neque in Argumentis illorum nexus ullus est, qui continua serie alterum alteri adjungat, quod quorundam eruditorum somnium potius quam sententia fuit; quorum alii " Psalmos non fortuita & temeraria collectione in unum absque ordine volumen coaluisse, sed certa methodi nexusque lege digestos, & sapientissima collectoris θεοπνεύστου structura ita dispositos fuisse tradunt, ut exactissima ordinis ratione unus alterum sequatur, cum juxta illos, in explicanda spirituali illa hominis felicitate, quam universa prædicat scriptura, totus Psalmorum liber occupetur." Hæc quidem sententia, licet pietatem præ se ferat, & gloriam ordinis spiritui sancto vindicare videatur, a vero tamen haud dubie aliena est. Ipsi siquidem Psalmorum tituli manifesto arguunt, non eadem omnes occasione, non consimili fine, multo minus ad methodi certæ ordinem ac leges, vel ad unius corporis harmoniam compositos primum, vel Ecclesiæ traditos fuisse. Hinc nec collecti tale quoddam, de beatitudine hominis consequenda coficiunt systema, quod continua serie cohærentia habeat capita, vel membra, vel cujus partes eleganti & methodica harmonia sibi mutuo respondeant. Nec rectius illi, qui Psalmorum librum, fatorum Ecclesiæ seriem non interruptam a Davidis ætate ad finem usque seculi complecti arbitrantur, cum commentum istud exemplis demonstrari nequeat, nisi manifesta textui vis inferatur, neque vel occasio, qua compositi sunt, aut scopus aut usus Psalmorum id permittant. Neque sane credibile est proprium hunc Psalmorum & insignem usum Christum aut Apostolos præterituros fuisse, qui toties ad Psalmos provocant. Sed ad hujusmodi somnia, pia quidem, revera tamen somnia, refutanda, nullis argumentis opus est, quivis enim non plane vecors, statim videt hæc non modo gratis dici, sed falsa esse atque absurda, omnique rationum etiam specie prorsus destitui; cum quod luce ipsa clarius est, Psalmi non partes aut membra sint majoris cujusdam scripti, sed ipsi in se singuli sint integri, eorumque scribendorum fuerint diversissima tempora, diversissimæ occasiones, diversi autores, diversi denique collectores, qui eo ordine collocarunt, quem fors obtulit nullo plane delectu habito. Hæc fere Carpzovius.

Huetius quidem, vir longe doctissimus, ne ordinem in quo nunc sunt, nulla ratione niti, sed prorsus fortuitum fuisse videatur, censet Psalmos eo ordine ab Esdra & synagoga magna digestos, quo in Templo canebantur, prout nempe vel anniversariæ festivitates, vel sacrorum ratio postulabat: Non igitur dicendum Esdram Psalmos digessisse, sed quem in iis servari solere comperit ordinem, eundem retinuisse. Quæ erudite quidem excogitata, sed nullis vestigiis veritatem suam produnt. Sunt quidem in Psalmorum titulis nonnulla vestigia, quæ indicant certos quosdam Psalmos certis diebus seu feriis designari; sed hæc Huetii hypothesin non tam

tam probant quam evertunt. Legimus quidem in titulo *Pſ.* XCII. in verſione Græca, Εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ Σαββάτου, XCIII. ---- τοῦ προσαββάτου, XCIV. τετράδι Σαββά-του. Et in Pſalmis longo intervallo ante hoc collocatis, *Pſ.* XXIV. τῆς μιᾶς Σαββά-του, XXXVIII. περὶ Σαββάτου, XLVIII. δευ-τέρᾳ Σαββάτου. Sed primo, ſi tituli hi ſunt genuini, clare oſtendunt Pſalmos non pro ordine feriarum diſponi, cum ſeſe mutuo excipere deberent ſecundum feriarum illarum ſeriem, quibus in Templo decantatos cenſetur; ſecundo, ſi revera iis diebus in cultu publico canerentur quos præ ſe ferunt Tituli, credibile eſt ritum illum qui ſub ſecundo Templo inſtitutus fuit, ſpectari, quem eundem fuiſſe ac ſub primo nequaquam conſtat; tertio, obſervandum eſt harum inſcriptionum nullam præter primam in codice Hebr. reperiri, neque illa ipſa Davidis nomen vel in Hebr. codice vel in Gr. V. præfert. Ex titulis igitur qui ipſi ſunt adeo incertæ autoritatis, nihil certi colligi poſſe, fateamur neceſſe eſt.

Jam vero, ad Chronologiam Pſalmorum quod attinet, de illa manifeſtum eſt nihil certi dici poſſe, niſi vel ipſi Pſalmi, vel illorum tituli, veſtigia certa & aperta ſuppeditent temporum, vel occaſionum quibus ſcripti fuerunt, niſi forte unius aut alterius ſcribendi occaſio alicubi in SS. indicetur. Quod autem ad titulos, ad Pſalmorum Chronologiam conſtituendam ſubſidii in iis perpauxillum, ex *Pſalm. enim* 150. tredecim tantum titulos habent in quibus ſcribendi occaſio memoratur, quinque nempe in primo *lib.* III. *ſc.* VII. XVIII. XXX. XXXIV. in ſecundo vero *lib.* octo, qui ſunt, LI. LII. LIV. LVI. LVII. LIX. LX. LXIII. cum tamen a Golia interfecto, quo tempore Davides Sauli primum innotuit, ad Davidis interitum anni effluxerint fere quinquaginta.

Atque adhuc minus Pſalmi ipſi in hac re adjuvant, cum plerunque quæ in illis habentur, non tam huic aut illi occaſioni propriæ ſint, quin æque commode pluribus aptari poſſint, diverſiſſimis temporibus enatis. Lightfootus quidem noſter, vir infinitæ diligentiæ pariter ac eruditionis, non ſegnem operam in occaſionibus Pſalmorum eruendis poſuit, ſed totum illud quod vir doctiſſimus conatus eſt, intra triginta Pſalmos, quintamque adeo totius collectionis partem, continetur, & in iis, conjecturis plus æquo illum indulſiſſe, apud eruditos in confeſſo eſt; imo aliquando a vero longe aberraſſe compertum. Dolet profecto Pſalmorum conſcribendorum occaſiones non fuiſſe ſingulis, disertis & perſpicuis verbis, præpoſitas, cum ex iis non tantum lucis multum obſcuris affunderetur, ſed venuſtates etiam quæ nunc cum ipſis occaſionibus ſepultæ latent, magno numero eluceſcerent. Sed tantum abeſt, ut Pſalmi omnes hujuſmodi inſcriptionibus muniantur, ut contra ex toto numero, tredecim tantum, ut ſupra dixi, hoc commodo frui conceſſum ſit. Quod ad ceteros Pſalmos, vel omni prorſus titulo deſtituti ſunt, vel tituli qui præfiguntur, ſunt tam breves, aridi, exiles, ut ad Pſalmum illuſtrandum ne minimum quidem faciant, & utrum adſint, an abſint, perinde ſit.

Ut enim de his jam diſtinctius agam, quod unum ſupereſt a nobis inquirendum, primum quod in illis occurrit obſervandum, eſt magna in illis, quod ad partes quibus conſtant, varietas. Quibuſdam enim *mizmor* tantum aſcriptum eſt, ut *Pſ.* XCVIII. aliis *mizmor* cum nomine autoris, ut XV. aliis *lamenazzeh*, muſicæ ſeu chori præfecto, cum autoris nomine, ut *Pſ.* XI. XIV. in aliis, tria hæc conjuncta ſunt, ut *Pſ.* XIII. *lamenazzeh mizmor ledavid*; aliis additur nomen vel inſtrumenti, vel modi cujuſdam muſici, vel noti cujuſdam carminis prima verba, ut *Pſ.* IV. *beniginot*, (LXI. *yal neginat*) *Pſ.* VI. *beneginot yal haſſemenit*, VIII. *yal haggittit*, XXII. *yal aijelet haſſahar*, LXII. & LXXXVIII. *yal mahalat*, IX. *yal mut labben*, XLVI. *yal yalamot*, LVI. *yal jonat elem rehokim*, V. *el hannehilot*, XLV. *yal ſoſannim*, LXXX. *el ſoſannim yedut*, LX. *yal ſuſan yedut*, corrupte, opinor, pro *ſoſannim*, Gr. certe ita legerunt; LXII. & LXXVII. *yal jedutun*, pro quo XXXIX. *l' idutun*; aliquando τῷ mizmor *ſir* vel præponitur, ut XLVIII. LXVI. vel poſtponitur, idque vel proxime, ut LXVII. XXX. *ſir hanuccat habbait*, vel autoris nomine interpoſito, ut LXV. nonnullis adjicitur verbum infinitum, ut XXXVIII. & LXX. *lehazcir*, LX. *lelammed*, LXXXVIII. *leyannot*, ſemel *letodah*, *Pſ.* C. In tredecim Pſalmis pars tituli eſt *maſcil*, ſemper ſine *mizmor*, ſed interdum additur *ſir*, ut XLV. *ſir jedidot*; quater in titulis eſt *al taſhet*, ut *Pſ.* LVII. LVIII. LIX. & LXXV. *Pſal.* XIV. a *Pſal.* CXX. ad CXXXIV. inſcribuntur, *ſir hammaylot*. Nonnullis præponitur tantum *hallelujah*, ut CXI. & octo aliis. *Pſal.* XVII. dicitur *tepillah ledavid*, & ſic *Pſ.* LXXXVI. *Pſ.* CII. *tepillah leyani*. CXLV. *tepillah ledavid*. *Pſ.* VII. *ſiggajon ledavid*. Hæc tanta in Pſalmorum titulis eſt varietas, in quibus nunc plura horum, nunc pauciora occurrunt, ſed ubi omnia ſimul inveniuntur, ad Pſalmum intelligendum nihil adjuvant. In quinquaginta nullum habetur autoris nomen, ne

dum

dum occasio vel argumentum, ut sciri possit, quando vel a quo scripti sint; & horum viginti quinque sunt, prorsus ἀνεπίγραφοι.

Proximum quod in titulis his maxime notandum, est magna plurimorum obscuritas, quæ ex eo præcipue oritur, quod omnia quæ ad Hebræorum musicam spectant, non hodie tantum, sed a multis retro seculis ignorentur. Jam tum enim cum Gr. Versio facta est, in oblivionem penitus abiisse, ex ipsa titulorum versione perquam manifestum est. *Lamenazzeh* enim reddunt, εἰς τὸ τέλος, *el hannehilot*, ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης, *yal haggittit*, ὑπὲρ τῶν ληνῶν, *yal mut labben*, ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ, *mictam* στηλογραφία, *yal aijelet hassabar*, ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, *yal sosannim*, ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων. In his værsionibus ne vestigium quidem sensus est, nec quisquam ita vertere potuisset, cujus tempore non omnis antiquæ musicæ cognitio interiisset, cum certum sit, horum pleraque, vel instrumenta musica, vel modos, vel carminum quorundam ad quorum modos Psalmi decantandi essent, initia designare; hoc ab omnibus eruditis jam pro comperto habetur.

Cum vero hi Interpretes non indocti essent de plebe homines, sed qui illis temporibus apud suos in lingua Hebr. peritissimi & eruditissimi habebantur, ex hac absurdissima titulorum versione sequitur, non modo Linguam Hebr. iis temporibus in desuetudinem abiisse, sed antiquum etiam cultum collapsum fuisse, & oblivioni traditum, si enim Psalmi in cultu publico, antiquo more canerentur, fieri non potuisset, ut quid tituli velint, ab illis eo usque nesciretur.

Quod si Psalmorum inscriptiones pleræque omnes, tam breves, tam imperfectæ, tam obscuræ sint; ut ad Psalmos intelligendos parum seu potius nihil conferant, quid refert scire, a qua manu sint, cujusve autoritatis, num sint ab ipsis Psalmorum autoribus, an aliunde adscitæ? De hoc tamen inter eruditos acriter satis disputatur. Quorum plerique hic, ut in aliis fere quæstionibus quæ circa sacrum codicem moventur, nefas censent istam santentiam non amplecti ac tueri, quæ sacro codici plus honoris, dignitatis, autoritatis, conciliare videatur; ideoque titulis ætatem afferunt Psalmis æqualem, eosque ab ipsa autoris manu singulis appositos fuisse, & divinæ plane originis habendos. Si roges quibus argumentis hanc sententiam probent, temeritatis magnæ fuisset, inquiunt, privato judicio titulos præfigere, Psalmos a Davide publicis personis, inter quos prophetæ erant; tanquam depositariis fuisse commendatos, ut apud Ecclesiam conservarentur; imo legi Nehem. XII. 46. *diebus Davidis & Asaphi fuisse musicæ præfectos, & cantica laudis & celebrationis Deo*. Non igitur ab alia manu inscriptiones esse potuerunt, quam qua Psalmi ipsi posteris traditi sunt.

Probant hæc quidem id Nehemiæ temporibus de Davide & Asapho notum fuisse, quod neminem latere poterat qui gentis suæ Historiam vel leviter attigerat, probant, si placet, titulorum autoritatem non temere sollicitandam esse, nec titulos debere ab iis abjudicari quorum ipsi Psalmi sunt, nisi validæ rationes in alteram partem afferri possint; imo credibile est, illos saltem qui autorum nominibus insigniuntur, non sequiorum fuisse temporum, sed ejusdem ac Psalmos ipsos, ætatis; sed non hinc sequetur ab ipsis Psalmorum autoribus fuisse, certe non eo statu quo ad nos devenerunt. Nomina enim apponi ab iis poterant quibus primo traditi fuerunt; sed hæ Psalmorum in eorum manus traditiones, non fecerunt eos θεοπνεύστους, aut fuisse comprobant. Qui choro aut cantui præfectus fuit, non statim aut necessario θεόπνευστος fuit. Sed porro urgent, arctissimum complurium titulorum cum Psalmi initio, vel universo argumento, nexum, ut nonnulli ἀκεφάλαιοι fuissent, cum primum ederentur, si titulos non θεόπνευστος primi autoris, sed sequior demum manus adjecisset. Ego vero arctissimum illum nexum totus nego, pernego; nullumque Psalmum esse, qui non in se, titulo amoto, integer sit, fidenter assero. Postremo inscriptiones, ajunt, tanquam SS. pars, accentuum ordinaria pompa Psalmi verbis sæpius innexæ sunt, & ab illis divelli, nisi violato accentuum ordine non possunt. Hoc vero, meo quidem judicio, nil aliud probat, nisi punctatorum egregiam ἀχελσίαν; quos facile concesserim viros fuisse bonos, diligentes, sacrique codicis studiosos, judicio vero aut eruditione præstantes, rei Criticæ scientia præditos, Grammaticis, Lexicis, Concordantiis, aliisque ad Criticam feliciter exercendam subsidiis instructos, id vero ut credam, mihi nunquam persuaderi potest. Ratio igitur quo illi titulos punctarunt, non evincet titulos Psalmorum partem esse. Interdum quidem accidit, ut tituli prolixiores in versus digeri possint, plerunque vero metrum ipsum ostendit titulos extra Psalmum esse, nec si neglecto metro ad sensum solum attendamus pro Psalmi parte, quod ad partem illorum longe maximam, haberi possunt.

Ut

Ut jam quod ipse sentio aperte dicam, mihi certum videtur, titulos non ab ipsis autoribus fuisse, nec eo saltem quo nunc statu ab illis ad nos devenisse, sed quicunque primum apposuerint, temporis injuria plurimum labis passos esse, mancosque, mutilos, laceros & misere affectos ad hæc tempora delatos, ut non tam *tituli*, quam titulorum reliquiæ & fragmenta videantur; & plusquam verisimile est quosdam excidisse, cum tertia minimum pars vel nullo prorsus titulo, vel nullo autoris nomine ornentur. Atque hæc sententia non parum firmatur ex eo, quod in Novo Test. Davidi ascribantur Psalmi, qui in Codice Hebr. omni nunc titulo destituuntur. Quid igitur, titulosne Psalmis istis olim præfixos postea excidisse censendum est, an semper fuisse ἀνεπιγράφυς? Si prius, titulos nonnullos excidisse conceditur; sin posterius, sequetur, non necesse fuisse ut Psalmis autoris nomen vel a se ipso vel ab alio quovis qui eadem ætate vixerit, apponeretur, ad memoriam ejus ab interitu vindicandam; per quamplurima secula traditione sola sine scriptis fieri potuit, ut hymnorum honor autoribus suis integer conservaretur. Quod si per unam aut alteram ætatem haud difficile fuerit, at per mille annos hujusmodi traditionibus tuto fidendum esse, nemo qui non partium studiis agitur, facile concesserit. Credibile igitur est Psalmis his suos olim fuisse titulos; neque enim Apostoli cum eos Davidi tribuunt, ex privata sententia loquuntur, ne dum ut θεόπνευστοι; loquuntur ex more gentis suæ, loquuntur ad plebem, quæ Psalmos istos pro Davidicis haberi novit, & ipsos habuit; alias frustra ex iis, ut ab ipso Davide profectis, argumenta ducerentur. Quin & titulos nonnullos ex codice Hebr. casu quodam excidisse, hinc etiam vehemens suspicio est, quod in Gr. versione plures tituli sint, quorum nullum in Hebr. codice vestigium; nec tamen credibile est interpretes de suo addidisse, vel omnes ab alia manu post eorum tempora appositos fuisse. Si magnæ temeritatis fuisset titulos Hebr. codici, privato judicio præfigere, nonne valde etiam temerarium fuisset sacri codicis interpretibus, aliisve post illorum ætatem, idem fecisse? Num credibile est Ecclesiam Judaicam, quæ ista Versione uteretur, pati potuisse, uti titulis nuper ascitis, nullaque autoritate nixis inquinaretur? Ad hæc, Psalmos nonnullos non ejus esse cujus nomen præferunt, plures eruditi censuerunt. Ut *Psal.* XIV. LXIII. LXIX. de quibus adi interpretes. Quod si hoc de uno aliquo titulo verum sit, titulus certe iste non potuit vel ab ipsius autoris manu esse, vel ab illis, quibus in usum Ecclesiæ traditus fuit Psalmus cui præfigitur. Quibus porro addendum est, per Hebr. linguæ ambiguitatem fieri, ut non certo sciri possit, quid sibi titulus velit, utrum, Davides ipse Psalmum conscripserit, an in ejus laudem compositus fuerit. *Ledavid* sc. æque reddi possit *Davidis*, & *Davidi*; atque hoc non temere prorsus dici liquet ex *Psal.* LXXII. cujus titulus est *lislomo*, quem nemo tamen Salomonis fuisse censet, sed Davidis, in filii Salomonis gratiam ab ipso scriptum. Quid vero dicendum de titulo *Psalmi* LXXXVIII. qui manifesto duplex est, ideoque nec ab eadem manu, nec eodem tempore Psalmo isti præfixus; multo minus dixeris utrumque esse ab ipso Psalmi autore. Prior titulus sic se habet, *sir mizmor libne korah. Canticum, Psalmus filiis korah;* qui titulus in se integar est, atque idem ac titulus Psalmi proxime præcedentis. Dein sequitur, novo plane initio, *lamenazzeh yal mahalat leyannot, mascil, lehman haezrahi. Præcentori super mahalat ad respondendum, Didascalicon, Heman Ezrahitæ.* Hic titulus non tantum integer est, sed tot partibus constat, ut paucissimi illo pleniores sint.

Sed non opus est ut unum aut alterum titulum adhibeamus, iisque innitamur, ad probandum, quod tituli non ab ipsis Psalmorum autoribus sint, vel certe non eo quo nunc sunt statu; id ipsa titulorum series, mea quidem sententia, invicte probat. Primo enim, nemo unquam scriptor qui hymnorum collectionem vel edidit, vel in publicum usum tradidit, nomen suum singulis apposuit, satis fuit semel in fronte collectionis posuisse. Nam non putandum est Davidem Psalmos seorsim & sigillatim præfectis chori vel Musicæ tradidisse tum cum scriberentur, cum constet plures illum Psalmos tum composuisse cum adhuc vitam privatam ageret, & maximis in periculis per Saulem aulicorumque ejus insidias, & aliunde, versaretur, nec dum regno admotus esset; tantum aberat, ut de cultu publico instituendo ejusque forma & ratione consilia tunc temporis agitaret. Sin demus hoc, concedamusque illum Psalmos sigillatim, unumque uno tempore, alium alio, decantandos tradidisse, num quis unquam tam dispar sibi fuit, ut in titulis præfigendis tanta varietate uteretur? Ut nomen suum nunc apponat, nunc omittat, interdum occasionem Psalmi conscribendi memoret, plerunque vero premat, nunc apponat tantum *mizmor*, *Psalmus*, nunc *lamenazzeh mizmor*, *Præcentori Psalmus*, nunc nomen

etiam

etiam instrumenti musici, vel modi, vel notæ cujusdam cantilenæ prima verba adjungat, nunc nihil horum inserat, interdum omni titulo destitui velit? Hæccine ab uno eodemque homine proficisci potuisse? Credat qui potest, mihi certe fidem omnem superat. His addi possit ipsa titulorum phrasis, quæ plane est sequiorum temporum, cum in illis plura sint vocabula quæ alibi in Hebræa Lingua frustra quæras. Quid igitur, inquies, de titulorum origine sentiendum? Respondeo, non liquere; hoc quidem mihi vero simillimum videtur, non a Psalmorum in unum volumen collectore originem habuisse, multo minus crediderim post illa tempora ab alia manu adjectos; sed collectorem, quisquis fuerit, Psalmos edidisse quales acceperat, cumque iisdem titulis, qui illis jam tum præfixi erant. Idemque dicendum de iis qui collectiones istas priores fecerunt, ex quibus hæc nostra conflata est; illamque veram rationem esse, cur tam mutili & imperfecti ad nos devenerint. Collector nempe nihil de suo addere voluit, sed titulos quales invenit, tales conservavit. Inde est, quod multis Psalmis nulla sit inscriptio, aliis verbulum tantum, aliis duo, tria, quatuor, plura vocabula præfigantur, prout in exemplaribus quibus usus est, jacebant. Potuit quidem fieri, ut quidam tituli ab ipsis sint autoribus, sed id minus verosimile videtur; putem potius ab iis apponi, in quorum custodiam traderentur; quidam forte traditione sola πατροπαραδότῳ nituntur, non ab initio ascripti, sed longo post tempore, ne veri autoris nomen interiret. Sed ut nunc sunt, sunt antiqui. Gr. Versione plane antiquiores, cum in illa etiam reperiantur. Qui vero singulos apposuerint, quibusque temporibus, & quantum tum cum primum apponerentur, discreparent a seipsis prout nunc se habent, vel quæ menda, omissiones, transpositiones, &c. irrepserint, scire nefas. Neque aliud quicquam ad obscuram hanc de titulis quæstionem quod dicam habeo; atque in his desino, cum pensum quod susceperam, jam absolverim; quo successu, aliorum erit judicium. Quod enim ad stylum, seu potius varia styli genera quæ in Psalmis occurrunt, materiem, præstantiam, utilitatem, morum & fidei capita quæ ubique in illis splendide elucent, sensus illorum mysticos, plurimaque insignia de Christo ejusque temporibus vaticinia, de his omnibus copiose & erudite a multis interpretibus dudum actum est, ad quos Lectorem malim remittere, cum in omnium manibus sint, quam actum agere.

ALPHABETUM LATINUM

Literis Hebraicis accomodatum.

Aleph	א	a	*a*
Beth	ב	b	*b*
Gimel	ג	g	*g*
Daleth	ד	d	*d*
He	ה	h	*h*
Vau	ו	vu	*vu*
Zain	ז	z	*z*
Cheth	ח	h	*h*
Teth	ט	t	*t*
Jod	י	j	*j*
	ִי	ı	*ı*
Caph	כ	c	*c*
Lamed	ל	l	*l*
Mem	מ	m	*m*
Nun	נ	n	*n*
Samech	ס	s	*s*
Aijn	ע	y	*y*
Pe	פ	p	*p*
Tsade	צ	z	*z*
Koph	ק	k	*k*
Resch	ר	r	*r*
Shin	שׁ	ſ	*ſ*
Sin	שׂ	ſ	*ſ*
Tau	ת	t	*t*

FRANCISCI HARE

ספר תהלים

LIBER PSALMORUM.

PSALMUS I. א

Asre haisʹ aser lo
halac bayazat risyim,
ubederec hattim lo yamad,
ubemosab lezim lo jasab.

5 ci im betorat jahvoh
hepzo, ubetorato
jehgeh jomam valailah.

vehajah ceyez satul
yal palge maim, aser
10 pirjo jitten beyitto.

veyalehu lo jibbol,
vecol *sejaysch* jazlih.

lo cen harisyim; ci im cammoz
aser tiddepennu ruh. yal cen

15 lo jakumu risyim bammispat,
vehattim bayadat zaddikim.

ci jodey *iah* derec zaddikim,
vederec risym tobed.

PSALMUS I. א

1 אשרי האיש אשר לא
הלך בעצת רשעים
ובדרך חטאים לא עמד
ובמושב לצים לא ישב:

2 כי אם בתורת יהוה
חפצו ובתורתו
יהגה יומם ולילה:

3 והיה כעץ שתול
על-פלגי-מים אשר
פריו יתן בעתו

ועלהו לא יבול
וכל אשר-יעשה יצליח:

4 לא-כן הרשעים כי אם-כמוץ
אשר-תהפנו רוח: 5 על-כן

לא-יקמו רשעים במשפט
וחטאים בערת אריקים:

9 כי-יורע יהוה דרך צריקים
ורלך ששעים תאבר:

1 Beatus vir, qui non ambulavit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in consessu derisorum non desit. 2 Sed in Lege Jahvoh voluntas ejus, & in Lege ejus meditatur die ac nocte. 3 Et erit sicut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructum suum dat in tempore suo, & folium ejus non decidet; & omne quod faciet, prosperabitur. 4 Non sic impii: sed tanquam gluma, quam dispellet ventus. 5 Ideo non consistent impii in judicio, neque peccatores in congregatione justorum. *6* Quoniam novit *jah* viam justorum, via autem impiorum peribit.

1 *Asre*. Quisquis Cantici hujus auctor fuerit, videtur quasi præfatio quædam in limine collocari, cum totius fere voluminis quodammodo Argumentum sit, & ad pietatem egregie compositum. Forte ab illius manu est, qui primus Psalmorum syllogen fecit; qui cum nomen suum celari voluerit, ideo Canticum hoc ἀνεπίγραφον reliquit. Quod ad vocem *asre*, alii volunt adjectivam esse pl. alii subst. pl. alii adverbium, quod Cl. Clerico placet; mihi secunda sententia potior videtur, sed nihil definio. Græcis ter redditur μακάριστος, alias semper μακάριος. Dolet profecto auspicatissimæ vocis formam non penitus intelligi, quod unicum manifesto nimis indicio est tenuem admodum & exilem esse quæ jam superest, Hebr. Linguæ cognitionem.

2 *bayazat*. Gr. ἐν βουλῇ. Et sic vers. 16. ubi est *bayadat*; unde suspiceris illos utroque in loco eodem modo legisse; viz. *bayazat*; *yedah* enim reddere solent συναγωγῇ. Βουλὴ quidem ambiguum est, & usurpatur cum pro *consilio*, tum pro *conventu* vel *consessu* in quo consulitur, quod *concilium* dicitur. Sed non ita voces Hebr. *yezah consilium* tantum significat, *yedah conventum*; *ambulare* igitur *in consilio improborum*, est illorum prava consilia sequi. Eadem loquutio occurrit de Ahaziah 2. *Par.* XXII. 5. Quod vero scripserim *halac*, non *halach*; rationes in Prolegomenis exposui, cur harum & similium minutiarum, quibus magistri Hebr. nullo discentium commodo Grammaticas suas onerant, rationem nullam habendam putem. Alphabeti Hebraici literas, ע excepta, totidem literis Latinis, eandemque Hebraicam eadem semper Latina exprimi curavi, ut linguæ hujus lectio plana & facilis reddatur, cujus prolatio, prout literis Latinis more recepto exhibetur, tam perplexa, impedita, horrida videtur, ut primo aspectu suo legentium oculos atque animos avertat atque absterreat.

risyim. Poetica contractio pro *resayim*, ad modum nominum in regimine, cujus contractionis exempla tria sunt in hoc brevi Psalmo, atque in hac una voce. Vid. vers. 15. & 18.

3 *hattim*. Secundum punctationem est trium syllabarum, sed in Psalmis semper est dissyllabum, si forte excipias *Ps.* XXV. p. 8. de quo ad locum.

4 *bemosab*. *Mosab* ambiguum est, & significat vel *sedem* vel *consessum*, quorum posterius hic prætulerim, sed Gr. ἐν καθέδρᾳ.

5 *jahvoh*. Nomen Tetragrammaton, de quo tantæ inter eruditos lites, sic legendum esse fuse ostendi in Prolegomenis. Est nempe tertia pers. fut temporis ab *havah*, ad formam τῷ *jaykob*: Dissyllabum esse non modo Psalm. omnes, sed singulæ fere in iis periodi invicte probant.

9 *maim*. Nominum in *aim*, desinentium contractio in *e*, clare mihi ostendere videtur scribendum esse *maim*, non *majim*, ut volunt Grammatici; nec video cur *jod* consona locum habeat in pluralibus nominum in *jod* desinentium, ubi *jod* alterum eliditur, ut plerumque fit; Ideoque *Ps.* II. vers. 1. *goim* non *gojim* scribendum duxi.

12 *sejaysch*. Heb. *aser*. Quod plene quidem scribitur,

tur, ſed metrum poſtulat ut contracte legatur *ſe*, ut ſæpe alias; quomodo etiam ſcribitur decies minimum in Pſalmis, ſæpiſſime vero in Cant. & Eccl. ne alios SS. libros memorem. *jayſeh* vero ſcribi debere, non *ja-yaſe* quod volunt Grammatici, liquet ex iis quæ dixi in Prolegomenis, ubi pluribus oſtendi falſa eſſe quæ Grammatici docent de literis *gutturalibus*; eaſque ſub ſe recipere *ſcheva* quieſcens pariter ac alias quaſvis conſonas, ubi id analogia poſtulat, quod ſemel hic monuiſſe ſufficiat. Huic autem loco tam ſimilis eſt ille *Jerem.* XVII. 7. 8. ut alter ex altero deſumtus videatur. Sunt etiam alia quædam in Pſalmis loca nonnullis quæ in illo Propheta habentur admodum affinia. Conferat eruditus Lector loca, & inveſtiget, ſi qua poſſit, uter ſcriptor ab altero deſumpſerit. Si, quæ habet hujuſmodi Jeremias e Pſalmis hauſerit, veri ſimile fuerit ſyllogen quandam Pſalmorum vel ab ipſo Jeremia, vel ante ejus tempora editam fuiſſe, illam ſcilicet quæ duobus primis libris continetur, & in Pſalmo LXXII. deſinit. Quam tamen nec ante Jeremiæ tempora facta fuiſſe crediderim, quod quædam in hoc volumine occurrant, quæ in captivitate ipſa ſcripta videntur. Vid. *Pſ.* XIV. p. 7. & LXIX. p. 36. ſed nec ab ipſo ſyllogen hanc prodiiſſe putem, cum ob alias rationes, tum imprimis, quod iidem Pſalmi in hac ſylloge bis habeantur; *Pſ.* enim XIV. manifeſte idem eſt ac LIII. nec non *Pſ.* LXX. ac ultima *Pſal.* XL. quod ſuadet ſyllogen hanc non ab uno eodemque collectore factam, ne dum a Jeremia. In re tam incerta nihil certi ſtatui poſſe, nemo, opinor, diffitebitur.

14 *ruh.* Maſſoretæ ſub *h* ponunt *patah* furtivum, ſed cui uſui inſerviat neſcio, niſi ut lectorem fallat, dum ſyllabarum numerum augere videtur; cum ex metro conſtet *ruh* ſemper eſſe monoſyllabum, & ubique *h* finale in unam ſyllabam cum conſona proxime præcedente coaleſcat, ut modo verſ. 12.; ideoque *patah* illud, quod literis etiam *hy* in fine vocum ſubjici ſolet, ut prorſus inutile, neglexi, ut dixi in Prolegomenis. Gr. vero his addunt ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, quo admiſſo legendum, *mippene arez*, *yal cen*; priore verſiculo in *ruh* finito: Vid. *Pſ.* XXXV. p. 5.

yal cen. Hæc quartæ periodi fini attexenda, quamvis periodum ſequentem inchoent, ne verſiculus ſequens juſto longior ſit; quod ſane eſt contra metricæ cultioris regulas, ſed in poeſi antiquiſſima, adeoque ſimplici & adhuc rudi, pauca ejuſmodi ferenda ſunt; cum videamus in Poetis, etiam Gr. & Latinis, quando Ars Poetica ad ſummum faſtigium evecta fuit, interdum quædam licenter fieri contra præſcriptas artis regulas, metri ſolius gratia. Quale illud eſt, quod Poetæ Elegiaci non ſemper altero quoque verſu ſententiam finierint, ſed in tertium nonnunquam produxerint. *Pſ.* XXV. p. 8. prior periodi verſus עָל *yai cen* terminatur.

15 *lo jakumu*. Videtur ſenſu forenſi ſumendum, ut Latinis *ſtare* & cauſa *cadere*.

17 *jodey*. *Novit*, cognoſcit, curat, dirigit, approbat. Vid. *Pſ.* XXXVII. p. 18.

jah. Plene ſcriptum *Jahvoh*, ſed metri gratia contracte legendum *Jah*, ut ſæpe alias; ut modo dixi de *aſer*; quod ſemel dictum ſatis ſit.

derec. *Via* in SS. *vivendi ratio*. Exempla infinita ſunt.

En primum Pſalmum in verſiculos diſtinctum, & numeris ſuis nulla Textus emendatione interpoſita reſtitutum! quod fruſtra tentavit M. Meibomius, qui de Heb. metrica a ſe demum reperta omnibus paginis inſane gloriatur. Cui inveſtigandæ quamvis viginti annos, ſi ipſi credimus, impenderat, in hoc tamen primo Pſalmo infelix hæſit, nec ſe expedire potuit, prout ipſemet fatetur. Nec ſane mirum; duo enim ſibi poſtulata fundamenti loco Vir doctiſſimus poſuerat, quorum utrumque Pſalmus hic prorſus evertit; quorum alterum erat, Pſalmos ſolis diſtichis conſtare, ſive periodos omnes bimembres eſſe; quod clare refellunt tres primæ Pſalmi hujus Periodi; alterum, ſingulos verſiculos ſenſum integrum atque abſolutum conſtituere, quod falſi arguitur omnibus periodis, præter quartam & ultimam. Hunc igitur Pſalmum quem in ordinem cogere non poterat excipit. Ipſius verba ſunt: „ Monendi ſunt (Lectores) totum Pſalmorum opus „ diſtichis conſtare, excepto primo Pſalmo, qui alio „ metro conſtat, & præfationis inſtar ceteris præfixus „ eſt. Diſticha igitur Pſalmorum in Templo ---- non „ ab uno ſacerdote, aut ab uno choro recitata aut „ cantata fuerunt, ſed a duobus. ---- Singuli igitur verſus ſingulos ſenſus exponunt." Et mox, „ Quamvis alter verſus in quibuſdam carminum generibus pauculis verbis conſtet, abſolutam tamen illa „ ſententiam habent. „ Sic ille. Sed poſtulatis hiſce non primus modo Pſalmus, ſed reliqui fere omnes aperte & ſolide refragantur. Ut hæc noſtra legenti liquido conſtabit. Atqui hic idem Pſalmus evertit etiam Cl. Clerici commentum, qui contendit, verſiculos Hebr. eſſe ὁμοιοτελεύτους, totamque Artem Poeſeos Hebr. in hoc fere uno conſiſtere; nec hoc commentum per annos plus quadraginta eripi ſibi paſſus eſt; quod tamen Pſalmi ad unum omnes jugulant, præ ceteris autem hic qui primum locum obtinet, in quo ne unius quidem periodi verſiculi ſunt ὁμοιοτέλευτοι, ſi priores duos ſecundæ excipias. Sed de his plura in Prolegomenis, quæ prius lecta velim quam ad hæc accedas, quæ ſine illis non intelligentur. Hic autem Pſalmus prope ſolus eſt, qui omni prorſus mendo caret, nec labis quicquam vel incuria librariorum, vel longinqui temporis injuria accepit.

PSALMUS II. ב

LAmah rageſu goim,
uleummim jehgu rik

*vai*jitjazzebu malce erez,
verozenim noſedu jahad,
5 yal *jah*, veyal meſiho.

nenattekah moſerotemo,
venaſlicah mimmennu yabotemo.

Joſeb baſſamem jiſhak,
adonai jilyag lamo.

10 " az jedabber elemo beappo,
ubaharono jebahalemo.

" vaani naſacti malci
yal zion har kodſi.

" aſapperah & hok jahvoh;
15 amar elai, beni attah,
ani haijom jelidtica.

PSALMUS II. ב

1 למה רגשו-גוים
ולאמים יהגו-ריק:

2 * יתיצבו מלכי-ארץ
ורוזנים נוסדו-יחד
על יהוה ועל-משיחו:

3 ננתקה את-מוסרותימו
ונשליכה ממנו עבתימו:

4 יושב בשמים ישחק
אדני ילעג-למו:

5 אז ידבר אלימו באפו
ובחרונו יבהלמו:

6 ואני נסכתי מלכי
על-ציון הר-קדשי:

7 אספרה אל-חק יהוה
אמר אלי בני אתה
אני היום ילדתיך:

ſeal mimmenni, veettenah *bag*oim nahlateca, v'ahuzzateca apsɛ arez.	8 שאל ממני ואתנה־ * גוים נחלתך ואחזתך אפסי־ארץ:
20 *tiry*em beſebet barzel, ceceli jozer tenappezem.	9 תרעם בשבט ברזל ככלי יוצר תנפצם:
veyattah melacim haſcilu, hivvaſeru ſopetɛ arez.	10 ועתה מלכים השכילו הוסרו שפטי ארץ:
yibdu et *jah* bejirah, 25 vegilu bereyadah.	11 עבדו את־יהוה ביראה וגילו ברעדה:
naſieku bar pen jenap, vetobedu *mid*derec; ci jibyar cimyat appo, *veaſrɛ* col hoſɛ bo.	12 נשקו־בר פן־יאנף ותאבדו־דרך כי־יבער כמעט אפו * אשרי כל־חוסי בו:

1 QUare tumultuantur gentes, & populi meditantur inane? 2 Et ſiſtunt ſe reges terræ, & principes conſilium capiunt pariter adverſus *jah*; & adverſus unctum ejus. 3 Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis funes eorum. 4 Habitans in cœlis ridebit, Dominus ſubſannabit eos. 5 Et loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo terrebit eos. 6 Ecce ego unxi Regem meum ſuper Sion, montem ſanctum meum. 7 Narrabo decretum Jahvoh; dixit ad me, Filius meus *es* tu, ego hodie genui te. 8 Poſtula a me, & dabo Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. 9 Reges eas virga ferrea, ſicut vox figuli diſperges eas. 10 Itaque, Reges, animadvertite, erudimini Judices terræ. 11 Servite Jahvoh in timore, & exultate in tremore. 12 Obſculamini Filium, ne forte iraſcatur, & pereatis illico. Quia exardeſcet brevi ira ejus, beati autem omnes ſperantes in eo.

1 *lemmah.* Hic etiam Pſalmus ἀνεπίγραφος eſt, ſed num olim fuerit merito dubitari poſſit, cum Chriſti tempore Davidis eſſe vulgo cenſeretur. Illi enim diſerte aſcribitur *Act.* IV. 25. idque non ab Apoſtolis modo, ſed a toto credentium cœtu, qui ibi memoratur. Cl. quidem Clericus putat Pſalmum hunc non fuiſſe ab ipſo Davide ſcriptum, ſed a Nathane vel alio quodam iſtius ævi propheta, *eo quod non deceret ipſum ſuam inaugurationem & potentiam prædicare*. Nec deceret forte, ſi ad ſolium re placida & pacata, nullis adverſantibus, jure hæreditario evectus fuiſſet. Sed errat, ni fallor, Vir. doct. in Pſalmi argumento conſtituendo. Non enim putem ſcriptum, cum primum David in regem inauguratus eſt, ſed aliquot poſt annis, cum jam in regno firmatus eſſet, devictis hoſtibus, qui molitiones contra illum graves iniſſent, ut de ſolio deturbarent; adeoque carmen hoc ἐπινίκιον fuiſſe propter inſignes illas victorias quibus numen illum, ſemper præſens & propitium, cumulaſſet. In hac autem cauſa multa licuiſſet Davidem de ſe ipſo dicere, quæ alias forte minus decerent. Adde quod minus tuto ad antiqua illa tempora argumentum ducitur ab eo quod his temporibus decorum & honeſtum habetur. Vid. *Pſ.* XCIX. p. 1.

3 vai*jitjazzebu*. In Hebr. verſus hic una ſyllaba deficit, quare copulam præponendam putavi, quæ hanc periodum cum præcedente conjungat, quod & loci ſententia poſtulat. Sed & alia locum hunc ſanandi ratio eſt. Ut verſiculus hic juſto brevior, ſic primus ſequentis periodi juſto longior eſt; quod ſi τὸ *&* ab illo huc transferas, in altero abundavit nihil, nihil in altero deficiet. Hæc igitur vera forſan utrumque v. emendandi ratio eſt. Sed *& malcɛ* inſolens nimis locutio eſt. Licet enim multa apud Noldium, p. 121. exempla reperias, in quibus *&* ante nominativum abundat; at nullum eſt huic prorſus ſimile, quod ſuadet ut alteram verſic. hunc emendandi rationem huic prætulerim. Vel forſan repetendum *rik*. Vid. *Pſ.* LXXIII. p. 13. Ut vero hic dicitur *noſedu jahad*, ita *Pſ.* LXXI. p. 10. *noyazu jahdav*.

5 *meſiho. Unctos Dei* commune regum ἐπίθετον in SS. eſſe nemini non notum; *meſiho* & *malco* 1. *S. II.* 10. ſunt ἰσοδύναμα; non modo David dicitur *meſih. Jahvoh*, ſed ipſe ita Saulem appellat, 1. *S.* XXIV. 7. atque ita Deus ipſe Cyrum *Eſ.* XLV. 1. Græcis χριστὸς κυρίου. Pro quo, errore librarii, *Thr.* IV. 20. eſt χριστὸς κύριος, quod ab antiquis Eccl. patribus, qui Hebraice neſcirent, temere nimis arreptum eſt quaſi de Chriſto dictum, & cum rex de quo ibi agitur, dicatur *ruh appɛnu*, πνεῦμα τοῦ προσώπου ἡμῶν, hæc quoque eodem retulerunt; & pro ἡμῶν legendo αὐτοῦ, dogmata Catholica de *Spiritu*, de *Perſona*, & *Deitate* Chriſti, in his verbis male intellectis vidiſſe ſe putarunt. Sed hæc temporibus imputanda ſunt, cum Artis Criticæ regulis deſtituerentur, iiſque fere ſubſidiis, quibus recentiores adjuti literalem SS. ſenſum utiliſſime, nec minus feliciter inveſtigarunt.

6 *nenattekah.* In iis quæ ſequuntur uſque ad periodum 6. Cl. Clericus ſibi videre viſus eſt inſigne ſpecimen poeſeos ſuæ ὁμοιοτελεύτου, & ex parte poſteriore hujus verſiculi & quinque ſequentibus fecit ſeptem ad hunc modum, in Diſſert. de Poeſi Hebr. p. 5.

& moſrotɛmo,
venaslicah mimmennu yabotɛmo
joſch baſſamajim jiſhak,
Adonai jilyag
Lamo.
Az jedabber elɛmo
bappo ubaharono jebahalemo.

Verſiculos hos prorſus abſonos eſſe, nulla colorum, nulla menſuræ, nulla numerorum ratione habita, lector eruditus per ſe ſtatim deprehendet. Vir quidem Cl. aſſerit, ſe omnes Pſalmos in verſus ſimiliter deſinentes diſpoſuiſſe, „ ex quo opere, ſi in lucem, in„quit, prodiret, veritas hypotheſeos a nobis allatæ ad „ oculum pateret. " Opus quidem hoc, cujus per annos plus quadraginta ſpem nobis fecerat, jam fruſtra expectator, ſed quale futurum eſſet ex hoc uno ſpecimine, ut alia mittam, non difficile judicium eſt.

8 *baſſamen.* Heb. *ſamajim* ſcribitur, ſed ſemper eſſe diſſylabum metrum oſtendit, & legendum *ſamem*, Chald. *ſamen*. Unde Phœnicum *Beel ſamen*.

jiſhak. Ridet, ſpernit, & irrita reddit. Eadem verba habes *Pſal.* LIX. p. 9.

10 *az.* Hic habet vim copulæ. Vid. *Noldium* p. 7.

12 *vaani. Ecce ego.* Ita *Nold.* p. 275. Hæc ſunt quæ Deus ad Davidis hoſtes locuturus dicitur: rectior igitur Codicis noſtri lectio quam illa Gr. Interpretum, qui verterunt hæc ac ſi legiſſent, *nissacti*, *malco* & *kodſo*.

13 *zion*. Vulgo efferunt *zijon*, ſed cur nolint *jod* vocalis naturam induere, & in *hirek* longo latere, nullam idoneam rationem afferunt.

14 et *hok jahvoh*. Gr. & Lat. abſurde hæc attexunt periodo præcedenti, cum manifeſto ſint verba Davidis præ gaudio exullantis, palamque narrantis ſe divino decreto regem conſtitutum. Et ut majorem vim habeat oratio, deum ipſum loquentem inducit. Gr. διαγγέλλων τὸ πρόσταγμα. Et inde Lat. *prædicans*. Sed Græcum

men-

mendoſum videtur, & ultima litera delenda. Hebr. *el hok*, in quo vertendo fruſtra ſudant interpretes; alii εἰς, alii ἰσχυροῦ, contra uſum linguæ Hebr. qui poſtulat ut Genitivus ſequatur nomen a quo regitur. Ego vero nullus dubito quin & pro *el* reponendum ſit; duas illas literas *l* & *t* opinor olim non multum abſimiles fuiſſe; & proinde proclivi errore altera ſæpius alterius locum occupavit. Gr. certe ita videntur legiſſe, qui reddiderunt τὸ πρόσταγμα. Vid. *Pſal.* LXVIII. *verſ.* 1. *Eſ.* XXXVIII. 20.

15 *beni attah*. Notum eſt Reges διογενεῖς dici, & ab Imperatoribus Romanis, natales Imperii, pariter ac Imperatoris, celebratos fuiſſe. Vid. *Pſal.* LXXXIX. p. 27. 28. ubi Deus hæc de Davide loquens inducitur. *Ipſe invocabit me, Pater meus es tu. Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ.* Quæ optime hæc noſtra explicant.

16 *jelidtica*. Mendoſum videtur pro *jeladtica*, quod poſtulat analogia. Euphoniæ cauſa ſic ſcriptum volunt, ne, ſc. nihil dicant.

18 *haggoim*. Hebr. *goim*, ſed metrum poſcit *haggoim*; error ex eo, quod vox præcedens in *h* deſinant, quæ frequentiſſima literæ omiſſæ cauſa. Vid. *Pſalm.* CXXXV. p. 12.

20 *tiryem*. Hebr. *teroyem*, ſed Gr. legerunt *tiryem*, verterunt enim ποιμανεῖς, id eſt, *reges*, ſenſu non incommodo, ubi de imperio agitur. Verbum hoc cum *ſebet* conjunctum reperitur *Mic.* VII. 14. & quo magis hic conveniat, occurrit non tantum notione paſcendi, ſeu regendi, ſed etiam conterendi, ſeu confringendi *Jer.* XI. 16. quid quod *rayay* nunquam in ſcriptis propheticis adhibetur de nationibus affligendis; nec alibi quod ſciam hoc ſenſu occurrit, niſi ſemel de deo potentes conterente, *Job* XXXIV. 24. Cum his nominibus ſe commendet Græcorum lectio, ut veram putem ſuadet metrum; in verſu enim ſeq. legendum videtur, non ut punctatur *cicli*, ſed *ceceli*, cum pluribus exemplis conſtet *b* & *c* ſyllabam per ſe conſtituere, nec debere in unam cum conſona cui præfiguntur contrahi.

23 *ſopete arez*. Grammaticis diſſyllabum eſt, perperam. Vid. *Pſal.* CXLVIII. pag. 11. ubi eadem loquutio.

26 *naſſeku bar*. Hæc mire verterunt Gr. δράξασθε παιδείας, & ex iis Lat. *apprehendit diſciplinam*. Aq. καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς, Sym. προσκυνήσατε καθαρῶς. Recentiores Intt. *Oſculamini filium*, quod & quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, rectius eſſe ſuadent. Agitur enim de viro illuſtri ad regiam dignitatem hoſtibus multis fruſtra obnitentibus evecto, idque ab ipſo Deo; præſentiſſimi numinis auxilium illi ſemper aderat; unde Deus illum *genuiſſe* dicitur, & pro *filio* habuiſſe. Hunc *filium oſculari*, i. e. venerari, & revereri omnes oportuit, *ne iraſcatur*, *Deus* ſc. pater ejus. Ut liquet ex verſ. ult.

27 *midderec*, Hebr. *derec*. Sed quid ſit *perire via*, quis dixerit? Alii volunt, *propter viam*, i. e. vivendi rationem. Alii *in via*, in medio curſu abripi, Gr. ἐξ ὁδοῦ, & Lat. *de via*; recte, ſed cum, non intelligerent quid ſit de *via perire*, addiderunt de ſuo δικαίας. Prorſus incommode, ne dicam abſurde. Quomodo enim quis pereat de via in qua nondum inceſſit. Errantes enim Pſaltes alloquitur, & ad viam *juſtam* ſeu rectam revocat. *Perit de via* ſecundum Clericum, qui vitæ iter ad mortem naturalem ætate matura non abſolvit: qua ſane ratione alii explicant *in via*; ſed harum interpretationum nulla arridet. Laborat verſus, & legendum *midderec*, quod ſubaudiendum eſſe omnes fere conſentiunt; quo & metro & conſtructioni ſatisfit. *midderec* autem videtur idem fere eſſe ac *illico*, i. e. *ſubito*. Et ſic Noldius p. 230. *Ne pereatis ſimul ac in conſpectum ejus adveneritis, jam recentes ab itinere.* Vid. 2. *Sam.* XI. 10.

28 *ci*. Plerique Interpr. *Si* vel paulum exarſerit ira ejus; & hic interpungunt; ultimus vero verſus illis eſt Epiphonema, ſeu ſubita acclamatio. Alii *ci* reddunt, *quum*, quod eodem fere redit. Nonnulli poſt ſecundum verſum σιγμὴν ponunt, ſed parum promovent, dum *ci* male reddunt. Nemo ſuſpicatus eſt locum in mendo eſſe, & copulam ab initio ultimi verſiculi excidiſſe, quo reſtituto omnia plana fiunt. Interpungendum enim eſt in fine ſecundi verſiculi; tertius vero ſic vertendus, *brevi* enim *ira ejus* (in hoſtes) *exardeſcet*, & illis ſolis ſalus erit, qui obſequio debito ad illum confugiunt, fideique ejus ſe totos tradunt. Sed & alia ratione verſiculus ultimus ſanari poteſt, legendo ſc. *baboſeao*, Vid. *Pſ.* V. p. 12. XVIII. 31. & XXXIV. ult. Pſalmus hunc, qui ſenſu primo, aperto, hiſtorico ad Davidem pertinet, ſenſu abſtruſiore, ſublimiore, & vere prophetico de illo agere qui κατ' ἐξοχὴν Meſſias ſeu Chriſtus dictus eſt, interpretum omnium ſententia eſt; nec hoc Chriſtianis proprium; antiquiſſimi etiam Judæorum magiſtri idem docuerunt; nec dubium eſt quin jam Chriſti temporibus Judæi univerſim ita hunc Pſalmum intelligerent. Inde enim Redemptor ille quem tunc temporis adventurum expectabant, ab illis non modo *Meſſias* dictus eſt, ſed & *Rex Iſraelis*, & *Dei filius*. Vid. *Matth.* XXVI. 63. & *Jo:* I. 49. XX. 31. Nec ulla ſane Chriſtianis cum Judæis olim controverſia fuit, utrum hæc de *Meſſia* intelligenda ſint; ſed an *Jeſus* noſter ille ſit *Meſſias*, in eo ſolo diſputant. Illi enim de terreno tantum regno hic agi contendunt; nos de cœleſti, Apoſtolorum exemplo, (qui optimi SS. Interpretes, cum eſſent θεόπνευστοι,) iiſdemque argumentis permoti. Vid. *Act.* IV. 25. XIII. 13. *Hebr.* I. 5. & v. 5. Quomodo ſingulæ hujus Pſalmi partes in Chriſto impletæ ſint copioſe oſtenderunt Interpretes multi, nuperrime vero Cl. Clericus id egregie præſtitit, quem adi ſi placet. Meminerit Lector nos non Theologicos Commentarios, ſed notulas breves ſcribere, in quibus id fere unum agimus, ut Textus integritati ſuæ, quantum licet, reſtitutus in verſiculos recte digeratur, & ſenſus qui literalis dicitur, in locis difficilioribus eruatur. Cetera alii interpretes magno numero dudum occuparunt.

mizmor. Quod ad Pſalmorum titulos ſeu inſcriptiones attinet, Lectorem remitto ad prolegomena, ne ibi dicta repetam. Hic tantum obſervabo, titulum In Cod. Hebr. quaſi pars ipſius Pſalmi eſſet, primam notam numeralem abſurde admodum ſibi appoſitam habere; & interdum, ſi paulo prolixior ſit, duabus notis diſtinguitur in periodos duas, ut *Pſal.* LII. & LX. Hic vero, ut in aliis nonnullis, accidit, ut titulus in verſiculos duos reſolvi poſſit.

PSALMUS III. ג

Mizmor ledavid beborho
mippenɛ abſalom beno.

1 " *jah* mah rabbu ʒarai?
rabbim kamim yalai.

" rabbim omerim lenapſi,
ɛn jeſuyah lo belohim. selah.

5 " vattah *jah* magen bayadi,
cebodi, umerim roſi.

koli el jahvoh ekra,
jayneni mehar kodſo. selah.

PSALMUS III. ג

1 מזמור לדוד בברחו
מפני אבשלם בנו:

2 יהוה מה-רבו צרי
רבים קמים עלי:

3 רבים אמרים לנפשי
אין ישועתה לו באלהים סלה:

4 ואתה יהוה מגן בעדי
כבודי ומרים ראשי:

5 קולי אל-יהוה אקרא
יענני מהר קדשו סלה:

v'ani

v' ani ſacabti, vaiſanah
10 *jahad*, *ve*hekizoti,
ci jahvoch jismeceni.

lo ira meribbot yam,
*ſe*sabib ſatu yalai.

kumah *jah*, hoſiyeni
elohai; ci hiccita
et col ojebai lehi,
ſinnɛ riſyim ſibbarta.

“ lihvoh hajeſuyah;
yal yammeca bircateca, selah.

6 אני שכבתי ואישנה
*** הקיצותי
כי יהוה יסמכני:

7 לא אירא מרבבות עם
אשר סאיב שתו עלי:

8 קומה יהוה הושיעני
אלהי כי-הכית
את-כל-איבי לחי
שני רשעים שברת:

9 להוה הישועה
על-עמך ברכתך סלה:

1 CAnticum Davidis, quum fugeret a facie Abſalomi filii ſui. 2 *Jah*, quam multiplicati ſunt hoſtes mei! Multi inſurgunt adverſum me. 3 Multi dicunt de anima mea, Non eſt ſalus ei in Deo. Selah. 4 Tu autem *jah*, clypeus *es* circa me, gloria mea, & exaltans caput meum. 5 Voce mea ad Jahvoh clamabam, reſpondit mihi de monte ſancto ſuo. Selah. 6 Ego decubui, & dormivi *integer*, *&* evigilavi, quia Jahvoh ſuſtentabat me. 7 Non timebo a decem millibus populorum, qui circomquaque metantur adverſum me. 8 Surge jah, ſerva me, Deus mi, quia percuſſiſti omnes inimicos meos *in* maxilla: dentes impiorum confregiſti. 9 Jahvoh *eſt* ſalus: ſuper populum tuum benedictio tua. Selah.

1. *mah rabbu*. Vid. *Pſal.* XXXI. p. 20. & civ. 24.

4. *jeſuyah.* Hebr. *jeſuyatah*. Quod verſus non patitur, nec ſane ſententia. Notum enim eſt hac vocis productione geminari atque intendi ſignificationem, quod huic loco nequaquam convenit. Hoſtes enim Davidis noluerunt dicere, *maximum* illi auxilium a Deo non expectandum eſſe, ſed plane nullum.

belohim. Gr. ἐν τῷ θεῷ ἀυτῶ, quaſi legiſſent, *elohav*.

selah. De hac voce quid velit nihil certi afferri poteſt, niſi hoc unum; ad ſenſum illam nihil pertinere, nec ad explendum verſum. Ad cantus rationem unice ſpectat, ſed utrum ſignificet cantus intentionem, ſeu remiſſionem, ſeu pauſam, ſeu aliam quamvis cantus mutationem, fruſtra quæritur. Cæteræ interpretationes, quibus redditur διὰ παντός, εἰς αἰῶνα, 'Αμὴν, mihi quidem videntur inepte prorſus & abſurdæ. Adi, ſi placet, veteres Interpretes. Nec melius quicquam afferunt recentiores. Sed res ipſa plane oſtendit pariter ac Gr. verſio, voculam hanc ſæpe excidiſſe, cum Verſio illa hac voce careat ubi eſt in Hebr. & contra habeat, cum in Hebr. deſit; nec ulla ratio afferri poſſit, cur ſæpius in breviculo Pſalmo repetatur, in aliis autem qui ſunt ejuſdem plane autoris, & quod ad cetera prorſus ſimiles, ne ſemel quidem habeatur.

8 *jayneni*. Copula in Hebr. præfixa corrumpit verſum, & verſui ſequenti videtur præfigenda, cui optime convenit.

10 *jahad ve*. In *Pſ.* IV. verſ. 19. in Hebr. legitur, *beſalom* jahdav *eſcebah ve iſan*. Ubi τῷ *jahdav* videtur nullus locus eſſe, ſive ſenſum, ſive ſitum vocis ſpectes. Hic vero inter *iſanah* & *hekizoti*, manifeſtus eſt hiatus, & deeſt aliquid quo verba hæc inter ſe copulentur. *Jahdav* igitur huc transferendum puto, & reſolvendum eſſe in *jahad ve*, quo pacto uterque locus penitus ſanabitur. *jahad* vero, ſi Noldium audimus, eſt *integre*, vel *integer*, ſalvus, ſoſpes. Vid. illum p. 365. & Not. 1279.

13 *ſesabib*. In Hebr. plene ſcriptum *aſer*, ſed metrum poſtulat *ſe*. Vid. *Pſ.* I. verſ. 12.

16 *lehi*. Subintellecto *yal*, Vid. 1. *Reg.* XXII. 24. *Mich.* IV. 14. & 2. *Par.* XVIII. 23. Vid. *Nold.* p. 713. Gr. ματαίως. Quid legerint neſcio, ſed verſio illa fruſtra, opinor, a doctis ſolicitatur, qui μαθύας legi velint. *ſoneai hinnam*, & *ojebai ſeker*, ſæpe in Pſalmis occurrunt, velut *Pſal.* XXXVIII. p. 20. *ojebai hinnam*, (ſic enim ibi legendum) & *ſoneai ſaker*: Hinc nata videtur errandi cauſa; putarunt forte ſcriptum fuiſſe, *lehinnam*, & ideo ματαίως reddiderunt, cum eandem vel ſimilem loquutionem alibi occurrere illis non ignotum eſſet. Sed Hebr. Lectio ſola vera eſt. *Percuſſiſti in maxillum*, nempe *ut dentes illorum confringeres*, ut verſ. ſeq. dicitur, ne morſu lædant. De hoſtibus quaſi de feris loquitur, quarum vis in dentibus, ut ſæpe alias. Vid. *Pſ.* LVIII. p. 7. & CXXIV. 6.

18 *lihvoh hajeſuyah*. Sic *Pſ.* XXII. p. 29. *lihvoh hammelucah*. Hic vero ad majorem emphaſin forte repetendum *lihvoh*. Hæ autem tranſitiones a perſona tertia ad ſecundam, & vice verſa a ſecunda ad tertiam, in Pſalmis frequentiſſimæ. Vid. *Pſ.* IX. p. 1.

PSALMUS IV. ד

LAmenazzeh beneginot,
mizmor ledavid.

1 bekori yaneni, elohɛ zidki;
bazzar hirhabta li, honneni,
uſemay tepillati.

bensɛ iſ, yad meh cebodi liclimmah,
5 *ve*tehabun rik, tebakkeſu cazab? selah.

deyu ci hiplah *jah haſdo li*;
jahvoh jiſmay bekori elav,

rigzu, veal tehtau;
zu imru belebabcem,
10 yal miſcabcem, vedommu. selah.

PSALMUS IV. ד

1 למנצח בנגינות
מזמור לדוד:

2 בקראי ענני אלהי צדקי
בצר הרחבת לי חנני
ושמע תפלתי:

3 בני-איש עד-מה כבודי לכלמה
* תאהבון ריק תבקשו כזב סלה:

4 ודעו כי-הפלה יהוה חסיה לו
יהוה ישמע בקראי אליו:

5 רגזו ואל-תחטאו
אמרו-בלבבכם
על-משכבכם ודמו סלה:

" zibhu zibhe zedek;
ubithu el jahvoh.

jahvoh, rabbim omerim,
mi jarenu tob? nesah
15 yalenu or paneca.

attah jahvoh natattah
fimhah belibbi, meyet
deganam vetirofam rabbu.

befalom efcebah veifan;
20 ci att' jahvoh lebadad
labetah tofibeni.

6 זבחו זבחי-צדק
ובטחו אל-יהוה:

7 ** רבים אמרים
מי-יראנו טוב נסה
עלינו איר פניך

** יהוה: 8 נתתה
שמחה בלבי מעת
דגנם ותירושם רבו:

9 בשלום יחדו אשכבה ואישן
כי-אתה יהוה לבבר
לבטח תושיבני:

1 PRæcentori in Neginoth, Pfalmus Davidis. 2. In invocando me, refponde mihi Deus juftitiæ meæ: in anguftia dilatafti mihi, miferere mei, & audi orationem meam. 3 Filii viri, ufquequo erit gloria mea ignominiæ? & diligentis inane? quæretis mendacium? Selah. 4 Scitote, quod mirificavit jah mifericordiam fuam mihi: Jahvoh exaudiet in clamando me ad eum. 5 Pavete, & ne peccetis; hoc cogitate in corde veftro fuper cubili veftro, & tacete. Selah. 6 Sacrificate facrificia juftitiæ, & confidite in Jahvoch. 7 Jahvoh multi dicunt, quis videre faciet nos bonum? eleva fuper nos lucem vultus tui. 8 Tu, Jahvoh, dedifti lætitiam in corde meo, a tempore quo frumentum eorum & muftum eorum multiplicata funt. 9 In pace accubabo, & dormiam: quia tu, Jahvoh, folus confidenter habitare facies me.

1 *elohe zidki*. Alii aliter interpretantur; cum vero nomen fubftantivum fecundo cafu pofitum adjectivi vim habeat, ego cum doctiffimo Gatakero cenfeo debere reddi, *Deus mi jufte*, aliafque loquutiones fimiles fimiliter vertendas effe.

4 *cebodi*. Gr. legerunt, *cebode leb*; *lammah*. Male. Hæc enim lectio præ hodierna inconcinna, nec patitur verfus.

5 *vetebabun*. Copula ab initio verficuli fequentis huc tranfponenda, quod & metrum & conftructio plane oftendunt.

6. *hafdo li*. Hebr. *hafid lo*. Sed quifquis hæc contulerit cum *Pf.* XVII. p. 7. & XXXI. 22. mecum, opinor, cenfebit, reponendum *hafdo li*.

8 *rigzu*. Gr. ὀργίζεσθε. Sed melius recentiores, *Si commovemini ne peccetis*. Sic *Nold.* p. 332.

9 zu *imru*. Hebr. *imru*. In *corde dicere* eft cogitare; loquutio bene nota, vid. *Pf.* X. p.6. XIV. 1. XXXV. 25. Sed alias femper additur quid illud fit de quo cogitant. Quod fatis indicat hic aliquid excidiffe; idemque oftendit verfus, qui jufto brevior eft; nempe τὸ *zu*: quod cum finalis fyllaba fit in *rigzu* initio verficuli præcedentis, ideo forte hic omiffum fuit; & fic certe legerunt Gr. qui habent ἃ λέγετε. Sic enim *zu* folent reddere. Hæc igitur certa emendatio, & hac lectione verfui etiam optime confultum eft.

13 jahvoh. Cum eadem vox præcefferit, hoc in caufa fuit cur hic exciderit. Sed verfus reponi poftulat, & ad fenfum prope neceffarium eft. Illud enim *jahvoh* quod claudit hanc periodum, ad fequentem pertinet, & diftinguendum eft poft *panica*.

16 attah *jahvoh*. Sic, opinor, locus hic reftituendus. *Jahvoh* a fine periodi præcedentis huc trahendum, & præponendum *attah*. Ut *Pf.* III. 4. quod verficulorum triginta fpatio anteceffit. Quod ideo moneo, quia fæpius obfervavi emendationes locorum corruptorum firmari aliis quæ ifto intervallo diftant. Vid. *Pf.* IX. verf. 12. XLI. verf. 19. & LXXIV. 25. Unde forfan colligi poffit, antiquos Codices ea forma exaratos fuiffe, ut una plagula in duas columellas divideretur, fingulæ vero columellæ verficulos triginta continerent; atque adeo duo verficuli qui triginta linearum intervallo diftant, fe invicem contingerent: quæ verficulorum vicinia facilem librariis errandi occafionem præbuit.

19 *befalom efcebah*. In Hebr. interponitur *jahdav*. Quod hinc amovendum dixi ad *Pf.* III. verf. 10.

20 *ci att' jahvoh*. Ante jahvoh *attah* contrahendum videtur in Att' ultima litera elifa, ut *Pf.* VI. verf. 7. quod fi minus placeat, legendum *ci attah jah*.

PSALMUS V. ה

LAmenazzeh el hannehilot,
mizmor ledavid.
1 amarai *jah* hazinah,
jahvoh binah hagigi.

hakfibah lekol favyi,
jahvoh malci, v' elohai;
5 ci eleca etpallel.

jah boker tifmay koli;
boker eyroc leca, v' azappeh.

ci lo el hapez refay attah;
lo jegureca ray; lo jitjazzebu
10 holelim leneged yeneca.

faneta poyale on;
teabbed *col* dobere cazab:
if damim umirmah jetayeb jahvoh.

PSALMUS V. ה

1 למנצח אל-הנחילות
מזמור לדוד:
2 אמרי * האזינה
יהוה בינה הגיגי:

3 הקשיבה לקול שועי
** מלכי ואלהי
כי אליך אתפלל:

4 יהוה בקר תשמע קולי
בקר אערך לך ואצפה:

5 כי לא אל-חפץ רשע אתה
לא יגרך רע: 6 לא-יתיצבו
הוללים לנגד עיניך

שנאת כל-פעלי און:
7 תאבד * דברי כזב
איש-דמים ומרמה יתעב יהוה:

v'ani,

v'ani, berob hasdeca 15 abo beteca; estahaveh el hecal kodseca bejirateca.	8 ואני ברב חסדך אבוא ביתך אשתחוה אל-היכל-קדשך ביראתך:
jah neheni bezidka- -teca limyan sorerai, havsar lipnai darceca.	9 יהוה נחני בצדק- -תך למען שוררי הושר לפני דרכך:
20 ci en bepihu *emet* neconah; kirbam havvot; heber patuh geronam; *be*lesonam jahlicun.	10 כי אין בפיהו ** נכונה קרבם הוות קבר פתוח גרנם * לשונם יחליקון:
hasimem*o* elohim; 25 jippelu mimmoyazotehem; berob pisythem haddihemo, ci maru beca *jahvoch*.	11 האשימם * אלהים יפלו ממעצותיהם ברב פשעיהם הדיחמו כי-מרו בך **:
v'ismehu col hose bac, leyolam jerannenu; 30 tasec yalemo, vejaylezu beca, ohabe simca.	12 וישמחו כל-חוסי בך לעולם ירננו ותסך עלימו ויעלצו בך אהבי שמך:
ci attah tebarec zaddik *jah*; cazzinah razon tayterennu.	13 כי-אתה תברך צדיק הוה כצנה רצון תעטרנו:

1 PRæcentori super Nehiloth, Canticum Davidis. 2 Eloquia mea Jah auribus percipe, Jahvoh, intellige meditationem meam. 3 Attende voci clamoris mei, Jahvoh Rex mi, & Deus mi, quoniam ad te oro. 4 Jah, mane audies vocem meam: mane disponam tibi, & speculabor. 5 Quia non Deus volens impietatem tu es: non cohabitabit tibi malus. 6 non stulti consistent coram oculis tuis. Odisti operantes iniquitatem. 7 perdes omnes loquentes mendacium, virum sanguinum & doli abominatur Jahvoh. 8 At ego in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam; incurvabo me versus templum sanctum tuum in timore tuo. 9 Jah, duc me in justitia tua propter inimicos meos: dirige coram me viam tuam. 10 Quoniam non est in ore ejus veritas firmata, intimum eorum pravitates: sepulchrum patens guttur eorum, lingua sua blandiuntur. 11 Perage illos reos, o Deus, decidant a consiliis suis: in multitudine prævaricationum suarum expelle eos, quoniam rebellant contra te, Jahvoh. 12 Et lætentur omnes sperantes in te, in seculum jubilent: protegas eos, & exultent in te diligentes nomen tuum. 13 Quoniam tu benedices justo, Jah: ut scuto bona voluntate coronabis eum.

1 *jah* inter *jod* & *h* positum, easdem nempe literas quibus etiam *jah* constat, videtur excidisse; vel legendum *imrai*, & *jahvoh* repetendum, quod ante *malci* etiam, v. 4. metri gratia inserendum puto, Vid. *Ps.* LXXXIV. v. 9.

9 *lo jitazzebu*. Sic quidem metrum constat, sed longe meliores erunt numeri, si hæc ponantur post *holelim*. Librariorum incuria in omnibus codicibus verba interdum sedem mutant. Periodos vero has in Hebr. male divisas esse, nemo, opinor, diffitebitur.

11 *on*. Hebr. *aven* perpetuo errore; ex metrica enim liquet vocem hanc semper esse monosyllabam. Unde Græci *Hos.* X. 5. 8. οἶκω Ὢν βωμοὶ Ὢν. *payale on* in Psalmis plus decies occurrit.

12 *col*. Ex V. præcedente huc transtuli, metri gratia. Gr. in utroque versu πάντες; & in priore, quidam Codd. ante πάντες κύριε, quasi legissent, *saneta jah col poyalion*. Me vero duas has periodos, quæ in Hebr. tres sunt, recte constituisse, res ipsa, ni fallor, clare ostendit.

17 *bezidka*. Vitium est in versu vocem dividere; id igitur ab optimis Gr. & Lat. Poetis rarissime fit: est tamen ubi fiat. Sed Lector meminisse debet Poesim Hebr. minus perfectam esse, nec ad eorum regulas severiores exigendam esse. Adde quod in versibus decantandis, ubi musica instrumenta adhibentur, vitium hoc vix sentitur.

18 *limyan*. Hebr. *lemayan*. Sed dissyllabum esse, ubicunque occurrit, omnia exempla monstrant.

19 *havsar*. Keri cum *jod* loco *vau*. *Havsar* volunt Syriasmum esse, sed cur non mutatis punctis legerint *hosar*, quod analogia postulat, merito miremur.

lipnai darceca. Gr. legerunt *lipneca darcai*. Vid. *Ps.* XXVII. p. 11. pro *lipnai* Hebr. *lepanai*. Sed hanc quoque punctandi rationem mille exempla veram esse ostendunt, *l* sc. debere cum prima in *panim*, quodcunque affixum adjiciatur, pariter ac in regimine, in unam syllabam coalescere, de quo vide Prolegomena.

20 *bepihu*. In singulari, cum sententia postulet plurale; hoc est, *uniuscujusque eorum*, inquiunt Interpretes & Grammatici; frequentes in Codice Hebr. hujusmodi anomaliæ; quarum forte non exigua pars non genio linguæ sed librariorum incuriæ debetur. Et quod magis irregulare *Psal.* LXII. p. 5. hæc ipsa vox cum verbo plurali juncta est. *bepiv jebarecu*, si sanus locus est. Sed Græci utroque in loco ἐν στόματι αὐτῶν.

emet. Hanc vocem inserui ad explendum versum; & sententia quodammodo videtur postulare, cum substantivum quocum *neconach* conveniat, si non exprimatur, necessario subintelligatur: semel tantum alias occurrit absolute sumptum, *Job.* XLII. 7. ubi Gr. verterunt ἀληθὲς, ut hic ἀλήθεια. Vid. *Deut.* XIII. 14.

23 *belesonam*. *be*, addidi metri causa, quia versus syllaba deficit. Forte exciderat, quod præcedens vox desinat in *m*. *m* enim & *b* olim figura perquam simili fuisse multis exemplis constat.

24 *hasimemo*. *o* additum est ad explendos numeros: & sic venustior oratio, cum sequatur v. 3. *haddihemo*.

26 *berob*. Gr. legerunt *cerob*, κατὰ τὸ πλῆθος.

27 jahvoh. Sic Græc. κύριε. Quod & versus postulat.

30 *tasec*. Hebr. præfigunt copulam, sed ut constet metrum, delenda est; facile irrepere potuit hujusmodi error, cum alterum *vau* proxime præcedat.

PSALMUS VI. ו

LAmenazzeh beneginot,
yal hasseminit, mizmor ledavid.

1 jahvoh, al beappeca tociheni;
v'al bahamateca tejassereni.

honneni *jah*, *honneni*,
ci umlal ani; repaeni
5 jahvoh, ci nibhalu yazamai.

napsi nibhalah meod;
ve att' jahvoh, yad matai?

subah jahvoh, hallezah napsi;
hosiyeni limyan hasdeca.

10 ci en bammot zicreca;
beseol mi jodeh lac?

jagayti beanhati,
asheh becol lailah mittati
bedimyati, *veyarsi* amseh.

15 " yasesah becayas yeni,
yatekah *miccol* zorerai.

" suru mimmenni col poyale on;
ci samay jahvoh kol bicji.

" samay jahvoh tehinnati;
20 jahvoh tepillati jikkah.

jebosu v'ibbahalu meod
col ojebai, jasubu ragay.

PSALMUS VI. ו

1 למנצח בנגינות
על-השמינית מזמור לדוד:

2 יהוה אל-באפך תוכיחני
ואל-בחמתך תיסרני:

3 חנני יהוה ***
כי אמלל אני רפאני
יהוה כי נבהלו עצמי:

4 נפשי נבהלה מאד
ואת יהוה עד-מתי:

5 שובה יהוה חלצה נפשי
הושיעני למען חסדך:

6 כי אין במות זכרך
בשאול מי יודה-לך:

7 יגעתי באנחתי
אשחה בכל-לילה מטתי
ברמעתי * ערשי אמסה:

8 עששה בכעס עיני
עתקה מכל-צוררי:

9 סורו ממני כל-פעלי און
כי-שמע יהוה קול בכיי:

10 שמע יהוה תחנתי
יהוה תפלתי יקח:

11 יבשו ויבהלו מאד
כל-איבי ישבו יבשו רגע:

1 PRæcentori in Neginoth, super octavam, Canticum Davidis. 2 Javoh, ne in ira tua arguas me, neque in ardore tuo castiges me. 3 Miserere mei, Jahvoh, miserere mei, quoniam debilis ego sum: sana me, Jahvoh, quoniam conturbata sunt ossa mea. 4 Anima mea turbata est valde: & tu Jahvoh usquequo? 5 Revertere, Jahvoh, eripe animam meam, serva me propter misericordiam tuam. *6* Quoniam non *est* in morte memoria tui, in sepulcro quis confitebitur tibi? 7 Laboravi in gemitu meo, natare facio omni nocte lectum meum lachryma mea, & stratum meum liquefacio. 8 Caligavit præ indignatione oculus meus, inveteravit propter omnes inimicos meos. *9* Recedite a me omnes operantes iniquitatem, quoniam audivit Jahvoh vocem fletus mei. 10 Audivit Jahvoh supplicationem meam, Jahvoh orationem meam suscepit. 11 Pudore afficiantur, & conturbentur valde omnes inimici me: convertantur, subito.

1 *jahvoh.* Hæc periodus iterum occurrit *Ps.* XXXVIII. *p.* 1. nisi quod, V. primo sit *bekez peca*, & ab altero absit copula. Gr. utramque eodem prorsus modo verterunt.

3 *honneni*. Repetendum videtur, ut *Ps.* LVII. *p.* 2. metro id poscente.

6 napsi. Præfigitur in Hebr. copula, quam Gr. etiam agnoscunt, sed respuit metrum.

7 ve att', pro *attah.* Liquidum hoc exemplum est elisionis τῶ *h* finalis ante *jod.*

10 *bammot.* Hebr. *bammavet*, sed metrum postulat, ut *mavet* in unam syllabam contrahatur. Vid. *Psal.* XXXIII. *p.* 19. Hoc autem argumentum ad gratiam Dei impetrandam sæpe in Psalmis adhibetur; quod non *mortui*, sed ii solum qui in terris vivunt, Dei nomen & laudes (palam, in Ecclesia, inter mortales) celebrare & prædicare possint. Vid. *Ps.* XXX. *p.* 10. LXXXVIII. 11. CXV. 17. 18. quibus adde *Esai.* XXXVIII. 18.

14 *bedimyati*, Interpungendum, non post *mittati* ut in Hebr. sed post *dimyati*; & copula necessario inserenda, quod & versus postulat.

15 *beccayas.* Hebr. *miccayas*, *Ps.* XXXI. *p.* 10. idem versiculus habetur, sed ibi est *beccayas*; ibidem est, *p.* 12. *miccol zorerai*. Recte, hic vero *becol.* Quod facit ut suspicer *be* & *min* errore quodam sedes invicem mutasse, & hic legi debere, *beccayas* & *miccol.*

22 *jasubu.* Hebr. *jasubu jebosu*. Sed & constructio & versus poscunt ut alterum ejiciatur: Ego prius retinendum putem, quod melius ei conveniat τῷ *ragay* quod sequitur. Vid. *Ps.* LXX. *p.* 3. 4.

PSALMUS VII. ז

SIggajon ledavid, aser sar
lihvoh, yal dibre cus ben-jemini

1 jahvoh elohai, beca
hasiti; hosiyeni
miccol rodpai, vehazzileni.

PSALMUS VII. ז

1 מניון לדוד אשר-שר
ליהוה על-דברי-כוש בן-ימיני:

2 יהוה אלהי בך
חסיתי הושיעני
מכל-רדפי והצילני:

« pen jitrop *ojeb*, cearjeh,
5 napsi, porek, ve-en mazzil.

jah elohai, im yasiti zot;
in jes yavel becappai;

im gamalti *me*sallemi ray,
v'ahallezah zoreri rekam;

10 jirdop ojeb napsi, vejasseg,
jirmos laarez haijai,
ucebodi leyapar jascen. selah.

kumah jahvoch beappecah, hinnasch;
beyabrot zorerai; veyurah
15 elai mispat zivvitah.

vayadat leummim tesobebeca;
veyaleha lammarom subah.

jahvoh jadin yammim: sopteni
jahvoh cezidki, ucetummi yalai.

20 jigmor na ray resayim,
uteconen zaddik; elohim
zaddik, ubohen libbot
ucelaijot; maginni
yal elohim mosiy jisre leb.

25 elohim sopet zaddik,
ve el zoyem becol jom.

im lo jasubu, harbo jiltos
kasto darac, vaijeconenah.

lo hecin cele mavet;
30 *ve*hizzav ledolekim.

hinneh jehabbel on, veharah
yamal, vejalad saker.

« bor carah, vaijahperehu,
vaijippol besahat jipyal.

35 « jasub yamalo beroso,
veyal kodkedo hamaso jered.

odeh jahvoh cezidko;
v'azammerah sem jahvoh yeljon.

3 פן-יטרף ** באריה
נפשי פרק ואין מציל:

4 יהוה אלהי אם-עשיתי זאת
אם-יש-עול בכפי:

5 אם-גמלתי * שלמי רע
ואחלצה צוררי ריקם:

6 ירדף אויב נפשי וישג
וירמס לארץ חיי
וכבודי לעפר ישכן סלה:

7 קומה יהוה באפך הנשא
בעברות צוררי ועורה
אלי משפט צוית:

8 ועדת לאמים תסובבך
ועליה למרום שובה:

9 יהוה ידין עמים שפטני
יהוה כצדקי וכתמי עלי:

10 יגמר נא רע רשעים
ותכונן צדיק ***
** ובחן לבות
וכליות הדיק אלצים: 11 מגני
על-אלהים מושיע ישרי-לב:

12 אלהים שופט צדיק
ואל זועם בכל-יום:

13 אם-לא ישוב-חרבו ילטוש
קשתו דרך ויכוננה:

14 ולו הכין כלי-מות
* חציו לדלקים יפעל:

15 הנה יחבל-און והרה
עמל וילד שקר:

16 בור כרה ויחפרהו
ויפל בשחת יצעל:

17 ישוב עמלו בראשו
ועל-קדקדו חמסו ירד:

18 אודה יהוה כצדקו
ואזמרה שם-יהוה עליון:

1 SIggaion Davidis, quod cecinit Jahvoh super verbis Chus filii Jemini. 2 Jahvoh, Deus mi, in te spero, serva me ab omnibus persequentibus me, & eripe me. 3 Ne forte rapiat inimicus, ut leo, animam meam, lacerans, & nullus eripiens. 4 Jah, Deus mi, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis; 5 Si retribui facienti mihi malum, & spoliavi eum qui sine causa mihi hostis est. 6 Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, conculcet in terram vitam meam, & gloriam meam in pulverem collocet. Selah. 7 Surge, Jahvoh, id ira tua, extollere propter indignationes hostium meorum; & evigila ad judicium quod præcepisti. 8 Et congregatio populorum circumdabit te, & propter eam in altum revertere. 9 Jahvoh, judicabit populos: judica me, Jahvoh, secundum justitiam meam, & secundum perfectionem meam, *quæ est* in me. 10 Consumatur, quæso, malum impiorum, & stabili justum. Deus justus est, & probans corda & renes. 11 Clypeus meus est super deum, servantem rectos corde. 12 Deus judex justus, & Deus indignans omni die. 13 Si non conversi fuerint, gladium suum acuet, arcum suum tetendit, & paravit illum: 14 Ei paravit vasa mortis: & sagittas suas in persequentes. 15 Ecce parturit iniquitatem, & concepit perversitatem, & pariet mendacium. 16 Cisternam fodit, & effodit eam: & occidit in foveam *quam* operatus est. 17 Convertetur perversitas ejus in caput ejus: & super verticem ejus iniquitas ejus descendet. 18 Laudabo Jahvoh secundum justitiam ejus: & psallam nomini Jahvoh altissimi.

1 *jahvoh*. Verborum ordine inverso suspicor legendum, *beca jahvoh elohai*. Confer hæc cum *Ps.* XXXI. *p.* 1. & CXLII. 7.

4 *ojeb*. Vocem quam omnes vident ad sensum subintelligi, versu jubente addidi. Vid. *Ps.* L. *p.* 22.

5 *porek*. Gr. μὴ ὄντος λυτρουμένου, sumendo vocem sensu Chaldaico, quomodo sæpe errarunt; illa nempe Lingua illis Hebraica longe notior fuit.

8 *mesallemi*. Hebr. *solemi*: Erat cum putarem legendum *lesolemi ray*; sed hæc vox nusquam alias occurit,

curit, nec *ſalam* in Kal uſquam eſt activum; non igitur poteſt hic ſignificare *pacem* cum aliquo *colere*. Interpretes Gr. & alii reddiderunt τοῖς ἀνταποδιδοῦσι. Quod oſtendit eos legiſſe *meſallemai* in *Pihel*; & id verſus poſtulat, qui, ſi *ſolemni* legas, ſyllaba juſto brevior eſt. Obſervandum autem Interpretes veteres legiſſe in hoc & ſ. v. in plurali, *meſallemai* & *zorerai*; & quod ſuadet hanc lectionem meliorem eſſe, *zorer*, etſi in *Pſ.* crebro occurrat, nuſquam alias in numero ſingulari uſurpatur.

9 *v' ahallezah.* Si *ſpoliavi*, *Job.* XXXVI. 15. Gr. ἀνθ' ἂν ἔθλιψαν, ubi idem verbum; ſed hic mire verterunt, ἀποπέσοιμι ἄρα ἀπὸ τ῀ ἐχθρῶν μȣ κενός. Quomodo legerint divinare nequeo, ſed *rekam* certum eſt non cum verbo jungi debere, ſed cum *zorerai*, quod idem eſt ac *ojebai*, & *ſoneai*, quæ cum *hinnam*, & *ſeker* ſæpiſſime conjuncta ſunt; ſed exemplis non opus, cum vis ſententiæ tota ab hac conſtructione pendeat.

10 *jirdop.* Heb. *jiraddop.* Monſtrum verbi, quod volunt compoſitum eſſe ex *Kal* & *Pihel*; ſed fruſtra genio linguæ imputatur ſcribentis error, quod & metrum clare oſtendit. Vid. *Pſ.* XVIII. *p.* 31. & CXLIII. *p.* 3.

14 *beyabrot.* Gr. ἐν τοῖς πέρασι. Putarunt nempe *yebrah* idem poſſe ſignificare ac *yeber*, cum *Jud.* III. 28. occurrat *mayberot* eodem ſenſu quo *mayberim*, διαβάσεις. Alii in *furore*, ſed hi de *Dei* ira intelligunt, alii de *ira* hoſtium. Sed ſi de Deo, dixiſſet Pſaltes *beyebrateca*. Ut in v. præcedente *beappeca*. Sed nec conſtructio hoc patitur. Mira enim eſt locutio, ut *ira hoſtium* ſit *ira contra hoſtes*. Nec melius res procedit ſi de *ira* hoſtium accipiatur. Quale enim hoc? *Exurge*, *Domine*, in *ira tua*, exaltare *in ira hoſtium vel inimicorum*. Si igitur hæc vera lectio, *be* eſt *contra* furores hoſtium; quo ſenſu ſæpe accipi oſtendit Noldius p. 145. Erat quidem cum ſuſpicarer Lectionem hanc in mendo eſſe, & legi debere *bayburot propter*, ſenſu optimo. *baybut* enim notum eſt ſignificare *propter*. Vid. *Pſ.* CXXXII. *p.* 10. Quidni vero liceat dicere in plurali *bayburot* eodem ſenſu, ut *benot*, *inter*, & *yal odot*, *propter*. Sed exemplum deſidero.

15 *elai.* Gr. legerunt *eli*, ὁ Θεός μȣ. Vera forte lectio *ele ad*, cum præpoſitio requiratur ante *miſpat*. Ad ſententiam ſcilicet contra hoſtes ferendam, quam Deus in Davidis gratiam dudum ferre decreverat. Vid. *Pſ.* XXXV. *p.* 23.

21 *elohim zaddik*. Hæc verba loco alieno poni in Hebr. res ipſa palam facit, idemque metrum plane oſtendit. Cl. Clericus, in verſione ſua, ſenſu ipſo duce, verba in eundem ordinem repoſuit quem hic habes; ſed in Commentario Lectorem nihil de illo monet; quod miror. Vid. *Jer.* XI. 20. Gr. interpungunt poſt *elohim.* male.

25 *ſopet zaddik. Jer.* loco dicto *ſopet zedek.* Et ſic *Pſ.* IX. *p.* 5.

26 *el.* Gr. verſio hic plane interpolata, ſed pro *el* videntur legiſſe *lo*, μὴ ὀργιλῷ ἐπάγων. Sed melius *el*. Vid. *Pſ.* XCIX. *p.* 8. & *Exod.* XXXIV. 7.

27 *Jaſubu*. Hebr. *jaſub.* Sed laborant & verſus & conſtructio; ſi enim ſic legas, non patet quis ſit de quo dicatur, *Deus* an *improbus*. Sin legamus *jaſubu*, ambiguitas hæc tollitur, & quod verſui deerat ſuppletur. Si non hoc modo locus ſanetur, ponendum *jah* poſt *jiltoſ.* Vid. *Pſ.* LVIII. *p.* 8. Gr. ἐπιστραφήτω; ſed errore forte librarii, pro στραφήτωσαν.

29 *lo*. Hebr. *velo*. Sed copulam ſequenti verſiculo præponendam eſſe facile intelligas, in cujus fine *jipyal* plane otioſum eſt; videtur huc irrepſiſſe ex *p.* 16. Vid. *Pſ.* XI. *p.* 2.

31 *veharah. Sicut* concepit laborem, *ita* pariet falſitatem. Nold. *p.* 305. Vid. *Eſ.* LIX. 4.

36 *jered.* Videtur ex margine irrepſiſſe, cum nec ad ſententiam nec ad verſum neceſſarium ſit, ſed potius venuſtatem ejus corrumpat.

PSALMUS VIII. ח

LAmenazzeh yal haggittit,
mizmor ledavid.

1 jahvoh adonenu, mah addir
ſimca becol haarez!

aſer tenah hodeca
yal haſſamem, mippi yolelim
5 vejonckim jiſſadra
yoz, limyan zorereca,
lehasbit ojeb umitnakkem.

ci ereh ſamem mayſeh
ezbeyoteca, jareh
10 vecocabim aſer conantah,

jah mah enoſ, ci tizcerennu?
uben adam, ci tipkdennu?

tehaſſerehu meyat me-elohim,
vecabod, vehadar teyatterehu.

15 *va*ttamſilehu bemayse jadeca,
col ſattah tahat raglav.

zoneh v' alapim, cullam,
vegam bahamot ſedai;

zippor ſamem, uldege haijam,
20 yobere orhot jammim.

jahvoh adonenu, mah addir
ſimca becol haarez!

PSALMUS VIII. ח

1 למנצח על־הגתית
מזמור לדוד:

2 יהוה אדנינו מה־אדיר
שמך בכל־הארץ

אשר־תנה הודך
על־השמים 3 מפי עוללים
ויונקים יסדרת
עז למען צורריך
להשבית אויב ומתנקם:

4 כי־אראה שמיך מעשה
אצבעתיך ירח
וכוכבים אשר כוננתה:

5 * מה־אנוש כי־תזכרנו
ובן־אדם כי תפקדנו:

6 ותחסרהו מעט מאלהים
וכבוד והדר תעטרהו:

7 * תמשילהו במעשי ידיך
כל שתה תחת־רגליו:

8 צנה ואלפים כלם
וגם בהמות שדי:

9 צפור שמים ודגי הים
עבר * ארחות ימים:

10 יהוה אדנינו מה אדיר
שמך בכל־הארץ:

---

1 PRæcentori ſuper Haggittit, Pſalmus Davidis. 2 Jahvoh, Domine noſter, quam grande eſt nomen tuum in univerſa terra! Qui ponis gloriam tuam ſuper cœlos. 3 ex ore parvulorum & lactentium fundaſti fortitudinem propter inimicos tuos, ad faciendum ceſſare inimicum & ultorem.

4 Quum

4 Quum video cœlos, opus digitorum tuorum, lunam, & ſtellas quas præparaſti. 5 Jah quid eſt homo, quod recorderis ejus: & filius hominis, quod viſites eum? 6 Deficere feciſti eum paululum ab Angelis, atque gloria & decore coronaſti eum. 7. Et dominari feciſti eum in opera manuum tuarum; omnia poſuiſti ſub pedibus ejus. 8. Pecudes, & boves, univerſa ipſa, & etiam beſtias agri. 9. Volucres cœli, & piſces maris, tranſeuntes ſemitas marium. 10. Jahvoh, Domine noſter, quam grande eſt nomen tuum in univerſa terra.

1 *jahvoh.* Ultima Pſalmi hujus periodus manifeſto eſt indicio primam in ſecundo verſiculo finiri. Et hac interpunctione longe major gratia ſequenti accedit ex pulcherrima oppoſitione inter cœlos & infantulos. *Tu, cujus gloria eſt ſupra cœlos, tamen dignatus es ex ore infantum &c.*

3 *tenah. Infinitivus* pro *præterito*, inquiunt Grammatici; verum *infinitivi* hujus formæ in *natan* nullum eſt exemplum. Sed hanc eſſe *imperativi* formam variis exemplis comprobatur. Mihi igitur videtur *imperativus* hic pro ſecunda perſona *præteriti* poni, quod idem factum puto in *ſimah*, *Pſ.* LVI. *p.* 9. & vice verſa, eſt, ni fallor, ubi ſecunda *præteriti* vim habet *imperativi*, cum modo iſto vel per copulam conjuncta vel ſenſus nexu; Vid. *Pſ.* XXII. *p.* 22. & XXV. 11.

4 *mippi*. Id eſt, qui per infantes potentiam tuam miris modis oſtendiſti. Ultimus verſiculus hujus periodi oſtendit ad rem contra potentiſſimos hoſtes, exiguis, imbellibus & infirmis copiis præter ſpem feliciter geſtam alludi; ſed cum occaſio Pſalmi ignoretur, quæ hic propria verborum vis ſit, nemo dixerit. Goliæ forte hiſtoria hic tangitur, quem Davides pæne puer & quodammodo inermis, cum Iſraelitæ de ſalute ſua fere deſperarent, uno fundæ ictu interemit: & ejus interitum maximarum copiarum fuga ſtatim inſecuta eſt. *mitnakkem.* Gr. ἐκδικητὴν. *Pſ.* XLIV. *p.* 7. ἐκδιώκοντος. Utroque in loco cum *ojeb* jungitur.

8 *ſamem.* Gr. τὰς, ὑρανὸς; in Hebr. *ſameca*, manifeſto errore, ſeu ſenſum ſeu verſum ſpectes. Simile mendum, *Pſ.* CXLIV. verſ. 12.

11 *jah mah.* Cum verſus ſyllaba debito minor ſit, præpondum putavi *jah*, quæ vox loco egregie convenit, & cum nulla Dei mentio per decem verſus præcedentes occurrat, quodammodo deſideratur. Et quod magis ſuadet vocem hanc excidiſſe, locus huic plane parallelus & ab hoc manifeſto deſumtus, *Pſ.* CXLIV. *p.* 3. ſic incipit, *jah mah adam*.

13 *tehaſſerehu.* In Hebr. copula præcedit, quod ſolemni errore accidit, quod vox præcedens in *vau* deſinat. Verſu autem primo ſeq. periodi eadem occaſione copula excidit. Gr. utroque in loco recte ἠλάττωσας -- καὶ κατέστησας.

20 *yoberi.* Hebr. *yober*, ſed conſtructio pariter ac verſus plurale poſtulat, & ſic Gr. τὰ διαπορευόμενα. Sed forte pro *jammim* cum præceſſerit *haijam*, legendum *maim*, *jod* retracto *ad yober*. In hoc autem Pſalmo, quæ ſenſu primo & quem vocant litterali de homine ſeu humano genere manifeſto dicuntur, & fere eadem ſunt ac quæ initio Geneſeos habentur, ſenſu myſtico & prophetico de Chriſto interpretatur ſcriptor ad Hebræos, apud quos illa interpretandi ratio dudum recepta fuit, *Hebr.* II. 7. iis vero quæ periodo tertia dicta ſunt, Chriſtus ipſe Judæis inſigniter os obturavit, *Matth.* XXI. 16.

PSALMUS IX. ט

LAmenazzeh yal mut labben
mizmor ledavid.

1 " odeh jahvoh, becol libbi,
asapperah col nipleoteca.

" eſmehah veeylezah bac;
azammerah ſimca yeljon.

5 beſub ojebai ahot, jiccaſelu
vejobedu mippaneca *adonai*.

" ci yaſita miſpati vedini,
jaſabta lecisse ſopet zedek,

" gayarta goim, ibbabta raſay,
10 ſemam mahita leyolam vayed.

" haojeb, tammu horbot lanezah,
veyarim nataſta, abad zicram.

jahvoh leyolam jeſeb,
connen lammiſpat ciso.

15 vehu jiſpot tebel bezedek,
jadin leummim bemeſarim.

" viht jahvoh miſgab laddac,
miſgab leyittot bazzarah.

vejibtehu beca jodeye ſimca
20 ci lo yazabta doreſeca jahvoch.

" zammeru lihvoh joſea bezion,
haggidu bayammim yalilotav.

ci dores damim otam zacar;
velo ſacah zaykat yanavim.

PSALMUS IX. ט

1 למנצח על-מות לבן
מזמור לדוד:

2 אודה יהוה בכל-לבי
אספרה כל-נפלאותיך:

3 אשמחה ואעלצה בך
אזמרה שמך עליון:

4 בשוב-איבי אחור יכשלו
ויאבהו מפניך ***:

5 כי עשית משפטי ודיני
ישבת לכסא שפט צדק:

6 נערת גוים אבדת רשע
שמם מחית לעולם ועד:

7 האויב תמו חרבות לנצח
וערים נתשת אבד זכרם המה:

8 ויהוה לעולם ישב
כונן למשפט כסאו:

9 והוא ישפט תבל בצדק
ידין לאמים במישרים:

10 ויהי יהוה משגב לדך
משגב לעתות בצרה:

11 ויבטחו בך יודעי שמך
כי לא-עזבת דרשיך יהוה:

12 זמרו ליהוה ישב * ציון
הגידו בעמים עלילותיו:

13 כי-דרש דמים אותם זכר
* לא שכח צעקת עניים:

25 honneni jahvoh, reeh yonji, *vehazzileni* missoneai, meromemi missayre mavet.	14 חנני יהוה ראה עניי ***** משנאי מרוממי משערי-מות:
limyan asapperah col tehil- -lateca besayre bat zion, 30 *ve*agilah bisuyateca.	15 למען אספרה כל-תהל- -תיך בשערי בת-ציון * אגילה בישועתך:
" tabeyu goim belahat yasu; beresset zu tamanu, nilcedah raylam.	16 טבעו גוים בלחת עשו ברשת זו טמנו נלכדה רגלם:
noday jahvoh *be*mispat yasah; bepoyal cappav nokes rasay. selah.	17 נודע יהוה * משפט עשה בפעל כפיו נוקש רשע הגיון סלה:
35 jasubu resayim leseol, col goim secche elohim.	18 ישובו רשעים לשאולה כל-גוים שכחי אלהים:
ci lo lanezah jiscah ebjon; tikvat yanijim tobed layad.	19 כי לא לנצח ישכח אביון תקות עריים תאבד לעד:
kumah jahvoh, al jayoz enos, 40 jissapetu goim *li*pneca.	20 קומה יהוה אל-יעז אנוש ישפטו גוים על-פניך:
sitah jahvoh morah yalehem; jedeyu goim, enos hemmah. selah.	21 שיתה יהוה מורה * להם ידעו גוים אנוש המה סלה:

1 PRæcentori super Mut labben, Canticum Davidis. 2 Laudabo Jahvoh in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. 3 Lætabor & exultabo in te: cantabo nomen tuum, Altissime. 4 Quum retrocedunt inimici mei retrorsum, impingent & peribunt a facie tua, Domine. 5 Quoniam fecisti judicium meum & causam meam, sedisti in solio, judicans justitiam. *6* Increpasti Gentes, perdidisti impium: nomen eorum delevisti in seculum & sempiternum. 7 Inimici, defecerunt villæ in seculum; & urbes destruxisti; periit memoria earum. 8 Jahvoh in seculum permanebit, paravit ad judicium solium suum. *9* Et ipse judicabit orbem in justistitia, judicabit populos in rectitudinibus. 10 Et erit Jahvoh exaltatio pauperi; exaltatio ad tempora in angustia. 11 Et sperabunt in te scientes nomen tuum: quia non deseruisti quærentes te Jahvoh. 12 Cantate Jahvoh habitanti in Sione; annunciate in populis opera ejus: 13 Quoniam quærens sanguines, eorum recordatus est, & non oblitus est clamoris pauperum. 14 Miserere mei, Jahvoh: vide afflictionem meam, & eripe me ab osoribus meis, exaltans me de portis mortis: 15 Ut narrem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion, & exultem in salute tua. 16 Demersæ sunt gentes in foveam *quam* fecerunt; in reti, quod absconderunt, captus est pes eorum. 17 Notus est Jahvoh in judicio quod fecit, in opere manuum suarum illaqueatus est impius: selah. 18 Revertentur impii ad sepulchrum, omnes gentes oblitæ Dei. 19 Quoniam non in seculum oblivioni tradet egenum: expectatio pauperum non peribit in seculum. 20 Surge, Jahvoh, ne invalescat homo: judicentur gentes coram facie tua. 21 Pone, Jahvoh, timorem super eis; sciant gentes, quod homines sunt. selah.

1 *odeh.* Gr. verterunt ἐξομολογήσομαί σοι κύριε, quasi legissent *odec* Sed liberius forte verterunt, ad vitandam subitam illam personarum mutationem quæ linguæ Heb. familiaris, est, sed quam aliæ vix patiuntur.

6 adonai. Hæc vox hic posita egregiam emphasin habet, & nisi hic inseratur, per octo versus nullum Dei nomen habebitur, quod contra Psalmorum usum est. Cum vero nomina Deum significantia creberrime occurrant, & singulis pene versiculis multis in Psalmis, nihil mirum est, si festinante calamo nonnunquam vox omissa sit, quæ ad sensum parum necessaria est. Et hoc multis in locis re vera accidisse ex Gr. versione constat. Cum hæc ita sint, nihil magis opportunum videbatur ad versum explendum, qui alias mancus est.

11 *haojeb. O inimice.* Sic fere recentiores Interpretes, quod sensum periodi hujus valde impeditum reddit. Gr. τοῦ ἐχθροῦ, ut integra oratio sit, *inimicus*, defecerunt vastitates *ejus*. Pro *horbot* Gr. legerunt, *harbot*, αἱ ῥομφαῖαι. Sed nostra lectio melior. Quod ad periodi hujus sensum, sic fere interpretes; vel commemorat Psaltes, quod ab hoste factum est, vel per ironiam hosti objicit quæ ille animo destinarat. Sic *Clarius*. Insultatio adversus inimicum, qui sibi persuaserat se omnia ita apud Israelitas vastaturum, ut ne memoria quidem ulla rerum destructarum superesset; quod tamen aliter accidit. Sic *Vatablus*. Mihi videor, inquit *Muisius*, sic posse vertere, *Inimice, consummatæ sunt vastitates, & civitates destruxisti? Periit memoria eorum cum ipsis*. Quasi subito ad hostem sermonem convertat, ab eoque per ironiam quærat, an confectæ sint vastitates quas ante animo meditabatur, & civitates exciderit; statim subjungens, *periit memoria*, &c. quasi dicat, imo hostes ipsi prorsus perierunt, nullam sui memoriam relinquentes. Atque hanc interpretationem priori prætulerunt, quod nusquam legatur, hostes regionem Israeliticam, excisis urbibus tam fœde devastasse; quod quidem verum est, sed nec altera interpretatio vel loco vel verbis satis convenit. Malim igitur cum Cl. Clerico *defecerunt solitudines* hoc modo intelligere, desierunt *Villæ* in solitudinibus, quo modo *Job.* III. 14. *ædificare solitudines* est *villas* in illis ædificare. Sic enim viri illustres & opulenti solebant. Hæc igitur intelligenda de villis hostium quas combusserant Hebræi, & de ipsorum urbibus quas deleverant. De clade aliqua insigni hic agi manifesta res est; sed quænam fuerit, ignoratur.

12 *zicram.* In Hebr. additur, *hemmah.* Pro quo Gr. videntur legisse *hameh.* Verterunt enim μετ' ὀλίγου. exiguo aut nullo sensu. *hemmah* est veralectio, quæ nescio quo errore huc irrepsit, ex ultimi versiculi fine, qui est ab hoc tricesimus. Vid. not. ad *Ps.* IV. *p.* 8.

13 *jahvoh.* In Hebr. *vau* præponitur, quod si retineatur, legendum *vejah*; sed cum præcedens v. a *vau* incipiat, mihi videtur hic errore calami repetitum; non enim video quomodo hic commode locum obtinere possit, cum in his non tam æternitas Dei quam justitia ejus celebretur. Neque hæc opponantur iis quæ in v. proxime præcedente dicta, sed sint repetitio quædam eorum quæ dixerat periodo quinta.

16 *bemisarim*. Vid. *Ps.*XCVI.v. 20. & XCVIII. v.23.

legit-

leyittot. Vid. *Ps*. X. *p*. 1.

21 *joseb be*. *be* in Hebr. excidit, cum eadem litera proxime præcesserit; possit etiam legi *haijoseb*, cum *h* ob eandem rationem forte omitteretur.

24 *velo*. Copulam præposui ad explendum versum; quod & constructionem adjuvat.

yanavim. Sic *keri*, *cetib yaniim*.

26 *vehazileni*. Quod sequitur liquido ostendit hic aliquid excidisse; verbumque hujusmodi necessario reponendum. Vid. *Ps*. XVIII. *p*. 18. & LXIX. 15. & ad v. seq. *Ps*. CVII. *p*. 18.

28 *col tebil* --- si vocem hanc divisam nolis, transponenda hæc post *zion*. Vid. Not. ad *Ps*. V. *p*. 9.

30 *Veagilah*, hic quoque & versus & constructio postulant, ut copula inseratur; alias tota hæc periodus ad hunc modum digerenda est.

" *limyan asapperah*
col tehillateca
be sayre bat zion,
agilah bisuyateca.

33 *bemispat be* inseri non minus constructio quam metrum poscit. Deus judicio quod splendide fecerat, cognitus est, seu innotuit.

34 *selah*. Ante *selah* in Hebr. est *higgajon*, quod videtur instrumenti cujusdam musici nomen fuisse. Vid. *Ps*. XCII. v. 6. Sed Gr. hic & illic reddiderunt ᾠδή. Quicquid vero significet hæc vox, nihil faciat ad sensum, sed musicam solum spectat, pariter ac *selah*, & e margine in textum irrepsit, quod & aliis vocibus ad cantum vel musicam pertinentibus accidisse pluribus exemplis patet. Vid. *Ps*. XXXIX. *p*. 6. XLV. 10. LXXVII. 7. & LXXXIX. 16.

35 *leseol*. Hebr. *leseolah*. Manifesto, ut mihi videtur, errore. Dicendum enim vel *seolah*, ut *Genes*. XXXVII. 35. XLII. 38. & alibi; vel *leseol* quod solum in Psalmis usurpatur.

36 *secebt*. *Ps*. L. v. 47. *soeecht*.

37 *jiscah*. Hebr. *jisacah*. In *niphal*, sed versus poscit, ut sit in *kal*, vel in seq. v. *lo* inserendum ante *tobed*, sed prius magis placet, cum *Deus* proxime præcesserit.

38 *yanijm*. Sic *keri*; sed *cetib*, *yanavim*: contra *Ps*. X. v. 28. *cetib*, *yanijim*, *keri* vero *yanavim*. Gr. utrobique vertunt πένητες; & sic *Ps*. X. *p*. 17. ubi in Heb. est *yanavim*. Quod alias reddunt πρᾳεῖς.

39 *kumah*. Ad judicium impiorum. Frequens hæc ἀνθρωποπάθεια, quæ in Psalmis decies minimum occurrit.

40 *lipneca*. Hebr. *yal paneca*, & mox, *lahem*. Sed *yal* & *l* videntur sedes invicem commutasse; id ipsa constructio satis ostendit; sed & confirmat metrum, sic enim utrique versiculo laboranti succurritur; & sic etiam Gr. legisse videntur, verterunt enim, ἐνώπιόν σου, & ἐπ' αὐτοῖς.

41. *morah*. Gr. legerunt *moreh*. νομοθέτην, male; neque enim *legislatorem* illis præfici, sed timorem injici, est id quod Psaltes a Deo petit.

PSALMUS X.

1 LAmmah jahvoh taymod berahok?
*tit*yallam leyittot bazzarah?

begava*b* rasay jidlak yani;
jittapesu *bez*immot *zu* hasabu.

5 " ci hillel rasay yal tavat napso,
ubozey berec, *veniez* jahvoh.

rasay begobah appo
amar, *jahvoh* bal jidros.

en elohim, col mezimmotav;
10 *ve*jahilu darcav becol yet.

marom mispateca minnegdo;
*ve*col zorerav, japih bahm.

" amar belibbo, balj emmot
ledor vador, *selo* beray.

15 alah pihu male, umirmot;
vatoc tahat lesono, yamal veon.

jeseb, *ce*meareb hazerim,
bammistarim, *le*harog naki;
y*e*nav lehelecah jizponu.

20 jereb bammistari*m*, cearjeh
besuccoh, jereb lahtop yani;
bemosco beristo jedacceh.

jasoh*u* venapal*u*
bayazumav helcaim.

25 " amar belibbo, sacah el*ohim*;
histir panav, bal raah lanezah.

kumah jahvoc, el*ohim* nesa
jadeca; al tiscah yanavim.

yal meh niez rasay elohim?
30 *ci* amar belibbo, lo tidros?

PSALMUS X.

1 למה יהוה תעמר ברחוק
* העלים לעתות בצרה:

2 בגאות רשע ידלק עני
יתפשו במזמום זו חשבו:

3 כי-הלל רשע על-תאות נפשו
ובצע ברך * נבץ יהוה:

4 רשע בגבה אפו
**** בל ידרש

אין אלהים כל-מזמותיו:
5 * יחילו דרכו בכל-עת

מרום משפטיך סנגרו
* כל-צורריו יפיח בהם:

6 אמר בלבו בל-אמוט
לדר ודר אשר-לא ברע:

7 אלה פיהו מלא ומרמות
ותך תחרת לשונו עמל ואון:

8 ישב במארב חצרים
במסתרים * יהרג נקי
עיניו להלכה יצפנו:

9 יארב במסתר * כאריה
בסכה יארב לחטוף עני
יחטוף עני במשכו ברשתו: 10 ודכה

ישח * ונפל *
בעצומיו חלכאים:

11 אמר בלבו שכח אל **
הסתיר פניו בל-ראה לנצח:

12 קומה יהוה אל ** נשא
ידך/ אל-תשכח עניים:

13 על-מה נאץ רשע אלהיש
* אמר בלבו לא תדרם:

raitah

raitah attah yamal,
jahvoh, vacayas tabbit;
latet bejadeca; yalɛca
jayzob helecah; jatom
35 attah hajita yozer.

« ſebor zeroy raſay, varay;
tidroſ reſay, *u*bal timza.

« jahvoh melec yolam vayed,
abedu goim mearez.

40 *ve*tavat yanavim ſamayta;
tacin libbam, takſib ozneca,

liſpot jatom, vadac; bal jocip
yod layroz enoſ min gaarez.

14 ראיתה כי-אתם עמל
* * וכעס תביט
לתת בידך עליך
יעזב חלכה יתום
אתה היית עוזר:

15 שבר זרוע רשע ורע
חדרוש-רשעו * בל-תמצא:

16 יהוה מלך עולם ועד
אבדו גוים מארצו:

17 * תאות ענוים שמעת יהוה
תכין לבם תקשיב אזנך:

18 לשפט יתום ודך בל-יוסיף
2 *jahvoh*. bis est in Hebr. sed versus respuit si cetera sana sunt, nisi bis ponatur *Jah*. quod minus placet. Gr. post *dal* videntur legisse, *veebjon*. ἐπὶ πτωχὸν καὶ πένητα. Quam lectionem si recipiamus, periodus hæc ad hunc modum digerenda.

asre hammascil el dal
veebjon bejom rayah.
jemalletehu jahvoh, jahvoh
jismerehu vejehaijehu;
vejeussar baarez.
al tittenehu benepes ojebav.

Sed facile fieri poterat ut καὶ πένητα in Gr. versionem irrepserit, quia voces hæ, πτωχὸς καὶ πένης sæpe conjunctæ sunt, ideoque parum certum est eos in suo Codice legisse *veebjon*.

3 *jeussar. keri*, *veussar*, sed altera lectio mihi verior videtur. Gr. καὶ μακαρίσαι αὐτόν.

5 *jah*. In Hebr. *jahvoh*, sed vel legendum *jah*, vel copula versiculo sequenti præfigenda, quod forsan rectius.

9 *raya*h. In Hebr. *ray*, sed versus postulat *rayah*, & hanc lectionem firmat period. 8.

12 ve*libbo*. Et constructio, & metrum poscunt copulam præfigi quæ in Hebr. deest.

13 *jahad*. Gr. ἐλάλει ἐπὶ τὸ αὐτό. Et sic versus postulat; & sic quidem venustius clauditur periodus septima, quam si desineret in *jedabber*, cum versiculus primus in ista voce desinat; præterea, si ad sequentem periodum pertineret, post verbum poneretur.

16 *jazuk bo*. Hæc sunt verba hominum male Davidi imprecantium. Ideoque *futura* hæc *Imperativi* vim habent. *Debar beliyal* morbum gravem significare verisimile est vel scelus aliquod, quod velint morbi causam esse. Hoc posteriore sensu sumitur, *Ps.* CI. *p.* 3.

17 *vaaser*, reddendum puto, *&* *quum*, si locus sanus sit; sed suspicor *aser* ex sequente periodo irrepsisse; & pro *sacab*, legendum, *soceb*. Gr. ὁ κοιμώμενος.

19 *yalai*. In Hebr. sequitur *yekeb*. Et sic legerunt Gr. sed cum reputem *higdil yalai* esse integram loquutionem, & hunc perpetuum esse τοῦ *higdil* in SS. usum, non possum a me impetrare quin hæc mendosa credam, & *yekeb* irrepsisse ex *Ps.* XL. 16. quod triginta fere versiculorum intervallo distat, qualem errorem sæpius accidisse deprehendi. De *higdil*, Vid. *Ps.* XXXV. *p.* 26. XXXVIII. 17. LV. 13.

22 *hapazta*. In Hebr. præcedit *ci*, sed metri gratia vel tollendum, vel hic versiculus hac voce finiendus, & in vers. sequenti legendum *ojeb*; sed prius prætulerim, quia sic versus hic sensum integrum habebit, & meliores erunt numeri; & cum *ci* in versu sequente habeatur, inde forsan in hunc irrepsit.

26 *baruc*. Hanc periodum quæ primum Psalmorum librum claudit, cum Muisio aliisque doctissimis interpretibus censeo non profectam esse ab autoris hujus Psalmi manu, sed ejus esse, qui Psalmos collegit, atque in ordinem digessit; cum tres sequentes libri consimili δοξολογίᾳ finiantur. Vid. ultima *Psal.* LXXII. LXXXIX. & CVI.

29 *veamen*. Sic etiam in *Ps.* LXXII. & LXXXIX. habetur *veamen*. sed extra versum est in omnibus: in fine quarti libri observandum est post *yad hayolam* addi, *veamar col hayam, amen*, & in 1 *Paral.* XVI. 36. *vaijomeru col hayam amen*. Unde puto hæc verba hic subintelligi; primum utique *amen* a cantore dictum est, alterum a populo; vel si hoc nolis, dicendum est secundum *amen* a collectore additum esse ex abundanti; nihil tertium est quo gemini *amen* ratio reddi possit, cum manifesto sit extra versum.

seper seni.

PSALMUS XLII. מב

Lamenazzeh, mascil, libnε korah.
1 ceaijal tayrog elεca elohim.
cen naph tayrog elεca elohim,

zameah napsi leelohim,
leel hai; matai abo,
5 veeraeh penε elohim.

hajetah li dimyati lehem
jomam valailah, bemor elai
col haijom, aijeh elohεca.

elleh ezcerah, veespecah
10 yalai napsi; ci *jay*bor
bassac eddaddem yad bεt
elohim, bekol rinnah
vetodah, hamon hogeg.

mah tistohahi napsi?
15 u*mah* tehmi yalai? hohili
leelohim, ci yod odennu,
jesuyot panai, *v*eelohai.

yalai napsi tistohah;
yalcen excoreca meerez
20 jarden, vehermon, mehar mizyar.

tehom el tehom kore lekol
zinnorεca; col misbarεca,
vegallεca yalai yabaru.

jomam jezavveh jahvoh hasdo,
25 uballailah *a*sirah;
yimmi tepillah leel haiji.

omerah leel, salyi *attah*,
lamm' secahtani? lammah koder
elec belahaz ojeb.

30 cerezah boyazmotai,
harapot herepuni
zorerai, bomram elai
col haijom, aijeh elohεca.

mah tivohahi napsi?
35 umah tehmi yalai? hohili
leelohim, ci yod odennu,
jesuyot panai, veelohai.

ספר שני:

PSALMUS XLII. מב

1 למנצח משכיל לבני-קורח:
2 באיל תערג על-אפיקי-מים
כן נפשי תערג אלוך אלהים:

3 צמאה נפשי לאלהום
לאל-חי מתי אביא
ואראה פני אלהים:

4 היתה-לי דמעתי לחם
יומם ולילה באמר אלי
כל-היום איה אלהיך:

5 אלה ואשפכה
עלי נפשי כי אעבר
בסך אדדם עד-בית
אלהים בקול-רנה
ותודה המון חגג:

6 מה-תשתוחחי נפשי
ו * תהמי עלי הותלי
לאלהים כי-עוד אורנו
ישועות פניו: 7 *אלהי

עלי נפשי תשתוחח
על-כן אזכרך מארץ
ירדן וחרמונים מהר הצער:

8 תהום-אל-תהום קורא לקורת
צנוריך כל-משבריך
וגליך עלי עברו:

9 יומם יצוה יהוה חסדו
ובלולה * שירה
עמי תפלה לאל חיי:

19 אומרה לאל סלעי **
למה שכחתני למה קדר
אלך בלחץ אויב:

11 ברצח בצמורתי
*** חרפוני
צררי באמרם אלי
כל-היום איה אלהיך:

12 מה-תשתוחחי נפשי
ומה-תהמי עלי הוחילי
לאלהים כי-עוד אורנו
ישועות פני ואלהי:

LIBER SECUNDUS.

1 Præcentori, Didacticon, filiis Corah. 2 Quemadmodum cerva clamat ad torrentes aquarum, ita anima mea clamat ad te, Deus. 3 Sitivit anima mea ad Deum vivum; *dicens*, Quando veniam, & apparebo *ante* faciem Dei? 4 Fuit mihi lachryma mea panis die ac nocte, dum dicerent mihi omni die, Ubi est Deus tuus? 5 Horum recordabar, & effundebam super me animam meam; quum transiret in locum tabernaculi magnifici usque ad domum Dei, in voce exultationis & laudis, multitudo tripudians. 6 Cur dejicis te, anima mea? & *cur* conturbas me? spera in Deo, quia adhuc celebrabo illum, salutem vultus *mei*, & 7 Deum meum. In me anima mea dejecta est; propterea quod recordor tui de terra Jarden, & Hermon, de monte parvo. 8 Abyssus Abyssum vocat ad sonitum fistularum tuarum; omnes undæ tuæ & fluctus tui super me transierunt. 9 Interdiu præcipiet Jahvoh misericordiam suam, & nocte cantabo; apud me oratio Deo vitæ meæ. 10 Dicam Deo, petra mea *es tu*, quare oblitus es mei? quare pullatus incedo propter oppressionem inimici? 11 *Quasi* gladius in ossibus meis,

meis, *probra* ſunt *quibus* afficiunt me inimici mei, cum dicunt ipſi ad me omni die, Ubi eſt Deus tuus? 12 Cur dejecta es, anima mea? & cur conturbas me? ſpera in Deo, quia adhuc celebrabo illum, ſalutem vultus mei, & Deum meum.

Pſalmis his, qui *libni korah* inſcribuntur, proprium eſt, *l*, Dativo præfixum, quamvis *a* ſequatur, tamen non cum illo in unum coaleſcere, ſed ſyllabam per ſe conſtituere, cujus in hac ipſa periodo duo exempla ſunt; quod alium plane a Davide Pſalmorum horum auctorem indicat.

3 *zameah --- leelohim.* Vid. *Pſal.* LXIII. *p.* 2. & LXXXIV. 2.

5 *peni.* Si hoc recte ſe habet, ſubintelligendum *el.* Vid. *Pſ.* LXXXIV. *p.* 8. vel *l* quod forte excidit, & legendum *lipni*.

9 *ezcerah*, recordari ſoleo; quum anima præ mœrore diffluit. Vid. *Job.* XXX. 16.

10 ja*y*bor. Hebr. *eybor*, ſed ut *Pſ.* XXXVII. *p.* 36. *jaybor* pro *eybor*, ita hic errore librarii prima perſona hujus verbi loco tertiæ poni videtur, quacum convenit *hamon* in fine periodi. Senſus enim, ni fallor, hic eſt. Hæc triſtis mecum meditor, quoties feſtis diebus populus ad dei domum lætabundus aſcendit.

11 *baſſac eddaddem*. Ad neutrum horum verborum quicquam afferunt Intt. quod cuivis erudito placere poſſit: utrumque in mendo eſſe vehementer ſuſpicor, ſed quid reponendum ſit neſcio. *Locus* videtur ſignificari per quem ad ædem dei tranſeundum erat; ut *Pſ.* LXXXIV. *p.* 7. *yoberi beyemek habbaca*; ſed diu multumque cogitanti nihil occurrit, quod ulla ex parte ſatisfacit, niſi lectionem reponamus quam ſequuti ſunt Gr. qui pro his habent, ἐν τόπῳ σκηνῆς θαυμαστῆς, quaſi legiſſent *bemekom ſoc adderet.* qua lectione admiſſa *yad bit* ſequenti verſiculo præponendum. Aq. vertit ἐν συσκίῳ, Sym. εἰς τὴν σκηνήν, unde liquet illos quoque legiſſe *ſoc.* Vid. *Pſ.* XXVI. *p.* 8.

14 *mah &c.* Hæc periodus bis repetita eſt intra quadraginta verſuum ſpatium; ultima nempe periodus eſt, & hujus Pſalmi, & ſequentis; & utroque in loco recte incedit, & ab omni mendo libera eſt. Hoc igitur inſigne exemplum eſt Judaicæ in conſervandis ſacris codicibus negligentiæ, ſeu potius ἀμαθίας, cum hic bis erretur. In ſecundo enim verſiculo *mah* omittitur, quod Gr. agnoſcunt, καὶ ἱνατί. Sed hoc erratum, quamvis vitatu facillimum, metrum lædit potius quam ſenſum; alterum longe gravius; retrahendo enim *vau* ab *elohai* ad *panai*, non modo periodorum diſtinctionem turbarunt, non modo verſus duos peſſime corruperunt, ſed conſtructionem etiam, adeoque ſenſum verborum everterunt. Vix aliud, opinor, exemplum afferri poteſt, ubi unius literulæ prava poſitio tot pepererit incommoda. Tam aperta menda nunquam in ſacrum Codicem irrepere, nedum loca quæ occupaverant tranquille quaſi jure quodam poſſidere potuiſſent, ſi vel minimum ſolertiæ aut acuminis priſci exſcriptores adhibuiſſent. Poſtea cum per multos jam annos inolita eſſent menda, cum melioribus forte exemplaribus deſtituerentur, & ars metrica penitus periiſſet, vel non ſenſerunt Judæorum magiſtri, vel tollere relligio fuit. Meminiſſe vero debemus Judæos aliquando in calamitoſiſſima incidiſſe tempora; & nihil mirum ſi tunc literæ jacerent, cum dura captivitate, aliiſve graviſſimis malis premerentur. Ab his temporibus ſacrum codicem labes ſuas traxiſſe cenſendum eſt. Sed de his fuſius in Prolegomenis. Cum ad locum hunc commentarium, ſcriberet Cl. Clericus, aliud agebat, vel ſcripſit ὑποθέσει δυλλῶν, & ut verſiculos hic ὁμοιοτελεύτους inveniret; alias enim vir tam eruditus nunquam putaſſet hanc periodum hoc in loco recte ſe habere, in reliquis vero mendoſam eſſe.

20 *vehermon.* Hebr. *vehermonim*, ſed hoc mendoſum eſſe metrum oſtendit; nec alibi *hermon* in *plurali* occurrit, in *ſingulari* vero notum montis nomen eſt, & hic montem memorari ſequentia oſtendunt, *mehar mizyar*, quod alterius cujuſdam montis nomen eſſe videtur.

21 *tehom.* Senſus eſt, mala malis continuo ſuccedere, quaſi calamitas calamitatem invitaret; ubi *Finis præteriti mali Gradus eſt futuri*. Comparatio vero ſumpta a Diluvio magno. Vid. *Gen.* VII. 11. cum οἱ καταῤῥάκται τοῦ οὐρανοῦ ἠνεῴχθησαν. Ut ibi Gr. & hic εἰς φωνὴν τῶν καταῤῥακτῶν σου. Vid. *Pſ.* LXXXVIII. *p.* 8.

24 *jezavveh.* Hac ſpe Pſaltes ſe conſolatur. *Mandare* vero hic eſt *procurare*, quia dei mandatum cum effectu conjunctum eſt. Vid. *Pſ.* LXVIII. *p.* 29. & CXXXIII. 3.

25 a*ſirah.* In Hebr. *ſhiroh*, ubi *h* volunt eſſe pro *vau*, *canticum ejus*, ſc. *dei*. Mira ſane loquutio; ſed metrum clare oſtendit excidiſſe *a*, & legendum *aſirah*, & ibi diſtinguendum.

27 *attah.* Et conſtructio & metrum oſtendunt *attah* reponendum eſſe, & ſic legerunt Gr. ἀντιλήπτωρ μου εἶ.

28 *lamm'*. In Hebr. *lammah*, ſed particulam hanc interdum apocopen pati, plura loca ſuadent. Nec verſus hic & in ſequente *Pſ.* v. 5. ad numeros ſuos redigi alio modo poſſit, niſi dicere liceret *ſcahtani*, & *znahtani*, quod non liquet. Nec opus eſt huc confugere, ſi alias metro conſuli poſſit. Vid. *Pſ.* LXXIX. *p.* 10. & CXV. 2. quæ clare, ni fallor, oſtendunt *lammah* in monoſyllabum contrahere licere abjiciendo finalem *h*.

30 cere*zah.* Locus hic in Hebr. plane mendoſus, & metro & ſenſu duce; pro *berezah* legendum *cerezah*, quæ Cappelli etiam conjectura fuit. Crit. Sacr. *p.* 427. & inſerendum *harapot*, quod a verbo ſequente abſorptum fuit. Fruſtra ſe torſerunt hic Interpretes. Vid. *Pſ.* LXIX. *p.* 10. & LXXXIX. 51.

32 *bomram.* Suſpicor legendum *bemor*, ut *p.* 4. cum hæc ſit illorum repetitio.

PSALMUS XLIII. מג

1 SOpteni elohim, veribah
*j*eribai; miggoi lo hasid,
meiſ mirmah, veyavlah palleteni.

ci attah elohim, mayuzzi,
5 lamm' zenahtani? lammah koder
elec belahaz ojeb?

ſelah oreca v'amitteca;
hemmah jahuni, *hemmah*
jebiuni el har kodſeca,
10 veel miſcenoteca.

v'aboah el mizbah elohim,
el ſimhat gili, veodeca
becinnor, elohim, elohai.

15 mah

PSALMUS XLIII. מג

1 שפטני אלהים וריבה
* ריבי-מנוי לא-חסיר
מאיש מרמה ועולה תפלטני:

2 כי-אתה אלהי מעוזי
למה זנחתני למה קדר
אתהלך בלחץ אויב:

3 שלח-אורך ואמתך
המה ינחוני **
יביאוני אל-הר-קדשך
ואל-משכנתיך:

4 ואבואה אל-מזבח אלהים
אל-אל שמחת גילי ואודך
בכנור אלהים אלהי:

5 מה

15 mah tistohahi napsi?
umah tehmi yalai? hohili
leelohim, ci yod odennu,
jesuyot panai, veelohai,

5 מה-תשתוחחי נפשי
ומה-תהמי עלי הוחילי
לאלהים כי-עוד אורנו
ישועות פני ואלהי:

1 JUdica me, Deus, & litiga cum ligatoribus meis; a gente non misericorde, & viro doli & iniquitatis eripe me. 2 Quia tu Deus fortitudo mea, quare repulisti me? quare pullatus incedo propter oppressionem inimici? 3 Emitte lucem tuam & veritatem tuam; ipsæ deducent me, *ipsæ* introducent me ad montem sanctitatis tuæ, & ad tabernacula tua. 4 Et introibo ad altare Dei, Dei lætitiæ exultationis meæ, & celebrabo te in cithara, Deus, Deus mi. 5 Cur dejecta es anima mea? & cur conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc celebrabo salutem vultus mei, & Deum meum.

2 *jeribai*. In Hebr. *ribi*, sed cum syllaba versui desit, vel *&* inserendum ante *ribi*, vel legendum *jeribai*, ut *Ps.* XXXV. 1. quod malim, cum hæc lectio optime conveniat cum sequentibus.

3 *palleteni*. Et sic Gr. ῥῦσαί με. In Hebr. *tepalleteni*, quod & metrum & constructio respuit.

4 *elohim mayzzi*. In Hebr. *elohe mayuzzi*, sed Gr. legerunt *elohim*; σοὶ ὁ θεὸς κραταίωμά μου. Quod mihi quidem videtur melius; duobus *m* concurrentibus prius excidit.

6 *elec*. In Hebr. *ethallec* in *hithpahel*, sed versus poscit *elec*, quomodo legitur in *Ps.* præcedente v. 29.

8 hemmah. Cum versus indicet vocem dissyllabam excidisse, nihil aptius occurrebat quod insererem hac voce, quæ hic magnam emphasin habet, & nisi illam inseras, nexus inter verba desiderabitur.

12 *el*. In Hebr. *el el*, sed prius metrum respuit.

PSALMUS XLIV. מד

1 LAmenazzeh, libne korah, mascil.
elohim beoznenu
samaynu, abotenu
sipperu lanu poyal
payalta bime kedem.

5 attah, jadeca goim
horasta, vattittayem;
taray leummim, vattaslihem.

" ci lo beharbam jaresu arez,
uzeroyam lo hosiyah lamo:
10 ci jeminca, uzeroyaca,
veor paneca, ci rezitam.

" attahu hu, malci *v'elohai*,
mezavveh jesuyot jaykob.

" beca zarenu nenaggeh;
15 besimca nabus kamenu.

ci lo bekasti ebtah,
harbi lo tosiyeni.

ci hosaytanu mizzarenu,
umesanenu hebisota.

20 beelohim hillalnu
col haijom; vesimca leyolam nodeh.selah.

ap zanahta, vattaclimenu;
velo teze bezibotenu.

tesibenu ahor minni zar;
25 umesanenu sasu lamo.

" tittenenu cezon macal;
ubaggoim zeritanu.

" timcor yammeca belo hon,
velo ribbita bemehirehem.

30 " tesimenu herpah liscenenu,
layag vakeles lisbibotenu.

tesi-

PSALMUS XLIV. מד

1 למנצח לבני-קרח משכיל:
2 אלהים באזנינו
שמענו אבותינו
ספרו-לנו פעל
פעלת בימיהם בימי קדם:

3 אתה ידך גוים
הורשת ותטעם
תרע לאמים ותשלחם:

4 כי לא בחרבם ירשו-ארץ
וזרועם לא-הושיעה למו
כי-ימינך וזרועך
ואור פניך כי רציתם:

5 אתה-הוא מלכי אלהים
* צוה ישועות יעקב:

6 בך צרינו ננגח
בשמך נבום קמינו:

7 כי לא בקשתי אבטח
וחרבי לא תושיעני:

8 כי הושעתנו מצרינו
ומשנאינו הבישות:

9 באלהים הללנו
כל-היום ושמך לעולם נודה סלה:

10 אף-זנחת ותכלימנו
ולא תצא בצבאותינו:

11 תשיבנו אחור מני-צר
ומשנאינו שסו למו:

12 תתננו כצאן מאכל
ובגוים זיתנו:

13 תמכר-עמך בלא-הון
ולא רבית במחיריהם:

14 תשימנו חרפה לשכנינו
לעג וקלס לסביבותינו:

15 תשימנו

Transcriptio	Hebraice
tesimenu masal baggoim ; menod ros balleummim .	15 תשימנו משל בגוים מנוד ראש בלאמים:
col haijom celimmat negdi , 35 ubośet panai cissetatni ,	16 כל היום כלמתי נגדי ובשת פני * כסתני:
mikkol meharep umegaddep ; mippene ojeb umitnakkem .	17 מקול מחרף ומגדף מפני אויב ומתנקם:
col zot baatnu ; velo secahnuca , velo sikkarnu bebriteca .	18 כל-זאת באתנו ולא שכחנוך ולא שקרנו בבריתך :
40 lo nasog ahor lebabenu ; vattet asurenu minni orheca .	19 לא-נסוג אחור * לבנו ותט אשרנו מני ארחך:
" ci diccitanu bemekom tannim , vatecas yalenu bezalmavet .	20 כי דכיתנו במקום תנים ותכס עלינו בצלמות:
im sacahnu sem elohenu , 45 vanniprof cappenu leel zar ;	21 אם-שכחנו שם אלהינו ונפרש כפינו לאל זר:
" halo elohim jahkor zot ? ci hu jodey taylumot leb .	22 הלא אלהים יחקר-זאת כי-הוא ידע תעלמות לב :
yaleca horagnu col haijom ; nehsabnu cezon tibhah .	23 כי-עליך הורגנו כל-היום נחשבנו כצאן טבחה:
50 yurah , lammah tisan adonai ? hakizah , al tiznah lanezah .	24 עורה למה תישן אדני הקיצה אל-תזנה לנצח:
lammah paneca tastir ? tiscah yonjenu , velahzenu ?	25 למה פניך תסתיר תשכח ענינו ולחצנו:
ci sahah leyapar napsenu ; 55 dabekah laarez bitnenu .	26 כי שחה לעפר נפשנו דבקה לארץ בטננו:
kumah yezratah lanu , upedenu limyan hasdeca .	27 קומה עזרתה לנו ופדנו למען חסדך:

1 PRæcentori , filius Corah , Didacticon . 2 Deus , auribus nostris audivimus , patres nostri narraverunt nobis opus *quod* operatus es in diebus pristinis . 3 Tu , manu tua Gentes expulisti , & plantasti eas ; afflixisti populos , & emisisti eos . 4 Quia non gladio suo possederunt terram , & brachium eorum non salvavit eos : sed dextera tua , & brachium tuum , & lux vultus tui , quia acceptos habueras ipsos . 5 Tu ipse *es* , rex meus , & Deus *meus* , præcipiens salutes Jacob . 6 In te hostes nostros cornu petemus ; in nomine tuo conculcabimus inimicos nostros . 7 Quia non in arcu meo sperabo , gladius meus non servabit me . 8 Quia servabis nos ab hostibus nostris , & odio habentes non pudore afficies . 9 In Deo gloriabimur omni die ; & nomen tuum in seculum celebrabimus . Selah . 10 Etiam repulisti , & erubescere fecisti nos ; & non egredieris cum exercitibus nostris . 11 Reverti fecisti nos retrorsum ab hoste , & odio habentes nos diripuerunt sibi *nostras opes* . 12 Posuisti nos ut pecudes cibi , & in Gentes dispersisti nos . 13 Vendidisti populum tuum nullis divitiis , neque multiplicasti *rem tuam* pretiis eorum . 14 Posuisti nos opprobrium vicinis nostris , subsannationem & derisionem his qui sunt in circuitibus nostris . 15 Posuisti nos proverbium in Gentibus ; commotionem capitis in populis . 16 Omni die verecundia mea coram me *est* , & pudor faciei meæ operit me , 17 Propter vocem probra jacentis , & contumeliis afficientis ; propter inimicum & ulciscentem se . 18 Totum hoc venit nobis ; nec *tamen* obliti sumus tui , nec inique egimus in pacto tuo . 19 Non recessit retrorsum cor nostrum ; aut declinavit gressus noster de semita tua . 20 Quum contrivisti nos in loco draconum , & operuisti nos umbra mortis . 21 Si obliti essemus nominis Dei nostri , & expandissemus palmas nostras ad deum alienum ; 22 Nonne Deus exquireret hoc ? quia ipse novit abscondita cordis . 23 Imo propter te occidimur omni die ; æstimati sumus ut pecudes occisionis . 24 Exurge , quare dormis , Domine ? expergiscere , ne repellas in seculum . 25 Quare faciem tuam abscondis ? obliviscerís afflictionis nostræ & oppressionis nostræ ? 26 Quia depressa est ad pulverem anima nostra ; adhæsit terræ venter noster . 27 Surge auxilium nobis , & redime nos propter misericordiam suam .

4 *bime kedem* . In Hebr. præit *bimehem* , sed respuit versus , nec agnoscunt Gr.

7 *vattaslihem* . In Hebr. *vattesallehem* in *pihel* , invito metro .

8 *ci lo* . Hic exemplum est periodi quadrimembris , cujus duo priores versiculi unius sunt , quod ad metrum , generis ; posteriores duo alterius ; similes videas , *Ps.* LVII. *p.* 5. LXIX. 5. CIX. 4.

12 v' *elohai* , *mezavveh* . Sic legerunt Gr. ὁ βασιλεύς μου , ϗ ὁ Θεός μου , ὁ ἐντελλόμενος . Et sic metrum legi postulat . *Malci velohai* frequens loquutio . Vid. *Ps.* V. v. 4. & LXXXIV. v. 9. in Hebr. est *malci elohim* . *m* sc. accrevit ex sequente voce ab eadem litera incipiente ; & forte *vau* excidit præcedente *jod* , cui tam simile est .

17 *harbi* . In Hebr. *veharbi* , sed copulam versus respuit ,

ſpuit, vel in v. præcedente legendum *ebtehah*, quod nuſquam alias occurrit cum *h* paragogico.

30 *herpah.* Vid. *Pſ.* XXXI. *p.* 12. LXXIX. 4. LXXX. 7. LXXXIX. 42.

35 *ciſſetatni*. Sic analogia poſtulat, ſic metrum; ſed in Hebr. eſt *ciſſatni.* altero *t* omiſſo, quam formam volunt eſſe ex Chaldaiſmo. Vid. *Pſ.* LXIX *p.* 8.

37 *ojeb*, &c. Sic conjuncta ſunt, *Pſ.* VIII. v. 7.

40 *lebabenu.* Sic legi poſcit metrum. in Hebr. *libenu.*

41 *vattet.* Vid. *Job.* XXXI. 7. & *Pſal.* XXXVII. *p.* 31.

42 *bemekom*, &c. Senſus eſt, exulare nos feciſti in *locis deſertis* inter feras & ſerpentes.

48 *yalcca.* In Hebr. præit *ci*, quod natum videtur ex *ci* verſic. præcedentis. Sed reſpuit verſus, nec ratione conſtructionis locum hic habet.

PSALMUS XLV. מה

LAmenazzeh yal ſoſannim, libne
korah, maſcil: ſir jedidot.

1 rahaſ libbi dabar tob;
omer ani mayſai lemelec;
leſoni *cey*et ſoper mahir.

" japita mibbene adam,
5 huzak hen beſiptoteca;
yal cen beracec' elohim.

hagor harbeca yal jar*ceca* gibbor:
hodeca vahadareca *leyolam*.

zelah, recab yal debar
10 emet, *zedek* veyanvah;
vetoreca norot jeminca.

" hizzeca ſenunim *gibbor*;
yammim tahteca jippelu.

" beleb ojebe hammelec *becin*
15 ciſaca elohim yolam vayed;
ſebet miſor ſebet malcuteca.

" ahabta zedek, vattiſna reſay:
yal cen meſahac' elohim, elo-
heca, ſemen ſaſon mehabreca.

20 mor, vaahalot, *vekeziyot*
minni col bigdoteca,
min hecele ſen ſimmehuca.

" benot melacim bikkeroteca;
ſegal liminca becetem opir.

25 ſimyi bat, urei, vehatti
oznec; veſichi yammec
ubet abic; vejitav
hammelec jopje*ci*, ci hu adonaic.

vehiſtahavi lo bat zor beminhah;
30 panaic jehallu yaſire yam.

col cebudah bat melce
penimah, mimmisbezot zahab.

lebuſah lirkamot tubal lammelec;
betulot ahareha,
35 reyoteha mubaot,

leca tubalnah, beſemahot vagil;
teboenah behecal melec.

tahat aboteca jihju baneca;
teſitem leſarim becol haarez.

40 *yal cen* azcirah ſimca
becol dor vador; yammim
jehoduca leyolam vayed.

PSALMUS XLV. מה

1 למנצח על-ששנים לבני-
קרח משכיל שיר ידידת:

2 רחש לבי דבר טוב
אמר אני מעשי למלך
לשוני * עט סיפר מהיר:

3 יפיפית מבני אדם
הוצק חן בשפתותיך
על-כן ברכך אלהים לעולם:

4 חגור חרבך על-ירך * גבור
הודך והדרך ***:

5 והדרך צלח רכב על-דבר-
אמת-וענוה-צדק
ותורך נוראות ימינך:

6 חציך שנונים **
עמים תחתיך יפלו
בלב איבי המלך **:

7 כסאך אלהים עולם ועד
שבט מישור שבט מלכותך:

8 אהבת צדק ותשנא רשע
על-כן משחך אלהים אל
היך שמן ששון מחבריך:

9 מר-ואהלות * קציעות
** כל-בגדתיך
מן-היכלי שן מני שמחוך:

10 בנות מלכים ביקרותיך
נצבה שגל לימינך בכתם אופיר:

11 שמעי-בת וראי והטי
אזנך ושכחי עמך
ובית אביך: 12 ויתאו
המלך יפיך כי-אוא ארניך
והשתחוי-לו: 13 ובת-צר במנחה
פניך יחלו עשירי עם:

14 כל-כבודה בת-מלך
פנימה ממשבצות זהב
לבושה: 15 לרקמות תובל למלך
בתולות אחריה
רעותיה מובאות
לך: 16 תובלנה בשמחת וגיל
תבאינה בהיכל מלך:

17 תחת אבתיך יהיו בניך
תשיתמו לשרים בכל-הארץ:

18 ** אזכירה שמך
בכל-דר ודר על-כן עמים
יהודיך לעלם ועד:

1 Præ-

1 PRæcentori ſuper Soſannim, filiis Corah, Didaſticon :] canticum amorum. 2 Eructat cor meum verbum bonum; dico ego opera mea Regi; lingua mea *ut* ſtylus ſcribæ eruditi. 3 Pulcher es præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea quod benedixit tibi Deus. 4 Accinge te gladio tuo ſuper femur *tuum*, o potens: gloria tua & decus tuum in ſeculum. 5 Proſpere age, equita propter veritatem, juſtitiam & manſuetudinem; & docebit te terribilia dextera tua. 6 Sagittæ tuæ acutæ, *o potens*; populi ſub te cadent. In medio inimicorum regis *ſtabilivit* 7 Solium tuum Deus in ſeculum & perpetuum; virga æquitatis *eſt* virga regni tui. 8 Diligis juſtitiam, & odio habes impietatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo gaudii præ conſortibus tuis. 9 Myrrha, & aloe, *&* caſia *ex* omnibus veſtimentis tuis, e palatiis eburneis lætificant te. 10 Filiæ regum inter honorabiles tuas; conjunx ad dexteram tuam in auro Ophir. 11 Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; & obliviſcere populi tui & domus patris tui; 12 & concupiſcet Rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus tuus. Et incurva te ei 13 filia Tyri cum munere; vultum tuum deprecabuntur divites populi. 14 Tota gloria *eſt* filia Regis intrinſecus, ex veſtibus ocellatis auro. Induta 15 veſtibus Phrygionicis adducetur Regi; virgines poſt eam, *&* proximæ ejus adductæ, Tibi 16 adducentur, cum lætitiis & exultatione; ingredientur palatium Regis. 17 Pro patribus tuis erunt filii tui; conſtitues eos principes in univerſa terra. 18 Propterea memorabo nomen tuum in omni generatione & generatione; populi in ſeculum & perpetuum celebrabunt te.

1 *rahaſ*. Gr. *ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν*. Cum quædam ex hoc Pſalmo prolata ſint ab autore Epiſtolæ ad Hebr. ut ſenſu magis proprio & excellentiore, ut Clerici verbis utar, ad Chriſtum pertinentia; & in titulo *ſir jedidot* a Gr. vertatur *ᾠδὴ ὑπὲρ τοῦ ἀγαπητοῦ*; quo nomine Chriſtus ſæpe venit in Novo Teſt. hinc antiquiſſimi Patres hæc temere nimis arripuerunt ut de Chriſto dicta, deque ejus æterna ex deo patre generatione; ſed vix putem eos credidiſſe hæc ad literam ita eſſe intelligenda, cum carmen hoc manifeſto ſit Epithalamium, quo, ſenſu primo & grammatico, Nuptiæ Solomonis celebrantur; ſed cum plura in eo ſint quæ minus apte in illum quadrant, non Chriſtiani modo, ſed Interpres etiam Chald. & multi e Rabbinis cenſuerunt hic de Meſſia quoque agi, & Solomonem ut ejus typum ſpectandum eſſe in his pariter ac in aliis SS. locis, in quibus non in Solomone ſiſtendum, ſed ab illo ad Meſſiam ſublimiore ſenſu eo ducente progrediendum.

2 *maȝſai*. Et ſic Gr. *τὰ ἔργα μου*. Et tamen hac voce carmen hoc ſolum intelligi videtur, propter excellentiam, inquit *Muiſ*. multis operibus æquiparandum; ſed ſi Codices aliqui melioris notæ ſupereſſent, in quibus in ſingulari legeretur *maȝſi*, nemo, opinor, eſt qui non iſtam lectionem veriorem exiſtimaret.

3 ce*ȝet*. *ce*, quod neceſſario ſubintelligitur, addidi propter metrum, & ſic mollius fluit oratio. *mahir* recentiores Interpretes recte verterunt *eruditum* ex uſu Linguæ Syr. & Æthiop.

4 *japita*. In Hebr. *jopjapita*. Quod volunt componi ex *Pyhal* & *Kal*. Gr. diviſim legerunt, *jopi japita*. Reddiderunt enim, *ὡραῖος κάλλει*. Sed verſus oſtendit duas primas literas in Hebr. errori librarii deberi, & legendum *japita*. Dolet profecto carmen tam venuſtum, tanta elegantia & tam grandi ſtylo ſcriptum tantum damni accepiſſe vel ex injuria temporum, vel a librariorum inſcitia, quantum huic illatum fuiſſe ſequentia oſtendent.

6 *elohim*. Sequitur in Hebr. *leȝolam*, ſed metrum clare indicat hæc ad finem periodi ſequentis pertinere, pariter ac ſenſus, qui in v. 8. ſi *leȝolam* tollas, plane mutilus eſt, vel potius nullus.

7 *jar*ceca. In Hebr. *jarec*, duobus ſc. *c*. concurrentibus poſterius excidit. Gr. *ἐπὶ τὸ μυρόν σου*. Sed ſi malis *jarec*, in ſeq. verſ. contracte legendum *v' hadareca*.

9 *zelah*. In Hebr. præit *vahadareca*. Sed ex ſenſu æque ac metro manifeſtiſſimum eſt vocem hanc nihil eſſe niſi mendoſam repetitionem vocis præcedentis.

10 zedek. In Hebr. tertio loco ponitur, ſed in illo verborum ordine deeſt copula inter ſecundam & tertiam, quæ nulla neceſſitate collocatur inter primam & ſecundam; præterea notiſſimum eſt *emet* & *zedek* ſolere ſe perpetuo fere uſu excipere; *zedek* igitur in ſecundam ſedem reponendum putavi, quo omnes difficultates tolluntur, quibus hic locus jam turbatur. Vid. Cl. Clericum ad locum.

12 gibbor. Sic Gr. *δυνατε*. Et hanc lectionem veram eſſe verſus oſtendit. Vid. *Pſ*. CXX. *p*. 4.

13 *jippelu*. In hac voce periodus terminatur. Cum hoc non animadvertiſſent interpretes, in magnas difficultates conjecti ſunt, ut ſequentem verſiculum cum his connecterent. Ad *hyperbatum* fere omnes confugerunt; & ſi illos audiamus, verborum nexus hic eſt, *ſaggittæ tuæ cadent in corda inimicorum regis*, *populi tibi erunt ſupplices*; ut *cadent* referatur & ad *ſagittas* caſuras, & ad *populos* ſubjiciendos. *Sagittæ* cadent & *populi* cadent. Mira ſane interpretatio; ubi enim tale *hyperbatum?* Ubi verbum hoc modo repetitum? Quis unquam ita loquutus eſt? *Sagittæ cadent in corda?* Nedum ſagittæ *tuæ* in corda *inimicorum regis?* Primus periodi hujus verſiculus integrum ſenſum per ſe fundit, & pariter ſecundus. Cl. quidem Clericus aliam viam tentavit qua ſe expediret, ſed qualem non vidi. *Sagittæ tuæ acutæ ſunt populi*, *qui tibi ſubſunt*; illi *incident in cor hoſtium regis*, *& hoſtes tuos tibi ſubjicient*. Interpretationes hæ abſurditate ſua clare ſatis oſtendunt, hunc verſiculum, *beleb &c*. non ad præcedentem periodum, ſed ad ſequentem omnino pertinere. *beleb* eſt, *in medio* hoſtium regis, quo ſenſu *beleb* ſæpius ſumitur in SS. Vid. *Pſ*. XLVI. *p*. 3. ſenſus vero optimus erit ſi in fine hujus verſiculi reſtituatur verbum *hecin*, quod conſtructio & ſententia & metrum palam clamant excidiſſe; Vid. *Pſ*. CIII. *p*. 19. *Deus ſolium tuum ſtabilivit in medio*, *&c*. Hæc in ſe clara & aperta, & qualia contextus & orationis *ἀκολουθία* manifeſto poſtulant. Sed hunc locum non modo primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus eodem modo ac nunc lectum fuiſſe conſtat ex epiſtola ad *Hebr*. I. 8. ſed longe antea, cum ſc. Græca verſio facta eſſet, quam ſcriptor ad Hebr. hic ut alibi in S. S. citandis, ſequitur.

20 ve*heziȝot*. Copulam addidi, quæ in Hebr. deeſt, & metri & *nexus* gratia.

21 minni. In Hebr. hæc particula ponitur ante *ſimmehuca*. Supra omnem fidem eſt, potuiſſe per tot ſæcula voculam hanc tranquille poſſidere locum tam plane alienum. In locum eam ſuum jam reſtitui, res ipſa loquitur, ut nullis argumentis opus ſit.

24 *ſegal*. In Hebr. præcedit *nizzebah*, quod verſum turbat, nec ſenſum adjuvat; ex margine arbitror irrepſiſſe, & denotare *fæminei chori præfectam*, ut dixi ad *Pſ*. XXXIX. v. 29. tales enim choros non nunquam adhibitos fuiſſe, pariter ac virorum, in ſacris ſolennibus, liquet ex *Exod*. C. XV. & ex *Pſal*. LXVIII. *p*. 26.

28 *jopjeci*. In Hebr. *jopjec*. Sed metrum poſcit ut *jod* paragogicum addatur. *Adonaic dominus* tuus. In Vulg. abſurdiſſime irrepſit *deus* ante *tuus*, quod ſicco pede præterit *Muiſ*. hæc ratio eſt præceptorum quæ præceſſerunt, quod rex conjugis ſit dominus. Hæc enim loci hujus mens, & in hac voce periodus terminanda, contra ac in Hebr. factum eſt, uti res ipſa clariſſime oſtendit. Sed & quatuor ſequentes in Hebr. peſſime conſtitui cuivis illas cum his noſtris conferenti, fere ad oculum & primo intuitu patebit.

29 *lo bat*. In Hebr. *lo. ubat*. Sed ſenſus pariter ac verſus reſpuit copulam, quæ ex *vau* præcedente videtur nata.

32 *zahab*. Hic hæc periodus terminanda eſt. Senſus eſt, *tota intus glorioſa* eſt, id eſt, quod ad veſtem interiorem, ex *texturis auri*, ſeu intertexto auro.

33 *lebuſah*. Ad proximam attinet periodum, & *lebuſah lirkamot* eſt induta *veſtibus acupictis*. Atque hæc periodus deſinit in *mubaot*, *lac* autem inchoat ſequentem,

tem, ubi legendum *leca*; & forsan interpungendum post *tubalnah*.

38 *tahat*. Si affixa hic essent fœminina, hæc ad Reginam dicta viderentur in solamen pro parentibus regiis quos reliquerat, quod plures volunt; sed tunc legendum *abotec* & *banec*. Sed verior videtur recepta lectio, cum hæc periodus, mea quidem sententia, a sequente, quod ad sensum divelli nequeat, in qua tamen oratio manifesto ad Regem, prout oportuit, convertitur.

39 *tesitem*. In Hebr. *tesitemo*, sed versus respuit.

40 *yal cen*. Quod in Hebr. ponitur ante *yammim*, in hanc sedem restituendum esse, orationis nexus & totius periodi sententia manifesto docent, Vid. *Psal*. XVIII. *p*. 50.

41 *jehoduca*. Eadem hujus verbi forma adhibetur *Ps*. XXVIII. *p*. 7. quod metri gratia videtur factum, cum versiculus hoc pacto syllaba augeatur.

PSALMUS XLVI. מו

LAmenazzeh, libne korah, yal yalamot sir.

2 elohim lanu mahseh vayoz;
yezrah bezarot nimza meod.

" yal cen lo nira behamir arez,
ubemot harim beleb jam.

5 jehmu, jehmeru memav;
jiryasu harim begavato, selah.

nahar palgav jesammeh yir elohim;
kedos miscene yeljon.

elohim bekirbah, bal timmot;
10 yezrah elohim lipnot boker.

hamu goim, matu mamlacot;
natan bekolo, tamug arez.

jahvoh zebot yimmanu;
misgab lanu elohe jaykob. selah.

15 " lecu, *v*ahazu mipyalot jahvoh,
aser sam sammot baarez.

masbit milhamot yad kezeh haarez,
keset jesabber, vekizzez *h*ahanit,
yagalot jisrop baes.

20 " harpu, udeyu, ci anoci elohim;
aurum baggoim, arum baarez:

jahvoh zebot yimmanu;
misgab lanu elohe jaykob.

PSALMUS XLVI. מו

1 למנצח לבני-קרח על-
עלמות שיר:

2 אלהים לנו מחסה ועז
עזרה בצרות נמצא מאד:

3 על-כן לא-נירא בהמיר ארץ
ובמוט הרים בלב ימים:

4 יהמו יחמרו מימיו
ירעשו הרים בגאותו סלה:

5 נהר פלגיו ישמחו עיר-אלהים
קרש משכני עליון:

6 אלהים בקרבה בל-תמוט
יעזרה אלהים לפנות בקר:

7 המו גוים מטו ממלכות
נתן בקולו תמוג ארץ:

8 יהוה צבאות עמנו
משגב לנו אלהי יעקב סלה:

9 לכו * חזו מפעלות יהוה
אשר-שם שמות בארץ:

10 משבית מלחמות עד-קצה הארץ
קשת ישבר וקצץ חנית
עגלות ישרף באש:

11 הרפו ודעו כי-אנכי אלהים
ארום בגוים ארום בארץ:

12 יהוה צבאות עמנו
משגב לנו אלהי יעקב סלה:

1 PRæcentori, filiis Corah, super Alamoth, canticum. 2 Deus nobis protectio & fortitudo; auxilium in angustiis inventus abunde. 3 Propterea non timebimus in mutando terram; & in mutando montes in cor maris. 4 Fremant, turbentur aquæ ejus; contremiscant montes propter elationem ejus. Selah. 5 Fluvius rivis ejus exhilarabit civitatem Dei; sanctum habitaculorum Altissimi. 6 Deus in medio ejus, non commovebitur; auxilium ei Deus appetente mane. 7 Infremuerunt Gentes, nutaverunt regna; dedit vocem suam, defluxit terra. 8 Jahvoh exercituum nobiscum; arx edita nobis Deus Jacob. Selah. 9 Venite, *&* videte opera Jahvoh, qui posuit solitudines in terra. 10 Cessare fecit bella usque ad extremum terræ, arcum contrivit, & concidit hastam, currus combussit igni. 11 Cessate, *ait*, & scitote, quod ego *sum* Deus; exaltabor in Gentibus, exaltabor in terra. 12 Jahvoh exercituum nobiscum; arx edita nobis Deus Jacob. Selah.

4 *beleb jam*. In Hebr. *jammim*. Sed versus postulat numerum singularem, pariter ac constructio, cum in seq. periodo sit *memav*, & *gavato*. Et melius etiam loco convenit *jam* cum præcesserit *arez*. Frequensque hæc locutio, *beleb jam*. Vid. Ex. XV. 8. & Prov. XXV. 34. & XXX. 19.

7 *jesammeh*. In Hebr. est in plurali, sed metrum respuit; constructio est, *nahar jesammeh bepalgav*, *be* enim sæpe subintelligitur, *peleg* plerunque *rivus* reddunt, sed est quævis derivatio seu processus aquarum; Es. XXX. 25. legimus *pelagim jible maim*, ubi duo posteriora verba sunt primi quasi definitio. Melius igitur Gr. *Psal*. I. *vers*. 9. διέξοδοι. In Es. vero ὕδωρ διαπορευόμενον.

10 *yezrah*. In Hebr. *jayzereha*, aperto, ni fallor, mendo: sublato *jod*, punctisque mutatis, legendum *yezrah*, ut in *vers*. 2. *lipnot boker*. Est *appetente mane*, ut de appetente vespere *lipnot yereb*. Vid. Gen. XXIV. 63. Deut. XXIII. 12. Exod. XIV. 27. Gr. perquam absurde, τῷ προσώπῳ, sed corrupta forte est lectio.

12 *natan be kolo*. Vid. *Ps*. LXVIII. *p*. 34.

15 *vahazu*. Sic Gr. δεῦτε καὶ ἴδετε. Sic mox *vers*. 20. *harpu udeyu*. Sic etiam *Ps*. XXXIV. *p*. 9. *tamyu ureu*. Sed copula deest hic in Hebr.

18 *ba-*

18 *bahanit*. Hebr. *hanit*. Sed metrum poſuit *h* præfigi, quod facile excidere poterat ante *h*, qua forma ſæpe occurrit.

20 *harpu*, verſ. hic conſtat ſex pedibus, ſimilem vid. *Pſ.* IX. *p.* 16.

PSALMUS XLVII. מז

LAmenazzeh, libnɛ korah,
mizmor.
1 col hayammim tikyu cap;
hariyu leelohim bekol rinnah.

ci jahvoh yeljon nora, melec
gadol yal col haarez.

5 jadber yammin tahtɛnu,
uleummim tahat raglɛnu.

jibhar lanu et nahlatenu,
et geon jaykob aſer aheb. selah.

yalah elohim beteruyah,
10 *ve*jahvoh bekol ſopar.

zammeru elohim, zammeru;
zammeru lemalcenu.

" zammeru, ci melec col haarez
elohim, zammeru maſcil.

15 " malac elohim yal goim;
elohim jaſab yal ciſſe koldſo.

" nedibɛ yammim neſapu
yim yam elohɛ abraham;

ci leelohim maginnenu,
20 *yal col haarez* meod naylah.

PSALMUS XLVII. מז

1 למנצח לבני-קרח
מזמור:
2 בל-העמים תקעו-כף
הריעו לאלהים בקול רנה:
3 כי יהוה עליון נורא מלך
גדול על-כל-הארץ:
4 ידבר עמים תחתינו
ולאמים תחת רגלינו:
5 יבחר-לנו את-נחלתנו
את-גאון יעקב אשר-אהב סלה:
6 עלה אלהים בתרועה
* יהוה בקול שופר:
7 זמרו אלהים זמרו
זמרו למלכנו
זמרו: 8 כי מלך כל-הארץ
אלהים זמרו משכיל:
9 מלך אלהים על-גוים
אלהים ישב על-כסא קדשו:
10 נדיבי עמים נאספו
* עם אלהי אברהם
בי לאלהים מגני *
*** ארץ מאד נעלה:

1 PRæcentori, filiis Corah, Pſalmus. 2 Omnes populi plaudite manu; jubilate Deo in voce exultationis. 3 Quoniam Jahvoh excelſus terribilis, rex magnus ſuper omnem terram. 4 Subjecit populos ſubtus nos, & nationes ſubtus pedes noſtros. 5 Selegit nobis hæreditatem noſtram, gloriam Jacob quem dilexit. Selah. 6 Aſcendit Deus cum jubilo; *&* Jahvoh cum voce tubæ. 7 Cantate Deo, cantate; cantate Regi noſtro. Cantate, 8 quoniam rex univerſæ terræ Deus, canite intelligenter. 9 Regnat Deus ſuper Gentes; Deus ſedet ſuper thronum ſanctum ſuum. 10 Principes populorum congregati ſunt, cum populo Dei Abrahami: quoniam Deus ſcutum noſtrum, ſuper omnem terram vehementer elevatus eſt.

10 *vejahvoh*. Copulam metrum addi poſtulat.
12 *lemalcenu*. In Hebr. additur *zammeru*, ſed verſui ſequenti præponendum eſſe metrum liquido oſtendit.
18 *yim yam*. In Hebr. *yam*. Gr. legerunt *yim*, ſed & conſtructio & verſus docent utrumque retinendum, ut *Pſ.* CX. *verſ.* 7.
19 *maginnenu*. In Hebr. *maginnɛ*. Quod interpretationibus valde abſurdis locum dedit; ſenſus eſt, *Deus enim eſt protector noſter*, ut *Pſ.* LXXXIX. *p.* 19. *ci lihvoh maginnenu*. Vid. LIX. p. 12. & LXXXIV. 10.
20 *yal* col. Certiſſimum ex ſenſu eſt, opinor, hæc verba excidiſſe, quæ etiam ad explendum verſum neceſſaria ſunt. Et pro *erez* legendum *haarez*. Vid. *Pſ.* LXXXIII. *p.* 19. XCVII. 9.

PSALMUS XLVIII. מח

SIr mizmor libnɛ korah.
1 gadol *jah* umehulall meod
beyir elohɛnu, har kodſo.

jepeh nop, meſoſ col haarez
har zion; *bejarcetɛ*
5 zapon kirjat melec rab.

elohim bearmenotɛha,
noday lemiſgab *lanu*.

ci

PSALMUS XLVIII. מח

1 שיר מזמור לבני-קרח:
2 גדול יהוה ומהלל מאד
בעיר אלהינו הר קדשו:
3 יפה-נוף משוש כל-הארץ
הר-ציון * ירכתי
צפון קרית מלך רב:
4 אלהים בארמנותיה
נודע למשגב **:
5 כי

ci hinneh hammelacim
noyadu, *ve*yaberu jahdav.

10 hemmah *ce*rau, ceu temahu;
nibhalu *ve*nehpazu.

reyadah ahazatam
ſam, *ve*hil, caijoledah.

beruh kadim teſabber
15 *attah* onijot tarſiſ.

c'aſer ſamaynu, cen raiunu
beyir jahvoh zebaot,
beyir elohɛnu; elohim
jeconenah yad yolam. selah.

20 dimminu elohim hasdeca,
bekereb hɛcaleca.

" ceſimca *jahvoh*, cen tehil-
lateca yal kazvɛ erez,
zedek maleah jeminca.

25 " *ſamay va*iiſmah har zijon,
tagelnah benot jehudah,
limyan miſpatɛca *jahvoh*.

sobbu zijon, vehakkipuha;
sipru *et* migdalɛha.

30 ſitu libcem lehɛlah,
*ve*passegu armenotɛha,
limyan tesapperu ledor aharon.

ci zeh elohim elohɛnu;
yolam vayed hu jinhagenu.
yal mut.

5 כי הנה המלכים
גוערו * עברו יחדו:

6 המה * ראו כן תמהו
נבהלו * נחפזו:

7 רעדה אחזתם
שם * חיל כיולדה:

8 ברוח קדים תשבר
** אניות תרשיש:

9 כאשר שמענו כן ראינו
בעיר-יהוה צבאות
בעיר אלהינו אלהים
יכוננה עד-עולם סלה:

10 דמינו אלהים חסדך
בקרב היכלך:

11 בשמך אלהים כן תהל *
-תך על-קצוי-ארץ
צדק מלאה ימינך:

12 *** ישמח הר-ציון
תגלנה בנות יהודה
למען משפטיך **:

13 סבו ציון והקיפוה
ספרו * מגדליה:

14 שיתו לבכם לחילה
* פסגו ארמנותיה
למען תספרו לדור אחרון:

15 כי זה אלהים אלהינו
עולם ועד הוא ינהגנו
על-מות:

1 CAnticum Pſalmi filiis Corah. 2 Magnus Jah, & laudandus valde in civitate Dei noſtri, monte ſancto ejus. 3 Pulcher termino, gaudium univerſæ terræ mons Sijon; *in* lateribus Aquilonis civitas Regis magni. 4 Deus in palatiis ejus, agnitus eſt in arcem *nobis*. 5 Quoniam ecce reges congregati ſunt, *&* tranſierunt pariter. 6 Ipſi *ut* viderunt, ſic admirati ſunt; territi ſunt, *&* trepidarunt. 7 Tremor apprehendit eos ibi, *&* dolor, tanquam parturientis. 8 Vento Orientali conteris *tu* naves Tharſis. 9 Sicut audivimus, ita vidimus in civitate Jahvoh exercituum, in civitate Dei noſtri; Deus firmabit eam uſque in ſeculum. Selah. 10 Expectavimus Deus miſericordiam tuam, in medio templi tui. 11 Secundum nomen tuum *Jahvoh*, ſic laus tua uſque ad fines terræ; juſtitia plena eſt dextera tua. 12 *Audivit &* lætatus eſt mons Sijon, exultaverunt filiæ Jehudah, propter judicia tua Jahvoh. 13 Circumdate Sijon, & circuite eam; numerate turres ejus. 14 Ponite cor veſtrum ad antemulare ejus, *&* aſpicite palatia ejus, ut enarretis generationi poſteræ. 15 Quoniam iſte Deus Deus noſter; in ſeculum & perpetuo ipſe deducet nos. yal mut.

1 *gadol*. Vid. *Pſ.* XCVI. *p.* 4. *&* CXLV. 3.

2 *jepeh nop*. Gr. εὐρίζῳ (ſic enim legendum pro εὐρίζων) V. Ed. εὐκλάδῳ. Aq. καλῷ βλαστήματι. *Quæ voci* nop *quomodo reſpondeant nemo dixerit*, inquit Cl. Clericus; recte quidem. Sed iſti interpretes non legerunt *nop*, ſed *yop*. Eodem ſenſu, ac *jepeh yanap.* dicitur, Ezek. XXXI. 3. ſi *nop* vera eſt lectio, reddendum *tractu*, quo ſenſu *napah* ſæpius videtur ſumi in libro *Joſhuæ*; ſed in eo vertendo Gr. ſemper hæſerunt, & pro nomine proprio acceperunt. Adi *Concordantias* Hebr. Vid. Thr. II. 15.

4 be*jarcetɛ*. Et conſtructio & metrum *b* præfixi poſtulant, ut *Pſ.* CXXVIII. *verſ.* 6.

7 lanu. Vocem hanc excidiſſe ex ſenſu pariter ac metro liquet. Vid. *Pſ.* XLVI. *verſ.* 23. qui triginta fere verſuum intervallo ab hoc diſtat. Gr. ὅπου ἀντιλαμβάνονται αὐτῆς.

9 ve*yaberu*. Conſtructio æque ac verſus oſtendit copulam hic excidiſſe, & in *verſ.* 7.

10 cer*au*. *cen* proxime ſequens indicat excidiſſe *ce*. quod & metrum poſtulat.

13 ve*hil*. Hic quoque copulam excidiſſe conſtructio monſtrat, pariter ac metrum.

15 attah. Inſerui propter verſum, cum nihil loco huic aptius occurreret. Vid. Ezek. XXVII. 26. & Jer. XVIII. 17.

tarſiſ. De *Tharſi* vexatiſſima quæſtio, quam alii volunt eſſe *Tharſum* Ciliciæ, alii *Carthaginem*, alii *Tarſeſſum*, alii alia. De quibus vid. Boch. Phal. l. III. c. 7. Quid ego de illa ſentio paucis dicam. Mihi igitur videntur voce illa duo ſignificari, & *Mare* & *Cyprus* inſula; & eorum alterum ab altero nomen accepiſſe; ſed utrum *mare Inſulæ* an Inſula *mari* nomen fecerit, neſcio. Quod ſæpius *mare* ſignificet, extra dubium eſt, & ſic ſæpius a Græcis redditur. Mihi quidem certum videtur θάλασσα a *Tarſis* derivari, mutato *r* in *l*. quod ſæpe fit, cui ſi addas *h locale*, ſtatim ex ea oritur θάλασσα. Literæ enim tunc erunt *Talaſſah*, cum *T* ſic Græcorum θ. Sed nec minus mihi certum eſt *Cyprum* hac voce indigitari: Alias enim nobiliſſima & ampliſſima Inſula, emporiis & mercium omnium copia celebris, eademque oræ Phœni-

ciæ

ciæ proxima, & a qua in illam mercaturæ gratia frequentissimus escensus fuit, ut *Anglis* in *Bataviam*, nullum in tota Historia Israelitica nomen habebit, quod prorsus incredibile est. Idemque ni fallor, abunde comprobat Historia *Jonæ*; quo enim ille se conferret, cum fugam meditaretur? Num in terras remotissimas, qualis *Carthago* aut *Tartessus*, an in Insulam Phœniciæ maxime vicinam? Qui ex patria sua velint aufugere, proximasne terras petunt, an remotiores? Proximas procoldubio, ut infinitis exemplis constat. Præterea, homini fugam per mare meditanti frustra plerunque expectantur naves vela in remotas terras dare comparatæ; in proximas vero magno numero semper fere præsto sunt minora navigia mercaturam cum vicinioribus populis exercentia. Pro certo igitur habeo *Tarsis* cum nomen loci sit, *Cyprum significare*, quæ mercatura & navibus fuit celeberrima. Omnibus nota sunt illa Horatii. —— *trahe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare*. Et, *ne Cypriæ Tyriæque merces Addant avaro divitias mari*. Sed utrum utri nomen dederit, in incerto est. Ego quidem arbitror *Cyprum* prius *Tarsis* dictam, & inde nomen mari vicino, illam & oram Phœniciam interjacenti, factum; tum mare in universum eodem nomine venisse. Et has conjecturas meas non parum, ni fallor, firmant Græcorum fabulæ de *Venere*, quam narrant & mari & Cypro ortam cum Tarsi orta sit, quo nomine & mare & Cyprus dicta est; in qua quidem insula præ cæteris terris impense colebatur, maximoque in honore habita est, unde illam *Cypri* olim reginam fuisse plusquam verisimile est. Sed de his hactenus.

22 jahvoh. In Hebr. *elohim* hujus vocis locum occupavit; ut sæpe alias invito metro.

25 samay vaijismah. Nemo opinor, dubitaverit quin *samay* hic exciderit, qui periodum hanc contulerit cum *Ps*. XCVII. *p*. 8. ubi omnia verba fere eadem.

27 jahvoh. Sic legitur in *Psal*. prædicto, & sic hic Gr. κύρις, & metrum etiam addi postulat.

29 *sipru* et. et inserui propter versum. Et sic *Esd*. XXXIII. 18. *aijeh soper* & *hammigdalim*, & sic forte legerunt Gr. qui habent ἐν τοῖς πύργοις, et enim sæpe redditur per ἐν.

30 *libcem*. Secundum puncta est trissyllabum *libbecem*, sed pravam esse punctationem metrum indicat. Vid. *Psal*. XCV. *p*. 8. in hac periodo secundus vers. primo, uno pede major est, tertius secundo, quod versuum in eadem periodo incrementum sæpe observare est. Vid. *Psal*. V. *p*. 7. *&* 8. & hinc firmatur in sequente versu rectius legi *vepassegu*, quam *pisgu* de quo alias dubitari possit cum sit ἅπαξ λεγόμενον.

31 vepassegu. *Aspicite*; hæc vocis hujus vis esse videtur, quæ non alibi occurrit, cum monti, unde Mosi terram promissam aspicere concessum fuit, nomen *Pisgah* inde factum credibile sit. Est enim in se appellatimus, cum suffixum *h* illi præponatur. Vid. Num. XXI. 20. versu vero, dixi, postulat ut præponatur copula.

34 jinhagenu. In Hebr. sequitur *yal mut*. Metrum indicat hæc esse extra versum. Et sane sententia clare satis idem ostendit. Post enim *yolam vayed*, quæ voces maxime æternitatem vel longissimam durationem denotant, perquam frigidum est ἐκ παραλλήλου poni, *usque ad mortem*. Mire hic se torserunt interpretes, quod de metrica nihil intelligerent. Et certe *yal. mut*. idem quod in titulo *Psal*. XLVI. *yalamot*. Sed ibi præit *yal*, quod hic forte excidit. Verum in titulo *Psal*. IX. 1. est, ut hic, *yal mut*, sed ibi sequitur *labben*. Quod cum ita sit, hæc ad titulum sequentis Psalmi pertinere censendum est. Quod vidit etiam M. Meibomius, sed non, quod ille vult, reddenda, *Præfecto super morte filius Korahi*. Cum verba hæc, *lamenazzeh libnɛ korah*, non sint divellenda; sed ante *mizmor* ponenda, ut nomen instrumenti musici. Gr. in titulis *Psal*. IX. ac XLVI. verterunt ὑπὲρ κρυφίων, quod facit ut suspicer *yal* excidisse in priore, loco, idemque hic reponendum esse.

PSALMUS XLIX. מט

LAmenazzeh, libnɛ korah,
mizmor.

1 simyu zot col hayammim,
hazinu col josebɛ haled.

gam benɛ adam, gam benɛ is,
jahad yasir veebjon.

5 *ve*pi jedabber hocmot;
hagut libbi tebunot.

atteh lemasal ozni;
epth*ah* becinnor hidati.

lammah ira bimɛ ray.
10 *ci* yon yokbai jesobebeni?

habbotehim yal hɛlam,
uberob yosram jithallalu.

ah lo padoh jipdeh is,
lo jitten leelohim copro.

15 vejekar pidjon napsam,
vehadel*u* leyolam.

mi jehi yod lanezah,
velo jireh hassahat?

ci hacamim jamutu jahad,
20 *ce*cesil vabayar, jobedu,
veyazebu laherim hɛlam.

" kirbam, batɛmo leyolam,
miscenotam ledor vador:

kareu

PSALMUS XLIX. מט

1 למנצח לבני-קרח
מזמור:

2 שמעו-זאת כל-העמים
האזינו כל-ישבי חלד:

3 גמ-בני ארם גם-בני-איש
יחד עשיר ואביון:

4 * פי ידבר חכמות
והגות לבי תבונות:

5 אטה למשל אזני
אפתח * בכנור חידתי:

6 למה אירא בימי רע
* עון עקבי * יסבני:

7 הבטחים על-חילם
וברב עשרם יתהללו:

8 אח לא-פדה יפדה איש
לא-יתן לאלהים כפרו:

9 ויקר פריון נפשם
וחדל * לעולם:

10 ויחי-עוד לנצח
* לא יראה השחת:

11 כי יראה חכמים ימותו יחד *
* כסיל ובער יאבדו
ועזבו לאחרים חילם:

12 קרבם בתימו לעולם
משכנתם לדר ודור

קראו

kareu besemotam
yalɛ admot; *vejirdu*
25 *bam jesarim labboker*.

" veadam bikar bal jalin;
nimsal cabbehemot nidmu.

zeh darcam, cesel lamo;
30 v'aharɛhem bepihem jirzu. selah.

cazzon lescol sattu,
mavet jirɣem; vezuram
leballot; seol zebul lamo.

ac elohim jipdeh *et* napsi
35 mijad seol, ci jikkaleni. selah.

al tira ci jaysir is,
ci jirbeh cebod bɛto.

ci lo bemoto jikkah haccol;
lo jered aharav cebodo.

40 " napso behaijav jabarec;
vejoduca ci tetib lac.

tabo ɣad dor abotav,
ɣad nezah lo jiru or.

" *ve*adam bikar lo jalin;
45 nimsal cabbehemot nidmu.

קראו בשמותם
עלי ארמות ***:
. . . .

13 וארם ביקר בל-ילין
נמשל כבהמות נרמו:

14 זה דרכם כסל למו
ואחריהם בפיהם ירצו סלה:

15 כצאן לשאול שתו
מות ירעם וירדו
בם ישרים לבקר וצירם
לבלות שאול מזבל לו:

16 אך-אלהים יפרה * נפשי
מיד שאול כי יקחני סלה:

17 אל-תירא כי-יעשר איש
כי-ירבה כבוד ביתו:

18 כי לא במותו יקח הכל
לא-ירד אחריו כבודו:

19 כי-נפשו בחייו יברך
ויודך כי-תיטיב לך:

20 תבא עד-דור אבותיו
עד-נצח לא-יראו אור:

21 אדם ביקר ולא יבין
נמשל כבהמות נרמו:

1 PRæcentori, filiis Corah, Pſalmus. 2 Audite hoc, omnes populi; auſcultate, omnes habitatores orbis. 3 Etiam *vos* filii hominum, etiam *vos* filii viri; pariter dives & pauper. 4 Os meum loquetur ſapientiam; & meditatio cordis mei intelligentiam. 5 Inclinabo ad parabolam aurem meam; aperiam in cithara ænigma meum. *6* Cur timebo diebus malis, *quum* iniquitas *inſidiantium* mihi circumdabit me? 7 Qui fidunt opibus ſuis, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur. 8 Fratrem non redimendo redimet quiſquam, non dabit Deo pretium redemptionis ejus. *9* Nam pretioſa eſt redemptio animæ ipſorum, & defecerunt in ſeculum. 10 *Quis* vivet ultra in ſeculum, nec videbit interitum? 11 Quia ſapientes moriuntur ſimul, ſicut ſtultus & inſipiens, pereunt, & relinquunt alienis divitias ſuas. 12 Intimum eorum *eſt hoc*, domos ſuas in ſeculum *fore*, & tabernacula ſua in generationem & generationem: Vocaverunt nominibus ſuis terras; *ſed dominabuntur iis recti in matutino*. 13 At homo in honore non permanebit; ſimilis eſt jumentis *quæ* intereunt. 14 Hæc via eorum, ſtultitia ipſis; & poſteri eorum verba eorum probant. Salah. 15 Sicut pecora in inferno ponuntur, mors depaſcet eos; & figura eorum veteraſcet; fovea habitaculum iis. *16* Verum Deus redimet animam meam de poteſtate inferni, quum ceperit me. Selah. 17 Ne timueris quum ditatus fuerit homo, quum multiplicata fuerit gloria domus ejus. 18 Nam non in morte ſua accipiet quicquam; neque deſcendet poſt eum gloria ejus. 19 Animæ ſuæ in vita ſuæ benedicet; & laudabunt te quum benefeceris tibi. 20 Introibit uſque in progeniem patrum ſuorum, in æternum non videbunt lumen. 21 At homo in honore & non permanebit, ſimilis eſt jumentis *quæ* intereunt.

5 *vepi*. Copulam a ſequente verſiculo ad hunc tranſtuli, utriuſque gratia. Pſalmi hujus Auctor, quiſquis eſt, quo auditores attentos reddat, his promittit ſe de rebus maximis & in quibus ſumma ſapientia poſita ſit, dicturum; & in carmine hoc componendo artem quam potuit maximam adhibuit, ut materia dignum redderet. Sed malo quodam fato accidit, ut præſtantiſſimus hymnus labis plurimum acceperit vel injuria temporum, vel librariorum incuria, a quibus venuſtas ejus a capite fere ad calcem indignis modis dehoneſtatur. Et ut verum fatear, nullus me Pſalmus acrius aut diutius exercuit.

7 *atteh*. Metaphora a muſicis ducta, qui citharæ inter ludendum autem diligenter admovent.

8 *eptah*ah. *h* paragogicum addidi propter verſum. Vid. *Pſal.* LXXVIII. *verſ.* 3.

hidati. *hidah* proprie eſt ænigma, ſeu obſcura oratio; & obſcurus ſane multis in locis hic Pſalmus eſt, verum non vi vocis hujus, ſed ob cauſam modo memoratam quod locis pluribus corruptus ſit. Licet enim *hidah* id quod dixi ſignificet ſtricte ſumpta, uſu tamen eſt quodvis acute dictum, pariter ac *maſal*, & deinde quodvis eleganter & poetice ornatum. Utraque enim hæc verba, idemque fere proœmium habemus *Pſal.* LXXVIII. in quo tamen nulla ſunt ænigmata, nihil obſcuri; ſed omnia, artificio quamvis poetico egregie exculta, nihilominus intellectu facillima, & maxime perſpicua.

10 ci *ɣon ɣokbai*. Senſus aperte poſcit ut locus hic ita reſtituatur; *ci* enim quod errore, opinor, librarii ad initium periodi 19. triginta verſuum intervallo ab his remotum appoſitum eſt, huc omnino retrahendum, cum nullo modo loci hujus ſententia illius abſentiam pati poſſit. Pro *jesubbeni* vero, metro duce repoſui *jesobehenni*, cum *ɣokbai* ſit diſſyllabum, ut *rodpai*, *ɣakebai* vero hoc loco eſt vox nihili. De *improbis* Pſaltes plane loquitur, qui ipſum inſidiantes circumdederunt, de illis ſc. quos ſequente periodo depingit. Receptam lectionem ſtare non poſſe ex coactis & abſurdis Interpretum commentariis ſatis liquet, quos, ſi placet, adi.

16 *vehadelu*. In Hebr. *hadal*, ſed & ſenſus & verſus *plurale* poſcunt; in æternum defecerunt, nunquam nullo pretio, quantumvis magno, in vitam reducendi,

di, vel legi poteſt *hadelah*. ſc. *napſam*. Mire quoque hic Interpretes.

17 mi *jehi*. In Hebr. *vejehi*, vel ut illic punctatum, *vihi*: ſed copula plane ad verſiculum ſeq. pertinet. Hic vero *mi* excidiſſe puto, quod proclive mendum erat, cum vox præcedens in *m* deſineret, ſequens ab *jod* inciperet; vel forte plura deſunt, & reponendum *mi geber*, ut *Pſal.* LXXXIX. *p.* 49.

19 *hacamim*. Sequitur in Hebr. *jireh*, manifeſto, ni fallor, mendo repetitum ex verſiculo præcedente.

20 *cecesil*. In Hebr. *c* exciderat, quod & verſus & ſenſus deſiderari indicant.

22 *kirbam* eſt pro *bekirbam*, in animo eorum eſt, cogitant, Gr. hic male, ϗ οἱ τάφοι αὐτῶν, quaſi ſcriptum eſſet, *kibram*.

24 *admot*. Hebr. *adamot*, ſed metrum diſſyllabum poſtulat, vel legendum *yal*. Huc enim retrahenda puto ex *p.* 15. verba illa, *vaijirdu* ---- *labboker*. Quæ cum his quidem optime cohærent. Vid. Job. XXVII. 16. 17. ſed quid ſibi velint iſto in loco, fateor me ne per rimam quidem videre. Orationis enim nexus, ſi ad præcedentia & ſequentia in illa periodo attendamus, facit ut expectemus *vermium* & *putredinis* hoc loco mentionem fieri, ut Eccleſ. XIX. 3. Σῆτες καὶ σκώληκες κληρονομήσουσιν αὐτόν. Plerique interpretes, hæc implenda putant, cum *mortui reviviſcent*; ſed reſurrectionis mentio non recte hic videtur quæri, cum quæ ſequuntur nequaquam notioni huic conveniant. Præterea, ſi Pſaltes in hoc carmine de *reſurrectione* cogitaſſet, non breviter & obſcure, ſed dilucide & magnifice felicitatem qua pii tunc macti erunt, prædicaſſet. Cl. Clerici ſententia hæc eſt. Dominabuntur, hoc eſt, *bona eorum poſſidebunt*, *neque enim mortuis aliter dominari licet*. Matutino tempore, *poſt mortem*, inquit, *eorum*, *quia matutinis horis judicia habebantur*, *quibus juſti recuperare poterant ſibi ab improbis ablata*. Hæc ille, quæ & ſi vera ſint, nullum tamen nexum habent cum iis quibuſdam nunc conjuncta ſunt in *p.* 15. Verborum non ſingulorum modo, ſed etiam plurium, integrarumque adeo periodorum, tranſpoſitiones in MSS. codicibus ſæpius accidiſſe librariorum negligentia omnibus notum eſt, qui in iis excutiendis & conferendis aliquantum verſantur, vel rem Criticam attigerunt. Nemini igitur erudito mirum videri poſſit, ſi in ſacris etiam idem quandoque contigerit. Hic certe hujuſmodi tranſpoſitionis exemplum videor mihi deprehendiſſe, cum nullum ex his commodum ſenſum elicere poſſim eo ſitu, quo nunc ſunt; alii forſan in illo eruendo feliciores erunt.

26 *jalin*. Gr. legerunt hic *jabin*, ut in periodo ultima; & ego quidem eodem modo hic & illic ſcriptum fuiſſe opinor. Sed placet magis *jalin* quam *jabin*, cum Pſalmi totius argumento illud magis convenire videatur.

30 *jirzu*. Approbant, alii *currunt* a *ruz*, ſed litem metrum facile dirimit, quod poſtulat diſſyllabum.

32 *jirzem*. Incertum quo ſenſu ſumendum, utrum *pabulum erunt mortis*, an *mors ut paſtor reget eos*; ſed malim prius ob ſequentia.

vezuram, *figura eorum*, juxta interpretes, quia *zurah* hoc ſenſu videtur ſumi, Ezek. XLIII. 11. ſed *zur* nuſquam ſic accipitur.

33 *leballot*. *Inveteraſcet*. Subintelligitur, *debet oportet*, aut aliquid ſimile. Vid. ad *Pſal.* XXXII. *verſ.* 25.

zebul lamo. Ita repoſui pro *mizzebul lo*. Pro *lo* enim ſententia manifeſto *plurale*, & *mizzebul* nullum hic ſenſum efficit.

34 et *napſi*. *et* inſerui, ut verſui numeri ſui conſtarent.

35 *jikkaheni*. *accipiet*. *adſumet*; quos deus periculo eripit, quodammodo adſumit. Vid. *Pſ.* XVIII. *p.* 17. LXXIII. 24.

40 *napſo*. In Hebr. *ci*, ſed nec ſententia poſtulat, nec verſus patitur ſi alter periodi hujus verſus recte ſe habet. Mihi quidem videtur error librarii hic poſitum, cum ad verſum nonum pertineat, ut ibi dixi. Senſus vero hujus periodi hic eſſe videtur; dum viveret in omnibus ſibi blanditus eſt, genioque ſuo indulſit; & ſi tu idem feceris, homines quidem te laudabunt, & beatum prædicabunt; ſed his manibus deliciis mors brevi finem afferet, nihil ſoliti gaudii illis ineſt. Verum plerique interpretes poſteriorem verſum mutata perſona de eodem dici putant, ideoque poſt *te* inſerunt, *o dives*, perſpicuitatis gratia.

42 *tabo*. Mira hic perſonarum confuſio niſi legendum ſit *jabo*; *tabo* in ſecunda perſona, cum *lac* præceſſerit (neque enim *tabo* putem referri ad *napſo*, quod alii volunt,) & *abotai* in tertia, ut prius *jebarec*; ſed ſenſus eſt apertus.

44 *veadam*. In Hebr. copula conjuncta eſt cum *lo*, errore, opinor, manifeſto; in hunc igitur locum reſtitui, ut *p.* 13. quæ cum hac prorſus convenit, niſi quod hic ſit *jabin*, illic vero *jalim*; atque hic etiam ita videtur legendum, ut ad periodum illam obſervavi.

el elohim. Hæc non verba prima Pſalmi hujus ſunt, nec vertenda, *Deus deorum*; ſed ſunt carminis totius argumentum, & verti debent, *in deum*, vel *de deo*. Hoc ex metro liquido apparet. Fruſtra igitur ſunt omnes hic Interpretes.

PSALMUS L. נ

Mizmor leasap.
el elohim.

1 jahvoh dibber, vaijirkra arez,
mimmizrah ſemeſ, yad meboo.

mizzion, miclal jopi, hopiy
elohim; jabo elohenu,
5 veal jehras, eſ lipnav tocel,
ucebibav niſyarah meod.

*va*jikra el haſſamem meyal,
veel haarez, ladin yammo.

iſpu li haſidai, corete
10 beriti yale zabah.

vaijiggidu ſamem zidk*ato*;
ci elohim ſopet hu. ſelah.

ſimyah yammi, vaadabberah;
jiſrael, v'ayidah bac:
15 elohim elohec' anoci.

PSALMUS L. נ

מזמור לאסף:
1 אל אלהים

יהוה דבר ויקרא-ארץ
ממזרה-שמש עד-מבאו:

2 מציון מכלל-יפי אלהים
הופיע*: 3 יבא אלהינו
ואל-יחרש אש-לפניו תאכל
וסביביו נשערה מאד:

4 *יקרא אל-השמים מעל
ואל-הארץ לדין עמו:

5 אספו-לי חסידי כרתי
בריתי עלי-זבח:

6 ויגידו שמים צדקו
כי-אלהים שפט הוא סלה:

7 שמעה עמי ואדברה
ישראל ואעידה בך
אלהים אלהיך אנכי:

lo

8 לא

lo yal zibheca ociheca, veyoloteca negdi tamid.	8 לא על-זבחיך אוכיחך ועולתיך לנגרי תמיר:
lo ekkah mibbeteca par*im* mimmicleoteca yattudim.	9 לא-אקח מביתך פר * ממכלאתיך עתורים:
20 ci li col haitto jayar, *li* behemot beharre alep.	10 כי כל-חותו-יער * בהמורת בהררי-אלף:
jadayti col yop harim, veziz fadai yimmadi.	11 ירעתי כל-עוף הרים וזיז שרי עמרי:
im eryab, lo omar lac, 25 li tebel umeloah.	12 אם-ארעב לא-אמר לך כי-לי תבל וםלאה:
haocel*ah* befar abirim, vedam yattudim efteh?	13 האוכל * בשר אבירים ודם עתודים אשתה:
zebah lelohim todah, vefallem leyeljon nidreca.	14 זבח לאלהים תורה ושלם לעליון נדריך:
30 ukeraeni bejom zarah; ahallezeca, utecabbedeni.	15 וקראני ביום צרה אחלצך ותכברני:
velarafay amar elohim, mah lac lesapper hukkai, vattiffa briti yale pica?	16 ולרשע אמר אלהים מה-לך לספר חקי ותשא בריתי עלי-פיך:
35 v'attah faneta musar, vattaslec dibrai ahareca.	17 ואתה שנאת מוסר ותשלך רברי אחריך:
im raita gannab, vattirez yimmo; veyim menaapim helkeca.	18 אם-ראית ננב ותרץ עמו ועם מנאפים חלקך:
et pica falahta berayah, 40 ulefoneca tazmid mirmah.	19 * פיך שלחת ברעה ולשונך חצמיר מרמה:
tefeb, beahica tedabber; beben immeca titten dopi.	20 תשב באחיך תרבר בבן-אמך תתן-רפי:
elleh yafita vehehrafti; dimmita, hejot ehjeh 45 camoca; ocihaca, v'eyrecah leyeneca.	21 אלה עשית והחרשתי רמית היות-אהיה כמוך אוכיחך ואערכה לעיניך:
binu na zot focehe eloh, pen etrop, veen mazzil.	22 בינו נא זאת שכחי אלוה פן-אטרף ואין מציל:
zobeh *li zebah* todah 50 jecabbedeni; veram derec, arennu bejefay elohim.	23 זבח *** תודת יכברנני ושם דרך אראנו בישע אלהים:

Psalmus Afaph. In Deum. 1 Jahvoh loquutus eft, & vocavit terram, ab ortu Solis, ufque ad occafum ejus. 2 Ex Sion, perfectione decoris, fplenduit Deus; 3 veniet Deus nofter, & non filebit; ignis coram eo vorabit, & in circuitu ejus excitatur tempeftas vehementer. 4 Et vocabit ad cœlos defuper, & ad terram, ad judicandum populum fuum. 5 Congregate mihi fanctos meos, pangentes pactum mecum fuper facrificio. 6 Et annuntiaverunt cœli juftitiam ejus; quoniam Deus judex eft. Selah. 7 Audi, popule mi, & loquar; Ifrael, & conteftator tibi: Deus Deus tuus ego *fum*. 8 Non fuper facrificia tua arguam te, nam holocaufta tua coram me *funt* femper. 9 Non accipiam è domo tua juvencas, *nec* de feptis tuis hircos. 10 Quoniam mea eft omnis beftia fylvæ, *mihi* animalia in montibus mille. 11 Novi omne volatile montium, & fera agri mecum *eft*. 12 Si efuriero, non dicam tibi, meus eft orbis & plenitudo ejus. 13 Nunquid comedam carnem taurorum, & fanguinem hircorum bibam? 14 Immola Deo laudem, & redde Altiffimo vota tua. 15 Et invoca me in die anguftiæ; eruam te, & honorificabis me. 16 Impio autem dixit Deus, Quid tibi ut enarres ftatuta mea, & affumas pactum meum in os tuum? 17 Tu vero odifti difciplinam, & projecifti verba mea poft te. 18 Si vides furem, confentis cum eo; & cum adulreris portio tua eft, 19 Os tuum mittis in malum, & lingua tua concinnat dolum. 20 Sedes, contra fratrem tuum loqueris; contra filium matris tuæ das probrum. 21 Hæc fecifti, & tacui; exiftimafti, *quod* futurus fum ficut tu; arguam te, & adverfabor in oculis tuis. 22 Intelligite quæfo hoc, oblivifcentes Dei, ne forte rapiam, & non fit eripiens. 23 Qui facrificat facrificium laudis honorificabit me; & integrum via, faciam videre falutem Dei.

3 *mizzion*. Hæc & ſequens periodus manifeſto in unam componendæ ſunt.

hopiy elohim. In Hebr. inverſo ordine, *elohim hopiy*; repugnante metro.

7 *vaijikra*. Et conſtructio & verſus copulam poſtulant, niſi *el*, deus, inſeratur ante præpoſitionem, quod minus placet.

9 *häſidai*. Suſpicor ante hanc vocem excidiſſe *col*, & verſus ſic eſſe diſtinguendos;

iſpu li col haſidai,
coretı briti yalı zabah.

11 *zidkato*, pro *zidko* repoſui propter metrum.

13 *ſimyah*. Vid. *Pſ.* LXXXI. *p.* 9.

17 *negdi*. In Hebr. *lenegdi*, ſed verſus reſpuit. Vid. *Pſ.* LI. v. 6.

18 *parim*. Terminatio *im* manifeſto errore hic excidit in Hebr. ut ſæpe alias. Gr. τοὺς μόσχους.

21 li *behemot*. *Li* repetendum putavi, & verſus & ἐμφάσεως gratia, vel præfigenda eſt copula.

25 *li tebel*. In Hebr. præit, *ci* ſed verſus reſpuit.

26 *haocelah*. Metrum poſcit *h. paragogicum*. Vel legendum *ocel* ejecto *h interrogativo*, quod poteſt ſubintelligi; & forte irrepſit a fine verſiculi præcedentis, qui in *h* deſinit; ſed prius malim.

31 *utecabbedeni*. Gr. addunt διάψαλμα. Hic igitur in ſuo codice fuit *ſelàh*. Et recte quidem; cum prima pars Pſalmi hic claudatur, & in ſequentibus alio ſe vertat oratio.

33 *mah lac*. Ita *leca* hic contrahendum, ut *Pſ.* CXIV. *p.* 5. quod metrum clare oſtendit.

37 *tirez*. Gr. συνέτρεχες, ſed tunc legendum *taruz*. quæ mihi quidem videtur melior lectio: eſt ſane *Ezek.* I. 14. *razo*, quod eſt ex forma quieſcentium tertia *a*, ſenſu currendi acceptum; ſed hoc ſingulare eſt, nec inde concludi poteſt, *razah* hoc contra perpetuum ejus uſum unquam ſignificare.

39 & *pica* cum verſui ſyllaba deſit, vel *&* vel *gam* reponendum videtur; *& pica* ſæpe legitur.

41 *teſeb*. Vid. *Pſ.* CXIX. *p.* 23.

47 *ſocebı*. Vid. *Pſ.* IX. *p.* 18. ubi eſt *ſecebı*.

48 *pen etrop*. Vid. *Pſ.* VII. *p.* 3.

49 *li zebah*. Sententia pariter ac verſus hæc inſeri poſtulant. Vid. *p.* 14. & *Pſ.* IV. *p.* 6. CVII. 22. CXVI. 17.

50 *vetam derec*. In Hebr. *veſam*, & *ponentem viam*; mira profecto ellipſis, quam cum non caperent Gr. verterunt, καὶ ἐκεῖ ὁδὸς, ἧ quaſi legiſſent *ſam*. Sed, *tam derec* nota eſt loquutio, & apertæ ſignificationis. Vid. *Prov.* XIII. 6. & *Pſ.* XV. *p.* 2.

51 *bejeſay*. Vid. *Pſ.* XII. *p.* 6. & XCI. 16.

PSALMUS LI. נא

LAmenazzeh, mizmor ledavid,
bebo elav natan hannabi,
caaſer ba el bat ſabay.

1 " honneni elohim cehasdeca;
cerob rahmeca mehem peſayai,

harbeh cabbeseni meyoni,
umehattati tahareni.

5 " ci peſayai ani eday,
vehattati negdi tamid.

leca, lebaddeca hatati,
veharay beyeneca
yaſiti, limyan tizdak
10 bedobreca, vetizceh-beſopteca,

hinneh beyon holalti,
ubehet jehematni immi.

" en emet hapazta battuhotai,
ubeſatum hocmah todiyeni.

15 tehatteeni beezob, veethar;
tecabbeseni, umiſſeleg albin.

taſmiyeni ſaſon veſimhah,
tagelnah yezamot diccita.

haster paneca mehatai,
20 vecol yonotai meheh.

leb tahor bera li elohim,
veruh nacon haddeſ bekirbi.

al tasliceni millipneca,
veruh kodſeca al tikkah mimmenni.

25 haſibah li ſeſon jiſyeca,
veruh nedibah tismeceni.

alammed poſeyim darceca,
vehattim eleca jaſubu.

PSALMUS LI. נא

1 למנצח מזמור לדוד
2 בבוא-אליו נתן הנביא
כאשר-בא אל-בת-שבע:

3 חנני אלהים כחסדך
כרב רחמיך מחה פשעי:

4 הרבה כבסני מעוני
ומחטאתי טהרני:

5 כי פשעי אני ארע
וחטאתי נגדי תמיד:

6 לך לבדך חטאתי
והרע בעיניך
עשיתי למען תצדק
בדברך * תזכה בשפטך:

7 הן*-בעוון חוללתי
ובחטא יחמתני אמי:

8 הן אמת חפצת בטחות*
ובסתם חכמה תודיעני:

9 תחטאני באזוב ואטהר
תכבסני ומשלג אלבין:

10 תשמיעני ששון ושמחה
תגלנה עצמות דכית:

11 הסתר פניך מחטאי
וכל-עונתי מחה:

12 לב טהור ברא-לי אלהים
ורוח נכון חדש בקרבי:

13 אל-תשליכני מלפניך
ורוח קדשך אל-תקח ממני:

14 השיבה לי ששון ישעך
ורוח נדיבה תסמכני:

15 אלמדה פשעים דרכיך
וחטאים אליך ישובו:

hazzileni middamim, 30 elohɪ tesuyati; teranen lesoni zid*keca*.	16 הצילני מדמים אלהים אלהי תשועתי תרנן לשוני צדקתך :
adonai siptai tiptah, upi jaggid tehillateca.	17 ארני שפתי תפתח ופי יגיד תהלתך:
ci lo *hapazta* zebah, 35 veettenah; yolah lo tirzeh.	18 כי לא-תפוץ * זבח ואתנה עולה לא תרצה :
zibhɪ elohim ruh nisbarah; leb nisbar venidceh lo tibzeh.	19 זבחי אלהים רוח נשברה לב-נשבר ונדכה אלהים לא תבזה :
hetibah berezoneca et zijon *elohim*, tibneh homot jerusalem.	20 היטיבה ברצונך את-ציון *** תבנה חומות ירושלם:
40 az tahpoz zibhɪ zedek, yolah vecalil; az *zaddikim* jaylu yal mizbahaca parim.	21 אז תחפץ זבחי-צדק עולה וכליל אז *** יעלו על-מזבחך פרים:

1 PRæcentori, Psalmus Davidis, 2 quando venit ad eum Nathan propheta, posteaquam intraverat ad Bathseba. 3 Miserere mei Deus, secundum misericordiam tuam; secundum multitudinem miserationum tuarum dele prævaricationes meas. 4 Multum lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. 5 Quoniam prevaricationes meas ego agnosco, & peccatum meum coram me *est* semper. Tibi, tibi soli peccavi, & malum in oculis tuis feci; ut justificeris dum loqueris, *&* sis purus dum judicas. 7 Ecce in iniquitate genitus sum, & in peccato concepit me mater mea. 8 Ecce veritatem voluisti in renibus meis, & in occulto sapientiam scire fecisti me. 9 Purificabis me hyssopo, & mundabor; lavabis me, & præ nive dealbabor. 10 Audire fac me gaudium & lætitiam, & exultent ossa *quæ* contrivisti. 11 Absconde faciem tuam a peccato meo, & omnes iniquitates meas dele. 12 Cor mundum crea mihi Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. 13 Ne projicias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas a me. 14 Redde mihi gaudium salutis tuæ, & spiritus alacer confirmet me. 15 Docebo prævaricatores vias tuas, & peccatores ad te convertentur. 16 Libera me de sanguinibus, Deus salutis meæ; *&* prædicabit lingua mea justitiam tuam. 17 Domine labia mea aperi, & os meum annuntiabit laudem tuam. 18 Quoniam non vis sacrificium, & dedissem; holocausto non delectaris. 19 Sacrificia Dei spiritus contritus, cor contritum & confractum non despicies. 20 Benefac in voluntate tua Sioni deus, ædifica muros Jerusalem. 21 Tunc acceptabis sacrificia justitiæ, holocaustum & oblationes; tunc *justi* offerent super altare tuum vitulos.

10 *vetizceh.* Copulam inserui propter & nexum & versum. Et sic Gr. qui reddiderunt καὶ νικήσῃς, ex Syriaca verbi affinis significatione, quem errorem sæpius errarunt. Verum Clerici Paraphrasis videtur esse optima horum verborum interpretatio; *adeoque quod dicis justum est, vereque de me judicas.*

11 *hinneh.* Hoc metrum poscit, sed in Hebr. *hen.* Hæc vero, quæ sunt poetica descriptio hominis pœnitentiam serio agentis, perperam trahi ad peccatum quod dicitur originis, idem vir Cl. locum pluribus probavit.

13 *battuhotai. tuhotai* dicitur ut *ciljotai Ps.* XVI. *p.* 7. & XXVI. 2. renes mei, a *tuh* illinere, obducere, quia renes adipe illiti. Vid. *Job.* XXXVIII. 36. & Boch. Hieroz. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 16. in Hebr. deest affixum, quod ad versum plane desideratur; excidisse videtur, quod *v* sequatur.

19 *mehatati.* In Hebr. *mehataai*, manifesto, opinor, mendo, omisso *t* ante *jod.* Vid. v. 4. & *6.*

21 *leb tahor. l b tahor*, *ruh kodseca*, & *ruh nedibah* videntur mihi omnia idem fere dicere, animum sc. a vitiis purum, rectum, sanctitatis studiosum, & alacrem, timore nempe & mœrore, ob scelerum conscientiam, minasque a Deo intentatas, non amplius depressum. Ut contra, *ruh nisbarah*, *leb nisbar*, *venidceh*, *pag.* 19. unum idemque volunt, animum sc. ob admissa peccata gravissime dolentem. Plerique vero Intt. per *spiritum sanctitatis* intelligunt *spiritum propheticum.*

27 *alammed.* In Hebr. *alammedah*, sed *h. paragogicum* versus respuit.

30 *elohɪ.* In Hebr. præit *elohim.* Sed errore librarii irrepsisse versus indicat. Vid. *Ps.* XXVII. *p.* 9. & XXXVIII. 23.

31 *zidkeca.* Versus reponi postulat pro *zidkateca.*

34 *hapazta.* In Hebr. *tahpoz*, sed versus poscit *hapazta.* Et sic Gr. εἰ ἠθέλησας. Vid. *Ps.* XL. v. 19. Vid. errorem huic contrarium *Ps.* LXXX. v. 11.

37 *venidceh.* In Hebr. sequitur *elohim;* quod ad periodum sequentem pertinere metrum manifesto indicat.

38 *hetibah.* Gr. ἀγάθυνον κύριε, quasi legissent *hetib jah.*

39 *jerusalem.* Nomen hoc secundum puncta quidem semper desinit in *aim*, sed quod ad literas, quinquies scribitur cum *jod*, alias sine *jod*, sed legendum fere semper *jerusalem*, rarius *jerusalaim*, quarum terminationum licet altera alterius, ex linguæ Hebr. analogia potuerit esse contractio; ut in *samem*, quod scribitur *samaim*, in hac tamen voce diversitas videtur petenda, ex diversa ejus origine quæ traditur, 2 *Sam.* V. 6. 8. & 1 *Paral.* XI. 5. 6. Posteriore loco narratur, Davidem duces suos his verbis adhortari, *macceh jebusi jehjeh leros ulesar.* Si hæc verba hoc ordine ponas, *macceh jebusi le sar ule ros jehjeh*, primæ singularum vocum literæ inverso ordine conjunctæ constituent *Jerusalaim. Jerusalem* vero videtur dicta ab *jerus*, quo allusum est ad *Jebus*, antiquum urbis nomen, & *salem*, opposite ad *cæcos* & *claudos*, quos *Jebusæi* in derisionem regis muro imposuissent, quasi illi soli impedire possent ne ingrederetur; eam nempe munitionum firmitatem crediderunt, ut tuto possent hoc modo copiis regiis illudere. Opposite ad hæc dicitur *jerus possidebit* (forma a *rus* ducta, licet *jaras* tantum in usu sit) & *salem corpore integer.* Hic videtur obscuri illius in Sam. loci sensus, & urbi inde nomen *Jerusalem* factum fuisse. Nec aliam ob causam arbitror oratiunculus has ab utroque historico memorari, nisi ut duplex nominis hujus origo conservetur. Sunt vero & alia in SS. exempla, ubi unius nominis duplex origo traditur, quale est *Beersebay*, quod ideo appellatum est, & pro-

pter

pter *juramentum*, & propter *ſeptem* oves, quas eodem tempore Abrahamus Abimelecho in manus tradidit. Sed hæc obiter: alias nominis hujus origines vide apud Intt.

41 *zaddikim.* Cum ex verſu conſtet aliquid excidiſſe, nihil quod reponatur commodius viſum eſt hac voce, quæ ideo videtur omiſſa, quod verſus præcedens in *zedek* deſinat.

PSALMUS LII. נב

LAmenazzeh, maſcil, ledavid,
bebo doeg haadomi, vaijagged
leſaul, vaijomer lo;
ba david el bet ahimelec.

1 mah tithallel berayah
haggibbor? heſed el col haijom.

havvot tahſob *beleſoneca*,
cetayar meluttaſ, yoſeh remijah.

5 ahabta ra*yah* mittob,
ſeker middabber zedek. ſelah.

ahabta col dibre *beliyal*,
laſon *doberah* mirmah.

gam el jittazeca lanezah,
10 jahteca, vejiſſahaca meohel,
veſereſca meerez haijim. ſelah.

vejiru, vejirau
zaddikim, veyalav jiſhaku.

vejomeru, hinneh haggeber
15 lo jaſim elohim mayuzzo;
vaijibtah berob yoſro,
*ve*jayoz behavvato.

v'ani cezait raynan
bebet *jahvoh*, batahti
20 behesed *jahvoh* yolam vayed.

odeca leyolam, ci
yaſita, vaakavveh ſimca,
ci tob *le*neged haſideca.

PSALMUS LII. נב

1 למנצח משכיל לדוד
2 בבוא דואג הארמי ויגד
לשאול ויאמר לו
בא דוד אל-בית אחימלך:

3 מה-תתהלל ברעה
הגבור חסד אל כל-היום:

4 הוות תחשב * לשונך
בתער מלטש עשה רמיה:

5 אהבת רע * מטוב
שקר מדבר צדק סלה:

6 אהבת כל-דברי בלע *
לשון *** מרמה:

7 גם-אל יתצך לנצח
יחתך ויסחך מאהל
ושרשך מארץ חיים סלה:

8 ויראו צדיקים וייראו
*** ועליו ישחקו:

9 *** הנה הגבר
לא-ישים אלהים מעזו
ויבטח ברב עשרו
* יעז בהותו:

10 ואני כזית רענן
בבית אלהים בטחתי
בחסד אלהים עולם ועד:

11 אודך לעולם כי
עשית ואקוה שמך
כי-טוב * נגד חסידיך:

1 PRæcentori, Didacticon, Davidis, 2 quum veniſſet Doeg Edomæus, & nunciaſſet Sauli, & dixiſſet ei; Venit David in domum Achimelech. 3 Cur gloriaris de malitia o potens? miſericordia Dei omni die. 4 Pravitates cogitas lingua tua, ſicut novacula acuta, faciens dolum. 5 Diligis malum præ bono, mendacium magis quam loqui juſtitiam. Selah. 6 Diligis omnia verba iniqua, linguam eloquentem dolum. 7 Etiam Deus deſtruet te in æternum, tollet te, & evellet te e tabernaculo, & eradicabit te e terra viventium. Selah. 8 Et videbunt, & timebunt juſti & ſuper eum ridebunt. 9 Et dicent, Ecce vir *qui* non poſuit Deum fortitudinem ſuam; ſed fidit multitudini divitiarum ſuarum, & roboratus eſt in pravitate ſua. 10 Ego autem *ero* ſicut olea viridis in domo *Jahvoh*, ſperavi in miſericordia *Jahvoh in* ſeculum & ſeculum. 11 Celebrabo te in ſeculum, quoniam feciſti; & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum.

2 *heſed el.* Miror quid legerint Gr. qui hic habent ἀνομίαν.

3 *beleſoneca. b* in Hebr. excidit, quod alterum *b* præceſſit; atque hanc correctionem conſtructio pariter ac metrum certam reddit, cum alias deſit *ſubſtantivum*, quocum *yoſeh* conveniat.

5 *ra*yah. In Hebr. *ray*, ſed verſus poſtulat diſſyllabum, vel legendum *haray*, ut *Pſ.* LV. v. 10.

7 *beliyal.* In Hebr. *balay*, (& ſic Gr. ῥήματα καταποντισμοῦ, quæ mihi videntur abſurdiſſima, proclivi errore pro *beliyal*, omiſſo *jod*, & *l* a fine excidente quod ſequens vox ab eadem litera incipiat. *dibre beliyal*, ſunt verba *nociva*, & improba; ut *debar beliyal*, *Pſ.* XLI. *p.* 9. quod Gr. verterunt λόγον παράνομον.

8 *doberah.* Et ſenſus & verſus poſtulant hanc vocem inſeri, & ſic hæc periodus pulchre convenit cum proxime præcedente. Vid. *Pſ.* XII. v. 6.

13 *zaddikim.* Hæc vox in Hebr. præcedit *vejirau*, ſed verſus poſtponi poſtulat.

14 *vejomeru.* Hoc quoque excidiſſe ex ſenſu pariter ac metro conſtat, ſed Gr. verſio conſervavit. καὶ ἐροῦσιν.

17 ve*jayoz.* Et conſtructio & metrum copulam addi poſtulant, & ſic Gr. καὶ ἐνεδυναμώθη.

19 *Jahvoh.* In hac periodo *Jahvoh* bis repoſui pro *elohim*, quod locum ejus videtur occupaſſe. Vid. *Pſ.* XXIII. v. 15. & XXVII. v. 12.

21 *odeca.* Turbatus videtur in hac periodo ordo verborum, & legendum hoc modo.

odeca, vaakavveh
ſimca leyolam, ci yaſita,
leneged —— In Hebr. *neged*,

ſed deeſt ſyllaba ad verſum. Vid. *Pſ.* LIV. v. 7. & 13.

22 *ci yaſita.* Vid. *Pſ.* XXII. v. ult.

PSAL-

PSALMUS LIII. נג

LAmenazzeh yal mahalat,
maſcil, ledavid.

1 amar nabal belibbo, εn elohim;
hishitu vehityibu
yalilah; εn yoſeh tob.

jahvoh miſſamεm hiskip
5 yal benε adam, lirot
hajeſ maſcil, doreſ elohim.

" cullo sag jahdav, nelahu;
εn yoſeh tob, εn gam ehad.

halo jadeyu poyalε on,
10 ocelε yammi *ce*acelu
lehem? elohim lo karau.

ſam pahadu pahad, lo hajah pahad,
ci elohim pizzar yazmot hone*ca*;
hebiſotah, ci elohim measam.

15 mi jitten mizzion jeſuyot!
beſub elohim ſebut yammo,
jagel jaykob, jiſmah jiſrael.

PSALMUS LIII. נג

1 למנצח על-מחלת
משכיל לדוד:

2 אמר נבל בלבו אין אלהים
השחיתו והתעיבו
עול * אין-עשה טוב:

3 אלהים משמים השקיף
על-בני אדם לראות
היש משכיל דרש את-אלהים:

4 כלו סג יחדו נאלחו
אין עשה-טוב אין גם-אחד:

5 הלא-ידעו פעלי-און
אכלי עמי * אכלו
לחם אלהים לא קראו:

6 שם פחדו-פחד לא-היה פחד
כי-אלהים פזר עצמות חנך
הבישתה כי-אלהים מאסם:

7 מי-יתן מציון ישעות ישראל
בשוב אלהים שבות עמו
יגל יעקב ישמח ישראל:

1 PRæcentori ſuper Mahalath, Ditaſticon, Davidis. 2 Dixit ſtultus in corde ſuo, Non *eſt* Deus; corruperunt *viam ſuam*, & abominabilem fecerunt iniquitatem; non eſt faciens bonum. 3 Jahvoh e cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat an ſit intelligens, requirens Deum. 4 Omnes retroceſſerunt pariter, fœtidi ſunt; non eſt faciens bonum, non eſt etiam unum. 5 Annon cognoverunt operantes iniquitatem, comedentes populum meum *ac ſi* comederent panem? *&* Deum non invocant. 6 Ibi timebant timore, *ubi* non fuit timor, quoniam Deus diſperſit oſſa caſtrametantis contra te; pudore affeciſti *illos*; quoniam Deus ſprevit eos. 7 Quis dabit ex Sion ſalutem! quum convertit Deus captivitatem populi ſui, exultabit Jacob, lætabitur Iſrael.

3 *yalilah*. Repoſui ex *Pſ.* XIV. *p.* 1. qui idem eſt atque hic, vel præfixa copula legendum, *vεn*.
4 *jahvoh*. Repoſui pro *elohim*, ex *Pſal.* prædicto, quod verſus veram eſſe lectionem oſtendit.
6 *elohim*. In Hebr. *&* *elohim* Vid. ad v. 6. *Pſal.* præd.
7 *cullo*. In *Pſal.* prædicto eſt *haccol*, & pro *ſag*, *ſar*.

10 *ceacelu*. Senſus pariter ac metrum poſcit *ce* præfigi, ut dixi ad *Pſal.* XIV. *p.* 4.
13 *honeca*. In Hebr. *honac*, ſed verſus oſtendit legendum *honeca*, pro quo Gr. legiſſe videntur *hanpeca*, verterunt enim ἀνθρωπαρέσκων. Nam *hanep* eſt *hypocrita*.
15 *jeſuyot*. Sequitur in Hebr. hic, ut in *Pſ.* XIV. *jiſrael*. Vid. ibi dicta.

PSALMUS LIV. נד

LAmenazzeh beneginot, maſcil,
ledavid. bebo hazzipim
vaijomeru leſaul, halo david
mistatter yiammanu?

1 *jahvoh* besimca hosiyeni,
ubegeburateca tedineni.

elohim ſemay tepillati;
hazinah leimrε pi.

5 ci zarim kamu yalai,
veyarizim bikkeſu napſi,
lo ſamu elohim lenegdam. selah.

hen elohim yozer li;
adonai besomecε napſi.

10 " jasib haray leſorerai;
beamitteca hazmitem.

" be-

PSALMUS LIV. נד

1 למנצח בנגינות משכיל
לדוד: 2 בבוא הזיפים
ויאמרו לשאול הלא דוד
מסתתר עמנו:

3 אלהים בשמך הושיעני
ובגבורתך תדינני:

4 אלהים שמע תפלתי
האזינה לאמרי-פי:

5 כי זרים קמו עלי
ועריצים בקשו נפשי
לא שמו אלהים לנגדם סלה:

6 הנה אלהים עזר לי
אדני בסמכי נפשי:

7 ישוב הרע לשררי
באמתך הצמיתם:

8 בנדבה

" benedabah ezbehah lac;
odeh simca jahvoh, ci tob.

ci miccol zarah hizzilεani,
15 obojebai raatah yεni.

8 בנדבה אזבחה לך
אודה שמך יהוה כי-טוב:

9 כי מכל-צרה הצילני
ובאיבי ראתה עיני:

1 PRæcentori in Neginoth, ditacticon, Davidis. 2 Quum veniſſent Ziphæi & dixiſſent ad Saul, Nonne David abſcondit ſe nobiſcum? 3 *Jahvoh*, in nomine tuo ſalvum me fac, & in fortitudine tua judica me. 4 Deus audi orationem meam; auſculta verba oris mei. 5 Quoniam alieni inſurrexerunt adverſum me, & formidabiles quærunt animam meam, non poſuerunt Deum coram ſe. Selah. 6 Ecce, Deus auxilium mihi; Dominus *eſt* inter ſuſtentatores animæ meæ. 7 Reddet malum inimicis meis; in veritate tua ſuccide illos. 8 Sponte ſacrificabo tibi; celebrabo nomen tuum, Jahvoh, quoniam bonum *eſt*. 9 Quoniam ex omni anguſtia eruiſti me, & in hoſtibus meis, *quod volui*, vidit oculus meus.

1 *jahvoh.* Verſus reponi poſcit pro *elohim*.
5 *ci zarim*, *Pſ.* LXXXVI. *p.* 14. *zedim*, quod prætulerim; & ſic Chald.
8 *hen.* In Hebr. *hinneh*, ſed metrum poſtulat *hen*, ut *Pſ.* LI. v. 13. vel pro *elohim* legendum *jahvoh*.
14 *hizziltani.* In Hebr. *hizzilani*, ſed ſententia poſcit ſecundam perſonam, & ſic Gr. ἐῤῥύσω.
15 *ubojebai. beojebai* hoc modo contrahendum, vel delenda copula, quæ forte nata eſt ex *jod* præcedente.

PSALMUS LV. נה

LAmenazzeh beneginot, maſcil,
ledavid.

1 " hazinah elohim tepillati;
veal tityallam mittehinnati.

" haksibah li, vayaneni;
arid beſihi, v' ahimah.

5 mikkol ojeb, mippene
yakat raſay *yaneni*;

ci jamitu yalai on,
ubeap jiſtemuni.

libbi jahil bekirbi,
v' εmot mavet napelu yalai.

10 " jirah varayad jabo bi,
vattecasseni pallazut.

vaomar, mi jitten li eber?
ayupah veeſcenah
caijonah; hinneh arhik
15 nedod, alin bammidbar. selah.

ahiſah mepallet li
meruh soyah, miſsayar.

" *pallag* adonai, palleg
ci raiti hamas verib bayir.

20 " jomam velailah josebebuha,
veon veyamal yal homotεha.

bekirbah havvot, velo jamiſ
merehobotah toc umirmah.

ci lo ojebi herepani;
25 veeſſa; lo meſanni yalai
higdil, veessater mimmennu.

" veattah, enoſ, ceyerci,
allupi, umejuddayi;

aſer jahdav namtik sod, bebεt
30 elohim nehallec berageſ.

jaſſig

PSALMUS LV. נה

1 למנצח בנגינות משכיל
לדוד:

2 האזינה אלהים תפלתי
ואל-תתעלם מתחנתי:

3 הקשיבה לי ועגני
אריד בשיחי ואהימה:

4 מקול אויב מפני
עקת רשע ***

כי-ימיטו עלי און
ובאף ישטמוני:

5 לבי יחיל בקרבי
ואימות מות נפלו עלי:

6 יראה ורעד יבא בי
ותכסני פלצות:

7 ויאמר מי-יתן-לי אבר
כיונה אעופה ואשכנה:
*** 8 הנה ארחיק
נדד אלין במדבר סלה:

9 אחישה מפלט לי
מרוח סעה מסער:

10 בלע ארני פלג לשונם
כי ראיתי חמם וריב בעיר:

11 יומם ולילה יסובבה
על-חומותיה ואון ועמל בקרבה:

12 הוות בקרבה ולא-ימיש
מרחובה * תך ומרמה:

13 כי לא-אויב יחרפני
ואשא לא-משנאי עלי
הגדיל ואסתר ממנו:

14 ואתה אנוש כערכי
אלופי ומידעי:

15 אשר יחדו נמתיק סוד בבית
אלהים נהלך ברגש:

16 ישי

jassig mavet yalεmo,
jeredu seol haijim;
ci rayot bemeguram,
bekirbam. ani el elohim
35 ekra, vejahvoh josiyeni.

yereb vaboker, vezohraim
asihah, veehmeh; vaijismay koli.

jipdeh besalom nasi mikkerob li,
ci berabbim hajab yimmadi.
40 jismay el, vejaynemo joseb kedem. selah.

" aser εn halipot lamo,
velo jareu elohim.

salah jadav *beanse*
selomav, hillel btiro.

45 haleku mehamaot *panav*,
ukerab libbo; raccu dibrav
missemen, vehemmah petihot.

haslec yal jahvoh jehabeca,
vehu jecalcelca; lo jitten
50 leyolam mot lazzaddik.

veattah elohim toridem,
lebeer sahat; anse damim
umirmah lo jehzu jemεhem;
vaani ebtah beca, *jahvoh*.

16 ישי-מות עלימו
ירדו שאול-חיים
כי-רעות מגורם
בקרבם: 17 אני אל-אלהים
אקרא ויהוה יושיעני:

18 ערב ובקר וצהרים
אשיחה ואהמה וישמע קולי:

19 פדה בשלום נפשי מקרב-לי
כי ברבים היו עמדי:
20 ישמע אל ויענם וישב קדם סלה

אשר אין חליפות למו
ולא יראו אלהים:

21 שלח ידיו ***
בשלמיו חלל בריתו:

22 חלקו מחמאות פיו*
וקרב לבו רכו דבריו
משמן והמה פתחות:

23 השלך על-יהוה יהבך
והוא יכלכלך לא-יתן
לעולם מוט לצדיק:

24 ואתה בלהים תורידם
לבאר שחת אנשי דמים
ומרמה לא-יחצו ימיהם
ואני אבטח בך **:

1 PRæcentori in Neginoth, Didacticon, Davidis. 2 Auribus percipe Deus orationem meam; & ne abscondas te a deprecatione mea. 3 Intende mihi, & exaudi me; plango in meditatione mea, & tumultuor. 4 Propter vocem inimici, propter angustiam impii *exaudi me*; quoniam conjiciunt super me iniquitatem, & in ira adversantur mihi. 5 Cor meum dolet in medio mei, & terrores mortis ceciderunt super me. *6* Timor & terror venit super me, & operuit me horror. 7 Et dixi, Quis dabit mihi alas? avolarem & requiescerem ut columba; 8 ecce elongarem fugiendo, pernoctarem in deserto. Selah. *9* Festinarem *liberatorem* mihi a vento procelloso, a turbine. 10 *Divide*, Domine, divide linguam eorum, quoniam vidi violentiam & contentionem in civitate. 11 Die ac nocte circumdant eam, & iniquitas & molestia super muros ejus. 12 In medio ejus Pravitas, & non recedit e plateis ejus fraus & dolus. 13 Neque enim inimicus meus probris affecit me, alioqui sustinuissem; neque odio habens me adversum me magnificavit se, abscondissem enim me ab eo. 14 Sed tu, homo, juxta æstimationem meam, dux meus, & notus meus; 15 Qui simul dulciter communicabamus secretum, in domo Dei ambulabamus in societate. *16* Subito veniat mors super eos, descendant *in* sepulcrum viventes; quia mala *sunt* in habitaculo eorum, in medio eorum. 17 Ego ad Deum clamabo, & Jahvoh servabit me. 18 Vespere & mane, & meridie meditor & tumultuor; & exaudiet vocem meam. *19* Redimet in pace animam meam ne appropinquent ad me, quoniam contra multos *fuit* mecum. 20 audiet Deus & affliget eos, qui est ante secula. Selah. Quibus non sunt mutationes, nec timent Deum. 21 Misit manus suas in *homines* pacificos, polluit pactum suum. 22 Læves sunt præ butyro *vultus* ejus, at prælium *est* cor ejus; molliora verba ejus plus quam oleum, & ipsa sunt gladii. 23 Projice super Jahvoh onus tuum, & ipse sustentabit te; non dabit in seculum nutare justo. 24 Tu autem Deus descendere facies eos in puteum foveæ; viri sanguinarii & dolosi non dimidiabunt dies suos; ego autem fidam tibi, *Jahvoh*.

6 yaneni. Et sensus & versus videntur postulare, ut *yaneni*, quod habetur in periodo præcedente, hic repetatur.

14 *caijonah*. In Hebr. sequitur *eber*, sed & constructio & metrum alieno loco positum ostendunt. Sensus est, avolabo & habitabo in *desertis locis* & rupibus, ut columba; avi querulæ homo in mediis periculis constitutus, & timore pœnæ oppressus merito se confert; sic *Es.* XXXVIII. 4. Hezekias, cum gravi morbo decumberet, dicit, *gemebam ut columba*. Sed hæc magis illustrat locus, *Jer.* XLVIII. 28. *Deserite urbes, habitate in rupibus — estote instar columbarum, quæ nidificant in lateribus ostii cavernæ*. Vid. *Psal.* XI. *p.* 1.

16 *mepallet*. Sic versus legi postulat, non *miplat*, ut in Hebr. & sic Gr. τ̃ σώζοντα.

17 *ruh soyah*. Recentioribus interpretibus pariter ac veteribus, est *ventus procellosus*; sed Gr. ὀλιγοψυχίας; quid legerint nescio, aut unde hanc notionem eruerint; forte Gr. vox mendosa est.

18 *palleg*. In Hebr. *balay*, & Gr. κατεπόντισον. Mira profecto loquutio, neque minus mira conjunctio cum *palleg*; suspicor igitur legendum *palleg*.

21 *veon veyamal*. Hæc in Hebr. ponuntur post *yal homotsha*, sed locum diligenter expendenti videtur hic verborum Metathesis librariorum incuria accidisse, cum hæc verborum collocatio & metro & sententiæ optime conveniat; *bekirbah* enim quod hanc periodum claudit, ad sequentem attinet, & alterum illud *bekirbah*, quod mox sequitur, inducendum est. Parum enim verisimile videtur hymni hujus autorem eandem loquutionem bis adhibuisse una tantum voce interposita,

quod

quod admodum fuiſſet invenuſtum. Horum igitur alterum putem e margine irrepſiſſe, ubi adſcriptum fuit ad verum verborum ordinem reſtituendum, qui turbatus erat ponendo poſt *havvot*, quod præcedere debuerat. Sed quæcunque fuerit hujus repetitionis cauſa, de mendo pauci, opinor, dubitaverint.

23 *merebobotah.* Et ſic Gr. ἐκ τ̃ πλατειῶν ἀυτῆς. Sed in Hebr. eſt in ſingulari, quod metrum reſpuit.

24 *ojebi herepani.* Sic hæc dividenda mihi videntur, quæ in Hebr. hoc modo leguntur, *ojeb jeharepeni;* ut mox *higdil* in præterito; Gr. εἰ ἐχθρὸς ὠνείδισέ με.

27 *ceyerci. Ut putabam, quantum ego judicare potui;* ſic *Clericus*, & *Vatablus;* alii, *qui ſimilis mihi, qui ut ego, quem ego tanquam me æſtimavi*. Gr. ἰσόψυχε, Aq. ὁμότροπέ μοι. De quibus *Muiſ.* Ferre ſane poteſt vox Hebr. iſtas interpretationes, & reddi ad verbum, *juxta diſpoſitionem meam*.

29 *ſod.* Vid. *Pſ.* LXIV. *p.* 3. ibi *ſod* & *rigsah* uſurpantur, ut hic *ſod* & *rageſ.*

31 *jaſſig. Mors ſubito eos aſſequatur*, Gr. ἐλθέτω ἐπ' αὐτοὺς. Sed in Hebr. eſt *jaſſi*. Id eſt, *mors decipiat eos*, incommode. Vid. *Pſal.* VII. v. 10. & LXIX. v. 61.

34 *bekirbam.* Videtur gloſſema eſſe, cum idem plane ſit ac *bemeguram;* eo vero ſublato copula ſequenti periodo præfigenda. Quod ſi ſervetur *bekirbam*, verſiculum ſequentem ab illo inchoari oportet, ut ex metro manifeſtum eſt.

37 *vaijiſmay.* Legendum putem *vejiſmay.* Cum verba præcedentia hoc quoque eodem tempore poni poſtulent.

38 jip*deh.* Reſcripſi pro *padah*, ſenſu, ut videtur, id poſtulante; *jod* videtur excidiſſe quod alterum præceſſerit. Gr. λυτρώσεται, & ſic fere omnes alii Intt.

mikkerob li. Ne appropinquent. Alii *a bello;* ſed tunc legendum *kerab*, ut *p.* 22. quod forte melius.

39 *ci berabbim haj*ah. In Hebr. *haju*, quod verſum hunc ambiguum, & obſcurum reddit; *be* enim in *berabbim* tunc πλεονάζει, & *yimmadi* erit *contra me*, dure & coacte; eſt quidem ubi *yim* eſt *contra*, ſed iſta ejus vis pendet a verbis quibuſcum conjungitur. Nunquam eo ſenſu ſumitur cum ſuffixo primæ perſonæ & verbo ſubſtantivo. Quare legendum puto *hajah*, & ſic intellexit Chald. hac lectione admiſſa, optime, inquit *Muiſ.* flueret ſenſus, *redimet me, ſpero, nunc, quoniam jam alias ſæpe illum vindicem ac defenſorem habui*.

40 *vejaynemo*, in Hebr. *vejaynem vejoſeb:* Sed *vau* ante *joſeb* ponendum ad *jaynem*, alias deſiderabitur verbum, ad quod *vejoſeb* referatur. Nec Gr. hic copulam agnoſcunt. Sed *jaynemo* forte repetendum ad hunc modum.

jiſmay el vejaynemo,
jaynemo joſeb kegem.

Vid. *Pſ.* II. *p.* 4. & LIX. 9.

41 *halipot.* Qui non *mutant mores*, ſed ſui ſimiles eſſe pergunt; vel, qui *nullam fortunæ viciſſitudinem* experiuntur ac nihil in vita mali vident, adeoque ſecuri vivunt. Sic fere interpretes. Cl. *Clericus*, quibus non *mutationes veſtimentorum*, *nempe pauperes*. Sed vereor, ut hoc eruditis ſatisfecerit. Pſaltes enim non *pauperes* ſolet in inimicis numerare; *pauperes* pro amicis potius habet, & ſe *pauperem* ſæpe dicit.

44 *beanſe ſelomav.* Contra uſum Linguæ Hebr. eſt, ut *ſelomav* ſignificet *pacificos*. Sed viri *pacis* loquutio eſt bene nota. Et ſic conſtat metrum.

45 *mehamaot. Præ butyro*. Sic legi ſenſus poſtulat ac metrum ſed in Hebr. eſt *mahmaot.* Quod reddunt, *butyrinæ*, perperam. Pro *piv* vero manifeſto legendum *panav*, & ſic legerunt Gr. licet locum hunc peſſime verterint, Διεμερίσθησαν ἀπὸ ὀργῆς τ̃ προσώπȣ ἀυτ̃. Simile in hac voce mendum in *Pſ.* XVIII. v. 21. ſequentia in hac periodo utramque emendationem egregie comprobant.

48 *jehabeca. Onus tuum*. Sic Intt. ex conjectura. Gr. τὴν μέριμνάν σȣ. *jahab* eſt *dare*, *tradere*, qui ſenſus huc parum facit. *Clericus* igitur non male conjicit hanc vocem inter alias ejus ſignificationes, idem olim valuiſſe, ac *jaab*, *cupere*, *deſiderare*, quo ſenſu adhibetur, *Pſ.* CXIX. *p.* 131.

54 *jahvoh*. Sic Gr. κύριε. Metrum quoque excidiſſe oſtendit.

PSALMUS LVI. נו

LAmenazzeh yal jonat elem
rehokim, ledavid, mictam,
beehoz oto peliſtim begat.

1 honneni elohim, *honneni*,
ci ſeapani enoſ;
col haijom lohem jilhazeni.

ſaapu ſorerai col haijom,
5 ci rabbim lohamim li, marom:
jom ira ani elec' ebtah.

beelohim ahallel dibro;
beelohim batahti;
lo ira, mah jayſeh baſar li.

10 col haijom dibrai jeyazzebu;
yalai col mahſebotam laray.

yalai jaguru, *vejizponu*
hemmah, yakbai jiſmoru.

caaſer kivvu napſi,
15 yal on*am* palet lamo;
beap yammim hored elohim.

nodi ſapartah attah,
ſimah dimyati benodeca;
halo beſiprateca?

PSALMUS LVI. נו

1 למנצח על-יונת אלם
רחקים לדוד מכתם
באחז אותו פלשתים בגת:

2 חנני אלהים ***
כי-שאפני אנוש
כל-היום לחם ילחצני:

3 שאפו שוררי כל-היום
כי רבים לחמים לי מרום:
4 יום אירא אליך אבטח:

5 באלהים אהלל דברו
באלהים בטחתי
לא אירא מה-יעשה בשר לי:

6 כל-היום דברי יעצבו
עלי כל-מחשבותם לרע

7 ** יגורו * יצפונו
המה עקבי ישמרו

כאשר קוו נפשי:
8 על-און * פלט-למו
באף עמים הורד אלהים:

9 נדי ספרתה אתה
שימה דמעתי בנארך
הלא בספרתך:

20 az jasubu ojebai ahor,
bejom ekreca; zeh jadayti,
ci elohim li *attah*.

beelohim ahallel dibro;
. . . .
beelohim batahti;
25 lo ira, mah jaysèh adam li.

yalec' elohim nidrai
asallem; todot *ezbehah* lac.

ci hizzalta napsi mimmavet;
halo *yenai middimyah*, raglai
30 middehi, lehithallec lipne
elohim beor haijim.

10 אז ישובו איבי אחור
ביום אקרא * זה ידעתי
כי-אלהים לי **:

11 באלהים אהלל דבר
ביהוה אהלל דבר:
12 באלהים בטחתי
לא אירא מה-יעשה אנם לי:

13 עלי אלהים נדריך
אשלם תודות *** לך:

14 כי הצלת נפשי ממות
הלא ***** רגלי
מדחי להתהלך לפני
אלהים באור החיים:

1 PRæcentori super columbam mutam in remotis, Davidis, Michtham, quum comprehendissent eum Pelisthim in Gath. 2 Miserere mei, Deus, *miserere mei*, quoniam anhelat *in* me homo; quotidie bellans opprimit me. 3 Anhelant inimici mei omni die, quoniam multi pugnantes adversum me, Excelse: 4 die *quo* timebo, ego tibi fidam. 5 In Deo laudabo verbum ejus; in Deo speravi; non timebo, quid faciat caro mihi. 6 Tota die verba mea dolore afficiunt; adversum me *sunt* omnes cogitationes eorum in malum. 7 *Adversum me* congregantur & occultant se ipsi, vestigia mea observant. Quum expectant animam meam, 8 propter iniquitatem illorum judica eos; in furore populos dejice Deus. 9 Migrationem meam numerasti tu, posuisti lachrymas meas in utre tuo; nonne in libro tuo *sunt*? 10 Tunc convertentur inimici mei retrorsum, in die *qua* clamabo ad te: hoc cognovi, quod Deus mihi tu *es*. 11 In Deo laudabo verbum *ejus*; . . . . 12 In Deo speravi; non timebo quid faciat homo mihi. 13 Tibi Deus mea vota rependam; laudes *sacrificabo* tibi. 14 Quoniam eripuisti animam meam a morte; nonne *oculos meos a lacrymis*, pedes meos a trusione, ut ambulem coram Deo in lumine viventium?

1 *honneni*. Repetendum videtur hic, metro indice, ut *Ps.* LVII. v. 1.

5 *marom*. Cum *marom*, nusquam alias, quod sciam, ut dei nomen, usurpetur, uti *yeljon* solet, non parum suspicor hic subesse mendum; excidit forte versiculus cujus *marom* pars fuit, neque enim ad hunc versum illo opus est, qui optime desineret in *li*. Erat cum legendum putarem,

marom attah jahvoh, jom ira
ani elcca ebtah. Vid. *Ps.* XCII. *p.* 9.

Gr. ἀπὸ ὕψους ἡμέρας. Alii, ex *editis locis*, Aquila, ὕψιστε. & sic plerique Intt.

9 *lo ira*. Vid. *Ps.* CXVIII. *p.* 6.

12 *yalai*. Repetendum esse ex priore versiculo docent loca huic parallela *Ps.* LIX. *p.* 4. & XCIV. 21. & inter duo verba inserenda copula, quæ facile excidit, altero *vau* præcedente.

15 *yal onam pallel lamo. judica eos propter ipsorum iniquitatem*: Sic locum hunc restituendum putavi; & præcedentis periodi ultimum versiculum in unam cum his componendum esse. In Hebr. est, *yal on pallet lamo*. Ex qua lectione, utcunque torqueas, nullus, quantum ego quidem video, sensus potest exprimi. Adi, si placet, interpretes. Gr. legerunt. *yal ain*. ὑπὲρ τοῦ μηθενὸς.

18 *simah*, *imperativum* est, sed habet, ni fallor, vim *præteriti*. Vid. ad *Psal.* VIII. v. 3.

21 *ekreca*. In Hebr. est *ekra*. Sed sensus æque ac metrum poscit affixum. Et sic Gr. ἐπικαλέσωμαί σε. Et in fine manifesto excidit *attah*. Et sic Gr. ὅτι θεός μου εἶ σύ.

23 *beelohim*. Post hunc versiculum sequitur in Hebr. *bejahvoh ahallel dabar*. Quod manifesto spurium est, ut cuivis patebit hanc periodum cum quinta conferenti.

26 *yalec' elohim nidrai*. In Hebr. est *yalai elohim nidreca*, quod plane absurdum est. Affixum utique quod ad *yale* pertinebat, errore librarii τοῦ *nidrai* appositum est; sed & aliud in hac periodo mendum, nec tantum versui secundo deest sua quantitas, sed & τῷ *todot* verbum suum. *ezbehah* igitur addendum putavi. Vid. *Ps.* L. *p.* 14. & 23. CVII. 22. CXVI. 17.

29 *yenai middimyah*. Et sensu & metro eo ducentibus addidi ex loco parallelo. *Ps.* CXVI. 8.

31 *beor haijim*. In loco parallelo est *bearzot hahaijim*; & sic opinor hic legendum. In Hebr. hic etiam est *hahaijim*; sed nisi legamus *arzot*, *h paragogicum* tollendum propter metrum, vel pro *elohim* legendum *jahvoh*.

PSALMUS LVII. נז

LAmenazzeh, al tashet, ledavid,
mictam, beborho mippene
saul bammeyarah.

1 honneni elohim, honneni,
beca hasajah napsi;
ubezel canpeca *adonai*
ehseh, yad jaybor havvot.

5 ekra lelohim yeljon;
lel*ohim* gomer yalai.

jis-

PSALMUS LVII. נז

1 למנצח אל-תשחת לדוד
מכתם בברחו מפני-
שאול במערה:

2 חנני אלהים חנני
כי-בך חסיה נפשי
ובצל-כנפיך ***
אחסה עד יעבר הוות:

3 אקרא לאלהים עליון
לאל ** גמר עלי:
4 ישלח

jislah missamem, *jislah* elohim hasdo vaamitto; vejosiyeni *be*harep soapi. selah.	4 ישלח משמים ** ויושיעני * חרף שאפי סלה ישלח אלהום חסדו ואמתו :
10 napsi, betoc labim escebah, lohatim bene adam;	5 נפשי בתוך לבאם אשכבה להטים בני-אדם
« sinnehem hanit vehizzim, ulesonam hereb haddah.	שניהם חנית וחצים ולשונם חרב חדה :
rumah yal hassamem elohim; 15 yal col haarez cebodeca.	6 רומה על-השמים אלהים על כל-הארץ כבודך:
« reset hecinu lipyamai, cappu napsi; caru lipnai sihah, napelu betocah. selah.	7 רשת הכינו לפעמי כפף נפשי כרו לפני שיחה נפלו בתוכה סלה:
nacon libbi, elohim, 20 nacon libbi, asirah, vaazammerah; *ap cebodi*,	8 נכנן לבי אלהים נכון לבי אשירה ואזמרה ****
yurah, cebodi yurah; hannebel vecinnor ayrah sahar.	9 עורה כבודי עורה הנבל וכנור אעירה שחר:
odeca bayammim adonai. 25 azammereca balleummim.	10 אודך בעמים ארני אזמרך בלאמים:
ci gadol yad samem hasdeca, veyad sehakim amitteca.	11 כי-גדול עד-שמים חסדך ועד-שחקים אמתך:
rumah yal *ha*ssamem elohim; yal col haarez cebodeca.	12 רומה ל- * שמים אלהים על כל-הארץ כבודך:

1 PRæcentori, Ne disperdas, Davidis, Mihtam, quum fugeret ipse a facie Saul in speluncam. 2 Miserere mei Deus, miserere mei, in te confidit anima mea; & in umbra alarum tuarum *Domine* spero, donec transierit calamitas. 3 Clamabo ad Deum altissimum; ad Deum retribuentem mihi. 4 Mittet e cœlo, *mittet* Deus misericordiam suam & veritatem suam; & servabit me cum blasphemat persecutor meus, Selah. 5 Anima mea inter leones jacet, flammantes *sunt* filii hominum; Dentes eorum *sunt* lancea & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. 6 Exaltare super cœlos Deus; super omnem terram gloria tua. 7 Rete paraverunt gressibus meis, incurvaverunt animam meam; foderunt ante me foveam, ceciderunt in medium ejus. Selah. 8 Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo, & psallam; *etiam gloria mea*, 9 Evigila, gloria mea evigila; nablium & citharam excitabo diluculo. 10 Celebrabo te in populis Domine, canam tibi in gentibus. 11 Quoniam magna *est* usque ad cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua. 12 Exultare super cœlos Deus; super omnem terram gloria tua.

2 *beca hasajah*. Hebr. *ci beca*, sed *ci*, quod sensum nihil adjuvat, versum impedit, & videtur natum errore quodam ex prima periodo Psalmi proxime præcedentis.

3 *adonai*. Excidisse videtur, sequente voce ab eadem litera incipiente.

4 *yad jaybor havvot*. Duplex hic censetur Anomalia, generis sc. & numeri; & de genere quidem concedo, cujus Anomaliæ plura exempla sunt, præsertim cum nominativus verbo postponitur; vid. *Ps.* XCIV. *p.* 13. sed locis expensis quibus idem nomen occurrit, licet terminatio sit pluralis, usu tamen pro singulari habitum crediderim. Græcis ἀδικία, ἀνομία.

6 *lelohim*. In Hebr. *loel*, sed *el* videtur compendio quodam scribendi positum pro *elohim*, quod versus postulat. Pro *gomer* vero suspicor legendum *gomel*. In fine hujus periodi Gr. legisse videntur *selah*, sed errori forsan librariorum hoc debetur in Græcis codicibus, cum mox *selah* sequatur in Hebr.

7 *jislah*. Manifesto hic turbatum est in Hebr. tertio versiculo secundi locum occupante; & quod sensus pariter ac metrum postulat, pro *herep* legendum *beharep*; versiculis in suum ordinem restitutis *selah* quoque locum suum obtinebit, & fini periodi addetur.

9 *soapi*. Gr. *soapai*, τοὺς καταπατοῦντάς με.

10 *napsi*. Gr. καὶ ἐῤῥύσατο τὴν ψυχήν μου ἐκ μέσου.

labim escebah. Hebr. *lebaim*, sed metrum ostendit esse dissyllabum; non alias in plurali numero occurrit. Pro *escebah* vero legendum videtur *sacebah*. Vid. *Ps.* CXX. *p.* 6. & CXXIII. 4. Græci *lohatim* his adjungunt, & verterunt, ἐκοιμήθην τεταραγμένος. pessime.

17 *cappu napsi*. Hebr. *capap napsi*. Quod peccat in Syntaxim; Gr. καὶ κατέκαμψαν. Legendum putem, *cap lenapsi*, si *cap* incurvum laquei genus significare queat.

21 *ap cebodi*. Reposui ex loco parallelo *Ps.* CVIII. *p.* 1. ubi hæc usque ad finem totidem verbis repetuntur.

23 *hannebel vecinnor*. Hæc forte in quarto casu sunt, & reguntur ab *ayirah*.

25 *azammareca*. *Ps.* CVIII. *p.* 4. præponitur copula, sed neutro in loco agnoscunt Gr.

26 *ci gadol*. Vid. *Ps.* XXXVI. *p.* 6.

28 *hassamem*. In Hebr. *samem*, sed metrum poscit *hassamem*, ut prius, v. 14. hujusmodi errata manifestam arguunt librariorum inscitiam vel negligentiam, ut liquebit conferenti hæc cum iis quæ habentur in loco parallelo *Ps.* CVIII.

PSALMUS LVIII. נח

LAmenazzeh, al taſhet, ledavid,
miȼtam.

1 haumnam *attem* zedek tedabberun?
umeſarim tiſpetu bene adam?

ap beleb yolot tepalleſun,
baarez hamas jedecem tipyalun.

5 “ zoru reſayim merahem,
tayu mibbeten, dobere cazab.

hamat lamo cedemut hamat nahaſ;
cemo peten hereſ, *veotem* ozno.

aſer lo jiſmay lekol melahaſim,
10 *lekol* hober habarim mehuccam*im*.

elohim haros ſinnemo bepimo;
malteyot cepirim netoz *jah lamo*.

jimmaſu, cemo maim jithallecu;
jidroc hizzav *elohim*, jitmolalu.

15 cemo ſablul temes, *cemo* jahlocu;
cemo nepel eſet, bal hazu ſameſ.

beterem jabin sirotecem atad,
cemo hai, cemo haron jiſyarennu.

jiſmah zaddik ci hazah nakam;
20 paymav jirhaz bedam haraſay.

vejomer adam, ac peri lazzaddik;
ac jeſ elohim ſopetim baarez.

PSALMUS LVIII. נח

1 למנצח אל-תשחת לדוד
מכתם:

2 האמנם אלם צדק תדברון
* מישרים תשפטו בני אדם:

3 אף-בלב עולת * תפעלון
בארץ חמס-ידיכם תפלסון:

4 זרו רשעים מרחם
תעו מבטן דברי כזב:

5 חמת-למו כדמות חמת-נחש
כמו-פתן חרש ואטם אזנו:

13 *beharabah*. Cum ex metro conſtet aliquid excidiſſe, *beharabah* inſerendum putavi, ex Joſ. III. 17. ubi de tranſitu Jordanis pede ſicco agitur, ad quod hic reſpicitur, vel forte poſt *niſmehah* excidit, *venaminah*. Vid. Ex. XIV. 31.

17 *roſ*. *jarimu* poſt ſe nomen poſtulat, & metrum etiam idem poſcit. Vid. *Pſ.* CV. *verſ.* 20. & CXL. *verſ.* 20. *al* vero videtur hic negandi ſenſu ſumi, ut *bal*.

18 *bircu*. In Hebr. *punctatur barecu*, quo fit triſſyllabum, cum tamen ubique ſit diſſyllabum, in quod *barecu* contrahi nequit, cum ſit in *Pihel*. adeoque *r* geminari debuerat ſi iſta litera *dageſ* forte admitteret; quod ſi in hac voce errare *Maſoretæ* potuerunt, ubi illis tuto fidendum eſt?

20 *haſſomer*. Nihil, opinor, hac emendatione certius, ſeu ſenſum, ſeu verſum ſpectes. In Hebr. eſt *haſſam* omiſſo *r*.

23 *zeraptanu*. Verſiculi in hac & ſequente periodo alternant, prius nempe & tertius ſunt trochaici generis ſecundus vero & quartus Jambici, niſi in ſecundo legas *zarapta*, & in quarto *muyak*.

cezerop. Niſi aliis exemplis conſtaret hanc veram eſſe lectionem, ſententiæ videretur aptius *cezorep*. Vid. Zech. XIII. 9.

27 *umaim*, In Hebr. *ubammaim*, ſed *b* omittendum, cum metrum reſpuat. Gr. *καὶ ὕδατος*.

28 *larevajah*. Gr. *εἰς ἀναψυχήν*, quaſi legiſſent *larevahah*. Et ſic etiam Chald.

29 *aboah*. *h paragogicum* addidi propter verſum. Vid. *Pſ.* XLIII. *verſ.* 11.

31 *pazehu*. In Hebr. *pazu*, repugnante metro, & nullo, ut mihi quidem videtur, ſenſu. *ſiptai* enim manifeſtum eſt *nominativum* eſſe, quocum conveniat *verbum*. Qualis vero hæc loquutio? *labia mea* aperuerunt *vota*. *Pazah* ſemper poſt ſe *peh* vel *ſapah* poſtulat, non contra; nihil vero minus differt a *pazah* quam *pazah*. Quod proprie ſignificare videtur *ſonum edere*, ſed cum voce læta, ſeu *ἀλαλαγμῷ*. Aliquid certe hic legendum cui *dibber* in verſ. ſeq. reſpondeat.

33 *yolot*, &c. Periodus hæc ad hunc modum conſtituenda eſt, Gr. enim Verſio habet, *καὶ κριῶν*, & in *verſ.* 3. *ποιήσω σοι*.

37 *lecol*. *le* addidi & ſenſu & metro poſcente; exciderat forte, quod verſ. præcedens ab eadem litera inceperit.

39 *bepi*. Sic verſus legi poſtulat. In Hebr. deeſt præpoſitio.

40 *veromemot*. Ut *Pſ.* CXVIII. *verſ.* 11. In Hebr. eſt *romam*, quæ hic plane eſt vox nihili.

41 *im*. Præit in Hebr. *on*, ſed hoc ſequenti verſ. præponi debere metrum oſtendit. Vid. *Pſal.* L. *p.* 18.

43 *li*. Sic Gr. *εἰσήκουσέ μου*. Et ſic metrum legi poſtulat, ſed deeſt in Hebr.

44 *behol tepillati*. Vide idem loquendi genus. *Pſ.* LXXXVI. *p.* 6. & CXVI. 1.

47 *mimmennu*; ex ſenſu pariter ac metro liquet vocem hanc excidiſſe, cum illi plane reſpondeat *meitti*,

PSALMUS LXVII. סז

LAmenazzeh, beneginot, mizmor, ſir.

1 elohim jehonnenu,
jehonnenu vibatecenu,
jaer panav ittanu. seleh.
ladayat baarez darceca,
5 becol goim jeluyateca.
joduca yammim, *jahvoh*;
joduca yammim cullam.

jiſ-

PSALMUS LXVII. סז

1 למנצח בנגינות מזמור שיר:
2 אלהים יחננו
*** ויברכנו
יאר פניו אתנו סלה:
3 לדעת בארץ דרכך
בכל-גוים ישועתך:
4 יודוך עמים אלהים
יודך עמים כלם:
5 ישמחו

jiſmehu *beca yammim*,
v'irannenu leummim:

10 ci tiſpot yammim miſor,
uleummim, baarez tanhem. selah.

joduca yammim, *jahvoh*;
joduca yammim cullam.

" erez natenah jebulah,
15 jebarecenu elohim.

elohim, elohenu,
jebarecenu, vejireu
oto col epse arez.

5 ישמחו ****
וירננו לאמים
כי-חשפט עמים מישור
ולאמים בארץ תנחם סלה:

6 יודוך עמים אלהים
יודוך עמים כלם:

7 ארץ נתנה יבולה
יברכנו אלהים
*** אלהינו:
8 יברכנו אלהים וייראו
אותו כל-אפסי-ארץ:

1 PRæcentori, in fidibus, Pſalmus, canticum. 2 Deus miſereatur noſtri, *miſereatur noſtri* & benedicat nobis, lucere faciat vultum ſuum ſuper nos. Selah. 3 Ut cognoſcant in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutem tuam. 4 Celebrabunt te populi *Jahvoh*; celebrabunt te populi omnes. 5 Lætabuntur *in te populi*, & ovabunt gentes: quoniam judicabis populos in æquitate, & gentes, in terra duces eas. selah. 6 Celebrabunt te populi, *Jahvoh*; celebrabunt te populi omnes. 7 Terra dabit fructum ſuum, benedicet nobis Deus. 8 Deus, Deus noſter benedicet nobis, & metuent eum omnes fines terræ.

2 *jehonnenu*. Hæc vox ad verſum ſuſtendandum videtur repetenda. Et huc facit quod in multis Gr. Codicibus in periodi hujus fine addatur, κ̓ ἐλεήσαι ἡμᾶς. Si *jebarecenu* abſque copula eſſet; putarem potius poſt illud inſerendum *elohenu*; vid. ultimam periodum.

6 *jahvoh*. *jahvoh* hic & periodo ſexta, pro *elohim* reponi debere metrum clariſſime oſtendit.

8 *beca yammim*. Ex periodi contextu pariter ac metro manifeſtum eſt voces has excidiſſe.

16 *elohim*. Vox hæc loco ſuo mota eſt in Hebræo & poſita poſt *jebarecenu*, ut in periodo præcedente; *elohenu* vero ad hanc periodum pertinere, non antecedentem, ut in Hebr. metrum clare oſtendit.

PSALMUS LXVIII. סח

LAmenazzeh, ledavid, mizmor, ſir.

1 jakum *jahvoh*, japuzu
ojebav, vejanusu
meſanneav mippanav.

cehindop yaſan, tindop;
5 cehimmes donag mippene eſ,
jobedu reſayim mippene *jahvoh*.

vezaddikim jiſmehu,
veylezu lipne *jahvoh*,
vejaſiſu beſimhah.

10 ſiru *lihvoh*, zammeru ſemo; *selah*.
laroceb bayarabot;
bejah *ſimbu*, veyilzu lipnav.

abi jetomim, vedaijan almanot,
jahvoh bemeyon kodſo.

15 *jahvoh* moſib jehidim betah,
mozi asirim baccoſarot,
ac sorerim ſacenu
zehihah, *jah* elohim.

bezeteca lipne yammeca,
20 bezaydeca biſimon, selah.

" erez raysah, ap ſamem
natepu *maim* mippene
jahvoh; zeh sinai mippene
jahvoh, elohe jiſrael.

25 geſem nedabot tanip
jahvoh yal nahlateca,
venilah, *veattah* conantah.

" hai-

PSALMUS LXVIII. סח

1 למנצח לדוד מזמור שיר:

2 יקום אלהים יפוצו
איביו וינוסו
משנאיו מפניו:

3 כהנדף עשן תנדף
כהמס דונג מפני-אש
יאבדו רשעים מפני אלהים:

4 וצדיקים ישמחו
יעלצו לפני אלהים
וישישו בשמחה:

5 שירו לאלהים זמרו שמו
סלו לרכב בערבות
ביה שמו ועלזו לפניו:

6 אבי יתומים ודין אלמנות
אלהים במעון קדשו:

7 אלהים מושיב יחידים ביתה
מוציא אסירים בכושרות
אך-סוררים שכנו
צחיחה: 8 * אלהים

בצאתך לפני עמך
בצעדך בישימון סלה:

9 ארץ רעשה אף-שמים
נטפו ** מפני
אלהים זה סיני מפני
אלהים אלהי ישראל:

10 גשם נדבות תניף
אלהים * נחלתך
ונלאה * אתה כוננתה:
11 חיתך

" haijateca jaſebu bah; tacin
batobateca leyani *jahvoh*.

50 adonai jitten omer,
hammebaſſer zaba rab.

males zebot jiddodun,
unevat bet tehallek ſalal.

im tiſcebun ben ſepattaim,
35 *tehju cecanpe* jonah,
jonah nehpah baccesep,
v' ebroteha birakrak
haruz, beapareſ ſaddai
melacim bah, tasleg bezalmon.

40 har elohim har baſan,
har gabnunim har baſan.

lammah terazzedun harim gabnunim,
hahar, hamad *jahvoh* leſibto;
ap *jah* jiſcon lanezah.

45 " receb *jahvoh* ribbotaim,
alpe ſinan; adonai bam.

beſinai, bekadeſ yalita
lammarom, *veſabita* ſebi;
lakahta mattanot baadam;
50 veap sorerim liſcon
benahlateca. jah elohim.

baruc adonai; jom jom jaymos
lanu hael, jeſuyatenu. selah.

hael lanu, el lemoſayot,
55 velihvoh lammavet tozaot.

ac *jahvoh* jimhaz roſ ojebav;
kodkod ſeyar mithallec b'aſmav.

amar *jahvoh*, mibbaſan aſib,
aſib mimmezulot jam.

60 limyan *tirhaz* raglecа
bedam, leſon calbeca
meojebim, minnehu.

rau halicoteca *jahvoh*,
eli, malci, bakodeſ.

65 kiddemu ſarim, ahar
nogenim *veholelim*;
betoc yalmot topepot.

" bemakhelot barecu *jah*,
adonai, mekor jiſrael.

70 " ſam binjamin zayir rodem,
ſare jehudah rigmatam,
ſare zebulun, ſare naptali.

zivvah elohecа yuzzeca; yuzzah
elohim, zu payalta lanu,
75 mehecaleca, yal jeruſalaim;
leca jobilu melacim ſai.

geyar *adonai* haijat kaneh,
yadat abbirim, *bayle* yammim,

11 חיתך ישבו-בה תכין
בטובתך לעני אלהים:

12 ארני יתן-אמר
השבשרות צבא רב:

13 מלכי צבאות ידרון ידרון
ונות בית תחלק שלל:

14 אם-תשכבון בין שפתים
*** כנפי יונה
** נחפה בכסף
ואברתיה בירקרק
הרוץ: 15 בפרש שרי
מלכים בה תשלג בצלמון:

16 הר-להים הר-בשן
הר גבננים הר-בשן:

17 למה תרצדון הרום גבננים
ההר חמר אלהים לשבתו
אף-יהוה ישכן לנצח:

18 רכב אלהים רבתים
אלפי שנאן ארני בם:

* סיני בקרש: 19 עלית
למרום * שבית שבי
לקחת מתנות באדם
ואף סוררום לשכן
***** יה אלהים:

20 ברוך ארני יום יום יעמס-
לנו האל ישועתנו סלה:

21 האל לנו אל למושעות
וליהוה אוני למות תרצאות:

22 אך-אלהים ימחץ ראש איביו
קרקר שער מתהלך באשמיו

23 אמר ארני מבשן אשיב
אשיב ממצלות ים:

24 למען תמחץ רגלך
ברם לשון כלביך
ברם מנהו:

25 ראו הליכותיך אלהים
הליכות אלי מלכי בקרש:

26 קרמו שרים אחר
נגנים *****
בתוך עלמות תופפות:

27 במקהלות ברכו אלהים
ארני ממקור ישראל:

28 שם בנימן צעיר ררם
שרי יהודה רגמתם
שרי זבלוז שרו נפתלי:

29 צות אלהיך עזך עוזה
אלהיה זו פעלת לנו:
30 מהיכלך על-ירושלם
לך יובילו הלכים שי:

31 גער *** חית קנה
ערת אבירים בעגלי עמים

	mitrappes*im* berazze casep;	מתרפס* ברצי כסף
80	b*a*zzer yammim kirbot jehpazu.	בזר עמים קרבות יחפצו:
	jetaju hasmannim minni mizraim,	32 יאתיו חשמנים מני מצרים
	cus tariz jadav *libvoh*.	כוש תריץ ידיו לאלהים:
	" mamlecot haarez siru	33 ממלכות הארץ שירו
	libvoh, zammeru adonai; selah.	לאלהים זמרו ארני סלה:
85	" laroceb besemε kedem;	34 לרכב בשמי שמי-קדם
	hen jitten bekolo, kol yoz.	הן יתן בקולו קול עז:
	tenu yoz *libvoh*, yal jisrael	35 תנו עז לאלהים על-ישראל
	gavato, yuzzo bassehakim.	גאותו ועזו בשחקים:
	nora *jahvoh* mimmikdasεca,	36 נורא אלהים ממקדשיך
90	el jisrael; hu noten	אל ישראל הוא נותן
	yoz vetayzumot layam,	עז ותעצמות לעם
	baruc elohim.	ברוך אלתים:

1 PRecentori, Davidis, Psalmus, canticum. 2 Exurgat Jahvoh, dispergentur inimici ejus, & fugient osores ejus a facie ejus. 3 Sicut propellitur fumus, propelles *eos*; sicut liquescit cera a facie ignis, *sic* peribunt impii a facie *Jahvoh*. 4 Justi autem lætabuntur, exultabunt coram *Jahvoh*, & gestient in lætitia. 5 Cantate *Jahvoh*, psallite nomini ejus, *selah*. Equitanti super cœlos; in jah *lætamini*, & exultate coram eo. 6 Pater pupillorum, & judex viduarum *Jahvoh* in habitaculo Sanctitatis suæ. 7 *Jahvoh* habitare facit unicos in domo, educit vinctos compedibus, rebelles autem habitans *terram* siticulosam; 8 *Jah* Deus. Quum egrederis coram populo tuo, quum incederes per desertum, selah. 9 Terra tremuit, etiam cœli destillaverunt *aquas* a facie *Jahvoh*; iste Sinai a facie *Jahvoh*, Dei Israelis. 10 Pluviam abundantem elevabas *Jahvoh super* hæreditatem tuam, & infirmata est, & tu confirmasti eam. 11 Congregatio tua habitat in ea; paras in bonitate tua pauperi *Jahvoh*. 12 Dominus dedit sermonem, annunciat exercitus magnus. 13 Reges exercituum fugerunt, & habitatrix domus divisit spolia. 14 Si dormieritis inter tripodes, *eritis sicut* pennæ columbæ, *columbæ* tectæ argento, & alæ ejus flavo auro. 15 quum dissipavit Omnipotens reges in ea, alba facta est *velut* nix in Salmon. 16 Mons Dei *est* mons Basan, mons fastigiorum mons Basan. 17 Utquid exilitis montes excelsi? *hunc* montem, desideravit Deus inhabitare eum; etiam Jah inhabitabit in seculum. 18 Currus Dei viginti millia, millia iterata; Dominus inter eos. *In* Sinai, in *Kadesh*, 19 ascendisti in altum, *et* captivam duxisti captivitatem; accepisti dona in hominibus, & etiam rebelles, inhabitabunt *in hæreditate tua*. Jah Deus. 20 Benedictus Dominus; quotidie confert nobis Deus, salutem nostram. selah. 21 Deus, nobis *est* Deus in salutes, & Jahvoh ad mortem *sunt* exitus. 22 Certe Deus confringet caput inimicorum suorum; verticem capilli ambulantis in delictis suis. 23 Dixit *Jahvoh*, ex Basan reducam *meos*, reducam de profundis maris. 24 Ut *laves* pedem tuum in sanguine, linguam canum tuorum, ex inimicis, ex ipso. 25 Viderunt incessus tuos *Jahvoh*, Deus mi, *et* Rex mi, in Sancto. 26 Præcedebant cantores, post pulsantes musica instrumenta *et tibicines*; in medio puellæ tympanistriæ. 27 In congregationibus benedixerunt *Jah*, Domino, *fonti* Israelis. 28 Ibi Benjamin parvulus imperans eis, principes Jehudah duces eorum, principes Zebulon, principes Napthali. 29 Præcepit Deus tuus fortitudinem tuam; robora o Deus, hoc *quod* operatus es nobis, 30 e templo tuo, propter Jerusalaim; tibi offerent reges munera. 31 Increpa *Domine* feras arundinis, congregationem taurorum, dominorum populorum, fastuose incedentium cum fragmentis argenti; disperge populos qui bella volunt. 32 Venient magnates ex Ægypto, Æthiopia celeriter protendet manus suas Deo. 33 Regna terræ cantate *Jahvoh*, canite Domino; selah. 34 Equitanti super cœlos antiquos; ecce edit in voce sua, vocem fortitudinis. 35 Date fortitudinem *Jahvoh*; super Israel magnificentia ejus, & fortitudo ejus in nubibus. 36 Terribilis *es Jahvoh*; a Sanctuariis tuis, Deus Israel; ipse dat fortitudinem & robora populo. Benedictus Deus.

1 *jakum jahvoh*. Ad Psalmum jam devenimus, qui, ut Muisii verbis utar, *non immerito crux ingeniorum & interpretum opprobrium dici possit. Fatendum enim est, in hoc Psalmo tot ferme scopuli, tot labyrinthi, quot versus, quot verba*. Ignoscet igitur lector, si in tam difficili loco minus ex voto mihi successerit. Verba quæ hoc carmen inchoant sunt illa quibus Moses proficiscente Arca solebat præfari. Num. X. 35. *secunda persona* in *tertiam* hic mutata, sed in Hebr. *elohim τῶ jahvoh* locum occupavit; & hæc horum nominum mutatio per totum Psalmum facta est, sequioribus, opinor, seculis, cum tam religiose ab hoc nomine proferendo abstinerent; sc. *vers.* 6. 8. 10. 14. 15. 23. 24. 26. 29. 43. 45. 56. 63. 83. 85. 88. 90. & interdum *adonai*, ut *vers.* 58. & forsan *vers.* 69.

10 *selah*. In Hebr. *sollu*. Mendose, si recte se habet periodus 33. ubi *selah* legitur in loco huic prorsus parallelo. Sin retineatur *sollu*, recte Gr. verterunt, ὁδοποιήσατε. Vid. Es. LVII. 14.

11 *bayarabot* est in *nubibus*, seu cœlis, vid. *vers.* 86. Ubi eodem sensu *besemε kedem*.

12 *bejah simhu*. In Hebr. *bejah semo*, quæ mendosa lectio non parum turbavit interpretes. *h* exciderat, quo restituto facile ex *semo* fit *simhu*, quæ procul dubio vera est lectio. *samah* & *yalaz* vel *yalaz*, quæ idem sunt, sæpe conjuncta sunt, ut in periodo proxime præcedente. Vide etiam *Psal.* IX. *vers.* 3. 5. *p.* 12. Jer. L. 11. *lætari*, *exultare in deo* loquutio in SS. frequentissima.

15 *jehidim*. *Psal.* CXIII. *vers.* 17. dicitur, *mosibi yakret habbet*, ὁ κατοικίζων στεῖραν ἐν οἴκῳ; hic vero κατοικίζει μονοτρόπους ἐν οἴκῳ. Sic hic reddiderunt *jehidim*,

dim, minus recte; sed hæc loca conferenti videtur Clericus recte hic vertisse, *qui habitare facit orbos in familia*.

18 *jah elohim*. *Jah* in Hebr. excidit, præeunte *zebibah*; sed & sensus & metrum inseri postulant; vid. *vers.* 51.

19 *bezeteca*. Hæc periodus paucis immutatis desumpta est ex Deboræ carmine, Jud. v. 4. 5.

25 *gesem nedabot*. Est *larga*, *copiosa pluvia*, ut *Ps.* CX. *vers.* 7. *yam nedabot*, *populus numerosus*.

26 *yal*. Constructio postulat ut hæc præpositio inseratur.

27 *veattah*. Et constructio & metrum copulam desiderant.

31 *hammebaser*. In Hebr. est *hammebasserot*, quod sententiam pariter ac versum impedit. Hujus & sequentis periodi hic, ni fallor, sensus est. Deo ducente, seu ejus auspiciis, ingens *Israelitarum* exercitus hostes feliciter aggressus est, quibus superatis & in præcipitem fugam versis amplissima spolia victoribus in prædam cesserunt, quam mulierum imbellis turba, quæ non in aciem proficiscebatur, sed domi sedit, cum illis partita est.

32 *jiddodun*. In Hebr. bis ponitur, mendose, ut ex metro clare constat.

35 *tehjuce* & sententia & versus hæc excidisse aperte clamant.

36 *jonah*. Repeti metrum postulat, & sic venustior longe oratio.

39 *bah*, *tasleg bezalmon*. *bah* hic plane idem est ac *vers.* 28. ibi vero refertur ad *nahlateca*, terram sc. illam, quam Deus Israelitis incolendam dederat. Idem igitur nomen hic intelligendum videtur ante *tasleg*; sed cum verbum hoc nusquam alias occurrat, incertum est utrum significet *ningebat*, ut Clericus, an, ut alii, *albescebat*. Si priore sensu sumatur, *impersonaliter* ponitur, ut *pluit*, *ningit*, & sic *tamcir* videtur usurpari, Amos IV. 7. sin posteriore sensu sumatur, quæ plurimorum sententia est, & quam veriorem puto, pro *be* legendum *ce*, id est, instar montis *zalom*, jugi cujusdam altissimi, qui perpetua nive obsitus fuit; sensus vero idem fere erit ac prioris figuræ a columba petitæ; terram sc. Israeliticam depulsit malorum quibus premebatur tenebris splendidam deinceps futuram. Si argumentum hujus Psalmi certo cognitum esset, quæ nunc sunt obscurissima tantumque interpretibus negotium exhibent, illico clara essent & intellectu facillima. Difficultates hujusmodi totæ oriuntur ex argumenti ignoratione & monumentorum veterum penuria. Quod si terra *Sehonis* & *Ogi* hic intelligatur, hujus terræ mentio & *zalmonis*, altissimi cujusdam in illa jugi Psaltem facili nexu, & quasi manu ducit ad montem Basan commemorandum, cum *Ogus* rex esset *Basanitidis*.

42 *terazzedun*. Quæ verbi hujus vis sit, admodum incertum, Gr. ὑπολαμβάνετε, Aq. ἐρίζετε. Sym. περιαπαυδάζετε. Alii, quid *observatis*, *expectatis*, *exilietis*, *exultatis*, *superbiretis*; alii contra, quid *dejicitis*, *humiliatis vos*. Et structura orationis conjicerem *activum* esse, & *habar* ab illo regi, si locus sanus sit. Sed quædam forte hic exciderunt inter *harim et gabnunim*, & prior versus terminandus in *harim* qui sic satis longus erit, in altero *elohim*, *harim* inserendum ab initio. Huic certe insertioni plurimum favet periodus proxime præcedens. Hac vero lectione admissa tota periodus hoc modo restituenda.

> *lammah terazzedun harim*
> *elohim, harim gabnunim?*
> *habar, hamad jah lesibto.*
> *ap jahvoh jiscon lanezah.*

At si *terazzedun* neutrum sit, *zeh* tertio versiculo videtur præponendum, & legendum, *jak* in utroque.

47 *besinai*, *bekades*. In Hebr. *sinai bakkodes*. Et hæc periodo præcedenti adjuncta sunt; plane perperam Gr. ἐν Σινᾶ ἐν τῷ ἁγίῳ. Sed quid est, in *sanctuario*? Præterea, in sequente periodo dicitur *yalita*, *ascendisti*, quo vero in loco, aut unde? Hæc certe valde impedita sunt. Sin hæc ad initium sequentis periodi ponantur, & pro *kodes* legatur *kades*, clara & perspicua exurgit oratio. Quanto cœlitum exercitu stipatus fuerit Deus in monte *Sinai*, nil dictu opus est, cum res sit celeberrima. In *kades* vero Deus se Israelitis præsentissimum exhibuit; vid. *Deut.* I. 19. mons

hic situs erat in *Amoritarum* regione cujus *Rex Sehon*, atque inde *Amoritarum mons* dictus. *Sehonem Israelitæ* Deo jubente profligarunt & regno exuerunt, & mox *Ogum* regem *Basanitidis*. Montes *Sinai* seu *horeb*, & *kades* sunt in historia Mosaica nobilissimi. Ad hos enim populus castra posuit per multos annos; & a posteriore ad insignes illas victorias de *Sehone & Ogo* profecti sunt. Et inde est quod hic post *Sinai kades* memoretur. Quodque hanc lectionem firmat, videtur verbis his manifesto allusum esse ad *Deut.* XXXIII. 2. Κύριος ἐκ Σινᾶ ἥκει —— σὺν μυριάσι Κάδης, sic enim Græci legerunt, licet nunc in Hebr. sit ibi quoque *kodes*.

48 *vesabita*. Copula deest ad versum explendum, & constructionem quoque adjuvat. Vid. *Jud.* V. 12.

49 *lakahta*. Pro libertate captivorum redimenda.

50 *liscon*. Hic hiatum esse ex sensu pariter ac versu manifestum est; sed quid exciderit quis certo dixerit? Mihi diu multumque cogitanti, nihil commodius occurrebat quod insereretur quam *benahlateca*: *liscon* vero *futuri* vim habet, ut alias non raro. Vid. *Ps.* LXII. v. 22. Atque hic punctum ponendum, dein sequitur *jah* elohim; *jahvoh*, ille Deus *est*; ut periodo septima, quacum hæc sedulo conferri debet. Hac vero insertione admissa nullum amplius dubium est, de quo dicantur *yalita &c.* dicuntur enim de *jahvoh*, qui agere ipse dicitur quicquid populus ejus jussu atque auspiciis egit. Quod egregie confirmatur verbis sequentibus, *baruc adonai*, *benedictus sit Deus*, ob egregia illa ejus facinora modo memorata.

52 *jaymos*. Vel mendum latet in hac voce, vel alia notione præter illam *onerandi* sumenda est, *jesuyatenu* enim ab illa regitur, non ab *hael*, (quod forte e sequente versiculo huc irrepsit, adeoque inducendum est) cum sit contra Linguæ Hebr. consuetudinem, ut *h* præponatur nomini *in regimine*. Vid. *Ps.* XLVII. v. 7. ubi, de Deo dicitur, *jibhar lanu & nahlatenu*. *jom jom* est *quotidie* ut *Ps.* LXI. v. 17. Gr. καθ᾽ ἡμέραν. Hæc autem periodus in Gr. sic incipit. Κύριος ὁ Θεὸς εὐλογητὸς, εὐλογητὸς Κύριος. Atque hoc, ni fallor, unicum exemplum est, ubi εὐλογητὸς postponitur τῷ Θεὸς. Sed versio hæc mendosa est. Εὐλογητὸς enim delendum, quæ vero præponuntur, præcedentem periodum claudunt, quod illi qui hæc cum Hebr. conferre possit, manifestum erit.

55 *velihvoh*. In Hebr. sequitur *adonai*, mendo manifesto. *Adonai* ex Judæorum superstitione τῷ *Jahvoh* locum occupare debuerat, non cum illo conjungi, ut ex metro abunde patet. Vid. simile mendum *Ps.* LXXI. v. 37. & LXXIII. v. 56.

lammavet tozaot. Annotat adhæc Cl. Clericus ordinem hic verborum inversum esse, cujus rationem censet esse ὁμοιοτελεύτων *necessitatem*. Quo liquet, cum hæc scriberet, vir doctiss. illum jam tum in eadem fuisse sententia, quam ante quadraginta annos adoptasset; Poesim scilicet *Hebraicam* ὁμοιοτελεύτοις constare. Sed ne jam dicam sententiam illa ratione & veritate prorsus destitui, aliæ rationes non defuerunt cur verborum ordinem Psaltes hic inverteret, cum sic multo elegantior & ἐμφατικωτέρα sit oratio, ut *Ps.* CXVIII. v. 38. *velammavet lo netanani*: nec tamen negaverim carminum horum scriptores cum ὁμοιοτέλευτα ultro se offerrent, lubenter captasse; illa vero se ultro frequentissime offerre, & scribenti quasi ingerere ex Linguæ *Hebraicæ* natura atque indole, cuivis *Hebraice* scienti obvium.

57 *kodkod seyar*. *verticem capillatum*, qualis erat populorum in istis regionibus *Arabicis*, qui comam in vertice nutriebant, intenso vertice & coma horrente ferociam animi testante.

60 *tirhaz*. In Hebr. *timhaz*, (quod modo occurrebat v. 56. & ibi est, *confringit*.) Aperto ni fallor, mendo. Vid. *Ps.* LVIII. v. 20. In iis quæ sequuntur, licet metrum recte se habeat, in verbis manifesta est synchysis, cum *meojebim* poni oporteret post *ledam*, & verbum desit, ad quod *leson* referatur. Unde erat cum suspicarer legendum,

> *bedam ojebim, leson*
> *calbica minnehu teoddam.*

teoddam est *rubefacta sit*. Participium *pahul* sæpius occurrit in Exod. sed nihil muto.

63 *halicotica*. Repetitur in Hebr. post *Jahvoh*, mendose. Per *Dei* vero *ingressus* putaverim significari so-

lem-

lemnem illam pompam qua Arca in Sacrarium inferebatur. Hoc enim est quod sequentia per octo vers. optime describunt. Nec alio trahi patitur *bakkodes*, quod *locum* indicat, ubi hæc viderunt.

64 *eli*, *malci*. Quinto casu dici puto, ut *Ps.* V. v. 4. & LXXXIV. v. 9. non secundo, ut plerique interpretes.

66 *veholelim*. Hæc inserui ad explendum versum; *holelim* conjuncti sunt cum *sarim*, *Ps.* LXXXVII. v. 14. nec putandum *tibicines* non æque ac *fidicines*, in hac pompa deducenda partes suas habuisse.

68 *barecu*. *Præteritum* esse opinor, non ut alii, *imperativum*, cum Psaltes, ut sequentia clare docent, hic pergat narrare quæ periodo 25. inceperat.

69 *mekor*. In Hebr. est *mimmekor*. Sed quid sit laudare deum *de fonte Israelis*, fateor me nescire; video quid hic Interpretes, sed coactum est, nec uspiam similis loquutio. Sin *mekor* legamus, *Deo* hoc optime convenit, qui *Jeremiæ* plus semel sic dicitur. Vid. *Jer.* II. 13. & XVII. 13. Vid. etiam *Ps.* XXXVI. v. 20. Hic vero dubito an non pro *adonai* legendum sit *Jahvoh*, & tunc sic versiculi legendi.

bemakhelot barecu Jahvoh,
Jahvoh, *mekor jisrael*.

73 *zivvah elohica*, si vera hæc lectio, mira personarum mutatio; Gr. ἔντειλαι ὁ Θεὸς. Quasi legissent *zavveh elohim*. Et sic Sym. sed tum, ut constet versus pro *elohim* legendum hic etiam *Jahvoh*.

75 *mehicaleca*. Hunc versum ad hanc periodum pertinere mihi certissimum videtur, & *yal* esse *propter*. *Confirma e templo tuo*, *quod operatus es*, *Hierosolymorum gratia*, *ad civitatem tuendam*, *conservandam & augendam*.

77 *adonai*. In Hebr. deest, sed repugnante metro. Forte illud *adonai* huc pertinet, quod abundat, v. 55.

78 *baylɛ yammim*, sic olim legendum esse suspicatus sum, quod metrice jam abunde comprobat; eodem modo *Es.* XVI. 8. dicitur *baylɛ goim*. Sed in Hebr. est *beyeglɛ*, quod reddunt *cum vitulis populorum*; loquutio, cui nihil simile.

79 *mitrappesim*. In Hebr. excidit terminatio *pluralis*, ut *Ps.* LVIII. v. 10. & sæpe alias. Quid vero hæc velint, non convenit inter interpretes. Mihi *Muisii* sententia placet, *fastuose incedentes*, seu *terram superbe incessu suo conculcantes*, *ornatos vestibus argento tessellatis*, *seu particulis argenti intertextis*; *frusta argenti* per contemptum nominat ornamenta quæ nobiles & aulici solent vestibus affigere. Sic *Muisius*.

80 *bazzer*. Sic Gr. διασκόρπισον. Et contextus certe *imperativum* postulat sed in Hebr. est *bizzar*.

81 *hasmannim*. Gr. πρέσβεις. Alii, melius, ni fallor, *magnates*, seu viri *principes*, ab Arabico *hasam divitiæ*: Alii, quod minus placet, a *samen pinguis*, opulentus *h* præfixo. Vox hæc nusquam alias occurrit, & forte est Ægyptiaca. Hinc vero dicti *Asmonæi*, ut a *hasidim Asidæi*.

84 *selah*. Cum metrum ostendat recte hic legi *selah* non *sollu*, inde concludo *selah* quoque legendum esse v. 10. neque enim dubitandi locus, quin eadem utriusque versiculi, quod ad hanc voculam, lectio fuerit.

85 *semi*. Geminatur in Hebr. manifesto, opinor, mendo.

88 *yuzzo*. In Hebr. præfixa est copula, quæ ex *vau* præcedente nata, invito metro. Vid. *Deut.* XXXIII. 26. vel si retineatur, periodus hæc ad hunc modum in versiculos digerenda est.

tenu yoz leelohim,
yal jisrael gavato,
veyuzzo bassehakim.

92 *baruc elohim*. Hæc videntur esse Psalmo apposita ab alia manu, cum periodus terminetur in *layam*. Sin ab ipso authore Psalmi sint, mutila sunt, & *elohim* in *Jahvoh* mutato, legendum, *baruc jahvoh leyolam*. Vid. *Ps.* LXXXIX. ult.

PSALMUS LXIX. סט

LAmenazzeh, yal sosannim,
ledavid.

1 hosiyeni *Jahvoh*, ci bau
maim yadɛ napsi; tabayti
biven mezulah, veɛn moymad.

" bati bemaymakkɛ maim,
5 vesibbolet setapatni.

jagayti bekori, nihar geroni;
calu yɛnai mejahelɛ lelohai.

" rabbu missayarot rosi
soneai hinnam; yazemu
10 mizzimmati ojebai seker;
aser lo gazalti az asib.

jahvoh, attah jadayta
livvalti; veasmotai
mimmeca lo nichadu.

15 " al jebosu bi kovɛca,
adonai, jahvoh zebaot.

al jiccalemu bi, mebakkesɛca,
elohim, elohɛ jisrael.

ci yalɛca nasati herpah;
20 vecissetah celimmah panai.

muzar hajiti l'ehai,
venocri libnɛ immi.

ci

PSALMUS LXIX. סט

1 למנצח על-שושנים
לדוד:

2 הושיעני אלהים כי באו
מים עד*-נפש: 3 טבעתי
ביון מצולה ואין מעמד

באתי במעמקי-מים
ושבלת שטפתני:

4 יגעתי בקראי נחר גרוני
כלו עיני מיחל*-לאלהי:

5 רבו משערות ראשי
שנאי חנם עצמו
מצמיתי איבי שקר
אשר לא-גזלתי אז אשיב:

6 אלהים אתה ידעת
לאולתי ואשמותי
ממך לא-נכהדו:

7 אל-יבשו בי קויך
אדני יהוה צבאות

אל-יכלמו בי מבקשיך
*** אלהי ישראל:

8 כי עליך נשאתי חרפה
* כסתה כלמה פני:

9 מוזר הייתי לאחי
ונכרי לבני אמי:

10 כי

ci kinat beteca *adonai*
acalatni; veherpot
25 horepeca napelu yalai.

vaebceh, bazzom napsi;
vattehi leherpot li.

v'ettenah lebusi sak;
v'ehi lahem lemasal.

30 jasibu bi josebe sayar,
ubeneginot sote secar.

vaani, tepillati
leca, jahvoh, yet razon.

jahvoh, berob hasdeca
35 yaneni, beemet jisyeca.

hazzileni mittit, veal etbayah;
veinnazelah missoneai,
umimmaymakke maim.

" al tistepeni sibbolet maim,
al tiblayeni mezulah,
40 veal tetar yalai beer piha.

yaneni *jah*, ci tob hasdeca;
cerob rahmeca peneh elai.

veal taster paneca
meyabdeca, ci zar li;
45 maher yaneni *jahvoh*.

" korbah el napsi, gealah;
limyan ojebai pedeni.

" attah jadayta herpati,
ubosti, ucelimmati;
50 venegdeca col zorerai.

herpah saberah libbi, vaanusah;
v'akavveh lanud, veennennu;
ul'menahem, velo mazati.

vaijittenu bebaruti ros,
55 velizmai jaskuni homez.

" jehi sulhanam lipnehem lepah;
velislomehem, lemokes.

" tehasecnah yenehem mereot;
umotnehem tamid hamyad.

60 " sepoc yalehem zaymeca,
vaharon appec' jassigem.

" tehi tiratam nesammah,
beoholehem al jehi joseb.

" ci attah sehiccita radapu,
65 veel macob halleca *jasapu*.

" tenah yon yal yonam, veal
jabou bezidkateca.

" jimmahu misseper haijim,
veyim zaddikim al jiccatebu.

70 " vaani yani vecoeb; jesu-
yateca elohim, tasgebeni.

10 כי-קנאת ביתך***
אכלתני וחרפות
חרפיך נפלו עלי:

11 ואבכה בצום נפשי
ותהי לחרפות לי:

12 ואתנה לבושי שק
ואהי להם למשל:

13 ישיחו בי ישבי שער
ו*נגינות שותי שכר:

14 ואני תפלתי-
לך יהוה עת רצון
אלהים ברב-חסדך
ענני באמת ישעך:

15 הצילני מטיט ואל-אטבעה
* אנצלה משנאי
וממעמקי-מים:

16 אל-תשטפני שבלת מים
ואל-תבלעני מצולה
ואל-תאטר-עלי באר פיה:

17 ענני יהוה כי-טוב חסדך
כרב רחמיך פנה אלי:

18 ואל-תסתר פניך
מעבדך כי צר-לי
מהר ענני**:

19 קרבה אל-נפשי גאלה
למען איבי פדני:

20 אתה ידעת חרפתי
ובשתי וכלמתי
נגדך כל-צוררי:

21 חרפה שברה לבי ואנושה
ואקוה לנוד ואין**
ולמנחמים ולא מצאתי:

22 ויתנו בברותי ראש
ולצמאי ישקוני חמץ:

23 יהי-שלחנם לפניהם לפח
ולשלומים* למוקש:

24 תחשכנה עיניהם מראות
ומתניהם תמיד המעד:

25 שפך-עליהם זעמך
וחרון ארך ישיגם:

26 תהי-טירתם נשמה
באהליהם אל-יהי-יושב:

27 כי-אתה אשר-הכית רדפו
ואל-מכאוב חלליך יספרו:

28 תנה-עון על-עונם ואל-
יבאו בצדקתך:

29 ימחו מספר חיים
ועם צדיקים אל-יכתבו:

30 ואני עני וכואב ישו-
עתך אלהים תשגבני:

31 אהללה

" ahallelah ſem elohim beſir,
v'agaddelennu betodah.

vetitab lihvoh miſſor,
75 *miſſor* par makrin, mapris.

jiru ẏanavim, *ve*jiſmahu,
doreſ*ẏ* *jahvoh*, vejehi lebabcem.

ci ſomeẏ el ebjonim
jahvoh, v'et asirav lo bazah.

80 " jehalleluhu ſamem vaarez,
jammim, vecol romeſẏbam.

" ci elohim joſiẏ zion,
vejibneh ẏarẏ jehudah;
vejaſebu ſam, vejereſuha.

85 vezeraẏ ẏabdav jinhaluha,
v'ohabẏ ſemo jiſcenu bah.

31 אהללה שם-אלהים בשיר
ואגדלנו בתודה:

32 ותיטב ליהוה משור
** פר מקרין מפרים:

33 ראו ענוים * ישמחו
דרשי אלהים ויחי לבבכם:

34 כי-שומע אל-אביונים
יהוה ואת-אסיריו לא בזה:

35 יהללוהו שמים וארץ
ימים וכל-רמש * בם:

36 כי אלהים יושיע ציון
ויבנה ערי יהודה
וישבו שם וירשוה:

37 וזרע עבדיו ינחלוה
ואהבי שמו ישכנו-בה:

1 PRæcentori, ſuper Soſannim, Davidis. 2 Serva me *Jahvoh*, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam; 3 demerſus ſum in limum profundi, & non eſt ſubſiſtentia. Veni in profunda aquarum, & fluxus me demerſit. 4 Delaſſatus ſum clamando, ſiccatum eſt guttur meum; defecerunt oculi mei dum expecto Deum meum. 5 Multiplicati ſunt ſupra pilos capitis mei oſores mei ſine cauſa; numeroſi ſunt præ *coma mea* inimici mei abſque cauſa; quæ non rapui tunc reddidi. 6 *Jahvoh*, tu noſti ſtultitiam meam; & delicta mea a te non ſunt abſcondita. 7 Non erubeſcant in me qui expectant te, Domine Jahvoh exercituum. Non confundantur in me qui quærunt te, Deus, Deus Iſrael. 8 Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium; *&* operuit confuſio faciem meam. 9 Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. 10 Quia zelus domus tuæ, *Domine*, comedit me; & probra eorum qui probris afficiunt te ceciderunt ſuper me. 11 Et flevi, in jejunio anima mea; & fuit in opprobria mihi. 12 Et poſui veſtimentum meum cilicium; & fui eis in parabolam. 13 Loquebantur contra me ſedentes in porta, & in cantionibus bibentes ſiceram. 14 Ego vero, oratio mea ad te, Jahvoh, tempore beneplaciti. *Jahvoh*, propter multitudinem miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ. 15 Eripe me e luto, & ne infigar; *et* eripiar ab odio habentibus me, & e profundis aquarum. 16 Ne demergat me decurſus aquarum, ne abſorbeat me profundum, nec claudat ſuper me puteus os ſuum. 17 Exaudi me Jah, quoniam bona *eſt* miſericordia tua; ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice ad me. 18 Et ne abſcondas faciem tuam a ſervo tuo, quoniam anguſtia *eſt* mihi; feſtina exaudi me *Jahvoh*. 19 Appropinqua ad animam meam, redime eam; propter inimicos meos redime me. 20 Tu noſti probrum meum, & pudorem meum, & ignominiam meam; *et* coram te omnes hoſtes mei. 21 Probrum contrivit cor meum, & dolor; & expectavi ad condolentem, & non fuit; & ad conſolatorem, & non inveni. 22 Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea propinaverunt mihi acetum. 23 Sit menſa eorum coram eis in laqueum; & quæ ad paces *eorum*, in offendiculum. 24 Obſcurentur oculi eorum ne videant; & lumbos eorum ſemper nutare fac. 25 Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. 26 Sit palatium eorum deſolatum, in tabernaculis eorum non ſit habitans. 27 Quoniam eum quem percuſſiſti perſequuntur, & ad dolorem vulneratorum tuorum addiderunt. 28 Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, nec intrent in juſtitiam tuam. 29 Deleantur e libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur. 30 Ego autem ſum afflictus & dolens; ſalus tua o Deus, exaltet me. 31 Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo illud cum laude. 32 Et gratius erit Jahvoh præ bove, *præ bove* vitulo cornua producente, & ungulas habente. 33 Videbunt humiles, *et* gaudebunt quærentes *Jahvoh* & vivet cor veſtrum. 34 Quoniam attendit ad pauperes Jahvoh, & vinctos ſuos non deſpicit. 35 Laudent eum cœli & terra, maria, & omnia repentia in eis. 36 Quoniam Deus ſervabit Sion, & ædificabit civitates Jehudah; & habitabunt ibi, & hæreditate accipient eam. 37 Et ſemen ſervorum ejus poſſidebit eam, & diligentes nomen ejus habitabunt in ea.

1 *jahvoh.* In Hebr. *elohim* loco ejus poſitum repugnante metro.

2 *ẏadẏ napſi*. In Hebr. *ẏad napeſ*; ſed ſenſus poſtulat *napſi*, Et ſic Gr. ψυχῆς μου. *ẏadẏ* vero repoſui verſu id jubente.

7 *mejaheli:* & ſic Gr. ἀπὸ τοῦ ἐλπίζειν με quam lectionem & conſtructio & metrum firmant; ſed in Heb. eſt *mejahel*, participium præſens in *pihel*.

10 *mizzimmati*. Præ coma mea; certiſſima, ni valde fallor, hæc emendatio; in Hebr. eſt *mazmitai*, *excidentes me*. Sed ex conſtructione manifeſtum eſt nihil ejuſmodi intercedere debere inter *ẏazemu* & *ojebai ſeker*, ſi hoc periodi hujus membrum cum præcedente conferatur; & ſi *mazmitai* locum hic habere poterat, his non anteponi ſed poſtponi oportuit. Sed quocunque ponas ſententiam onerat, & ſenſum impedit; ſed & metrum etiam hoc mendoſum eſſe oſtendit. Sin leviſſima mutatione *mizzimmati* legas, & ſententia & metrum integritati ſuæ reſtituentur. Vid. *Cant.* IV. 1. Vid. etiam *Pſal.* XXXV. *p.* 20. XXXVIII. 20. XL. 13.

12 *jahvoh*. Hic iterum in Hebr. pro *jahvoh*, *elohim* repugnante metro. Vid. *Pſ.* XL. *p.* 10.

18 *elohim.* Hic inſerendum eſſe metrum indicat, & collatio hujus periodi cum præcedente.

20 *veciſſetah.* Copulam addidi poſcente metro. Vid. *Pſ.* XLIV. *p.* 16.

23 *ado-*

23 *adonai*. Addidi ad explendum verſum. Exciderat forte quod vox proxime ſequens ab eadem litera incipit.
26 *vaebceh*. Gr. συνέκαμψα τ̃ ψυχῶ μυ, quaſi legiſſent *vaedceh*. ἐσπείνωσα.

31 *ubeneginot*. *b* inſerui conſtructionis pariter ac metri gratia. Gr. ϰ͵ εἰς ἐμὲ ἔψαλλον, quaſi legiſſent *ubi niggenu*. Quod noſtram emendationem firmat, cum inde appareat *b* intercoſſiſſe inter copulam & *neginot*; pro quo illi, legerunt *niggenu*. Vid. *Job*. XXX. 9. & *Thr*. III. 14. 63.
34 *jahvoh*. Hic etiam in Hebr. *elohim*, invito metro.
37 *veinnazelah*. Copula præponenda metri gratia, vel legendum, *innazel*.
39 *al*. In Hebr. præit copula. Sed melius, opinor, abeſt. Sin retineas, legendum, *v' al*.
45 *jahvoh* hic excidiſſe ex metro manifeſtum. Idem verſiculus integer occurrit, *Pſ*. CXLIII. v. 17.
50 *venegdeca*. Copulam metrum poſtulat, atque etiam ſententia.
51 *vaanuſah*. Hebr. eſt verbum fut. temp. Sed Gr. pro nomine habuerunt, & verterunt ταλαιπωρίαν; recte, ut mihi videtur, ſed in eo errarunt quod in quarto caſu poſuerint, cum ſit in primo.
52 *veenennu*. Quod & ſententia & verſus reponi poſtulant. In Hebr. *veen; nu* nempe inter *nun* & *vau* poſitum exciderat.
53 *ul' menahem*. Sic ſenſus pariter ac verſus legi poſtulat. Sed in Hebr. eſt in numero *plurali*.
57 *velislomihem*. Hebr. *velislomim*, ſed ſi hæc vox cetera ſana ſit, conſtructio pariter ac metrum, oſtendit, legendum cum affixo, ut in v. priore *ſulhanam*, i. e. *quæ eſſent pro eorum pace*, qua in conviviis ſuis frui ſolent, ſint iis in tendiculam. Gr. εἰς ἀνταπόδοσιν, verum hoc non eſt *ſalomim*, ſed *ſillumim*, & ſi hæc eſſet vera lectio copulam inſeri oportuit ante *lemokeſ*. Et ſic ſane illi. Καὶ εἰς σκάνδαλον. Quod ſi *ſelomim* eandem vim habeat ac *ſelamim*, legendum putem, *uſelomihem*, & eorum *Sacrificia Euchariſtia*, ſeu lautiores epulæ, ſint iis, &c. quod dicitur oppoſite ad cibos, quos periodo proxime præcedente ipſi ex felle & aceto paraverant.
65 *jaſapu*. Hebr. *jeſapperu*. Senſu parum commodo. Gr. προσέθηκαν, quod nos ad veram, ni fallor, lectionem ducit, *jaſapu*. Hoc enim nexus orationis plane poſtulare videtur, cum præceſſerit *radapu*, κατεδίωξαν, & hoc loquendi genus Hebræis familiare ſit; Vid. *Jer*. XLV. 3.
71 *taſgebeni*. In Hebr. eſt in *Pihel*, ſed metrum in *Hiphil* eſſe oſtendit. Vid. *Pſ*. LIX. v. 2. & XCI. v. 31.
75 *miſſor*. Repeti debere metrum clare indicat. *ſor par* Gr. reddiderunt μόσχον νέον.
76 *jiru*. In Hebr. *rau*, ſed ſenſus futurum plane poſtulat, & inter verba inſerendam eſſe copulam ex conſtructione pariter ac metro liquet. Gr. ἰδέτωσαν ϰ͵ εὐφρανθήτωσαν.
77 *jahvoh*. In Hebr. *elohim*. Quod ad *lebabcem*, quod ſequitur, familiaris eſt, uti obſervavit Muiſius, in ſacris literis ejuſmodi perſonæ mutatio in uno eodemque verſu. Vid. *Pſ*. XXII. *p*. 27. Gr. pro *doreſe*, videntur legiſſe *dirſu*, verterunt enim ἐκζητήσατε. Vid. *Pſ*. XXII. v. 59. XXIV. v. 12. & CV. v. 6.
82 *romeſe*. In Hebr. *romeſ*, ſed metrum *plurale* poſtulat. Vid. *Pſ*. XXIV. v. 2. vel legendum in v. priore *haſſamim*.
85 *vejaſebu ſam*. Hunc verſiculum putem ad finem periodi ſequentis transferendum eſſe, cum deſit nominativus ad quem verba referantur. Sed tunc legendum *v' ireſuha*. Vid. *Pſ*. CII. *p*. 29.

PSALMUS LXX. *y*

LAmenazzeh, ledavid, lehazcir.
1 *jahvoh* lehazzileni,
elohim leyezrati huſah.

jeboſu vejahperu
mebakkeſe napſi;
5 jiſsogu ahor v' iccalemu,
hapeze rayati.

jaſubu *y*al *y*ekeb *be*boſtam,
haomerim *li*, heah heah.

jaſiſu vejiſmehu
10 beca, col mebakkeſeca;
vejomeru tamid, jigdal *jah*
ohabe jeſuyateca.

v' ani *y*ani veebjon,
elohim huſah li; *yezrati*
15 umepalleti attah,
elohai, al teahar.

PSALMUS LXX. *y*

1 למנצח לדוד להזכיר:

2 אלהים להצילני
יהוה * לעזרתי חושה:

3 יבשו ויחפרו
מבקשי נפשי
יסגו אחור ויכלמו
חפצי רעתי:

4 ישבו על-עקב * בשתם
האמרים * האח האח:

5 ישישו וישמחו
בך כל-מבקשיך
ויאמרו תמיד יגדל אלהים
אהבו ישועתך:

6 ואני עני ואביון
אלהים חושה-לי עזר*י
ומפלטי אתה
יהוה אל-תאחר:

1 PRæcentori, Davidis, ad commemorandum. 2 *Jahvoh* ad eruendum me, Deus, ad auxilium mei feſtina. 3 Pudore afficiantur & erubeſcant quærentes animam meam; avertantur retrorſum & pudefiant volentes malum meum. 4 Revertantur ſtatim *in* pudore ſuo qui dicunt *mihi*, Euge, euge. 5 Gaudeant & lætentur in te, omnes quærentes te; & dicant ſemper, Magnificetur *Jah*, diligentes ſalutem tuam. 6 Ego autem pauper ſum & egenus, Deus feſtina ad me; auxilium meum, & meus *es* liberator, Deus mi, ne tardaveris.

1 *jahvoh* & *elohim*, loca invicem in Hebr. commutaſſe ex metro manifeſtum & *rezeh*. ante *jahvoh* videtur excidiſſe, ſive ſenſum ſpectes, qui verbum hic æque ac in ψ ſequente poſtulat, ſive locum parallelum *Pſ*. XL. v. 43. iſte enim Pſalmus a periodo decima quarta idem eſt ac qui hic legitur, ut ibi dixi.
3 *vejahperu*. In *Pſ*. XL. ſequitur *jahad*.
7 *beboſtam*. Vid. *Pſ*. XL. v. 49.
8 *li*. Ex *Pſ*. XL. inſerui poſcente metro.
12 *jeſuyateca*. *Pſ*. XL. v. 54. eſt *teſuyateca*.
14 *huſah li*. In *Pſ*. XL. v. 56. eſt *jahſob li*. Sed perinde eſt.
yezrati: Sic *Pſ*. XL. Sed hic in Hebr. eſt *yezri*. Repugnante metro.
16 *elohai*. Repoſui ex *Pſ*. XL. hic legitur *jahvoh*, quod reſpuit verſus.

PSAL-

PSALMUS LXXI. עא

1 Beca jahvoh hasiti,
al ebosah leyolam.

bezidkateca *hazzileni*,
upalleteni;
5 hatteh eli ozneca,
vehosiyeni.
hejeh li lezur mayoz;

" *lebet mezudot* lehosiyeni,
ci salyi umezudati attah.

10 elohai palleteni mijad rasay,
miccap meyavvel, ve*jad* homez.

ci attah tikvati adonai;
jahvoh mibtahi minneyurai.

yaleca nismacti mibbeten;
15 mimmeye immi attah gozi,
beca tehillati tamid.

cemopet hajiti lerabbim;
veattah mahsi yoz *elohim*,

jimmale pi tehillateca,
20 col hajom tiparteca.

al tasliceni leyet ziknah,
liclot cohi al tayzebeni.

ci *jit*ameru ojebai li,
vesomere napsi, noyazu jahdav.

25 " lemor, elohim yazabo;
ridpu, vetipsuhu, ci en mazzil.

elohim al tirhak mimmenni;
elohai leyezrati husah.

jebosu *v' iccalemu*
30 *jahdav*, sotene napsi;
jeyattu herpah ucelimmah,
mebakkese rayati.

vaani tamid ajahel, *adonai*,
vehosapti yal col tehillateca.

35 " pi jesapper zidkateca,
col hajjom tesuyateca;
ci lo jadayti seporot.

" abo bigburot adonai jahvoh;
azcir zidkateca lebaddeca.

40 elohim limmadtani minneyurai;
veyad hennah aggid nipleoteca.
" vegam yad ziknah vesehah,
elohim al tayzebeni.

yad aggid zeroyaca ledor,
45 lecol jabo geburateca.

zidkateca elohim
yad marom, aser yasita gedolot.

elohim mi camoca?
sehiritani zarot rabbot

50 ve-

PSALMUS LXXI. עא

1 בך יהוה חסיתי
אל-אבושה לעולם:

2 בצדקתך תצילני
ותפלטוי
הטה-אלי אזנך
והושיעני:
3 היה לי לצור מעוז

לבוא תשיר צורת להושיעני
כי-סלעי ומצודתי אתה:

4 אלהי פלטני מיד רשע
מכף מעול וחומץ:
5 כי-אתה תקותי אדני
יהוה מבטחי מנעורי:

6 עליך נסמכתי מבטן
ממעי אמי אתה גוזי
* בך תהלתי תמיד:

7 כמופת הייתי לרבים
ואתה מחסי עז***:

8 ימלא פי תהלתך
כל-היום תפארתך:

9 אל-תשליכני לעת זקנה
ככלות כחי אל-תעזבני.

10 כי-*אמרו איבי לי
ושמרי נפשי נועצו יחדו:

11 לאמר אלהים עזבו
רדפו ותפשוהו כי-אין מציל:

12 אלהים אל-תרחק ממני
אלהי לעזרתי חושה:

13 יבשו **יכלו
** שטני נפשי
יעטו חרפה וכלמה
מבקשי רעתי:

14 ואני תמיד איחל ***
והוספתי על-כל-תהלתך:

15 פי יספר צדקתך
כל-היום תשועתך
כי-לא ידעתי ספרות:

16 אבא בגבורות אדני יהוה
אזכיר צדקתך לבדך:

17 אלהים למדתני מנעורי
ועד-הנה אגיד נפלאותיך:

18 וגם עד-זקנה ושיבה
אלהים אל-תעזבני

עד-אגיד זרועך לדור
לכל-יבא גבורתך:

19 וצדקתך אלהים
עד מרום אשר-עשית גדלות
אלהים מי כמוך:
20 אשר הראיתנו צרות רבות
ורעות

50 verayot; tasub tehaijeni,
umittehomot haarez tayleni.

" *tasub* tereb gedullati,
vetissob tenahameni.

gam ani odeca beceli
55 nebel, amitteca elohai
azammerah becinnor.

kedos jisrael, terannenah
siptai, ci azammerah
leca, venapsi *sepadita*.

60 gam lesoni col haijom
tehgeh zidkateca *elohai*;
ci bosu, ci haperu,
mebakkese rayati.

ורעות תשוב תחיינו
ומתהומות הארץ תשוב תעלנו:

21 ** תרב גדלתי
ותסב תנחמני:

22 גם-אני אודך בכלי
נבל אמתך אלהי
אזמרה לך בכנור

קדוש ישראל: 23 תרננה
שפתי כי אזמרה-
לך ונפשי אשר פדית:

24 גם-לשוני כל-היום
תהגה צדקתך ***
כי-בשו כי-חפרו
מבקשי רעתי:

1 IN te Jahvoh speravi, ne pudore afficiar in seculum: 2 In Justitia tua eripe me, & erue me; inclina ad me aurem tuam, & serva me. 3 esto mihi in petram *fortem*; In *domum munitionum* ad salvandum me, quia petra mea, & munitio mea *es* tu. 4 Deus mi, erue me e manu impii, e manu perversi, & *manu* violenti: 5 Quoniam tu *es* expectatio mea Domine; Jahvoh fiducia mea ab adolescentia mea. 6 Tibi innixus sum ab utero; e visceribus matris meæ tu extractor meus *es*, & in te laus mea semper. 7 Tanquam portentum fui multis; at tu fiducia mea prævalida, *Deus*. 8 Replebitur os meum laude tua, tota die gloria tua. 9 Ne abjicias me tempore senectutis, quum defecerit fortitudo mea ne derelinquas me. 10 Quia *efferunt se* inimici mei, & observantes animam meam, consilium inierunt in unum. 11 Dicendo, Deus derelinquit eum; persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat. 12 Deus ne elongeris a me; Deus mi ad auxilium meum festina. 13 Pudore afficiantur, & erubescant simul, adversarii animæ meæ; operiantur probro & pudore, quærentes malum meum. 14 Ego autem semper expectabo, *Domine*, & adjiciam super omnem laudem tuam. 15 Os meum narrabit justitiam tuam, tota die salutem tuam; nam non novi numeros *earum*. 16 Ingrediar in potentias Jahvoh; recordabor justitiæ tuæ solius. 17 Deus docuisti me ab adolescentia mea; & hactenus annunciavi mirabilia tua. 18 Quin & usque ad senium & canitiem, Deus ne derelinquas me. Donec annunciem brachium tuum generationi *huic*, omni qui venturus est fortitudinem tuam. 19 Justitia tua, Deus, *est* usque in excelsum, qui fecisti magna. Deus quis sicut tu? 20 qui ostendisti mihi angustias multas & malas; iterum vivificasti me, & ex voraginibus terræ ascendere fecisti me. 21 *Iterum* auxisti magnitudinem meam, & conversus consolatus es me. 22 Etiam ego celebrabo te instrumento nablii, veritatem tuam Deus mi cantabo in cithara. Sancte Israelis, 23 exultabunt labia me, quum canam tibi; & anima mea quam redemisti. 24 Sed & lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam *Deus mi*; quia pudore affecti sunt, quia pudefacti sunt, quærentes malum meum.

1 *beca* &c. Confer hæc cum iis quæ habentur initio *Ps.* XXXI. quæ fere eadem.

3 *hazzileni*. Sic Gr. ῥῦσαί με. Et sic constructio postulat, sed in Hebr. est *tazzileni*.

7 *mayoz*. Reposui ex *Ps.* XXXI. hic legitur *mayon*, quæ voces facile invicem miscentur.

8 *lebit mezudot*. Sic legitur in *Ps.* XXXI. v. 7. & sic legerunt hic Gr. εἰς τόπον ὀχυρὸν; sed hic in Heb. est *labo tamid zivvita*. Qui spectarit vel verborum horum sensum, vel metrum, vel literarum ductus, vel versionem Gr. mecum, opinor, credet hanc esse alterius lectionis notabilem corruptionem. Miror Cl. Clericum non observasse totum *Ps.* LXX. atque hujus initium in Psalmis quadragesimo & tricesimo primo contineri. Hoc posterius alii quoque interpretes vix videntur animadvertisse.

11 *vejad*. Vel *jad* inserendum, vel legendum *umehomez* ut constet metrum. Gr. verterunt ἀδικοῦντος. Sensus sc. τῷ *hamas* hic usurpatur, ut apud Chaldæos solet. Alias, *Hebræis* est, *fermentatus*, & inde, translato sensu, *exacerbatus*, *Ps.* LXXIII. *p.* 21.

15 *gozi*. In loco huic parallelo, *Ps.* XXII. v. 17. est *gohi*, *eductor meus*, qui me ex utero educebas, quomodo hic legendum puto, cum *goz* nusquam alias occurrat, nec verbum unde provenit quicquam significet, quod loco huic conveniat.

16 *ubeca*. Copulam præfixi metri gratia.

18 *mahsi yoz*. Dicitur, ut *harri yoz*, *Ps.* XXX. *p.* 8. sensu vero idem est, ac *mahseh vayoz*, *Ps.* XLVI. *p.* 1. in fine periodi, cum metrum plane deficeret, *elohim* addidi ad explendum versum.

22 *liclot*. In Hebr. *ciclot*, & si hæc punctatio recte se habet, nihil mutandum; Græci quidem videntur legisse cum præfixo, *b*, vertendo ἐν τῷ ἐκλείπειν, sed cum nec *b* nec *c* soleant in unam syllabam cum consona cui præfiguntur coalescere, metrum utrumque, ni fallor, respuit; quod si alterum retinendum, servanda recepta lectio. Græci sæpissime errarunt *b* pro *c* legentes.

23 *jitammeru*. Cum sensus pariter ac versus laboret, vel inserendum *ray* post *ameru*, vel, quod malim, legendum *jitammeru*, ut *Ps.* XCIV. v. 8. ubi interpretantur, *efferunt se*, *gloriantur*; sensu non incommodo; sed forte alia etiam vis illi subest, & reddi potest, *deliberant*, *consilia inter se agitant*, aut aliquid ejusmodi.

29 *v' iccalemu jahdav*. In Hebr. *jiclu*; quædam hic excidisse ex metro certum est. Primam vocem restitui ex *Ps.* XXXV. v. 7. alteram ex ejusdem Psalmi v. 65. uterque locus cum hoc conferri debet, cum sint perquam similes.

30 *jeyattu* fut. *Pihel*. Hebr. est in *Kal*. sed versus respuit. Vid. *Ps.* LXXXIV. *p.* 7.

33 *ajahel*. Cum metrum clare ostendat aliquid hic excidisse, *adonai* addidi ex v. 38. ubi forte abundat, ad explendum versum.

37 *seporot*. Cum hæc forma nusquam alias occurrat, & *siprah* plane idem sit, affixum vero ad sensum desideretur, legendum putem *siprotam*, vel in singulari, *sipratam*, numerum illarum.

38 *jahvoh*. Præit in Hebr. *adonai*, quod vel e margine irrepsit, loco τῷ *jahvoh* legendum; Vid. *Psal.* LXVIII. v. 55. vel ex v. 32. librarii errore hic insertum est.

46 *zidkateca*. In Hebr. præit copula, quam metrum rejicit.
48 *elohim*. Versiculum hunc Hebræi periodo præcedenti attexunt, plane perperam.
51 *tayleni*. In Hebræo præit *tasub*, loco alieno, cum sequens periodus ab illo inchoanda sit; uti ex sensu æque ac versu patet.
56 *azammerah*. Sequitur in Hebr. *leca* quod ex sequente periodo huc irrepsit.
57 *kedos jisrael*. Ex metro manifestum est hæc verba novam periodum inchoare.
terannenah. Vid. *Ps.* LI. *p.* 6.
61 *elohai*. Addidi ad explendum versum. Vel legendum, *et zidkateca*. Vid. *Ps.* XXXV. *p.* 28.

PSALMUS LXXII. עב

LIslomoh.
1 elohim, mispateca lemelec ten,
vezidkateca leben melec.
" jadin yammeca bezedek,
vayanijeca bemispat.
5 " jisu harim salom layam,
ugebayot bezedakah.
jispot yanije yam, *vejosiy*
libne ebjon, v' idacce yosek.
jirauca yim sames,
10 veliqne jareh, *ledor* dorim.
jered cematar yal gez,
cerebibim zarzipe arez.
jiprah bejamav *zedek*,
verob salom yad beli jareh.
15 vejered mijam yad jam,
uminnahar yad apse arez.
lipnav jicreyu zijim;
veojebav yapar jilhecu.
malce tarsis veijim
20 minhah jasibu;
malce seba useba
escar jakribu.
v' istahavu lo col melacim;
col goim jaybeduhu.
25 " ci jazzil ebjon mesavvey;
veyani, veen yozer lo.
" *vejahos* yal dal veebjon,
venapsot ebjonim josiy.
" mittoc umehamas jigal napsam;
30 vejekar damam beyenav jehi.
vejitten lo mizzehab seba;
vejitpallel bayado tamid,
col haijom jebarecenehu.
" jehi pissat bar baarez
35 beros harim; jiryas pirjo
callebanon; vejazizu
meyir, ceyeseb haarez.
jehi semo leyolam,
lipne semf jinnon semo;
40 vejitbarecu bo *col sibte*
erez, col goim jasseruhu.

ba-

PSALMUS LXXII. עב

לשלמה:
1 אלהים משפטיך למלך תן
וצדקתך לבן-מלך:
2 ידין עמך בצדק
ועניך במשפט:
3 ישאו הרים שלום לעם
וגבעות בצדקה:
4 ישפט עניי-עם יושיע
לבני אביון וידכא עושק:
5 ייראוך עם-שמש
ולפני ירח דור דורים:
6 ירד כמטר על-גז
כרביבים זרזיף * ארץ:
7 יפרח בימיו צדיק
ורב שלום עד-בלי ירח:
8 וירד מים עד-ים
ומנהר עד-אפסי-ארץ:
9 לפניו יכרעו ציים
ואיביו עפר ילחכו:
10 מלכי תרשיש ואיים
מנחה ישיבו
מלכי שבא וסבא
אשכר יקריבו:
11 וישתחוו-לו כל-מלכים
כל-גוים יעבדוהו:
12 כי-יציל אביון משוע
ועני ואין-עזר לו:
13 יחס על-דל ואביון
ונפשות אביונים יושיע:
14 מתוך ומחמס יגאל נפשם
וייקר דמם בעיניו: 15 ויחי
ויתן-לו מזהב שבא
ויתפלל בעדו תמיד
כל היום יברכנהו:
16 יהי פסת בר בארץ
בראש הרים ירעש **
כלבנון פריו ויציצו
מעיר כעשב הארץ:
17 יהי שמו לעולם
לפני-שמש ינין שמו
ויתברכו-בו ***
** כל-גוים יאשרוהו:
18 ברוך

baruc *jah*, elohe jiſrael,
yoſeh niplot lebaddo.

ubaruc ſem cebodo
45 leyolam; v'immale cebodo
et col haarez. amen.
veamen.

collu tepillot david
ben jiſai.

18 ברוך יהוה אלהים אלהי ישראל
עשה נפלאות לבדו:

19 וברוך שם כבודו
לעולם וימלא כבודו
את-כל-הארץ אמן
ואמן:

20 כלו תפלות דוד
בן-ישי:

SAlomoni. 1 Deus, judicia tua Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis. 2 Judicabit populum tuum in juſtitia, & pauperes tuos in judicio. 3 Afferent montes pacem populo, & colles cum juſtitia. 4 Judicabit pauperes populi, *et* ſervabit filios pauperis, & conteret calumniatorem. 5 Timebunt te cum Sole, & ante Lunam, *in* generationem generationum. 6 Deſcendet ſicut pluvia ſuper deſectam herbam, ſicut ſtillæ *ſtillantes* ſuper terram. 7 Florebit in diebus ejus *juſtitia*, & multitudo pacis, donec non *ſit* luna. 8 Et dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos terræ. 9 Coram illo procident incolæ deſerti; & inimici ejus pulverem lingent. 10 Reges Tarſis & inſularum munus afferent; reges Sheba & Seba munus offerent. 11 Et incurvabunt ſe ei omnes reges; omnes gentes ſervient ei. 12 Quia liberabit egenum clamantem; & pauperem, cui non eſt auxiliator. 13 Parcet tenui & egeno; & animas egenorum ſervabit. 14 A dolo, & ab iniquitate redimet animam eorum; & pretioſus ſanguis eorum in oculis ejus *erit*. 15 Et dabitur ei de auro Sheba; & orabunt pro eo ſemper, tota die benedicent ei. 16 Erit *abundantia* frumenti in terra in capite montium; contremiſcet *fructus ejus* ſicut Libanon; & florebunt de civitate ſicut herba terræ. 17 Erit nomen ejus in ſeculum, coram Sole propagabitur nomen ejus; & benedicent ſe in eo *omnes tribus terræ*; omnes Gentes beatum dicent eum. 18 Benedictus Jah, Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus. 19 Et benedictum nomen gloriæ ejus in ſeculum; repleatur gloria ejus univerſa terra. Amen. Et amen. 20 Finem habent orationes Davidis filii Jeſſe.

1 *elohim*. Suſpicor hic quoque pro *elohim* legendum *jah*, ut ſæpius in Pſalmis proxime præcedentibus.

6 *bezedakah*. Niſi metrum impediret, dubitari nequit, quin Pſaltes præpoſitionem omiſiſſet.

10 *ledor*. Conſtructio æque ac metrum præfixum poſtulat.

12 *zarzipi*. Sic Gr. σάζυσαι. In Hebr. *zarzip*, nullo ſenſu; eſt vox quadrilittera, prima radicali geminata, a *zarap* quod mutato ע in z eſt idem ac *yarap*, *ſtillare*, quo ſenſu occurrit, *Deut.* XXXII. 2. & XXXIII. 28. & in Pſalmis, inverſis literis, *rayap*, *Pſ.* LXV. v. 30.

13 *zedek*. Et ſic Gr. δικαιοσύνη. Quam veram eſſe lectionem ſeq. verſiculus evidenter oſtendit. Sed in Hebr. eſt *zaddik*.

15 *vejered*. Secundum Maſoretas *vejerd*, ſed metrum probat *jered* eſſe diſſyllabum.

18 *jilhecu*. Sic legendum in *kal* ex metro liquet, ſed in Hebr. eſt in *pihel*.

23 *v'iſtahavu*. Copulam ſuſpicor ortam eſſe ex *vau* præcedente, & legendum *jiſtahavu*.

27 *vejahos*. Cum *vau* præcedentem verſum claudat, hic in Heb. copula excidit, ut ex metro liquet.

30 *jehi*. In Hebr. *vihi*, *& vivet*, & periodum ſequentem inchoat. Sed quo ſenſu? Alii, *vivet pauper, & dabit ei Rex;* alii, vivet Rex, & dabit ei Deus; alii, *vivet pauperum quilibet;* alii, *vivet rex, & dabit quiſque &c.* ſin pro *vihi jehi* legas, & præcedenti verſiculo adjungas, ambiguitas omnis ſtatim tollitur; & utriuſque periodi numeri erunt venuſtiſſimi.

34 *piſſat bar*. *Pugillus* vel *particula* frumenti; ſed nihil mea quidem ſententia magis ab hoc loco alienum, ubi copia maxima deſcribitur. Niſi igitur verbum *paſas* ſignificet non modo *defecit*, *imminutum fuit*, ſed etiam ſenſu prorſus huic contrario, *abundare*, *augeri*, (quod nonnullis quidem verbis accidit) nullus dubito vocem hanc in mendo eſſe, & legendum, vel *piſſat*, a *paſah*, *expandit*, *diffudit*, vel *paſat*, a *puſ*, quod eſt, *abundare*, *multiplicari*. Unde *paſ. abundantia*, *multitudo*, *Job.* XXXV. 15. hæc enim vocis hic adhibitæ, quæcunque ſit, procul dubio vis eſt, ſi ex contextu & circumſtantiis loci judicium de ſenſu ejus ferri poſſit; ideoque Clericus vertit, erit *copia* frumenti in terra; atque eandem Hebræorum nonnullorum fuiſſe ſententiam ex ſignificatione vocis Chaldaicæ, *piſjon*, (quæ eſt *extenſio multiplicatio*) obſervavit Muiſius. Gr. στήριγμα ἐν τῇ γῇ: quid legerent neſcio.

36 *callebanon*. In Hebr. ponitur ante *pirjo*; ſed hic ordo magis naturalis, & ad verſum prorſus neceſſarius.

39 *jinnon*. Eſt futurum *niphal*. Deducunt a *nin*. *filius*, & reddunt *ſoboleſcet*, *filiabitur*; quod, quomodo de *nomine* prædicari poſſit non intelligo. Hillerus in *Inſtitutionibus Linguæ Sanctæ*, *p.* 332. aliam viam init. *naah*, inquit ille, eſt *habitavit*, *plurale naun* cum *n* paragogico, inde contracte *non* ſive *nun*, *manſio*, nomen patris *Joshuæ*, a *non* vero *jinnon*, *Manebit*, ſic ille. Mihi quidem ſemper viſum eſt in voce hac mendum eſſe, ſed non facile dictu eſt, quomodo tolli poſſit, veraque lectio reſtitui. Nullum hic a Gr. Verſione ſubſidium, in qua eſt διαμενεῖ; eadem enim *verſ.* 9. habet συμπαραμενεῖ. cum tamen in Heb. ſit, *jirauca*, *timebunt*; unde ſuſpicor Gr. intt. neſcio quam ob cauſam hæc loca de induſtria mutaſſe; adeoque ex illorum verſione quæ fuerit vox Hebr. fruſtra quæritur. Chald. *præparatum eſt*, unde videntur illi legiſſe *jiccon*; & metrum quidem non repugnat, cum *ſemeſ* in monoſyllabum contrahi poſſit, ut dixi ad *Pſ.* XIX. *p.* 6. ſed verbum hoc non ſatis convenit cum *ſemo*; verum de hac etiam voce non immerito dubitari poſſit, cum videatur vel errore librarii repetita, vel alterius vocis locum occupaſſe, & legi oportere, vel *ciſo* vel *zarjo*. Vid. *Pſ.* LXXXIV. *p.* 30. & 37. &c. Si *jiccon* igitur recte ſe habet, pro *ſemo* legendum putem unum ex nominibus modo memoratis, vel inducto *ſemo*, copula verſiculo huic præponenda, ut *verſ.* 10. *velipne ſemes jiccon*. Sin retineatur *ſemo*, alia verſiculum hunc reſtituendi ineunda ratio, & pro *jinnin*, (ſic enim *cetib*) legendum forſan *jarninu*, nomen ejus *celebrabunt*, ſi *harnin* hoc ſenſu ſumi poteſt. Et quod hanc conjecturam non parum firmat, ſi conferas hanc quintamque periodum cum periodo nona *Pſ.* LXV. verba *jireu* & *tarnin* ibi quoque adhibentur, licet poſterius ſenſu aliquantum diverſo. Vid. *Pſ.* XXXII. *verſ.* ult. & LXXXI. 1. ſed & aliam conjecturam paucis liceat attingere; ſi tollatur *ſemo*, & pro *jinnon* legatur *jiccon*, addendum forte ex ultima periodo *cebodo*, ubi videtur abundare, qua ratione & metro & ſententiæ optime conſuletur. Sed de his viderint eruditiores.

40 *col ſibte erez*. Hæc quæ exciderant addidi ex Gr. Verſione, πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς.

42 *jah*. Sequitur in Hebr. *elohim* quod, opinor, e margine irrepſit, ut adonai, *Pſ.* LXXI. *verſ.* 38.

44 *cebodo*. Parum placet geminum hoc *cebodo*. Periodus ſic forte eſt reſtituenda;

baruc ſemo leyolam,
vejimmale cebodo
et ———

Quod ad argumentum hujus Pſalmi, hæc Muiſius. „ Ego profecto ſentio hunc Pſalmum tribuendum Da- „ vidi, eſſeque votum, quo filio Salomoni juſtum, „ felix, latum, & diuturnum imperium precetur, my- „ ſtice tamen exponi poſſe, & debere, de Chriſti re- „ gno, cujus regni quædam imago fuit regnum Salo- „ monis. Chriſtus enim verus eſt Salomon, id eſt, „ *pacificus*, per cujus mortem, cum inimici eſſemus, „ reconciliati ſumus Deo." Sic ille. Ad Meſſiam pertinere agnoverunt plures etiam e Judæis.

46 *amen*. In Hebr. ſequitur, *veamen*, quod populus, forte, acclamabat. Vid. ad *Pſal.* XLII. *p.* ultim.

48 *collu*. Hic deſinit ſecundus Pſalmorum liber. Ad verbum, *finiunt preces Davidis filii jiſſai*. Gr. ἐξέλιπον οἱ ὕμνοι Δαβὶδ τοῦ υἱοῦ Ιεσσαί. Ex quibus, opinor certo concludi poſſe, Pſalmorum volumen, quod hic finitur, editum fuiſſe & evulgatum, ante illos libros qui hunc ſequuntur. Sed hinc non concludi poteſt Pſalmos qui præceſſerint, omnes Davidis eſſe, ſed volumini nomen a majore parte Pſalmorum inditum. Neque ſane hinc certo colligi poteſt, utrum hi duo priores libri, ſimul ederentur, an alter ante alterum. Nedum ex his verbis recte collegeris nullos eſſe Davidis Pſalmos præter eos qui his prioribus libris continentur; nec ullis indiciis certo ſciri poteſt, quo tempore ederetur volumen quod hic finitur. Sed de his egi in Prolegomenis.

---

seper ſeliſi.

PSALMUS LXXIII. עג

mizmor leasap.

1 AC tob l'iſrael *jahvoh*,
libre lebab; vaani,
cimyat nataju raglai;
ceain ſuppecah aſurai.

5 " ci kinneti baholelim,
uſelom reſayim ereh.

" ci ɛn harzubbot lemotam,
ubari ulam *bemaccatam*.

" bayamal enoſ enɛmo;
10 veyim adam lo jenuggayu.

" lacen yanakatmo gavah,
jaytop, *ce*ſit hamas lamo.

" jaza meheleb yɛnɛmo;
yaberu maſcijot lebab.

15 jamiku, v'idabberu beray;
yoſek mimmarom jedabberu.

ſattu baſſamɛm pihem,
uleſonam tihlac baarez.

lacen jaſub yamme*ca* halom;
20 umɛ male jimmazu lamo.

veameru, ɛcah jaday el?
vejeſ dayah beyeljon?

hinneh elleh reſayim,
veſalvɛ yolam, hiſgu hail.

25 ac rik zicciti libbi,
vaerhaz benikkajon cappai.

" vaehi naguy col hajom,
vetocahti labbekarim.

im amarti, asapperah cemo*hem*:
30 hinneh, dor banɛca, bagadti.

vaahaſſebah ladayat zot,
*ve*yamal hu beyɛnai.

yad abo el mikdaſ el;
abinah l'aharitam.

35 ac

ספר שלשי

PSALMUS LXXIII. עג

מזמור לאסף:

1 אך-טוב לישראל אלהים
לברי לבב: 2 ואני
כמעט נטוי רגלי
כאין שפכה אשרי:

3 כי קנאתי בהוללים
* שלום רשעים אראה:

4 כי אין חרצבות למותם
ובריא אולם ***:

5 בעמל אנוש אינימו
ועם-ארם לא ינגעו:

6 לכן ענקתמו גאוה
יעטף-* שית חמס למו:

7 יצא מחלב עינימו
עברו משכיות לבב:

8 ימיקו וידברו ברע
עשק ממרום ידברו:

9 שתו בשמים פיהם
ולשונם תהלך בארץ:

10 לכן ישיב עמו הלום
ומי מלא ימצו למו:

11 ואמרו איכה ירע אל
ויש דעה בעליון:

12 הנה-אלה רשעים
ושלוי עולם השגו-היל:

13 אך-ריק זכיתי לבבי
וארחץ בנקיון כפי:

14 ואהי נגוע כל-היום
ותוכחתי לבקרים:

15 אם-אמרתי אספרה כמו*
הנה דור בניך בגרתי:

16 ואחשבה לדעת זאת
* עמל הוא בעיני:

17 עד-אבוא אל-מקדשי-אל
אבינה לאחריתם:

18 אך

35 ac bahalakot ſaſit lamo, hippaltam lemaſſuot *nezah*.	18 אך בחלקות תשית למו הפלתם למשואות **:
ec haju leſammah ceragay? ſapu tammu ballahot.	19 איך היו לשמה כרגע ספו תמו מן-בלהות:
cahalom mehakiz*am* 40 adonai bayir zalmam tibzeh.	20 כחלום מהקיץ* ארני בעיר צלמם תבזה:
c*en* jithammez lebabi, veciljotai eſtonan.	21 כי יתחמץ לבבי וכליותי אשתונן:
vaani bayar, velo eday; *c*ebehemot hajiti.	22 ואני-בער ולא אדע * כהמות הייתי עמך:
45 " vaani tamid yimmeca; ahazta bejad jemini.	23 יאני תמיר עמך אחזת ביד ימיני:
" bayazateca tanheni, veahar *be*cabod tikkaheni.	24 בעצתך תנחני ואחר * כבוד תקחני:
mi li baſſam*e*m? veyimmeca 50 lo hapazti baarez.	25 מי-לי בשמים ועמך לא-חפצתי בארץ:
calah ſeri velibbi; zur lebabi vehelki elohim leyolam.	26 כלה שארי ולבבי צור לבבי וחלקי אלהים לעולם:
ci hinneh rihk*e*ca jobedu; hizmattah col zoneh mimmeca.	27 כי-הנה רחקיך יאבדו הצמתה כל-זונה ממך:
55 v'ani, kirbat elohim li tob; ſatti bejahvoh mahsi, leſapper col malacot*e*ca.	28 ואני קרבת אלהים לי-טוב שתי בארני יהוה מחסי לספר כל-מלאכותיך:

LIBER TERTIUS.

PSalmus Aſaph. 1 Profecto bonus eſt Iſraeli *jahvoh*, mundis corde; 2 ſed ego, pene declinaverunt pedes mei; fere nihil *abfuit quin* effuſi ſint greſſus mei. 3 Quia 4 Quia zelavi in inſanos, & pacem impiorum vidi. Quia non ſunt ligamenta in morte eorum, & firmum robur eorum *in plaga eorum*. 5 In labore hominum non ſunt; & cum hominibus non flagellantur. 6 Ideo in modum torquis cingit eos ſuperbia, operit *ut* ornamentum violentia eos. 7 Exit præ adipe oculus eorum; tranſgrediuntur cogitationes cordis. 8 Tabeſcere faciunt, & loquuntur cum malo; calumniam de excelſo loquuntur. 9 Ponunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum ambulat in terra. 10 Ideo revertitur populus *tuus* huc, & aquæ pleni *calicis* exprimuntur eis. 11 Et dicunt, Quomodo novit Deus? & *an* eſt ſcientia in excelſo? 12 Ecce, iſti impii, & pacati ſeculi, auxerunt divitias. 13 Vere in vanum mundavi cor meum, & lavi in munditia manus meas. 14 Et fui flagellatus omni die, & *fuit* increpatio mea ſingulis matutinis. 15 Si dicam, narrabo ſicut *illi*; ecce generatio filiorum tuorum *dicent quod* prævaricatus ſum. 16 Itaque cogitabam ut ſcirem hoc, *ſed* labor fuit in oculis meis. 17 Donec ingrederer in Sanctuaria Dei, *&* intelligerem noviſſimum eorum. 18 Profecto in locis lubricis poſuiſti eos, corruere facis eos in deſolationes *æternas*. 19 Quomodo fuerunt in deſolationem quam cito! defecerunt, conſumpti ſunt a terroribus. 20 Velut ſomnium ex quo evigilant, Domine, in urbe imaginem eorum ſpernes. 21 *Sic* excandeſcebat cor meum, & *in* renibus meis pungebar. 22 Ego autem inſipiens *eram*, nec cognoſcebam; *ut* jumentum eram. 23 Tamen ego ſemper tecum *fui*, tenuiſti manum dexteram meam. 24 Conſilio tuo deduxiſti me, & poſtea *cum* gloria excepiſti me. 25 Quis mihi *eſt* in cœlo? & tecum nolo *quenquam* in terra. 26 Defecerat caro mea & cor meum; robur *autem* cordis mei, & pars mea *eſt* Deus in ſeculum. 27 Quoniam, ecce, qui ſe elongant a te, peribunt; ſuccidis omnem fornicantem a te. 28 At ego, acceſſus ad Deum mihi eſt bonus; poſui in Jahvoh ſpem meam, ut enarrem omnia opera tua.

1 *jahvoh*. in Hebr. *elohim*, repugnante metro.

4 *ſuppecah*. Keri. *ſuppecu*, ſed alterum rectius puto, cum obſervem *aſurai* aliis in locis cum verbo ſingulari conjungi.

6 *uſelom*. Cum metrum moneat ſyllabam excidiſſe, vel copula præponenda, vel *ci* utrique verſiculo præponendum.

7 *ci en*, verſus in hac & ſequenti periodo alternant, primi ſc. in utraque ſunt Trochaici generis, alteri Iambici; niſi hic pro *ci en* legamus, ut in *verſ.* quarto, *ceain* & in *verſ.* decimo *nuggaju*.

harzubbot lemotam. Non ſunt *ligamenta* morti eorum; id eſt, facile & in puncto temporis extinguuntur, inquit Muiſius, ut Job. XXI. 13. ſed dura certe loquutio, quid enim *ligamentis* vel vinculis cum *morte*? Conferenti hæc cum Eſ. LVIII. 6. ubi ſolum hæc vox *harzubbot* iterum occurrit, ſuborta mihi eſt ſuſpicio pro *motam* legendum hic eſſe *motam*. *motah* enim eſt *jugum*, quocum *ligamenta* optime conveniunt. Senſuſque erit, *jugo arcte aſtricto non vexantur*, & atteruntur. Adde quod parum commode de impiorum morte primo loco dicitur, cum nihil de vitæ eorum ratione & decurſu prius dictum ſit. Gr. ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνάνευσις ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν, ſed ἀνάνευσις forte eſt mendoſa lectio.

8 *ubari ulam bemaccatam*. In Hebr. tantum *ubari*

ulam,

ulam, quæ manifesto mutila sunt. Gr. hic quæ exciderant supplent. Καὶ στερίωμα ἐν τῷ μάστιγι αὐτῶν. Sed cur *bari ulam* reddiderint στερίωμα nescio; ex illa versione putares illos, non duas voces, sed unam tantum hic legisse, sed quænam fuerit, conjicere nequeo. Si *bari* pro substantivo habuissent, & legissent *bari lahem*, vertissent στερίωμα αὐτοῖς; sed in illorum versione nullum est τῷ αὐτοῖς vestigium. Posteriora vero, ἐν τῷ μάστιγι αὐτῶν, de suo addidisse quis crediderit, cum & sensus & mensura versus clare ostendant aliquid hujusmodi in Hebr. excidisse? *Ulam* est robur eorum, vel pro *ulam* scribendum *ulam*. *ejal* enim est *robur*, & unam syllabam constituit, *Ps.* LXXXVIII. *vers.* 8.

12 *cesit*. *ce* & constructio & metrum inseri postulant. Vid. *Ps.* CIV. *p.* 2. & 6.

13 *jaza*. Vid. *Ps.* XVII. *p.* 10.

14 *yaberu*. Plura assequuntur suam cogitaverint. Vid. *Jer.* V. 28.

15 *jamiku*. Cum verbi hujus notæ significationes loco huic nequaquam conveniant, suspicor legendum *jaymiku*; & sensus erit, *occulte loquuntur*, cui opponitur in versiculo seq. *mimmarom*, quod erit, *publice & aperte*, nocent; injurias secreto inferunt, rapinas palam exercent. Hic mihi videtur loci hujus obscuri sensus. Vid. Hos. IX. 9. *yosek* enim ad posteriorem *vers.* pertinet, & sic Gr. Vid. *Ps.* XCIV. *p.* 4.

19 *lacen*. Locus difficillimus & obscurissimus. Si secundus periodi hujus versus recte se habet, pro *yammo* legendum *yammeca*, ut p. 15. *dor banica*, oratione ad Deum conversa, vel *yam* sine affixo. Sed quid est, *jasub halom? redibit huc?* Alii, *ad impiorum studia & mores convertitur populus*; alii, *in hanc offensionem quæ ex impiorum prosperitate nascitur*; vel, quod eodem redit, *revertitur huc*, ut dicat, id scilicet quod in periodis proxime sequentibus continetur. Hinc etiam incertum fit, ad quos pertineat *veameru*, *& dicent*; utrum ad populum de felici impiorum forte conquerentem, an ad impios ipsos contra Deum sese efferentes. Sed & alter versiculus admodum obscurus est, *aquæ pleni* (calicis) *exprimuntur iis*; neque enim facile dictu est, quid hæ aquæ sibi velint, aut unde habeantur, aut qui sit nexus horum verborum cum antecedentibus. Si *halom* sit, *ad has cogitationes*, *lamo* erit *populus*, cum tamen toto hoc Psalmo pluralis numerus a prima impiorum commemoratione ad illos tantum spectet. *Aquæ* vero *pleni* calicis erunt *lacrymarum* copia. Sic Intt. qui priorem versum modo jam dicto explicant. Sed hæc mira lacrymarum periphrasis; & pro *male* legendum merito suspiceris *mara*, (pro *marah*, ut Ruth. I. 20.) *amaræ* enim *aquæ* longe melius lacrymis convenit, quam *aquæ pleni calicis*, quæ copiam & abundantiam manifesto denotant; quo sensu sumunt illi, qui *halom* volunt esse *impiorum studia & mores*. Gr. pro *umi* ---- *jimmazu*, legerunt *jemi* ---- *jimmazeu*, dies (pleni) *invenientur*; sed nihil quod ad sensum proficiunt. Cum tam difficile sit ex hac periodo sensum commodum elicere, qui cohæreat cum iis quæ antecedunt & proxime sequuntur, mihi quidem, ut dicam quod sentio, qui de vexatissimo hoc loco diu multumque cogitavi, videtur tollenda. Sublata enim illa, difficultas omnis una tollitur. Et certum erit, *veameru* de *impiis* dici, nexusque clarus erit inter periodos nonam & undecimam, & in hac finietur impiorum descriptio, quæ a periodo tertia huc usque perpetuo orationis filo, nulla re alia interposita, decurret, quam optime excipit periodus duodecima. *Ecce, hi sunt impii, quibus omnia prospere cedunt*. Quod si tollatur hæc periodus, quid illa fiet? Num integra periodus e sacro codice delenda prorsus? Nequaquam, nihil minus mihi est in animo, quam tale ausum; sed alius locus quærendus, ubi commode inseratur. Et talem deprehendisse mihi visus sum in Psal. præcedente post periodum sextam. *Descendet sicut pluvia, sicut stillæ stillantes. Huc igitur (ad illum) se convertet populus ejus, & aquas copiosas sibi haurient*: Quod in locis calidis & siticulosis non exiguæ felicitatis est descriptio. Sed ut metrum constet, si servetur *yammo* in priore versu, hic legendum erit, *jimzu* in *kal*. Si vero periodus hæc loco quem occupat moveri non debet, legendum putem in secundo versu, *umimmale jimzu damo*, hoc sensu; *populus se ad eos convertit, & ejus sanguinem impii ebibunt quasi ex pleno calice*. Quibus hæc quæ de loco difficillimo dixi minus placent, adeant Interpretes.

24 *hisgu hail*. Cum *hail* alias fere in monosyllabum contrahatur, melior mihi videtur lectio quam secuti sunt Gr. *hissigu*, quod recte verterunt, κατέσχον, obtinuerunt.

26 *vaerhaz*. Vid. *Psal.* XXVI. *vers.* 12.

28 *vetocahti*. Suspicor legendum, *vehocahti* in *hiphal*, sic enim *nexus* videtur postulare.

29 *cemohem*. In Hebr. *cemo*, aperto mendo; *hem* exciderat sequente *hinneh*, sensus, *sicut illi*, quorum querelæ in prioribus periodis repræsentantur.

30 *bagadti*. Perfidiosus essem, prodita piorum causa quam teneor defendere. Sic *Muis.* Clerico videtur esse ἀποσιώπησις, & distinguendum post *banica*. Tunc *bagadti* erit, *perfide me gererem*. sc. *in te*, o Deus.

32 *veyamal*, copulam addi & sensus & versus plane postulant.

33 *mikdas*. Et sic Gr. τὸ ἁγιαστήριον. Hebr. *mikdase* in plurali, invito metro.

36 *nezah*. Inserui ex *Psal. seq. vers.* 6. ubi legitur *lamassuot nezah*, loco plane alieno, & ut mihi videtur, errore librarii hinc traducto. Hic certe hæc loquutio optime convenit, opposita brevi impiorum elationi, qua insane gloriantur.

38 *tammu*. Sequitur in Hebr. *min*. Quod e margine erepsit, ubi nota forte fuit Masoretica pertinens ad τὸ *tammu* scriptionem, quod scribi etiam potuisset *tamnu*. Vid. ad *Ps.* LXI. *vers.* 15. & LXIV. 13.

39 *mehakizam*. Suffixum excidisse in Hebr. ostendit metrum. *bayir* vero Gr. mihi videntur recte reddidisse ἐν τῇ πόλει. Cur vero addiderint σὺ nescio. *tibzeh*, bene, ἐξουδενώσεις. *in nihilum rediges*. Hebr. *despicies*.

41 *cen*. Sic legi sententia postulat. In Hebr. *ci*, *nun* in *jod* migrante.

44 *cebehemot*. In Hebr. deest *ce*. *c* ante *b* exciderat, propter literarum summa similitudinem. Sequitur in Heb. *yimmeca*, quod manifesto irrepsit ex seq. *vers.*

48 *becabod*. Ut *vers.* 44. excidit *c* ante *b*, sic hic *b* excidit *ante c*. Versus enim excidisse ostendit.

51 *velibi*. In Hebr. *lebabi*, sed propter versum contracte legendum.

56 *bejahvoh*. Hebr. *badonai jahvoh*. Ut *Psal.* LXXI. *p.* 16. forte ex margine irrepsit *adonai*, pro *jahvoh*, ex sententia Judæorum, legendum, non in textum inferendum. Si vero in fine Psalmi exciderunt quæ in Gr. habentur, ἐν ταῖς πύλαις τῆς θυγατρὸς Σιών. *Adonai* ante illa verba collocandum, & ultimus versiculus erit, *Adonai besayre bat Sion*. Et quod aliquam veri speciem præbet hæc revera excidisse, est quod nulla Psalmi hujus periodus hac una excepta sit trimembris; adde quod absque his quodammodo pendet oratio. Si quæ Græci supplent recipiantur, prima & ultima erunt quadrimembres, omnes vero quæ interjacent, bimembres. Poterant quidem hæc e margine desumi, cui adscripta essent ex Psal. IX. *p.* 15. sed possunt etiam γνήσια esse, cum multa in Psalmis reperiantur, quæ ex uno in alterum ab eorum auctoribus traducta sunt. Quod facile fieri potuit, si unus Psalmorum liber ante alterum ederetur; quod plusquam verisimile est, cum quæ bis habentur, non in eodem libro, sed in diversis, (si ultimum excipias,) nisi memoria fallit, semper occurrant. Sed absque hoc esset, nihil mirum foret eadem occurrere in Psalmis, quorum non iidem sunt auctores. Quotquot enim illorum in Sacris publicis decantari solebant, in omnium notitiam hoc pacto venerunt, & a multis proculdubio memoria tenebantur, a doctioribus præsertim, quorum erat non modo sacris ministeriis interesse, sed iis etiam defungi: sed de his viderint eruditi.

PSAL-

PSALMUS LXXIV. עד

mascil, leasap.

1 LAmah elohim zanahta lanezah?
jeysan appeca bezon maryiteca?

zecor yadateca kanita kedem;
gaalta sebet nahlateca,
5 vehar zion zeh sacanta bo.

“ harimah paymeca, *calleh*
col heray ojeb bakkodes.

saagu zorereca
bekereb moyadeca;
10 samu ototam otot.

jigdeyu, cemebi lemaylah
beseboc yez kardumot.

veyattah pittuheha jahad,
becassil*im* vecelappot jahlomun,

15 “ sillehu baes *et* mikdaseca,
laarez hillelu miscan simca.

“ ameru belibbam, ninam jahad;
sarepu col moyade el.

baarez ototenu
20 lo *yod* rainu, en yod nabi,
velo itanu jodey yad mah.

“ yad matai elohim jeharep zar?
jenaez ojeb simca lanezah?

lammah tasib jadeca?
25 v' iminca mikkereb hekeca?

veelohim malci mikkedem,
poyel jesuyot bekereb haarez.

attah porarta beyozzeca
haijam, sibbarta rase
30 tanninim yal hammaim.

attah rizzazta rase
livjatan, tittenennu
macal leyam, lezijim.

“ attah bakayta mayjan vanahal;
35 attah hobasta naharot etan.

lac jom, ap leca lailah; attah
hacinota maor vasames.

attah hizzabta col gebulot arez;
kez vahorep attah jezartam.

40 zecor zot, ojeb herep jahvoh,
veyam nabal niazu simca.

al titten lehaijat nepes toreca;
yanveca al tiscah lanezah.

habbet labberit, ci maleu
45 mahsacce erez neot hamas.

al jasob dac niclam *mimmeca*;
yani. veebjon jehallelu simca.

ku-

PSALMUS LXXIV. עד

משכיל לאסף:

1 למה אלהים זנחת לנצח
יעשן אפך בצאן מרעיתך:

2 זכר עדתך קנית קדם
גאלת שבט נחלתך
* הר ציון זה שכנת בו:

3 הרימה פעמיך למשאות נצח
כל-הרע אויב בקדש:

4 שאגו צרריך
בקרב מועדך
שמו אותתם אתות:

5 יורע כמביא למעלה
בסבך-עץ קרדמות:

6 ועת כתוחיה יחד
בכשיל * וכילפות יהלמון:

7 שלחו באש * מקדשך
לארץ חללו מחכן שמך:

8 אמרו כלבם נינם יחד
שרפי כל-מועדי-אל

בארץ: 9 אתותינו
לא *-ראינו אין-עוד נביא
ולא אתנו יורע עד-מה:

10 עד-מתי אלהים יחרף צר
ינאץ אויב שמך לנצח:

11 למה תשיב ידך
וימינך מקרב חוקך כלה:

12 ואלהים מלכי מקדם
פעל ישועות בקרב הארץ:

13 אתה פוררת בעזך
* ים שברת ראשי
תנונים על-המים:

14 אתה רצצת ראשי
לויתן תתננו
מאכל לעם לציים:

15 אתה בקעת מעין ונחל
אתה הובשת נהרות איתן:

16 לך יום אף-לך לילה אתה
הכינות מאור ושמש:

17 אתה הצבת כל-גבולות ארץ
קיץ והרף אתה יצרתם:

18 זכר-זאת אויב חרף יהוה
ועם נבל נאצו שמך.

19 אל-תתן לחית נפש תורך
חית ענייך אל-תשכח לנצח:

20 הבט לברית כי-מלאו
מחשכי-ארץ נאות חמס:

21 אל-ישב דך נכלם ***
עני ואביון יהללו שמך:

22 קומה

kumah elohim, ribah
ribeca; zecor herpateca
50 minni nabal col haijom.

al tiscah kol zareca;
seon kameca yoleh tamid.

22 קומה אלהים ריבה
ריבך זכר חרפתך
מני-נבל כל-היום:

24 אל-תשכח קול צרריך
שאון קמיך עולה תמיד:

Didacticon, Asaph. 1 Ut quid Deus repulisti *nos* in seculum? sumat furor tuus contra pecudes pascuæ tuæ? 2 Recordare congregationis tuæ *quam* acquisivisti ab antiquo; redemisti virgam hæreditatis tuæ, *&* montem Sion in quo habitas. 3 Leva vestigia tua, *perde* omnem inimicum *qui* malefecit in Sancto. 4 Rugierunt hostes tui in medio conventuum tuorum; posuerunt signa sua signa. 5 Et nunc, velut afferens superne in perplexitatem ligni secures, 6 Exciderunt cælaturas ejus pariter, bipennib*us* & malleis dejecerunt. 7 Miserunt in ignem Sanctuarium tuum, in terram polluerunt tabernaculum nominis tui. 8 Dixerunt in corde suo, depopulabimur eos pariter: incenderunt omnia tabernacula Dei. In terra 9 Signa nostra non *amplius* videmus, non est ultra Propheta, nec est nobiscum qui cognoscat usquequo. 10 Usquequo, Deus, probris afficiet *te* adversarius? spernet inimicus nomen tuum in sæculum? 11 Ut quid *Deus non* reducis manum tuam, & dexteram tuam e medio sinus tui? 12 Deus autem Rex meus ante secula, operans salutes in medio terræ. 13 Tu confregisti fortitudine tua mare, confregisti capita cetorum in aquis. 14 Tu contrivisti capita Crocodili, dedisti eum escam populo, eremicolis. 15 Tu excidisti fontem & torrentem; tu siccasti fluvios fortes. 16 Tuus *est* dies, etiam tua *est* nox, tu præparasti lumen & solem. 17 Tu statuisti omnes terminos terræ; æstatem & hyemem tu formasti ea. 18 Memento hujus, inimicus probris affecit Jahvoh, & populus stultus sprevit nomen tuum. 19 Ne tradas bestiis animam turturis tuæ; pauperes tuos ne obliviscaris in æternum. 20 Respice ad pactum, quia repleta sunt loca tenebrosa terræ habitationibus iniquitatis. 21 ne redeat attritus affectus pudore *a te*; pauper & mendicus laudent nomen tuum. 22 Surge Deus, judica causam tuam; memento probri tui a stulto omni die. 23 Ne obliviscaris vocis hostium tuorum; sonitus insurgentium in te ascendit semper.

4 *gaalta.* Videtur poni debere non primo sed tertio loco.

5 *vehar.* Et series orationis & metrum copulam inseri postulant.

6 *paymeca*, sequitur in Hebr. *lemassuot nezah*. Sed metrum, & sensus, & orationis nexus repugnant; quid enim est *tollere pedes ad desolationes*? Et quare additur *perpetuas*, cum Psaltes Deum oret ut finem illis imponat & diruta instauret? Hæc igitur errore librarii huc puto traducta ex *Ps.* præcedente v. 36. ut ibi dixi; sed hæc si tollas mutilus erit versus, cui facile succurritur addendo *calleh* ex periodo undecima, ubi abundat; sensus est, *attolle te, erige te in pedes, & perde hostes, qui sacrario tuo tanta mala intulerunt.* Quod si quis *lemassuot nezah* retinendum putet, subintelligendum *lirot*, *attolle pedes tuos* ut videas *desolationes*. Et versus hoc modo videntur digerendi & corrigendi,

harimah paymec' elohim,
lemassuot nezah, calleh, &c.

9 *moyadeca.* Ita est in Hebr. sed *jod* excidisse opinor, ut sæpe alias in nominibus pluralibus, & legendum, *moyadica*, cum non de uno conventus loco sed de omnibus agi videatur. Vid. *p.* 8. In periodis quidem proxime sequentibus unus locus, sc. *Templum*, Psaltæ animo obversari videtur; sed cum dicatur *pittuheha* in feminino genere, id non ad *moyed* referri possit, sed ad aliud vocabulum, quod non exprimitur, necessario referendum; quod forte *yir*, *urbs*, fuit. *Kimhi*, annotante Muisio, *melacah*, *opus*, subaudit. De Templo certe non diserta mentio facta est ante periodum 7. Nec usquam, quod sciam, Templum *moyed* dicitur. Non negaverim tamen Scriptorem in iis que proxime sequuntur Templum præcipue in animo habuisse; In hac tamen periodo de iis quæ postea dicuntur *moyadi el*, videtur agi, quæ plurium Interpretum est sententia. Adde quod forte *m* exciderit in *pittuheha*, & legendum sit *pittuhihem*, quod cum *moyadeca* conveniet, quo anomalia tolletur qua vox illa nunc laborat, & quæ librarii incuriæ deberi non immerito videri possit.

10 *ototam otat.* Signa *militaria* fecerunt signa *victoriæ*.

11 *jigdeyu.* Periodus hæc omnibus merito visa est obscurissima. in Hebr. est *jivvaday* Gr. καὶ οὐκ ἔγνωσαν, quasi legissent *jadeyu*, sed unde καὶ οὐκ hauserint nescio. Pro *jadeyu* vero, inserto *g*, legendum *jigdeyu*, *exciderunt*, & hæc periodus sequenti videtur postponenda; tunc nulla supererit obscuritas vel difficultas. Atque hæc vera, ni fallor, loci hujus constitutio; *vejattah* enim & quæ sequuntur in periodo sexta, plano nexu sequuntur quartam, qua narrantur vastationes quas fecerant, & periodo quinta earum repræsentatio augetur. *Exciderunt* quæ in templo erant, quasi cum securibus in *sylvam densam* ascendissent. Ordine vero quo nunc sunt hæ periodi, *veyattah* nexum orationis interrumpit, & decrescit narratio quæ augeri debuerat, vel si nolis periodorum ordinem inverti, *veyattah* saltem & *jigdeyu* mutatis sedibus legenda sunt; atque id suadet Gr. versio, in qua est ἀξίναις ἐξέκοψαν. Et si in priore periodo pro καὶ οὐκ legatur καὶ νῦν, Græca cum Hebraicis hoc ordine positis optime convenient. Illud enim ἔγνωσαν ex alia quadam versione intrusum videtur, quod sæpe in Græcis accidisse multis exemplis constat. Sed judicent eruditi.

14 *becassilim. kardumot* & *cilappot* ostendunt hanc quoque vocem *plurali* numero poni debere; idemque ex metro patet, sed in Hebr. est in *singulari*; terminatio *pluralis* exciderat, ut sæpe alias. Vid. *Psalm.* XXXIV. v. 26.

15 *sillehu.* Mirum cur hic ejecerint *dages*; metrum quidem postulat ut versus syllaba vel augeatur vel minuatur; sed nequaquam hac ratione minuendus, hoc enim pacto misceretur præteritum *Pihel* cum imperativo *Kal*, conjugationis hujus characteristico sublato; versui igitur succurrendum inserendo *&* ante *mikdaseca*.

19 *baarez.* In Hebr. periodus præcedens hac voce clauditur, quod & istius & hujus periodi numeros corrumpit.

20 *yod.* Et sensus & metrum inseri postulant.

24 *lammah.* Sententia hujus periodi facit ut suspicer, post *lammah* excidisse *el lo*, *cur deus non educis manum tuam e sinu?* Vid. *Ps.* LXXXI. *p.* 15.

25 *hekeca.* Sequitur in Hebr. *calleh*; absurde prorsus, nisi plura, quæ sequi debuerant ad explendum sensum, exciderint; neque enim locum hic habere potest nisi inchoet periodum, ut *Ps.* LIX. *p.* 14. loco igitur cum hic sit plane alieno, librarii errore insertum videtur, cum ad v. sextum, ut dixi, pertineat.

26 *veelohim.* Hebr. *velohim*, quod metrum respuit.

29 *baijam.* Hebr. *jam*, sed metrum *h* præfigi postulat, ut mox *hammaim*, vel ponenda copula ante *sibbarta.* Gr. σὺ repetunt. Quasi legissent, *attah*.

attah

attah porarta beyozzeca haijam,
attah ſibbarta raſi.

33 *lezijim.* Gr. τοῖς Αἰθίοψι. Ex ſenſu', intelliguntur enim incolæ littorum maris Erythræi in quæ ejecta erant corpora Ægyptiorum in mari illo cum Pharaone ſubmerſorum, de quibus hæc dicuntur; ad *literam* eſt, populo qui degit in *ſolitudinibus*, quos *Troglodytas* eſſe Boch. pluribus oſtendit, *Phal. lib.* IV. *c.* 29.

37 *maor vaſameſ.* Gr. ἥλιον καὶ σελήνην. Sed reddendum, *lucem* & *ſolem. lux* primo loco ponitur, ut in hiſtoria Creationis, *Gen.* I. 3. ſed *lux* quidem ibi *or* dicitur, *maor* vero de Sole & Luna uſurpatur ibi v. 14. Gr. igitur recte forſan ad Pſaltæ mentem. Et ſic plerique interpretes, per *maor lunam* intelligunt, quæ prius memoratur, quod *nox* proxime præceſſerit.

42 *lehaiat.* Gr. τοῖς θηρίοις. quaſi legiſſent in plurali *haijot*, Sed ita etiam reddiderunt *haijat*, *Pſ.* LXVIII. v. 78. eſt forma *conſtructa* pro *abſoluta*.

43 *yanvica.* Sic legi verſus poſtulat pro *yanijica.* Præit vero in Hebr. *haijat*, errore, opinor librarii; vix enim credibile Pſalten voluiſſe in eadem periodo eadem voce uti & de *ſuis*, & de eorum adverſariis, idque, cum diverſo ſenſu intelligi neceſſe ſit; ſi enim retineatur, vox quæ priore verſiculo reddita eſt θηρία, hic reddenda erit, non ψυχὴ, ut Gr. ſed συναγωγὴ, *cœtus*.

46 *mimmeca.* Hoc addendum ad explendum ſenſum, qui in Hebr. plane mutilus eſt. Ne *avertatur*, *confuſus*, & ſpe ſua fruſtratus; a quo? a Deo certe; ſententia igitur manifeſte oſtendit, pariter ac metrum, *mimmeca* excidiſſe.

48 *ribah.* Vid. *Pſ.* XXXV. *p.* 1. & XLIII. *p.* 1.

49 *zecor.* Vid. *Pſ.* LXXXIX. *p.* 51.

51 *zarıca.* In Hebr. eſt *zorerıca*. Sed verſus poſtulat *zarıca*, & ſic legerunt Gr. qui verterunt, τῶν ἱκετῶν σου. Supplicandi enim notionem voci huic conveniſſe putarunt, ut liquet ex *Job.* XIX. 17.

PSALMUS LXXV. עה	PSALMUS LXXV. עה
LAmenazzeh, al tashet, mizmor leasap, ſir.	1 למנצח אל-תשחת מזמור לאסף שיר:
1 " hodinu leca elohim, hodinu; vekarob ſimca, ſipperu nipleotıca.	2 הודינו לך אלהים הודינו וקרוב שמך ספרו נפלאותיך:
ci ekkah moyad*im li*, 5 ani mıſarim eſpot.	3 כי אקח מועד** אני מישרים אשפט:
nemogim erez vecol joſebıha; ani ticcanti yammudıha. selah.	4 נמגים-ארץ וכל-ישביה אנכי תכנתי עמודיה סלה:
amarti laholelim, al tahollu; velareſayim, al tarimu keren:	5 אמרתי להוללים אל תהלו ולרשעים אל-תרימו קרן:
10 " al tarimu lammarom karnecem, *al* tedabberu bezavvar yatak.	6 אל-תרימו למרום קרנכם * תדברו בצואר עתק:
ci lo mimmoza, umimmayrab, velo mimmidbar; ci elohim ſopet; zeh jaſpil, vezeh jarim.	7 כי לא ממוצא וממערב ולא ממדבר הרים: 8 כי-אלהים שופט זה ישפיל וזה ירים:
15 ci cos bejad jahvoh, vejain hamar; male mesec, vaijagger mizzeh; ac ſamrıha jimmazu, jiſtu col riſyı arez.	9 כי כוס ביד-יהוה ויין חמר מלא מסך ויגר מזה אך-שמריה ימצו ישתו כל רשעי-ארץ:
v'ani *bejah* agil leyolam; 20 azammerah lelohı jaykob.	10 ואני ** אגיד לעולם אזמרה לאלהי יעקב:
col karnı reſayim agaddey, *u*teromamnah karnot zaddik.	11 וכל-קרני רשעים אגדע * תרוממנה קרנות צדיק:

1 PRæcentori, ne diſperdas, Pſalmus Aſaph, canticum. 2 Celebrabimus te Deus, celebrabimus; etenim propinquum *eſſe* nomen tuum, narrant mirabilia tua. 3 Quum recepero *conventus mihi*, ego recte judicabo. 4 Liquefiunt terra & omnes habitatores ejus; ego *vero* ſtabiliam columnas ejus. selah. 5 Dixi inſanis, ne inſaniatis; & impiis, ne exalteris cornu: 6 Ne extollatis in excelſum cornu veſtrum, *neque* loquamini collo pingui. 7 Quia nec ab Exortu, nec ab Occidente, neque a deſerto; 8 Deus enim judex *eſt*; hunc humiliat, & illum exaltat. 9 Quia calix in manu Jahvoh, & vinum merum; plenum miſcuit, & effundit ex hoc; & fæces ejus exprimentur, bibent omnes impii terræ. 10 Ego autem in Jah lætabor in ſeculum; pſallam Deo Jacob. 11 Omnia cornua impiorum confringam, *&* exaltabuntur cornua juſti.

2 *vekarob.* Gr. καὶ ἐπικαλεσόμεθα, quaſi legiſſent *nikrab*, & *ſipperu* reddiderunt διηγήσομαι. *aſapper*. Vulg. *narrabimus*. Secundum Græcos igitur hæc periodus ad hunc modum conſtituenda eſt,

hodinu lac elohim,
hodinu, venikra beſimca;
aſapper col nipleotıca.

In recepta lectione Intt. volunt, *ſipperu* imperſonaliter ſumi; *prophetæ* ſc. vel *majores noſtri*. Alii, quaſi *aſer* ſubintelligeretur, *nomen tuum propinquum eſt iis* qui *narrant mirabilia tua*. Verſio Anglica, nomen tuum (vel te) nobis propinquum eſſe *opera tua prædicant*; nec ulla verſio verbis, prout nunc ſe habent, melius convenit. Hunc vero Pſalmum in dialogi forma ſcriptum cenſent Intt. prima periodus eſt piorum

Iſraelitarum, quos Deus excipit ſecunda tertiaque, ſequentibus Iſraelitarum quidam loquens inducitur, uſque ad ultimam, quam Dei etiam eſſe arbitratur Clericus. Ego vero dubito an non hæc quæ Deo tribuuntur, in perſona regis dicta ſint, rempublicam pæne collapſam inſtaurantis, juſtiſque legibus improborum ſcelera & violentias cohibentis; cum leges civitatis ſint quodammodo fundamenta, ut obſervarunt Intt. ad *Pſ.* XI. *p.* 3. Vid. *Pſ.* LXXXII. *p.* 5.

4 *moyadim li.* In Hebr. eſt tantum *moyed*; ignorantes metrum Interpretes non ſenſerunt locum eſſe mutilum; nec mirum eſt in explicatione τῶ *moyed* non conveniſſe, cum & *tempus* & *cœtus* ea voce ſignificetur. Gr. καιρὸν, ſed qui eos ſequuntur, ſupplent, *opportunum*, *vel ſtatutum*, id eſt, a Deo præſtitutum, & ſic plerique; alii *cœtum* vel eccleſiam, ſub. *electorum*. Sed cum locus certo mutilus ſit, & quædam exciderint, reponendum putavi, *moyadim li*, hoc ſenſu, cum *conventus quos hoſtes combuſſerant inſtaurati fuerint*, in juſtitia judicium exercebo, & de hoſtibus pœnas ſumam, ut par erit. *moyade el* modo habuimus, *Pſ.* LXXIV. v. 18.

7 *ani.* In Hebr. *anoci*, repugnante metro.

11 *al.* Et ſenſus & metrum præfigi poſtulant. Et ſic Gr. μὴ λαλεῖτε.

bezzavar. Gr. legerunt *zur*, verterunt enim, κατὰ τοῦ Θεοῦ ἀδικίαν.

13 *mimmidbar.* In Hebr. ſequitur *harim.* Quod eſt varia, ni fallor, lectio τῶ *jarim* in ſeq. verſiculo, ideoque in marginem relegandum. Gr. reddunt ὀρέων. Aliis *exaltatio*, *infinitivo* verbi vice nominis poſito; ſed metrum oſtendit ejiciendum eſſe. Et *harim* alias ſemper *montes* ſignificat, ſi fides Interpretibus. Memorabile eſt nullam hic eſſe *borealis plagæ* mentionem, quod ſicco pede prætereunt Intt. Ego vero crediderim Pſalten non tam illam omiſiſſe, quam reliquis oppoſuiſſe; quia, ut *Pſ.* XLVIII. *p.* 3. dicitur, ad latera *Aquilonis* eſſet Civitas regis magni, i. e. Dei.

14 *cos.* Hæc in prophetis frequens iræ divinæ imago, vid. *Eſ.* LI. 17. 22. & *Jer.* XXV. 13.

15 *hamar.* Gr. ἄκρατον i. e. *hemer*, quod videtur melius. Vid. *Deut.* XXXII. 14.

16 *male meſec. plenum miſtione.* Quod non intelligo. Nulla enim emphaſis eſt in *miſcendo*, cum aqua eſſet quæ vino miſceretur. Nec hæc vox *meſec* alias occurrit. Legendum igitur puto, *maſac*, Plenum *miſcuit*, id eſt, infudit, *male* abſolute poſito pro *pleno poculo*, ut *Pſ.* LXXIII. v. 20. *miſcere* ſæpe nihil aliud eſt quam vinum *fundere*. Vid. Gatak. Adverſ. *c.* 5. ubi pluribus agit de hac imagine, qua *calamitates poculo* vel *calice* ſignificantur. Perperam hic Intt. diſtinguunt inter *vinum* & *fæces* ejus, quaſi Deus *ſuis vinum* liquidius & dilucidius benigne propinaret, *hoſtes* vero ad *fæces* ebibendas adigeret; tota enim imago ad *hoſtes* pertinet, totum poculum ab iis ebibendum, quod ex locis modo memoratis *Eſ.* & *Jer.* manifeſtum.

mizzek, Gr. ἐκ τούτου εἰς τοῦτο. Ut *Pſ.* CXLIV. v. 36. *mizzan el zan.* Qua lectione admiſſa, verſus ſic erunt digerendi.

ci cos bejad elohim;
vejain hamar, male maſac
vaijagger mizzeh el zeh.

Metrum enim legi poſtulat pro *Jahvoh adonai*, vel *elohim*. Poſterius malim, quod periodo præcedente uſurpetur.

17 *jimmazu.* In *Niphal*, ut *Pſ.* LXXIII. v. 20. (in Hebr. eſt in *kal.* repugnante, metro,) & ſic legiſſe videntur Gr. reddendo, ἐξεκενώθη. Si *jimzu* vera eſſet lectio, poni debuit poſt *jiſtu*, ut *Eſ.* LI. 17.

19 *bejah agil.* In Hebr. tantum eſt *aggid;* ſed manifeſtum eſt ex ſenſu pariter ac verſu locum eſſe mutilum; & ſi conferas hunc verſiculum cum ſequente, facile liquebit ex *azammerah* præceſſiſſe *agil*, non *aggid*, & ex *lelohe jaykob*, præceſſiſſe *jahvoh*, *vel jah.* Gr. priorem emendationis partem firmant reddendo, ἀγαλλιάσομαι.

21 *col.* In Hebr. *vecol*, ſed ex metro liquet copulam ad ſequentem verſiculum pertinere quæ vix illa carere poteſt. Gr. utrique præfixerunt.

PSALMUS LXXVI. עו

LAmenazzeh, beneginot,
mizmor leasap, ſir.

1 noday bihudah *jahvoh*;
biſrael gadol ſemo,

“ vaijehi beſalem ſucco,
umeyonato bezion,

5 ſammah *je*ſabber riſp*e* kaſet,
magen, vehereb, umilhamah. ſelah.

naor attah *har zion*,
addir meharr*e* tarep,

eſtolelu col abbir*e* leb;

10 namu ſenatam, velo mazu
col anſ*e* h*e*l jed*e*hem.

miggayratec' eloh*e* jaykob,
nirdam*u* receb vaſus.

“ nora attah, umi jaymod

15 lipn*e*ca, meaz appeca?

miſſam*e*m hiſmayta din;
erez jareah veſakatah,

“ bekum lammiſpat elohim,
lehoſiy col yanv*e* arez. ſelah.

20 “ ci hamat adam todeca;
ſerit hemot tahgor *attah*.

“ ni-

PSALMUS LXXVI. עו

1 למנצה בנגינת
מזמור לאסף שיר:

2 נודע ביהודה אלהים
בישראל גדול שמו:

3 ויהי בשלם סכו
ומעונתו בציון:

4 שמה * שבר רשפי-קשת
מגן וחרב ומלחמה סלה:

5 נאוב אתה ***
אדיר מהררי-טרף:

6 אשתוללו * אבירי לב
נמו שנתם ולא-מצאו
כל-אנשי-חיל ידיהם:

7 מגערתך אלהי יעקב
נרדם ורכב וסוס:

8 אתה נורא אתה ומי-יעמד
לפניך מאז אפך:

9 משמים השמעת דין
ארץ יראה ושקטה:

10 בקום-למשפט אלהים
להושיע כל-ענוי-ארץ סלה:

11 כי-חמת אדם תודך
שארים חמות תחגור**:

12 נדרו

“ nidru, vesallemu lihvoh
elohecem, col sebibav.

jobilu sai lammora,
25 ubozer ruh negidim;
nora lemalce arez.

12 נדרו ושלמו ליהוה
אלהיכם כל-סביביו
יובילו שי למורא:
13 * יבצר רוח נגידים
נורא למלכי-ארץ:

1 PRæcentori in Neginoth, Psalmus Asaph, canticum. 2 Notus in Jehudah *Jahvoh*; in Israel magnum nomen ejus. 3 Et est in Salem tabernaculum ejus, & habitatio ejus in Sion. 4 Illic confregit sagittas arcus, Scutum, & gladium, ac bellum. selah. 5 Splendidus tu *Mons Sion*, & magnificus præ montibus prædæ. 6 Spoliati fuerunt *omnes* fortes corde; dormierunt somnum suum, nec invenerunt omnes viri fortes manus suas. 7 Propter increpationem tuam Deus Jacob, consopiti sunt currus & equus. 8 Terribilis tu, & quis stabit coram te, ex quo *est* ira tua? 9 E cœlis audiri fecisti judicium; terra timuit & quievit. 10 Quum exurgeres ad judicium Deus, ut servares omnes humiles terræ. selah. 11 Quia ira hominis laudabit te; residuum irarum constringes *tu*. 12 Vovete, & reddite Jahvoh Deo vestro omnes qui *estis* in circuitu ejus. Afferant munus Terribili, & 13 succidenti spiritum principum; terribili regibus terræ.

1 *jahvoh. elohim* locum ejus occupavit in Hebr.

3 *vaijehi*. Suspicor legendum *jehi* & *meyonato*, omissis copulis; quæ videntur accrevisse ex literis iisdem præcedentibus.

5 *jesabber*. In Hebr. est *præteritum*, sed metrum postulat *futurum*. Vid. *Hos.* II. 18.

risp. Gr. κράτη. Alii *sagittas* instar scintillarum evolantes. Rasi *aves* intelligit, & Gr. quidem *Deut.* XXXII. 24. hanc vocem reddiderunt ὀρνέων, & Aquila *Job.* V. 7. πτηνῶν, quo sensu optime sagittæ convenit; nec sane constat *resep* unquam significare *scintillam*, sed *prunam*, seu carbonem ardentem, quod longe alia res est.

7 *har zion.* Locus manifesto mutilus, neque dubito quin hæc sint quæ exciderint, sensu nos aperte eo ducente.

9 *estolelu*, *alep*, loco *h*, contra analogiam, ex more Chaldaico.

col. Sensus æque ac metrum addi postulat, & sic Gr. πάντες.

13 *nirdamu receb.* Et sic Gr. ἐνύσταξαν. In Hebr. *nirdam vereceb*, aperto mendo.

14 *nora attah.* In Hebr. præit etiam *attah.* Sed alterum abundare nimis manifestum.

21 *attah.* Hic reponendum puto, quod abundabat, v. 14. *tahgor*, est *quasi vinculo constringes*, cohibebis ne posthac sæviant. Gr. ἑορτάσει σοι, quasi legissent *tahog*, & *r* finalis litera a suis codicibus abesset.

24 *jobilu*. Hic versus novam debet periodum inchoare, non priorem claudere, ut in Heb. ut ex mutatione personæ constat, & ex iis quæ sequuntur; legendum enim *ubozer*, quod connectitur cum *lammora*, nec ab eo divelli potest. Sic enim legendum metrum ostendit, non *jibzor*; & sic Gr. etiam, καὶ ἀφαιρουμένῳ. *Vau* nempe errore librarii in *jod* mutatum, ut *Psal.* LVIII. v. 8.

PSALMUS LXXVII. עז

LAmenazzeh yal jedutun,
leasap, mizmor.

1 koli el *jahvoh* veezyakah;
koli el elohim, vehazin elai.

bejom zarati adonai darasti;
jadi lailah niggerah, velo tapug;
5 meanah *le*hinnahem napsi.

ezcerah elohim, v'ehmajah;
asihah, vetityattep ruhi. selah.

“ ahazta semurot ynai;
nipyamti, velo adabber.

10 “ hissabti jamim mikkedem,
senot yolamim ezcerah.

bellailah yim lebabi
asihah, vajehappes ruhi.

halyolamim jiznah adonai?
15 velo josip lirzot yod?

“ heapes lanezah hasdo?
gamar omer ledor vador?

hasacah *le*hannot el?
im kapaz beap rahmav? selah.

PSALMUS LXXVII. עז

1 למנצח על-ידיתון
לאסף מזמור:

2 קולי אל-אלהים ואצעקה
קולי אל-אלהים והאזין אלי:

3 ביום צרתי אדני דרשתי
ידי לילה נגרה ולא תפוג
מאנה * הנחם נפשי:

4 אזכרה אלהים ואהמיה
אשיחה ותתעטף רוחי סלה:

5 אחזת שמרות עיני
נפעמתי ולא אדבר:

6 חשבתי ימים מקדם
שנות עולמים: 7 אזכרה

נגינתי בלילה עם-לבבי
אשיחה ויחפש רוחי:

8 הלעולמים יזנח אדני
ולא-יוסיף לרצות עוד:

9 האפס לנצח חסדו
גמר אמר לדר ודר:

10 השכח * חנות אל
אם-קפץ באף רחמיו סלה:

20 vaomer *ba*haloti, hi ſenot jemin yeljon.	11 ואמר * חלותי היא שנות ימין עליון:
ezcor maylelɛ *jahvoh*; ezcerah mizkedem pileca.	12 אזכיר מעללי-יה * כי-אזכרה מקדם פלאך:
vehagiti becol poylɛca, 25 ubayalilotɛc' aſihah.	13 והגיתי בכל-פעלך ובעלילותיך אשיחה:
elohim bakkodeſ darceca; mi el gadol ceeloh*ɛnu?*	14 אלהים בקדש דרכך מי-אל גדול באלהים *:
ci attah hael yoſeh pele; hodayta bayammim yuzzeca.	15 * אתה האל עשה פלא הודעת בעמים עזך:
30 gaalta bezeroy yammeca, benɛ jaykob vejosep. selah.	16 גאלת בזרוע עמך בני-יעקב ויוסף סלה:
rauca maim *jahvoh*, rauca maim, *ve*jahilu; ap jirgezu tehomot.	17 ראוך מים אלהים ראוך מים * יחילו אף ירגזו תהמות:
35 zoremu maim yabot, kol natenu ſehakim, ap hazazɛca jithallacu.	18 זרמו מים עבות קול נתנו שחקים אף חצציך יתהלכו:
kol raymeac baggalgal, heiru birk*av* tebel, 40 ragezah vattiryaſ haarez.	19 קול רעמך בגלגל האירו ברקים תבל רגזה ותרעש הארץ:
baijam darceca *jahvoh*, uſebilca bemaim rabbim, veyikbotɛca lo nodayu.	20 בים דרכך ** ושביליך במים רבים ועקבותיך לא נודעו:
" nahita cazzon yammeca, 45 bejad moſeh veaharon.	21 נחית כצאן עמך ביד-משה ואהרן:

1 PRæcentori *ſuper* Jeduthun, Aſaph, Pſalmus. 2 Vox mea ad *Jahvoh* & clamo; vox mea ad Deum, & auſcultavit mihi. 3 In die anguſtiæ meæ Dominum quæſivi; manus mea noctu effuſa eſt, nec quieſcebat; renuebat conſolari anima mea. 4 Recordabar Dei, & tumultuabar; meditabar, & defecit ſpiritus meus. selah. 5 Tenuiſti vigilias oculorum meorum; contritus ſum, nec loquebar. 6 Cogitabam dies antiquos, annorum ſeculorum 7 recordabar. Noctu cum corde meo meditabar, & ſcrutabatur ſpiritus meus. 8 Nunquid in ſecula repellet *me* Dominus? nec perget bene velle adhuc? 9 Nunquid defecit in ſeculum miſericordia ejus? defecit verbum in generationem & generationem? 10 Nunquid oblitus eſt miſereri Deus? num concluſit in ira miſericordias ſuas? selah. 11 Et dixi *in ægritudine* mea, hæc eſt mutatio dextræ Excelſi. 12 Recordor operum Jahvoh; recordor a principio mirabile tuum. 13 Et meditor in omnibus operibus tuis, & de factis tuis loquor. 14 Deus, in ſanctitate via tua; quis Deus magnus ſicut Deus *noſter?* 15 Tu *enim es* Deus qui facis mirabile; notam feciſti in populis fortitudinem tuam. 16 Redemiſti in brachio populum tuum, filios Jacob & Joſeph. selah. 17 Viderunt te aquæ *Jahvoh*, viderunt te aquæ *&* timuerunt; etiam commotæ ſunt abyſſi. 18 Inundaverunt aquis nubes, vocem dederunt cœli; etiam ſagittæ tuæ diſcurrerunt. 19 Vox tonitrui tui in rotunditate, illuſtraverunt fulgura *ejus* orbem, commota eſt & contremuit terra. 20 In mari via tua *Jahvoh*, & ſemita tua in aquis multis, & veſtigia tua non ſunt cognita. 21 Deduxiſti ſicut oves populum tuum, per manum Moſis & Aharon,

1 *jahvoh*. Sic Gr. κύριος. Et hoc metrum poſcit. In Heb. *elohim*. Vid. *Pſ.* CXLII. *p.* 1.

5 *meanah lehinnahem*. Metrum poſtulat *præfixum*, quod in Hebr. deeſt nec unquam omittitur cum *meen* ſequatur *infinitivus*. Vid. *Pſ.* LXXVIII. v. 28.

8 *ahazta*. Vid. *Pſ.* CXIX. *p.* 148.

11 *ezcerah*. Manifeſtum eſt ex metro verbum hoc ad ſextam periodum pertinere, non ſequentem inchoare. In Hebr. hanc vocem ſequitur *neginati*. Quod extra verſum eſſe ex metro pariter ac ſenſu liquet. Ad Muſicam ſpectat, & e margine in textum irrepſit. Vid. ad *Pſ.* IX. v. 34. & *Hab.* III. ult. ubi Gr. reddiderunt ᾠδῇ, ſed hic, καὶ ἠμελέτησα.

13 *vajehappeſ*. Legendum puto *vatehappeſ*. vel in prima perſona *vaahappeſ*. Sed prius malim, ob ſimilitudinem inter hunc v. & ſeptimum. Vix putem Pſalten intra tam breve ſpatium variaſſe genus τῦ *ruch*.

18 *lehannot*. In Hebr. deeſt *præfixum*, quo verſus carere nequit.

20 *bahaloti*. In *ægritudine mea*, ut *Pſ.* XXXV. *p.* 13. *bahalotam*. In Hebr. *halloti* in *pihel*, quod eſt, *morbo afficere*. Locus hic mire torſit interpretes, ſed metrum oſtendit præpoſitionem excidiſſe, cujus defectui hujus periodi obſcuritas maxime debetur. Sed & *ſenot* in verſiculo ſeq. non parum impedivit, & punctatio Maſoretica; ſenſus manifeſto hic eſt, *hæc eſt mutatio dextræ Dei*. Hæc mei ægritudo & infirmitas *a mutatione divinæ erga me voluntatis profluxit; dextra illa quæ me olim e tantis malis eripuit, nunc in me converſa eſt*. *ſenot* eſt *infinitivus* vice nominis, ut *halot*.

22 *jahvoh*. In Hebr. *jah* repugnante metro. *ci* vero in ſeq. verſu abundat, nec Gr. agnoſcunt.

27 *ceelohɛnu*. Sic Gr. ὁ θεὸς ἡμῶν. In Heb. *elohim*.

28 *ci*

28 *ci attah*. Huc retrahendum putavi *ci*, quod in v. 23. superfluum fuit, vel pro *hael* legendum *el*. *h* nempe accrevit ex *h* præcedente, sed, ni fallor, præstat altera lectio.

32 *jahvoh*. In Hebr. *elohim* invito metro.

33 *vejahilu*. Sic metrum, sic constructio legi volunt. Et sic Gr. sed in Hebr. deest copula.

39 *birkav*. Idem versiculus occurrit. *Ps.* XCVII. v. 7. in Hebr. αἱ ἀστραπαί σου. Sed hæc personarum mutatio Hebræis frequentissima. In Hebr. est *berakim*; quæ si vera est lectio, contracte legendum *brakim*.

41 *jahvoh*. Necessario inserendum ad explendum versum.

42 *sebilka*. Sic legendum, non *sebileka*, vel ab initio tollenda copula.

43 *veyikbotica*. In Hebr. cum *dages*, *yikkebotica*. Perperam, cum metrum ostendat *k* non esse geminandum. Vid. *Ps.* LXXXIX. v. ult.

PSALMUS LXXVIII. עח

Mascil, leasap.

1 " HAzinu yammi torati,
hattu oznecem limre pi.

eptehah bemasal pi,
abbiyah hidot minni kedem.

5 aser samaynu vannedayem,
v'abotenu sipperu lanu.

lo necahedem mibbenehem,
ledor aharon mesapperim
tehillot jahvoh veyezuzo,
10 venipleotav aser yasah.

jakem yedut bejaykob,
vetorah sam bisrael,
aser zivvah et abotenu,
lehodiyam libnehem.

15 limyan jedeyu dor aharon,
banim jivvaledu, jakumu
v'isapperu libnehem

vejsimu belohim cislam,
velo jiscehu maylele el,
20 umizvotav jinzoru.

velo jihju c'abotam,
dor sorer umoreh, dor
lo hecin libbo, velo
nemenah et el ruho.

25 bene epraim rome kaset,
hapecu bejom kerab.

lo sameru berit elohim,
ubetorato meanu lalecet,

jiscehu yalilotav,
30 venipleotav aser heram.

neged abotam yasah pele,
b'erez mizraim, sedeh zoyan,

" bakay haijam, vaijaybirem,
vaijazeb maim cemo ned.

35 " vaijanhem beyanan jomam,
vecol hallailah beor es.

" jebakkay zurim bammidbar,
ALEPH. 1 Beati perfecti via, qui ambulant in lege Jahvoh. 2 Beati qui custodiunt testimonia ejus, & toto corde quærunt eum: 3 Etiam non operantur iniquitatem, *sed* in viis ejus ambulant. 4 Tu præcepisti mandata tua, ut custodiantur valde. 5 Utinam firmentur viæ meæ, ad custodiendum statuta tua. 6 Tunc non pudore afficiar, quum inspexero ad omnia præcepta tua. 7 Celebrabo te in rectitudine cordis, quum didicero judicia justitiæ tuæ. 8 Statuta tua custodiam; ne derelinquas me usque valde. BETH. 9 In quo mundabit puer semitam suam? si custodiat verbum tuum. 10 Toto corde exquisivi te; ne errare sinas me a mandatis tuis. 11 In corde meo abscondi eloquium tuum, ne peccem tibi. 12 Benedictus es Jahvoh; doce me statuta tua. 13 Labiis meis narravi omnia judicia oris tui. 14 In via testimoniorum tuorum gavisus sum, sicut super omnibus divitiis. 15 In præceptis tuis meditabor, & aspiciam semitas tuas. 16 In statutis tuis delectabor, non obliviscar verborum suorum. GIMEL. 17 Retribue super servo tuo, *ut* vivam, & custodiam verbum tuum. 18 Revela oculos meos, & aspiciam mirabilia de Lege tua. 19 Advena ego sum in terra, ne abscondas a me præcepta tua. 20 Confracta est anima mea ob desiderium ad judicia tua omni tempore. 21 Increpasti superbos, maledicti errantes a præceptis tuis. 22 Remove a me opprobrium & contemptum, quia testimonia tua custodivi. 23 Etiam sederunt principes, & contra me locuti sunt; *interea* servuus tuus meditabatur in statutis tuis. 24 Etiam testimonia tua *sunt* delectationes meæ, & viri consilii mei *statuta tua*. DALETH. 25 Adhæsit pulveri anima mea; vivifica me secundum verbum tuum. 26 Vias meas narravi *tibi*, & exaudisti me; doce me statuta tua. 27 Viam præceptorum tuorum fac me intelligere; & meditabor in mirabilibus tuis. 28 Diffluit anima mea præ tristitia; confirma me in verbo tuo. 29 Viam mendacii amore a me, & Lege tua dignare me. 30 Viam veritatis elegi, judicia tua posui. 31 Adhæsi testimoniis tuis; Jahvoh, ne pudore afficias me. 32 Viam mandatorum tuorum curram, quum dilataveris cor meum. HE. 33 Doce me, Jah, viam statutorum tuorum, & custodiam eam *usque in* finem. 34 Da mihi intelligentiam, & custodiam Legem tuam, & custodiam illam toto corde *meo*. 35 Deduc me per semitam mandatorum tuorum, nam ea delector. 36 Inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad avaritiam. 37 Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in viis tuis vivifica me. 38 Confirma servo tuo eloquium tuum, quod ad timorem tui spectat. 39 Aufer *a me* opprobrium meum quod timui, quia judicia tua bona. 40 Ecce, concupivi mandata tua; in justitia tua vivifica me. VAU. 41 Et obveniant mihi misericordiæ tuæ Jahvoh; solus tua secundum eloquium tuum. 42 Et respondebo probris afficienti me verbum, quod spero in verbis tuis. 43 Et ne eripias de ore meo verbum veritatis; quia judicia tua expecto. 44 Et custodiam Legem tuam *valde* semper, in seculum & perpetuum. 45 Et ambulabo in latitudine; quia mandata tua exquisivi. 46 Et loquar de testimoniis tuis coram regibus, neque pudore afficiar. 47 Et delectabor in mandatis tuis quæ dilexi *plurimum*. 48 Et levabo palmas meas ad præcepta tua quæ dilexi, & meditabor in statutis tuis. ZAIN. 49 Memento *verborum tuorum* servo tuo, in quo sperare fecisti me. 50 Hæc *est* consolatio mea in afflictione mea; quia eloquium tuum vivificavit me. 51 Superbi deriserunt me plurimum; a Lege tua non declinavi: 52 Recordatus sum judiciorum tuorum a seculo Jahvoh, & solatus sum memet-ipsum. 53 Terror invasit me, propter impios derelinquentes Legem tuam. 54 Cantus fuerunt mihi statuta tua in domo peregrinationum mearum. 55 Recordatus sum nocte nominis tui Jahvoh, & custodivi Legem tuam. 56 Hoc fuit mihi *consolatio*, quod præcepta tua custodivi. HETH. 57 Portio mea *tu* Jahvoh; dici *me* custoditurum verba tua. 58 Deprecatus sum faciem tuam toto corde *meo*; miserere mei *igitur* secundum eloquium tuum. 59 Reputavi vias meas, & converti pedes meos ad testimonia tua. 60 Festinavi, & non tardavi custodire mandata tua. 61 Catervæ impiorum prædatæ sunt me; *at* Legis tuæ non sum oblitus. 62 Media nocte surgo ad celebrandum te, super judicia justitiæ tuæ. 63 Socius sum omnibus qui timent te, & custodiunt præcepta tua. 64 Misericordia tua, Jahvoh, plena est terra; statuta tua doce me. TETH. 65 Bonum fecisti cum servo tuo, Jah, secundum verbum tuum. 66 Bonitatem & sensum & scientiam doce me, quia præceptis tuis credidi. 67 Priusquam humiliarer, ego errabam, nunc autem eloquium tuum custodio. 68 Bonus tu *Jah*, & beneficus, doce me statuta tua. 69 Concinnaverunt adversum me mendacium superbi; ego *autem* toto corde custodio præcepta tua. 70 Impinguatum est sicut adeps cor eorum; ego *autem* Lege tua delector. 71 Bonum mihi est quod afflictus fuerim, ut discam statuta tua. 72 Melior est mihi Lex oris tui, quam millia *talenta* auri & argenti. JOD. 73 Manus tuæ fecerunt me, & præparaverunt me; fac me intelligere, & discam præcepta tua. 74 Timentes te videbunt me, & lætabuntur, quia verbum tuum expectavi. 75 Novi Jahvoh, quod judicia tua sunt justitia, & *in* veritate affixisti me. 76 Sit quæso misericordia tua ad consolandum me, secundum eloquium tuum ad servum tuum. 77 Veniat mihi misericordiæ tuæ, & vivam, quia Lex tua deliciæ meæ. 78 Pudore afficiantur superbi, quoniam sine causa perverterunt me; ego *autem* meditabor in præceptis tuis. 79 Convertantur ad me timentes te, & cognoscentes testimonia tua. 80 Sit cor meum perfectum in statutis tuis, ut non pudore afficiar. CAPH. 81 Defecit ad salutem tuam anima mea; verbum tuum expecto. 82 Defecerunt oculi mei ad eloquium tuum, dicendo, Quando consolaberis me? 83 Quia fui sicut uter in fumo; *attamen* statutorum tuorum non sum oblitus. 84 Quot *sunt* dies servi tui? Quando facies contra persequentes me judicium? 85 Foderunt mihi superbi foveas, quod non *est* secundum legem tuam. 86 Omnia mandata tua *justitia et* veritas; sine causa persequuntur me, adjuva me. 87 Fere consumpserunt me in terra; ego tamen non dereliqui præcepta tua. 88 Secundum misericordiam tuam vivifica me: & custodiam testimonium oris tui. LAMED. 89 In seculum Jahvoh verbum tuum permanet in cœlo. 90 In generationem & generationem veritas tua; fundasti terram & perstat. 91 Ad judicia tua perstant hodie, quia omnia *sunt* servi tui. 92 Nisi Lex tua delectationes meæ *fuissent*, tunc periissem in afflictione mea. 93 In seculum non obliviscar præceptorum tuorum, quia in ipsis vivificasti me. 94 Tunc ego sum, serva me, quoniam præ-

cepta tua quæsivi. 95 Me expectaverunt impii ad perdendum me; testimonia tua perpendebam. 96 Omni perfectioni vidi finem; latum præceptum tuum valde. MEM. 97 Quam diligo Legem tuam! omni die est meditatio mea. 98 Præ inimicis meis sapientem effecit me præceptum tuum, quia in seculum mihi est. 99 Præ omnibus docentibus me intellexi; quia testimonia tua meditatio mea *sunt*. 100 Præ senibus intellexi, quia præcepta tua custodio. 101 Ab omni semita mala prohibui pedes meos, ut custodiam verbum tuum. 102 A judiciis tuis non recessi, quia tu docuisti me. 103 Quam dulcia sunt palato meo eloquia tua! præ melle ori meo. 104 Ex Præceptis tuis prudens factus sum, propterea odi omnem semitam mendacii.
NUN. 105 Lucerna pedi meo verbum tuum, & lumen semitæ meæ. 106 Juravi, & confirmabo custodire judicia justitiæ tuæ. 107 Afflictus sum vehementissime Jahvoh; vivifica me secundum verbum tuum. 108 Voluntaria oris mei grata habe quæso Jahvoh, & judicia tua doce me. 109 Anima mea in manu mea semper, tamen Legis tuæ non sum oblitus. 110 Posuerunt impii laqueum mihi; tamen a præceptis tuis non aberravi. 111 Hæreditate accepi testimonia tua in seculum, quia gaudium cordis mei sunt. 112 Inclinavi cor meum ad faciendum statuta tua, in seculum *ad* finem. SAMEH. 113 Iniquos odi, & Legem tuam dilexi. 114 Latibulum meum & scutum meum es tu, verbum tuum expecto. 115 Recedite a me maligni, & custodiam præcepta Dei mei. 116 Fulcito me secundum verbum tuum, & vivam; & ne pudore afficias me ab expectatione mea. 117 Sustenta me, & servabor; & respiciam ad statuta tua semper. 118 Conculcasti omnes errantes a statutis tuis, quia mendacium est dolus eorum.
119 Scorias *reputasti* omnes impios terræ; ideo dilexi testimonia tua. 120 Horruit præ timore tui caro mea, & a judiciis tuis timui. AIN. 121 Feci judicium & justitiam; ne derelinquas me opprimentibus me. 122 Sponde *pro* servo tuo in bonum, ne vim inferant mihi superbi. 123 Oculi mei defecerunt ad salutem tuam, & ad eloquium justitiæ tuæ. 124 Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, & statuta tua doce me. 125 Servus tuus ego sum, da mihi intelligentiam, & sciam testimonia tua. 126 Tempus est ut faciat Jahvoh *judicium*; irritam fecerunt Legem tuam. 127 Ideo dilexi præcepta tua, præ auro & obrizo. 128 Propterea omnia præcepta *tua*, omnia recta censeo, omnem semitam mendacis odi. PE. 129 Mirabilia testimonia tua, ideo custodit ea anima mea. 130 Ostium verborum tuorum illuminat *Oculos meos*, intelligere faciens simplices. 131 Os meum aperui, & attraxi *spiritum*, quia præcepta tua desideravi. 132 Aspice ad me, & miserere mei, secundum consuetudinem *tuam* erga diligentes nomen tuum. 133 Gressus meos dirige in verbo tuo, & ne permittas dominari in me ullam iniquitatem. 134 Redime me ab oppressione hominis, & custodiam præcepta tua.
135 Faciem tuam fac lucere super servum tuum, & doce me statuta tua. 136 Rivi aquarum descenderunt *ab* oculis meis, propterea quod non custodiebant Legem tuam. TSADE. 137 Justus es tu Jahvoh, & recta judicia tua. 138 Præcepisti testimonia tua; justitia & veritas valde sunt. 139 Succidit me zelus meus, quia obliti erunt verborum tuorum hostes mei. 140 Repurgatus est sermo tuus valde, & servus tuus diligit illum. 141 Parvulus sum & despectus, *tamen* præceptorum tuorum non sum oblitus. 142 Justitia tua, justitia in seculum, & Lex tua veritas. 143 Afflictio & angustia invenerant me; *verum* præcepta tua delectationes meæ.
144 Justitia *sunt* testimonia tua in seculum; da mihi intelligentiam, & vivam. COPH.
145 Clamavi toto corde, exaudi me Jahvoh, & statuta tua custodiam. 146 Clamavi ad te, serva me, & custodiam testimonia tua. 147 Præveni in crepusculo, & clamavi; *quia* verbum tuum expecto. 148 Prævenerunt oculi mei vigilias, ad meditandum *me* in eloquio tuo. 149 Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Jahvoh; secundum judicia tua vivifica me. 150 Appropinquarunt sequentes scelus, a Lege tua longe discesserunt. 151 Propinquus es tu Jahvoh, & omnia præcepta tua *sunt* veritas. 152 Pridem novi testimonia tua, quod in seculum fundaveris ea. RESCH. 153 Vide afflictionem meam, & erue me, quia Legis tuæ non sum oblitus. 154 Litigia litigium meum, & redime me; propter eloquium tuum vivifica me. 155 Longe abest ab impiis salus, quia statuta tua non inquirunt. 156 Misericordiæ tuæ multæ Jahvoh secundum judicia tua vivifica me. 157 Multi *sunt* persequentes me, & hostes mei; a testimoniis *autem* tuis non declinavi. 158 Vidi prævaricantes & tædio affectus sum, quod eloquium tuum non custodirent. 159 Vide quod præcepta tua diligo; Jahvoh secundum misericordiam tuam vivifica me. 160 Principium verbi tui veritas, & in seculum omnia judicia justitiæ tuæ. SIN.
161 Principes persecuti sunt me sine causa; & a verbis tuis timuit cor meum. 162 Gaudeo ego super eloquio tuo, sicut inveniens spolium multum. 163 Mendacium odi & abominatus sum; Legem tuam dilexi. 164 Septies in die laudo te, super *omnia* judicia justitiæ tuæ. 165 Pax multa diligentibus Legem tuam, & non est eis offendiculum. 166 Expectavi salutem tuam Jahvoh, & præcepta tua feci. 167 Custodivit anima mea testimonia tua, & diligo ea vehementer
168 Custodivi præcepta tua & testimonia tua, quia omnes viæ meæ sunt coram te *Domine*.
THAU. 169 Appropinquet clamor meus coram te, *Jah*, secundum verbum tuum da mihi intelligentiam. 170 Veniat deprecatio mea coram te, secundum eloquium tuum erue me. 171 Eructabunt labia mea laudem, quum docueris me statuta tua. 172 Loquetur lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua sunt justitia. 173 Sit manus tua ad auxiliandum mihi, quoniam præcepta tua delegi. 174 Desideravi salutem tuam Jahvoh, & Lex tua delectationes meæ *sunt*. 175 Vivet anima mea & laudabit te; & judicia tua adjuvabunt me. 176 Erravi sicut ovis perdita; quare servum tuum, quia mandatorum tuorum non sum oblitus.

1 *asre.* Græci præponunt Ἀλληλούϊα. Psalmus vero hic constat periochis 22. quæ alphabeti ordine decurrunt, singulæque periochæ octo periodis, quæ omnes ab eadem litera incipiunt; quod præcipuum Psalmi hujus artificium. Quod ad cetera enim, multa sunt quæ faciunt ut vergente jam Hebraica poesi scriptum putem; nam stylo est humili, nec materia refertus, aut figuris ornatus; numerique etiam multis in locis parum habent istius venustatis, elegantiæ, atque artis, quæ in plerisque aliis elucent, sed pietatis in deum est plenissimus, & teneris puerorum animis ad obsequium divinis legibus exhibendum erudiendis utilissimus; ideoque, opinor, ordine Alphabetico compositus. Eadem fere perpetuo recurrunt, sed ne tædium inde crearetur, Leges divinæ magna vocabulorum varietate significantur *emunah*, *imrah*, *dabar*, *derec*, *hukkim*, *mispetim mizvot*. *yedut*, *pekudim*, *zedec*; numero decem, quæ omnia, utcunque paululum differant inter se, ratione significationis singulis propriæ & peculiaris, in hoc tamen Psalmo tanquam synonyma promiscue usurpantur. Nec ulla in toto Psalmo periodus est, in qua, si 122 excipias, unam saltem harum vocum non reperias, licet non semper eodem sensu.

4 *ubecol. vau*, alio præeunte, in Heb. excidit.

6 *ubedarcav.* Hic eadem omissio, ut ex metro liquet.

8 *lesomram meod.* Hic quoque litera excidit, eadem litera præcedente.

13 *leb.* In Heb. *lebab*.

18 *lismor debareca*. In Heb. præponitur, *ce*, quod & sensus & metrum respuit. Gr. ἐν τῷ φυλάξασθαι τοὺς λόγους σου, quasi legissent *besemor dibrica*.

19 *leb.* In Heb. *libbi*, repugnante metro, nisi legamus, *lebabi*.

24 *et.* Sexies repetitur hic versiculus. Ultimus est *p.* 135. ubi *et* inseritur, quod hic metrum postulat.

28 *yale.* Metrum poscit pro *yal*.

32 *dibrica*. Sic. Gr. τῶν λόγων σου. In Heb. est in singulari, invito metro.

33 *ehjeh.* Suspicor copulam excidisse, & legendum, *veehjeh*, & in v. seq. *dibrica* in plurali. Sic Gr. τοὺς λόγους σου. Vid. *p.* 77. 116. & 144. in quibus omnibus est *veehjeh.*

37 *ani.* Pro *anoci*. Legendum docet metrum.

46 *veyabdeca.* Copula inserenda, constructione æque ac metro desiderante, exciderat alio *vau* præeunte.

48 *hukkica.* Hoc in Hebr. excidit sed conservavit Gr. versio, τὰ δικαιώματά σου.

56 *bedibrica.* Sic Gr. ἐν τοῖς λόγοις σου. Heb. *cedebareca*. invito metro, nisi legamus *cidbareca*, vid. v. 18.

58 *nceterateca.* Sic legendum metrum monet, ut in priore periodo *cedibreca*.

59 *derec.* In hac & duabus periodis proxime sequentibus priores versus sunt generis Trochaici, posteriores Iambici.

60 *sivviti*. Gr. οὐκ ἐπελαθόμην, quasi legissent *lo sacahti*, Vid. *p.* 61. 83. 109. 141. 153. 176.

68 *libbi.* Gr. ἐν ὅλῃ καρδίᾳ μου.

71 *hat.* In hac p. & tribus quæ proxime sequuntur, versus alternant, ut in *p.* 30. 31. 32.

84 *bedibrica.* Gr. ἐπὶ τοῖς λόγοις σου. In Heb. est in *singulari*. Vid. *v.* 56.

87 *yad meod.* Huc restituendum esse ex sensu ac metro liquet, ex periodo superiore, ubi ponitur post *emet*.

89 *v' ethallecah.* Cum nusquam alias occurrat cum *h* paragogico, legendum videtur, *veethallec.*

94 *meod.* Gr. σφόδρα. In Heb. deest.

96 *veasibah.* Præit in Heb. *aser abbti*, mendose repetitum ex periodo priore.

97 *dibrica.* Sic Gr. τῶν λόγων σου. In Heb. *dabar*, quod respuit metrum.

111 *nehamah.* Sensus hoc inseri postulat. Vid. *p.* 50.

113 *attah.* In Hebr. excidit sed Gr. conservarunt, μερίς μου εἶ Κύριε. Vid. v. 23. 273. 301. 328.

115 *libbi*. Sic Gr. καρδίᾳ μου. In Heb. *leb.*

131 *vetayam.* Gr. καὶ παιδείαν.

133 *ayunneh.* Gr. πρὸ τοῦ με ταπεινωθῆναι. In Hebr. *eyneh.* Vid. *p.* 71.

134 *veyatt'*. *h* eliso ante *a*, vel *vau* delendum.

135 *jah.* Gr. κύριε. In Heb. deest.

142 *elmedah. h paragogicum* addidi metri gratia.

146 *veelmad.* In Hebr. *veelmedah*, repugnante metro.

150 *zedec.* In Heb. præponitur τὸ *mispatica*, invito metro; præterea, *zedec* & *emunah*, non solent disjungi, alia voce interposita.

156 *asibah*. Sic *p.* 15. 27. 48. In Heb. *asib.*

159 *lebabi*. In Heb. est *libbi*, sed metrum postulat *lebabi*, nisi aliquid exciderit in versu seq. & legendum sit, vel *ebosah*, vel addendum in fine *elohai*.

161 *caletah.* In hac & seq. p. versus alternant.

171 *zedek ve*. Hæc videntur excidisse. Vid. *p.* 75.

176 *ve esmor*. In Heb. *es morah*, sed respuit metrum, vel legendum, *v' esmorah*.

yedot. Gr. τὰ μαρτύρια. In Heb. *yedut*.

180 *baarez.* Gr. τῇ γῇ.

191. *kezeh.* In Heb. *kez*, sed versus postulat dissyllabum, si recte se habet *ticlah*.

193 *et.* Inserui metri gratia, ut versus hic conveniat cum sequente, qui ex omni parte integer videtur.

195 *meojebai.* Hic quoque in tribus periodis versus alternant, priores sc. Jambici sunt; posteriores Trochaici.

196 *mizvateca*, sic hic legendum, ut v. 192. casu primo, quocum *tehaccemeni* convenit; in Heb. *mizvotica*, quod turbat totam periodi constructionem.

204 *att'*. In Heb. *attah;* sed legendum *att'*, ut versus hic conveniat cum præcedente.

216 *mispatica.* In Hebr. præit copula, repugnante metro.

221 *nahlati*. In hac & seq. periodo versus alternant.

224 *yekeb.* Miror Gr. vertisse δι' ἀντάμειψιν, cum ipsi periodo 33. recte reddiderint διὰ παντός. *leyolam yekeb* est plane idem ac *leyolam vayed*, *p.* 44.

225 *seyapim.* Cum varie hæc vox exponatur ab Hebræis, & recentioribus, quorum alii interpretantur *cogitationes;* alii, *cogitantes cogitationes*, nempe *inanes;* alii *cogitationes*, sc. *humanas;* potissimum visum est sequi Græcos, qui verterunt παρανόμους, sensu commodissimo. In lingua a tot seculis emortua, & ubi tot sunt homonyma, facile fieri potuit, ut ab Interpretibus tam antiquis vis vocis conservata fuerit, quæ posteris ignota erat. In hoc autem versu, ex metro suspicor excidisse in fine *jahvoh*.

227 *sitri.* In hac etiam & seq. periodo alternant versus.

236 *tarmitam.* Gr. τὸ ἐνθύμημα αὐτῶν, alii reddunt *dolum*, *mendacium dolus eorum*, i. e. *fallax est*, *se ipsos fallit*, & fine suo excidunt.

237 *sigim hisbatta*. Reddunt, *ut scorias cessare fecisti*. Sed durum, ut hic *ut* supplendum sit; nec quis commode dixerit *cessare facere scorias*. Græci, παραβαίνοντας ἐλογισάμην, legendo pro *sigim sagim*, atque in hoc errasse videntur, vocalem alienam substituendo; pro *hisbatta* vero *hissabti*. Atque hic etiam errasse puto, primam personam pro secunda legendo; quod autem ad verbum ipsum, eorum lectio recepta haud paulo melior videtur; *scorias reputasti*, pro scoriis habuisti *omnes impios terræ*. Et hanc lectionem firmant Aquila & Sym. quorum hic ἐλογίζω, ille, διελογίσω. In hac vero & seq. periodo versus alternant.

249 *anoci.* Pro *ani* reponendum metro poscente.

251 *mispat.* Ex sensu, ni fallor, manifestum vocem hanc excidisse. Vid. *p.* 184.

253 *yal cen.* In hac etiam & seq. p. alternant versus.

255 *pikkudica.* In Heb. *pikkude;* quod mendosum esse & metrum & constructio ostendit. *ca* nempe excidit ante *col*, *c.* ante *c.* Gr. πρὸς πάσας τὰς ἐντολάς σου κατωρθούμην.

260 *yenai.* Locus videtur postulare, ut vox hæc inseratur. Vid. *Ps.* XIX. v. 22.

261 *ruh.* Gr. εἵλκυσα πνεῦμα. Vid. *Jer.* XIV. 6. unde liquet *ruh* excidisse.

274 *vejesarim*. *Pluralis* terminatio in Heb. excidit. Gr. εὐθεῖς.

276 *zedec.* Metrum indicat *zedec* hic inserendum esse, quod in Heb. τῷ *yedotica* præponitur, idem mendum fuit *p.* 75.

286 *umizvoteca*. Copulam & metrum & constructio postulat, nisi in priore versu legatur contracte *mezuni*. Vid. v. 348.

290 *vehukkica*. Copula deest ad sensum æque ac versum.

296 *lesibi*. Suffixum exigit sensus pariter ac metrum.

303 *ye-*

303 *yedoteca*. In Hebr. *meyedoteca* repugnante & metro, & syntaxi.
308 *l' imrateca*. Legendum putem *c' imrateca*, vel *uceimrateca*. Vid. p. 25. 88. 107. 149. 156. 159.
309 *rahok*. In hac & seq. p. versus alternant.
320 *mispeti*. Gr. τὰ κρίματα. In Heb. *mispat*. Vid. p. 8. 62. 106.
323 *ani*. In Heb. *anoci* repugnante metro.
328 *yal col*. Sensus *col* inseri poscit æque ac metrum. Vid. p. 160.
333 *et*. Excidisse ex metro liquet.
336 *negdeca*. Gr. addunt κύριε. legendum forte,

vecol darcai negdeca adonai.

Sed vid. *Ps.* XXXIX. v. 1. & CXXXIX. v. 5.
338 *cidbareca*. Nisi *c* in unam syllabam coalescat cum *d*, in priore versu legendum *jah*, vel hic *cedibreca*, in plurali.
339 *lipneca*. Gr. addunt κύριε, quasi legissent *jahvoh*, sed ex priore, opinor, irrepsit periodo.
341 *sepatai*. Vox hæc semper alias est dissyllaba, nisi forte excipiendus sit *Ps.* LXVI. v. 31. sed metrum hic postulat trissyllabum, vel in fine versus addendum, *lac*.
343 *tayan*. Versus in hac & seq. p. alternant.
349 *tebi*. Hic etiam & in seq. p. versus alternant.
351 *obed*. Videtur glossema esse, cum versum justo productiorem reddat.

PSALMUS CXX. קכ

sir hammaylot.

1 EL *jah* bazzaratah li
karati, vaijayneni.
jahvoh, hazzilah napsi
missepat seker, millason remijah.

5 mah jitten leca, *sepat seker*?
umah josip leca, lason remijah?
hizzɛ gibbor senunim,
yim gahalɛ retamim.
ojah li, ci garti *be*mesek,
10 sacanti yim oholɛ kedar.
" rabbat sacenah lah napsi
yim *mesanne* salom.
" ani salom ci adabber,
hemmah lammilhamah.

PSALMUS CXX. קכ

שיר המעלות:

1 אל-יהוה בצרתה לי
קראתי ויענני:

2 יהוה הצילה נפשי
משפת שקר מלשון רמיה:

3 מה-יתן לך ****
ומה-יסיף לך לשון רמיה:

4 חצי גבור שנונים
עם גחלי רתמים:

5 אויה-לי כי-גרתי *משך
שכנתי עם-אהלי קדר:

6 רבת שכנה-לה נפשי
עם *שנא שלום:

7 אני-שלום וכי אדבר
המה למלחמה:

CAnticum graduum. 1 Ad *Jahvoh* in angustia mea clamavi, & exaudivit me. 2 Jahvoh, eripe animam meam a labio mendaci, a lingua dolosa. 3 Quid dabitur tibi, *labium mendax*? et quid apponetur tibi, lingua dolosa? 4 Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus juniperorum. 5 Hei mihi quod peregrinet *in* Meseh, habitem cum tabernaculis Kedar.

1 *el*. Hic & 14. sequentes Psalmi dicuntur Cantica *hammayalot*, quod reddunt, *Graduum*; sed cur ita dicantur, nondum certo liquet.
bazzaratah. Cum vox hæc nusquam alias occurrat, quod sciam, merito suspicemur mendosam esse, & legi oportere, *el jahvoh bazzarah li*.
5 *sepat seker*. Hæc excidisse ex structura orationis pariter ac metro liquet.
9 *bemesek*. Constructio æque ac metrum *b* inseri postulat.
12 *mesanne*. Gr. μετὰ τῶν μισούντων. In Heb. *sone*. *m*. sc. præeunte *m* excidit.
13 *ci*. In Heb. præit copula, quæ & sensum & versum turbat.

PSALMUS CXXI. קכא

sir lammaylot.

1 " ESsa yenai el heharim,
meain jabo yezri,
" yezri meyim jahvoh,
yoseh samem vaarez.
5 " al jitten lammot ragleca,
al janum somereca.
hinneh lo janum, velo
jisan, somer jisrael.
" jahvoh somereca, jahvoh
10 zilleca, yal jad jeminca.

PSALMUS CXXI. קכא

שיר למעלות:

1 אשא עיני אל-ההרים
מאין יבא עזרי:

2 עזרי מעם יהוה
עשה שמים וארץ:

3 אל-יתן למוט רגלך
אל-ינום שמרך:

4 הנה לא-ינום ולא
יישן שומר ישראל:

5 יהוה שמרך יהוה
צלך על-יד ימינך:

6 יומם

jomam haſſemes lo jacceccah; ve*haijareh* ballailah.	6 יומם השמש לא-יככה ו*ירח בלילה:
jahvoh jiſmoreca miccol ray, jiſmor et napſec' jahvoh.	7 יהוה ישמרך מכל-רע ישמר את-נפשך : 8 יהוה
15 jiſmor zeteca, uboeca, meyattah veyad yolam.	ישמר צאתך ובואך מעתה ועד-עולם:

CAnticum graduum. 1 Levo oculos meos ad montes, unde veniet auxilium meum. 2 Auxilium meum a Jahvoh, faciente cœlum & terram. 3 Non dabit in commotionem pedum tuum, non dormitabit cuſtodiens te. 4 Ecce non dormitabit, neque dormiet, cuſtodiens Iſraelem. 5 Jahvoh cuſtodit te, Jahvoh umbra tua, ſuper manum dextram tuam. *6* Per diem Sol non percutiet te; neque luna in nocte. 7 Jahvoh cuſtodiet te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam. 8 Jahvoh Cuſtodiet exitum tuum & introitum tuum, & nunc & uſque in ſeculum.

1 *eſſa*. In tribus primis periodis verſiculi alternant, priores utique ſunt Trochaici generis, alteri Jambici.
12 *vehaijareh*. In Heb. deeſt *h* præfixum, ſed metrum poſcit, & quodam modo conſtructio, cum præceſſerit *haſſemeſ;* vel legendum *velo jareh*, quomodo Gr. videntur legiſſe, cum verterint, ὐδὲ ἡ σελήνη.
14 *jahvoh*. Ex metro manifeſtum eſt periodum in hac voce terminari, pro *napſeca* vero metrum poſtulat *napſec'*, vel delendum *et*.

PSALMUS CXXII. קכב

ſir hammaylot ledavid.	שיר המעלות לדוד:
1 SAmahti b'omerim li, bet jahvoh nelec *jahad*;	1 שמחתי באמרים לי בית יהוה נלך **:
*ve*yomedot haju raglenu beſayraici, jeruſalaim.	2 *עמדות היו רגלינו בשעריך ירושלם:
5 jeruſalaim habbenujah ceyir, ſehubberah lah.	3 ירושלם הבנויה כעיר שחברה-לה יחדו:
ſeſam yalu ſebatim, ſibte jah*voh*, yedut l'iſrael, lehodot leſem jahvoh.	4 ששם עלו שבטים שבטי יה* עדות לישראל להודות לשם יהוה:
10 ci ſam jaſebu ciſot lemiſpat, ciſot lebet david.	5 כי שמה ישבו כסאות למשפט כסאות לבית דוד:
" ſalu ſelom jeruſalem; jiſlaju ohabaic.	6 שאלו שלום ירושלם ישליו אהביך:
jehi ſalom behelec, 15 ſalvah bearmenotaic.	7 יהי-שלום בחילך שלוה בארמנותיך:
limyan ahai vereyai, adabberah ſalom bac.	8 למען אחי ורעי אדברה-נא שלום בך:
limyan bet jahvoh elohenu, abakkeſah *na* tob lac.	9 למען בית יהוה אלהינו אבקשה* טוב לך:

CAnticum graduum ipſius Davidis. 1 Lætatus ſum cum dicentibus mihi, in domum Jahvoh ibimus *ſimul*. 2 Et ſtantes fuerunt pedes noſtri in portis tuis, o Jeruſalaim. 3 Jeruſalaim quæ ædificatur ut civitas quæ conjuncta eſt ſibi. 4 Illuc aſcenderunt tribus, tribus Jahvoh, teſtimonium Iſraeli, ad celebrandum nomen Jahvoh. 5 Quia illic ſederunt ſolia ad judicium, ſolia domus Davidis. *6* Petite pacem Jeruſalem; proſpere agant diligentes te. 7 Sit pax in antemurali tuo, proſperitas in palatiis tuis. 8 Propter fratres meos & proximos meos, loquar pacem de te. *9* Propter domum Jahvoh Dei noſtri, quæram *nunc* bonum tibi.

2 *jahad ve*. In fine tertiæ periodi eſt *jahdav*, quod ibi plane abundat; hic vero verſus deficit. Huc igitur retrahendum putavi, *jahad* ad hunc verſum apponendo, & *vau* ſequenti præfigendo. Vid. *Pſ*. III. *p*. 6. collat. cum IV. *p*. 9. ubi prorſus idem videtur accidiſſe.

4 *beſayrci*. *Jod* alio *jod* ſequente excidit. Vid. *Pſ*. CXVI. *p*. 19.

7 *ſeſam*. Suſpicor in Heb. *ſ* errore librarii repetitum, & legendum eſſe,

ſam yalu ſibtim, ſibte.

10 *ſam*.

10 *ſam.* In Heb. *ſammah*, invito metro.
12 *ſalu*, &c. Et metrum & Gr. Verſio ſuadent *na* excidiſſe poſt *ſalu*, & copulam ab initio verſ. ſequentis. Ibi enim eſt ἐρωτήσατε δὴ, & καὶ. Hac autem lectione admiſſa omnes periodi hujus Pſalmi erunt unius generis, ſc. Jambici.
17 *adabberah.* In Heb. ſequitur *na*, ſed ex metro conſtat loco eſſe alieno, & inſeri debere ante *tob* in v. ultimo.

PSALMUS CXXIII. קכג

ſir hammaylot.

1 ELeca naſati & yenai,
haijoſebi baſſamem.
hinneh, ceyene yabdim el jad
adonehem, ceyene ſiphah
5 el jad gebirtah, cen yenenu
el jahvoh elohenu,
yad *aſer* jehonnenu.
honnenu *jah*, honnenu,
ci rab*bat* ſabaynu bux.
10 rabbat ſabeyah lah napſenu
hallayag haſſanannim,
*ve*habbuz ligejonim.

PSALMUS CXXIII. קכג

שיר המעלות:

1 אליך נשאתי את-עיני
הישבי בשמים:
2 הנה כעיני עבדים אל-יד
אדוניהם כעיני שפחה
אל-יד גברתה כן עינינו
אל-יהוה אלהינו
עד * שיחננו:
3 חננו יהוה חננו
כי-רב* שבענו בוז:
4 רבת-שבעה-לה נפשנו
הלעג השאננים
*הבוז לגאיונים:

CAnticum graduum. 1 Ad te levo oculos meos, qui habitas in cœlis. 2 Ecce, ſicut oculi ſervorum *intenti ſunt* ad manum dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ ad manum dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Jahvoh Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. 3 Miſerere noſtri Jah, miſerere noſtri, quia multum ſaturati ſumus deſpectione. 4 Multum ſaturata eſt ſibi anima noſtra ſubſannatione tranquillorum, & deſpectione ſuperborum.

7 *yad aſer.* In Hebr. *yad ſe*, quod metrum corrumpit.
9 *rabbat.* In Heb. *rab*, ſed conferenti hunc v. cum ſequenti videtur legendum, *rabbat*, quod ſupra etiam extat *Pſ.* 120. *p.* 6.
12 *vehabbuz.* Copula in Heb. excidit, ſed ſervarunt Gr.

PSALMUS CXXIV. קכד

ſir hammaylot ledavid.

1 "LUle *jah* ſehajah lanu,
jomar na jiſrael;
lule jahvoh ſehajah lanu,
bekum yalenu adam;
5 az haijim belayunu,
baharot appam banu.
azai hammaim ſetapunu,
*h*annahal yabar yal napſenu.
azai yaber*u* yal napſenu
10 hammaim hazzedonim.
baruc *jah*, ſelo netananu
*le*terep leſinnehem.
napſenu cezippor nimletah
mippah jokeſim; happah niſbar,
15 vaanahnu nimiatnu.
yezrenu beſem jahvoh,
yoſeh ſamem vaarez.

PSALMUS CXXIV. קכד

שיר המעלות לדוד:

1 לולי יהוה שהיה לנו
יאמר-נא ישראל:
2 לולי יהוה שהיה לנו
בקום עלינו אדם:
3 אזי חיים בלעונו
בחרות אפם בנו:
4 אזי המים שטפונו
נחלה עבר על-נפשנו:
5 אזי עבר * על-נפשנו
המים הזידונים:
6 ברוך יהוה שלא-נתננו
*טרף לשניהם:
7 נפשנו כצפור נמלטה
מפח יוקשים הפח נשבר
ואנחנו נמלטנו:
8 עזרנו בשם יהוה
עשה שמים וארץ:

CAnticum graduum. 1 Niſi quod Jah erat nobiſcum, dicat nunc Iſrael; 2 Niſi quod Jahvoh erat nobiſcum, quum inſurgerent adverſum nos homines; 3 Tunc vivos deglutiſſent nos, quum iraſceretur furor eorum in nos. 4 Tunc aquæ inundaſſent nos, torrens pertranſiſſet

ſiſſet ſuper animam noſtram. 5 Tunc tranſiſſent ſuper animam noſtram aquæ ſuperbæ. 6 Benedictus Jah, qui non dedit nos *in* prædam dentibus eorum. 7 Anima noſtra ſicut avis evaſit de laqueo aucupum; laqueus contritus eſt, & nos evaſimus. 8 Adjutorium noſtrum in nomine Jahvoh, qui fecit cœlum & terram.

1 *jab*. In Heb. *jahvoh*, ſed metrum reſpuit, niſi in v. ſeq. legamus *jomeru*.
5 *az*. In Heb. *azai*, repugnante metro.
8 *hannabal*. In Heb. inverſis literis *nablah*, manifeſto mendo.
9 *yaberu*. In Heb. *yabar*, ſed conſtructio, pariter ac metrum, *plurale* poſcit.
12 *leterep*. Gr. εἰς θήραν. In Hebr. excidit præfixum.

PSALMUS CXXV. קכה

ſir hammaylot.

1 HAbbotehim bejahvoh,
cehar zijon lo jimmot;
leyolam jeſeb. jeru-
ſalem, harim ſabib lah,
5 vej*ah* ſabib leyammo,
meyattah veyad yolam.

ci lo januh ſebet hareſay
yal goral hazzaddikim;
limyan lo jiſlehu zaddikim
10 beyavlatah jedehem.

« hetibah jahvoh lattobim,
veliſarim belibbotam.

vehammattim yakalkallotam,
jolicem jahvoh et poyalė haon.
15 « ſalom yal jiſrael.

PSALMUS CXXV. קכה

שיר המעלות:
1 הבטחים ביהוה
כהר-ציון לא-ימוט
לעולם ישב: 2 יר-
שלם הרים סביב לה
ויהוה סביב לעמו
מעתה ועד-עולם:
3 כי לא ינוח שבט הרשע
על גורל הצדיקים
למען לא-ישלחו הצדיקים
בעולתה ידיהם:
4 הטיבה יהוה לטובים
ולישרים בלבותם:
5 והמטים עקלקלותם
יוליכם יהוה את-פעלי האון
שלום על-ישראל:

CAnticum graduum. 1 Qui confidunt in Jahvoh, *ſunt* ut mons Sion *qui* non commovetur; *juſtus* in ſeculum permanebit. 2 Jeruſalem, montes in circuitu ejus, & jah in circuitu populi ſui, a nunc & uſque in ſeculum. 3 Quia non requieſcet virga impii ſuper ſortem juſtorum; ut non mittant juſti ad iniquitatem manus ſuas. 4 Benefac Jahvoh bonis, & rectis in cordibus ſuis, 5 Declinantes autem *in* tortuoſitates ſuas, ambulare faciet eos Jahvoh cum operantibus iniquitatem ----. Pax *erit* ſuper Iſrael.

3 *jeſeb*. Si ſana hæc lectio, diſtinguendum poſt *immot*, & *jeſeb* referendum ad *habbotehim* ἀνομάλως, neque enim ad montem commode trahi poteſt, & *jeruſalem* dividendum, ut conſtet metrum, ut *Pſalm.* CXXXVII. v. 14. vel repetendum. Ego vero mendum ſubeſſe ſuſpicor & excidiſſe *zaddik* poſt *jeſeb*, ſic *Prov.* X. 30. *zaddik leyolam bal immot*, vid. etiam *Pſ.* CXII. *p.* 6. *jeruſalem* vero verſui ſeq. præponendum. Gr. legerunt *joſeb*, verterunt enim οὐ σαλευθήσεται εἰς τὸν αἰῶνα ὁ κατοικῶν Ἱερουσαλήμ. Sed qui habitat in Jeruſalem, non neceſſario vir bonus. vel fiduciam in Deo collocat. Præterea, *Jeruſalem* reſpondet τῷ *zion* quod præcedit; ibi vero non agitur de homine montem illum incolente; ſed comparatio cum illo monte inſtituitur; & ad eundem modum memoratur hic *Jeruſalem*; ut montes circa illam, quorum præſidio tuta eſt, ita deus circa populum ſuum, ut eum ſemper protegat. Senſus igitur vetat *jeruſalem* conjungi cum *jeſeb*, & totus locus ſic videtur digerendus.

habbotehim bejahvoh
cehar zion bal immot,
leyolam jeſeb zaddik.

(Legendum forte in plurali, *jeſebu zaddikim*.)

jeruſalem, *harim ſabib lah*,

7 *hareſay*. *Improbitatis*. Gr. τῶν ἁμαρτωλῶν, legendo *haraſay*, quod verius puto, *cum ſors juſtorum opponatur virgæ*, non *improbitatis*, ſed *improborum*.
9 *zaddikim*. In Heb. *hazzadikim*, quod metrum reſpuit.
14 *haon*. Cum ſemper alias ſit *poyalė on*, idque frequentiſſime, nuſquam vero occurrat *haon*, ſuſpicor in mendo eſſe & legendum,

jolicem jah & poyalė on.

15 *ſalom yal jiſrael*. Manifeſto extra verſum ſunt, & euphemiſmi gratia addita. Vid. eadem *Pſalm.* CXXVIII. ult. Vid. etiam ad *Pſ.* XXXIV. *p.* 23.

PSALMUS CXXVI. קכו

ſir hammaylot.

1 BEſub jahvoh & ſibat zion,
hajinu ceholemim.

PSALMUS CXXVI. קכו

שיר המעלות:
1 בשוב יהוה את-שיבת ציון
היינו כחלמים:
2 אז*

az*ai*

azai jimmale ſehok pinu,
uleſonenu rinnah.

5 az jomeru baggoim,
higdil jahvoh layſot yim elleh.

higdil jahvoh layſot yimmanu;
hajinu *ce*ſemehim.

ſubah jahvoh et ſebitenu,
10 caapikim bannegeb.

" zoreyim bedimyah,
berinnah jikzoru.

haloc jelec, ubacoh,
noſe meſec hazzaray;

15 " bo jabo berinnah,
noſε alummotav.

2 אז * ימלא שחוק פינו
ולשוננו רנה

אז יאמרו בגוים
הגדיל יהוה לעשות עם-אלה:

3 הגדיל יהוה לעשות עמנו
היינו * שמחים:

4 שובה יהוה את-שבותנו
כאפיקים בנגב:

5 הזרעים בדמעה
ברנה יקצרו:

6 הלוך ילך ובכה
נשא משך הזרע

בא-יבא ברנה
נשא אלמתיו:

CAnticum graduum. 1 Quando redire fecit Jahvoh captivitatem Sionis, fuimus veluti ſomniantes: 2 Tunc repletum fuit riſu os noſtrum, & lingua noſtra laude. Tunc dixerunt inter Gentes, magnificavit Jahvoh facere cum iſtis. 3 Magnificavit Jahvoh facere nobiſcum; unde fuimus *veluti* lætantes. 4 Redire fac Jahvoh captivitatem noſtram, ſicut torrentes in Auſtro. 5 Qui ſeminaverunt cum lachrymis, cum exultatione metent. 6 Eundo ibit, & flendo, ferens ſementem ſeminis; veniendo veniet cum exultatione, reportans manipulos ſuos.

3 *azai*. Sic legi metrum poſtulat; ſed in Hebr. *jod* ante *jimmale* excidit.

8 *ceſemehim*. Ut v. 2. *ceholemim*. Sic metrum legi poſtulat, vel præponenda copula, quæ facile excidere poterat alio *vau* præeunte. In Heb. deeſt *ce*.

10 *caapikim*. Senſus eſt, cui hoc tam facile eſt, ac aquas quo lubet vertere. Vid. *Pr.* XXI. 1.

11 *zoreyim*, in Heb. *hazzoreyim* repugnante metro, niſi in ſequente v. legamus *berenanah*, quod tamen vetat verſus penultimus.

PSALMUS CXXVII. קכז

ſir hammaylot,
liſlomoh.

1 IM jahvoh lo jibneh bεt,
ſav yamelu bonav bo;
im jahvoh lo jiſmor yir,
ſav *ſakod* ſakad ſomer.

5 ſav lacem maſcimε kum,
meaharε ſebet,
ocelε lehem hayazabim;
cen jitten lidido ſena.

hinneh, nahlat *jah* banim;
10 ſiero peri habbaten.

cehizzim bejad gibbor,
cen benε hanneyurim.

aſrε haggeber aſer
mille eſpato mehem;
15 lo jeboſu, ci jedabberu
et ojebim baſſayar.

PSALMUS CXXVII. קכז

שיר המעלות
לשלמה:

1 אם-יהוה לא-יבנה בית
שוא עמלו בוניו בו
אם-יהוה לא-ישמר-עיר
שוא ** שקד שומר:

2 שוא לכם משכימי קום
מאחרי-שבת
אכלי לחם העצבים
כן יתן לידידו שנא:

3 הנה נחלת יהוה בנים
שכר פרי הבטן:

4 כחצים ביד-גבור
כן בני הנעורים:

5 אשרי הגבר אשר
מלא את-אשפתו מהם
לא יבשו כי-ידברו
את-איבים בשער:

CAnticum graduum, Salomonis. 1 Si Jahvoh non ædificet domum, fruſtra laborant ædificantes eam; ſi Jahvoh non cuſtodiat civitatem, fruſtra *vigilando* vigilat cuſtos. 2 Fruſtra vobis *eſt* maturantibus ſurgere, tardantibus ſedere, edentibus panem dolorum; *Jahvoh enim eſcam* dabit dilecto ſuo in ſomno. 3 Ecce hæreditas Jahvoh filii; præmium *ejus* fructus ventris. 4 Ut ſagittæ in manu potentis, ita filii juventutum. 5 Beatus vir qui implevit pharetram ſuam ex ipſis; non afficientur pudore, quum loquuti fuerint cum inimicis in porta.

4 *ſakod*. Cum deficiat verſus, commodiſſime *ſakod* inſerendum videtur, quo ſumma cuſtodis diligentia denotetur, quæ tamen omnis fruſtra eſt, niſi deus adjuvet; ſed forte in plurali legendum *ſakedu ſomerim*, cum cuſtodes urbium plures ſint, unde *ſomerim* in SS. ſæpe occurrit.

6 mea-

6 *meahar₀ sebet*. Pessime hic Gr. ἐγείρεσθε (l. ἐγείρεσθαι) μετὰ τὸ καθῆσθαι. *meahar₀* enim manifesto est participium, oppositum τῷ *mascim₀*, ut *Es.* V. 11. *mascim₀ babboker* —— *meahar₀ bannesep*.

8 *cen*. Locus hic aperte in mendo cubat, *cen* enim directe pugnat contra mentem Psaltæ, qui dicere voluit, iis quos deus diligit, non opus esse tam diutinis vigiliis tantisque laboribus ut victum sibi comparent, pro *cen* igitur legendum puto *ci*, Gr. ὅταν. Sequitur *jitten*, sed non dicitur *quis*, vel *quid*; non enim sensus est, *dabit somnum*; opposite ad antecedentia dicendum erat, *dabit facilem victum*, dabit etiam *in somno*; sic Noldius & Clericus intelligunt *sena*. Alii nempe multo & diutino labore vitæ subsidia sibi quærunt, suis vero deus nullo negotio cibam parat. Tota igitur periodus ad hunc forte modum refingenda,

sav lacem mascim₀ kum,
meahar₀ sebet, ocel₀
lehem hayazabim; ci jahvoh
terep jitten lidido sena.

Vid. *Ps.* CXI. p. 5. Si omisso *terep* mali. *sena* interpretari *somnum* quam *in somno*, sensus erit, *dat deus dilectis suis somnum, cum vos a primo mane ad multam noctem sollicite & anxte vigilatis*.

9 *hinneh*. Cum hic & seq. Psalmus videantur esse ab eadem manu, conferenti versum nonum hujus Psalmi cum nono sequentis suspicio est post *hinneh* excidisse *ci*, & hic legendum,

hinneh ci nahlat jahvoh banim,

Et forte *ci* ex illo Psalmo huc retrahendum est, cum ibi metrum respuat, nisi in altero periodi membro inseratur *et* ante *jahvoh*.

10 *sicro*. In Heb. *sacar*. Gr. ὁ μισθὸς τοῦ καρποῦ τῆς γαστρὸς, absurde prorsus, *liberi* enim ipsi sunt *uteri fructus*, de quibus prædicatur *sacar*, sed non dicitur *a quo*. Sensu igitur duce legendum *sicro* a *secer*; ita membra sunt ἰσοδύναμα, & *sicro* venuste respondet τῷ *nahlat jahvoh* in versu antecedente.

14 *espato*. In Heb. præit *et*, quod versus hic respuit.

PSALMUS CXXVIII. קכח

sir hammaylot.

1 " Asr₀ col jere *jah*,
haholec bedarcav.

" jegiy cappeca ci tocel,
asreca, vetob lac.

5 esteca cegepen porijah
bejarcet₀ beteca;
baneca cesetil₀ zetim,
sabib lesulhaneca.

hinneh ci cen jeborac
10 gaber jere *et* jahvoh.

jebarecec' jahvoh mizzion;
ureeh betub jerusalem,
" col jem₀ haijeca,
ureeh banim libneca.

15 salom yal jisrael.

PSALMUS CXXVIII. קכח

שיר המעלות:

1 אשרי כל-ירא יהוה
ההלך בדרכיו:

2 יגיע כפיך כי תאכל
אשריך וטוב לך:

3 אשתך כגפן פוריה
בירכתי ביתך
בניך כשתילי זיתים
סביב לשלחנך:

4 הנה כי-כן יברך
גבר ירא *יהוה:

5 יברכך יהוה ציון
וראה בטוב ירושלם
כל ימי חייך:
6 וראה בנים לבניך

שלום על-ישראל:

Canticum graduum. 1 Beatus omnis qui timet Jah, qui ambulat in viis ejus. 2 Laborem manuum tuarum quia comedes, beatus tu *eris*, & bonum tibi *erit*. 3 Uxor tua *erit* sicut vitis fructificans in lateribus domus tuæ; filii tui sicut plantationes olearum in circuitu mensæ tuæ. 4 Ecce! sic benedicetur vir qui timet Jahvoh. 5 Benedicet tibi Jahvoh ex Sion, & videbis bonum Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. 6 & videbis filios filiorum tuorum. Pax super Israel.

1 *jere jah*. Legendum forte inserto *et*, quod in v. 14. superioris Psalmi abundat, *et jahvoh*, ut *Psalm.* CXII. v. 1. quomodo etiam metrum legi postulat hic v. 10. si cetera se recte habent.

10 *et jahvoh*. et ad metrum necessarium est ut dixi ad v. 1. vel tollendum in priore versu *ci*.

14 *ureeh banim*. Nescio an non *reeh* errore librarii ex superioribus repetitum sit; tunc in versu 9. legendum,

col jem₀ haijec', ubanim libneca.

15 *salom*. Vid. ad *Ps.* CXXV. ult.

PSALMUS CXXIX. קכט

sir hammaylot.

1 " Rabbat zeraruni minneyurai,
jamor na jisrael.

" rabbat zeraruni minneyurai,
gam lo jacelu li.

PSALMUS CXXIX. קכט

שיר המעלות:

1 רבת צררוני מנעורי
יאמר-נא ישראל:

2 רבת צררוני מנעורי
גם לא-יכלו לי:

5 yal

3 על

5 yal gabbi hareſu horeſim;
hericu lemaynitam.

jahvoh *hannun vezaddik*,
kizzez yabot reſayim.

jeboſu vejiſſogu
10 ahor col ſonε zion.

jihju cahazir gaggot,
ſekadmat ſalap jabeſ.

“ ſelo mille cappo kozer;
vehizno meyammer.

15 velo ameru hayoberim,
bircat jahvoh alεcem;
beracnu etcem beſem jahvoh.

3 על-גבי חרשו חרשים
האריכו למענותם:

